This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lo 10. 365.

FROM THE
DONATION FUND
OF
MDCCCXLII.

Rec'd Oct 12.
1847

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBRI XV.

RECENSUIT, VARIAS SCRIPTURAS OMNIUM CODICUM ADHUC COLLATORUM ET VETUSTISSIMARUM EDITIONUM APPOSUIT, COMMENTARIIS INSTRUXIT, PRAEFATUS EST ET INDICEM ADDIDIT

VITUS LOERS, Dr.

LIPSIAE,
APUD FRIDERICUM FLEISCHER.
MDCCCXLIII.

L-10,365

PRAEFATIO.

Inter multas quae nostra aetate in lucem prodierunt P. Ovidii Nasonis Metamorphoseon editiones talis horum adhuc editio carminum desiderabatur, quae emendatiorem pariter scripturam et idoneos tum ad textum stabiliendum atque confirmandum tum ad poetae sensum explicandum atque inlustrandum commentarios contineret. Namque G. E. Gierigii editio major paucis locis exceptis scripturam fere exhibet Heinsio-Burmannianam, innumeris prope locis corruptam atque depravatam. Quod autem ad interpretationem attinet, quamvis commentarii doctrinae copiis abundent ac poetae mentem quam plurimis in locis satis feliciter expediant, tamen totidem fere aliis locis perdifficilibus atque impeditis idonea annotatio desideratur; ac praeterea multos habent errores immensamque ferraginem notarum ad rem minime pertinentium; quae quidem vitia diligentia J. Chr. Jahni, qui tertiam editionem Gierigianam curavit, quamvis multa emendarit, emendare omnia non potuit nisi totum opus plane refingeret. Neque quae recentioribus temporibus in Germania prodierunt duae aliae - nam reliquae nullo fere loco numerandae — ea quae ab hujusmodi editione jure ac merito postulantur, praestant lectorumque usibus statuique, qualis nunc horum studiorum est, satis respondent. Quarum major cum commentariis germanice scriptis etsi multis locis emendatiorem textum habet, tamen plus DC locis, ut editor ipse in fine operis invitus prodidit, manifestas Heinsii corruptiones pro lectionibus Ovidianis retinuit, quae in annotatione critica sive commentariis pleraeque prave et inscite defenduntur et prorsus inanibus argumentis Nasoni vindicantur. Melior est, quam illa editio praebet, interpretatio, praecipue in posteriori

parte, in qua permulta ad poetae mentem intelligendam utilia, tum e divitibus Gierigii copiis excerpta tum ab ipso editore collata continentur. Verum si universe judicandum est, docta magis silva atque congeries quam accurata, concisa apteque digesta atque disposita poetae interpretatio appellanda. Vix enim ulli in veterem scriptorem commentarii exstant, in quibus vera et falsa, elegantia et insulsa, apta ac necessaria et rursus supervacua atque inepta tam mire exacervata atque confusa reperiantur. Accedit, ut variae lectiones super quarum fundamento emendatio textus niti debet, negligentissime annotatae sint, ut raro quae scriptura quibus codicibus confirmetur, satis intelligatur. Sed longe huic et doctrinae laude et reliquis copiis cedit, quae nuper altera in Germania in lucem prodiit editio major commentarios exhibens latino sermone scriptos, quamvis et ipsa scripturam emendatiorem se tenere et sensum illustrare profiteatur. Nam et textum exhibet multo vitiosiorem et corruptiorem et qui prorsus pendeat a mendosa recensione Gierigiana vel ut rectius dicam Heinsiana; interpretatio autem tanta levitate est conscripta, ut pauca utcunque sine omni via et consilio inlustrentur, plurima et difficillima egregio silentio praetermittantur. Meliorem, quod ad scripturam attinet, aetatem adduxit recensio J. Christiani Jahn, editoris Lipsiensis, qui in editione sua Ovidii operum omnium scripturam horum carminum diligentius recognovit et ad veterum librorum auctoritatem reducere conatus est. Verum illa editio mera quae vocatur critica est, quae praeter poetae verba nihil nisi variantes scripturas et introductionem continet; rationem tot optimarum emendationum editor non reddidit, permulta emendanda reliquit, pauca quoque prave correxit.

Tali igitur editionum quae exstant horum carminum statu primum propositum mihi fuit, textum denuo totum diligentius retractare sic ut in omnibus locis aut sententiae pravitate, aut scripturae discrepantia, aut doctorum controversia atque contentione, aut alioquin dubiis atque ambiguis, veram scripturam quantum in me esset indagarem textumque ad auctoritatem ac traditionem veterum librorum et ad consuetudinem dicendi Nasonis reducerem, atque ubique annotatione critica rationem recensionis meae redderem receptamque scripturam suis argumentis confirmarem.

Atque in hoc munere critico perfungendo imprimis mihi disputandum fuit contra auctoritatem atque recensionem Nicolai

Heinsii, ut qui plerosque horum carminum locos, qui critica ope indigeant, primum censurae subjecerit, cujusque audaci ac tumultuaria critica summa illa depravatio atque corruptio, qua Metamorphoses tenentur, maxima ex parte profecta in reliquas editiones manarit. Nam licet hic vir eruditissimus et elegantissimus tantis instructus veterum librorum et doctrinae copiis, quantis fere nemo unquam ad ullum veterem scriptorem tractandum, ad opus suum accesserit, et in multis ac maximis quidem de emendatione scripturae et accuratiori intellectu atque interpretatione Ovidii impense meruerit doctorumque studia ad diligentiorem ac venustiorem hujus poetae tractationem converterit atque incenderit; attamen dici non potest quam misere cum Nasonis carmina omnino tum hoc Metamorphoseon opus depravarit et in scripturam integerrimam et elegantissimam veterumque librorum auctoritate confirmatam furuerit. Ad minimum nongenti sunt in hoc carmine loci, quos perversa critica ejus aut turpiter corruperit falsa scriptura pro germana ac sincera substituta, aut conjecturis tentarit, aut argumentis et rationibus plane inanibus ac futilibus suppositities judicarit. Neque vero, si rationem ejus diligentius consideramus, mirandum illud est. Quid enim a critica exspectari potest, quae non certa via ac ratione summaque reverentia antiquitatis et auctoritatis bonorum veterum librorum, sed obscuro potius ac fallaci quodam elegantiae sensu non sine immoderato novitatis et doctrinam ostentandi studio ducatur? Ac talis fere Heinsii — quod salva doctrinae laude et acerrimo optimarum literarum studio hujus viri dixerim — critica fuit. Itaque permultis locis sic peccavit, ut, si poetam, qui varietate dicendi et copia inter omnes poetas Latinos excellit, alio loco prope idem dicere reperisset, locum de quo nunc ageretur, ad alium illum accommodaret atque mutaret. Vid. praefat. Trist. Sic nescio qua pravitate judicii usum modi conjunctivi, ubi e communi consuetudine dicendi indicativus recte habet, maluit ac plus XX locis, qui conjunctivum pro indicativo admittunt, vel nulla vel perparva auctoritate veterum librorum conjunctivum induxit. Vid. I, 667, II, 519. 526. III, 321. 520. 602. IV, 248. 376. 571. 679. V, 333. 377. 530. VII, 173. XI, 538. 626. XII, 322. XIII, 672. XIV, 675. XV, 459. Conf. Praef. Trist. Affectuum amator erat; itaque quot locis, ubi a libris non exhibentur, falsos poetae affectus obtrusit? In deliciis habebat adjectiva in *ax* pro participio praesenti: igitur multis locis ubi libri manu scripti

aliam scripturam quae bonitate sensus haud minus commendatur, habent, illam formam novavit. Vid. I, 91. 333. II, 779. IV, 358. V, 669. VIII, 399. XI, 414. XIII, 442. XV, 793. Nomina collectiva elegantius cum plurativo verbi quam cum singulari poni opinabatur; itaque in omnibus Ovidii operibus plus CXXV, in Metamorphosibus XXV locis, repugnantibus veteribus libris, in hac oratione plurativum induxit. Vid. I, 59. 92. 99. 142. II, 688. III, 529. 629. IV, 484. 598. 636. V, 12. 162. 674. VI, 219. 348. 402. XI, 375. XII, 53. 224. XIII, 633. 721. XIV, 505. XV, 680. In oratione qualis est II, 45. *promissi testis adesto Styx*, dativus ei prae genitivo placebat, itaque XXVIII locis prorsus falso dativus obtrusus est. Vid. II, 45. 600. III, 721. 511. IV, 69. 224. VI, 82. 102. 604. 659. 574. X, 270. VIII, 88. 157. IX, 540. XI, 8. 222. XII, 26. 166. 199. 264. 612. XIII, 494. 853. 875. XIV, 371. In oratione qualis est *polliciti fidem* adjectivum *pollicitam* praestare sentiebat; itaque eam orationem, nihil curans auctoritatem atque consensum veterum librorum, multis locis induxit. Vid. I, 541. II, 600. III, 729. V, 301. VI, 226. VII, 308. XI, 107. XIV, 371. XII, 240. Repetitiones earundem vocum intra paucorum verborum ambitum elegantiae ejus displicebant; multa hujus generis praepropere ab eo mutata aut pro corruptis judicata sunt. Quanta autem fuerit in singulis novandi libido, exemplis haud commode ostendi potest; sed commentarii nostri quavis charta satis superque declarant. Quid, quod in novandi studio adeo processerit, ut veterum nonnunquam codicum auctoritates finxerit. Saepe enim ad fidem commentis ac deliciis suis faciendam, si nonnisi unus et alter aut paucissimi codd. illam scripturam tuerentur, multos aut plurimos, si mediocris notae, optimos et eosdem nonnunquam quos alibi deteriores judicarat, eam exhibere affirmavit. Vid. Praef. Trist. p. XI. ibique allata exempla. Jahn Praef. Metam. p. XI. Sic potissimum evenit, ut textui horum carminum recensione illa Heinsiana tot vulnera inflicta sint; quae posteriores editores uno Jahno de quo modo locuti sumus excepto, aut quid scripturae veterum librorum auctoritas posceret parum curiosi, aut Heinsianae illius recensionis specie summaque viri doctrina et elegantia nimium confisi atque decepti per tantam annorum seriem ad nostram usque aetatem maxima ex parte servarunt atque propagarunt.

Sed cum totum munus textum recensendi atque emendandi

quasi pro initio ac fundamento habeat variantium scripturarum librorum manu scriptorum et primum impressorum apparatum, has omnes quae quidem in promptu fuerunt ubivis diligenter consului atque aestimavi, accurateque undique excerptas in commentariis annotavi. In quo labore percommoda sane ac perutilis nobis fuit opera J. Chr. Jahni, qui vir in editione illa sua Ovidii operum omnium majori variantes omnes adhuc collatorum et excerptorum veterum librorum magna diligentia ac perseverantia congessit, ordinavit, emendavit et duorum codicum Lipsiensium et tribus aliis collationibus, de quibus infra pluribus dicetur, adauxit. Hujus igitur editionis copias variantium lectionum maxima ex parte in commentariis nostris repetiimus; nisi quod eas hinc inde ex aliorum commentariis explevimus, multis locis correximus atque supervacua et quae nullius ad criticam pretii erant, ejecimus. Ac codices, quorum varr. in hoc apparatu critico continentur, sunt hi:

I. Heinsiani: 1. Ambrosianus; 2. Argentinus, perraro citatus; 3. Arondelianus; 4. Balliolensis, rarissime laudatus; 5. Barberinianus, cod. Italus, rarissime laudatus; 6 — 9. codices Basilienses IV. Hos Heinsius inspexit, sed negligenter excerpsit, nec nisi incerto nomine *Bas.* nunc Bas. 1., nunc reliquos significavit. Nuper eos denuo contulit Nic. Bach, de qua re infra dicetur; 10. Berneggerianus, qui est idem cum Lemairii, Ovidii editoris Parisiensis, Parisiensi II. Inde in commentariis meis nusquam Bernegg., sed ubique Par. 2. laudavi; uti etiam varr. pleraeque a Lemairio sunt, non ab Heinsio qui eum negligenter excerpsit. 11 — 13. Bononienses tres, quorum qui tertius laudatur, infimae notae videtur; 14. 15. Boxhornianus et fragmentum Boxhornii. Sed non satis constat, an codex Boxhornii cum illo Boxh. fragmento non idem sit. 16. Boschianus, rarissime laudatus. 17. Fragmentum Caesenas rarissime laudatum; 18. excerpta Calandrae sive Vaticana; 19. 20. Cantabrigiensis et fragmentum Cantabrig.; 21. 22. Erfurtani II, sed alter rarissime citatur; prior notus est Zinzerlingii Promulsionibus; 23. Farnesianus rarissime laudatus et inferioris notae; 24. Francofurtensis negligenter ab Heinsio excerptus. Hunc ego inspexi, sed totum denuo conferre non licuit. Est membranaceus optimeque conservatus ac scriptura eleganti et luculenta. Scriptus videtur saeculo XIII., et continet Ovidii carmina omnia, praeter Medicamina faciei et fragmentum Halieuticon. Sed mediocris notae est. Vid. ad Heroid.

pag. 632. 25 — 27. Florentini III, e quibus unus mire interpolatus videtur. Praestantissimus eorum est Flor. St. Marci sive bibliothecae Florentinae St. Marci Dominicanorum. 28. Genevensis; 29. Graevianus, rarissime citatus; 30 — 32. Gronoviani III, e quibus unus frequentius nomine *Gron.* memoratur, sed mirus admodum codex, qui nunc cum melioribus consentit, nunc turpissimas corruptiones exhibet; 33. Gruterianus. Sed hic codex videtur esse unus e codd. Palatinis et ut ego observasse mihi videor est idem qui ab Heinsio *Pal.* 1. vocatur. 34. 35. Hamburgenses duo, sed qui Hamb. 2. est raro in partes vocatur. 36. Excerpta Herculana sive Matthaei Herculani; 37. Junianus sive Patricii Hadriani Junii, Londinensis, qui omnia Ovidii carmina continebat, teste Heinsio, qui eum contulit et de eo sic scribit: *recentissimae, minutae admodum ac plane monachalis manus, — non quidem vetustus, emendate tamen et fideliter descriptus.* Vid. Syllog. Epist. III. pag. 80. 82. 131. Hic codex omnium pessimae notae est, ut ex Burmanni accuratis ejus excerptis sive variantibus scripturis quae exstant in bibliotheca Regia Berolinensi in exemplo Metamorphoseon, quo ipse Burmannus usus est, intellexi. Quare innumerabiles prope ejus corruptiones et interpolationes annotare piguit. 38. Excerpta Jureti; 39 — 41. Langermannius et excerpta Langermanni; 41. Langii codex, raro citatus; 42 — 44. Leidenses III, quorum duo posteriores raro citantur, primus malae notae est. 45. Fragmentum Leodiense; 46. Lovanienses II, sed plerumque unus sub nomine *Lov.* citatur; 47. Mazarinianus, qui raro memoratur; 48 — 51. Medicei IV, e quibus primus et alter persaepe, tertius et quartus raro laudantur; 52. Menagius, raro citatus; 53. Menardinus raro laudatus et illis locis nullius pretii; 54. 55. Moretani sive Balthasaris Moreti, qui fuit typographus Antverpiensis, duo vel plures, quorum qui vulgo simpliciter *Mor.* laudatur, inferioris notae et valde interpolatus est. Vid. Syllog. Epist. III. p. 137. 676. Laudatur etiam fragmentum Moreti. 56. Excerpta Ant. Mureti, quae raro citantur; 57. Nazarinianus nonnisi bis vel ter citatus; 58. Neapolitanus; 59. Noricus, raro citatus; 60. Oxoniensis; 61 — 65. Palatini V, jam ante N. Heinsium a Jano Grutero et Jano Gebhardo collati, quorum Heinsius III. tantum inspexisse videtur. Pal. 2. est idem, quem alii Myrtiletanum et quem Daniel Heinsius et Janus Gebhardus Palatinum primum appellant. Est membranaceus,

quart. min. et a IV, 362 — 667. mutilus est. Hunc codicem nostra aetate contulit F. A. Bothe, cujus singularis de eo exstat libellus sub titulo: Varietas potior lect. in Metam. cod. Palatino etc. Götting. 1818. Pal. 2. eum appellavit Heinsius, quod nomen retinui. Heinsii Pal. 1. videtur esse Gebhardi quartus. Sed in multis horum virorum collationes discrepant, ut accuratior collatio exspectanda sit. 68. Patavini II; 69. Angeli Politiani codex, crebro memoratus. Qui Regii ab Heinsio aut generaliori nomine Gallici appellantur sunt, quos nos Parisiensem 1. et 2. appellamus, ut Lemairius eos appellavit, qui eos nuper denuo contulit. Heinsii excerpta e Par. 2. extant in ipsius Heinsii exemplari Metamorphoseon, quod servatur in bibliotheca regia Berolinensi. 70. Rottendorphianus; 71. Sixianus; 72. 73. Spirensis et fragmenta Spirensia; 74. Sprotianus, raro memoratus et inferioris ut videtur notae. 75. 76. Excerpta Theatinorum et fragmentum Theat. 77. 78. Thuanei sive Jacobi Augusti Thuani, comitis Melaei, duo, e quibus unus plerumque simpliciter *Thu.* citatur et perbonus esse videtur; alterius rarissime mentio fit. 79. Thysianus, rarissime citatus; 80. Twisdeniani II, sive Farnabiani; 81. Urbinas; 82. 83. Vaticani duo aut plures, qui ab Heinsio plerumque simpliciter *Vat.* memorantur, ut obscurum sit, quem eorum in animo habeat. 84. Vossiani II (?), quorum plerumque unus simpliciter *Voss.* commemoratur. 85. Zulichemianus sive Hugenii a Zulichem, haud crebro commemoratus.

II. Codices Herculis Ciofani: 86. Codex Abbatis Franc. Sannaei, qui VI tantum libros priores et partem VII. continet. 87. Codex Briantii. 88. 89. Caelestinorum II, quorum plerumque unus tantum simpliciter *Cael.* memoratur. 90. Capranicensis. 91. Codex Dominicanorum, in quo VI fere libri ultimi desiderantur. 92—94. Cod. Jos. Ernaldi, Alexandri Farnesii et Ioannis Dei, qui perraro memorantur. 95. 96. Maffeiani II; 97. fragmentum Statii. 98. 99. Sulmonenses II, quorum alter in libro XIII. finiri videtur et omnino rarissime laudatur. 100. Codex Fulvii Ursini; 101—107. Vaticani VII, qui raro citantur, praeter Vat. 1. et 2.

III. 108—110. Codices Gregorii Bersmanni III, quorum variantes scripturae exstant in margine editionis Bersmannianae a. 1607.

IV. 111. Codex Upsaliensis. Hujus codicis collati sunt IV

priores libri in libello: Codex ms. Met. Ovid. e biblioth. acad. Upsal. descriptus et collatus, dissertatio academica, quam praeside P. F. Aurivillio publ. exam. mod. subjecit A. N. Fossgaord. Ups. 1790.

V. Codices a Nicolao Bachio et aliis grammaticis recentioribus temporibus collati: 112. Codex S. Gall., qui Bachio teste saeculi XII. esse videtur. Est membranaceus forma min. fol. Deest pars libri VIII., totus l. IX. et initium X. Bachius contulit l. VIII. et XV. 113—116. Basilienses IV. Basiliensis primus, membranaceus, oct. maj. Involucrum ligneum haec habet: Exceptis foliis 1. 18. 23. quae recentiora sunt, reliqua omnia eadem manu scripta sunt. Continet volumen 133 folia numerata, seu potius 134, quum 24 numerus binis foliis inscriptus est.“ Multas habet rasuras et saeculi videtur XII. Basiliensis 2., membranaceus, quart. maj. Bonas habet varr. lectt. in margine. Saeculi videtur XII. Basiliensis 3. membranaceus, quart. min. Multas emendationes in margine et inter versus, et valde discrepantia habet, et saepe monstrosa, praecipue in altero dimidio, nec raras lacunas et versuum transpositiones. Et hic videtur esse saeculi XII. Basiliensis 4. chartaceus, quart. min., parum eleganti scriptus est littera. Saeculi videtur esse XIV. Hanc de codd. Bass. notitiam dedit in editione sua Nic. Bach., qui eos denuo contulit, sed, quod dolendum, non ubique satis accurate excerpsit. 117. 118. Gothani II ab eodem Nic. Bachio satis diligenter collati et excussi, apud quem, qui a nobis cum Jahno citatus est Goth. 2., rectius utpote altero antiquior laudatur Goth. A. et, quem nos cum eodem Jahno Gothanum 2. appellamus, Goth. B. Hos codices et nos inspeximus. Exstant hi codices in bibliotheca ducali Gothana. Ac Gothanus 1. est membranaceus, fol. min. Primum folium deest et a I, 49. incipit. Ceterum eleganter admodum est scriptus et saeculi videtur esse XIV. Goth. 2., membranaceus, oct. maj., eleganter scriptus sed a diversis, quanquam ejusdem aetatis, manibus. Saeculi videtur esse XII. 119. Dresdensis, membranaceus, oct. maj., eleganter scriptus ac saeculi videtur XIII. Hunc satis diligenter idem contulit N. Bach. 120. Rhenovanus, membranaceus. Hic codex XIII, 753. desinit. Calmeto abbate judice est saeculi XII. Hujus copias attulit N. Bach, excerpsit Fridericus Hurter; sed dubito an tanta ubique cum diligentia quanta reconditos et obscuros historiae fontes excutere solet.

121. Berolinensis s. bibliothecae regiae Berolinensis membranaceus, in fol. quod vocant vel forma maxima cum multis syllabarum compendiis, saeculi ut videtur XII. vel XIII. In fronte habet, qui domini eum deinceps possederint, unde apparet eum esse codicem origine Italum. Vid. praef. Trist. p. XIX. et Bothe: Vindiciae Ovidianae, sive Annotationes in Ovidii Metam., in quibus recensentur lectiones cod. ms. Berol. Accedunt I. H. Voss. lectiones et notae. Götting. 1818. — 122—126. sequuntur V codices, quorum copias nuper adjecit Jahn, qui sunt Zwiccaviensis, a libro VIII. demum fere medio a Jahno in usum vocatus; Vratislavienses II, e quorum secundo tantum duo specimina lectionum in l. VI. et VIII. data sunt; Lipsienses duo, a Jahno Senatorius 1. et Senatorius 2. appellati. Prior membranaceus, fol. min., incipit a libro II. et desinit XII, 288. Jahno scriptus videtur saeculo XV. Lipsiensis alter et ipse membranaceus, fol. med., ejusdem aetatis ac originis (?) videtur. Hos duos codd. suo more diligentissime et accuratissime excussit Jahn. 127. 128. Fragmenta Confluentina duo, collata a F. N. Klein, quorum prius continet I, 191—281. III, 33—126., alterum V, 433—522. 129. 130. Fragmenta mea duo, quorum prius pervetustum sane, videtur enim esse saec. X., continet VII, 292—448. alterum, quod saeculi XII. videtur esse, V, 574—675. et VI, 1—55. 131—144. Paucis locis laudantur Guelferbytanus, Longolianus et Petropolitanus, Monacensis et Wittianus, Constantii Fanensis duo, Gifanii sex, Mariangeli Accursii duo. Accedit ed. Juntina a. 1522, inde a l. X, 158. adhibita, in qua Carolus Vivianus hoc carmen e pluribus codicibus Florentinis recensuit, eorumque aliquot lectiones in castigationibus suis annotavit, inter quos praestantissimus est Angeli Politiani. Accedunt variae scripturae vetustissimarum editionum, de quibus repeto quod pluribus exposui in Praef. Trist. p. XXIX., nonnisi editiones saeculi XV. aliquam vetustatis auctoritatem habere neque illas parem omnes, sed Venetas in gravioribus rebus plerumque consentire (vid. not. ad IX, 211.), Bononiensem, quae a reliquis illius saeculi editionibus valde discrepat, varietatem majore ex parte a recensione et emendatione Francisci Puteolani habere; omnium autem praestantissimam esse, unde Heinsius quoque plurimas suas emendationes sumsit, editionem principem, quae Romae in lucem prodiit anno 1471.

De codicibus N. Heinsii et Ciofani quinam praestantissimi

sint habendi difficile est judicare, quum, ut in Praef. Tristium illustri ostendimus exemplo, res et per se valde obscura et in tanto praesertim carmine ingentis sit laboris, et permulti codices parum accurate excerpti sint, ut de eorum pretio nihil certi statui possit. Nec viri illi ipsi librorum suorum auctoritatem diligentius examinarunt. Quid, quod Heinsius, ut supra jam diximus, non semel eosdem codices nunc meliores appellavit quos alibi deteriorum gregi annumeravit. Scilicet, ut animavertit Jahn, haud uno loco visi sunt ei meliores, qui maxime ad rem suam facere viderentur. In optimis Heinsii numerandi videntur Florentinus St. Marci, ab Heinsio fere plerumque simpliciter Flor. dictus, quem haud dubie etiam Vivianus in editione Juntina a. 1522 adornanda adhibuit, Politianus, quem idem Vivianus excerpsisse videtur, Neapolitanus, qui tamen multis quoque locis turpiter interpolatus est, Hamburgensis 1., Pal. 1. 2., Par. 2., Vat. 1., Medic. 1. 2., Arondelianus. Pessimi omnium sunt Jun., Leidens., Lov. et Mor. Julii Ciofani codices, quantum quidem nobis de iis judicium est, nulli imprimis praestare videntur, in paucis tamen Maffeianus et Sulmonensis primus commendantur. Satis bonus est quoque de Bersmannianis, quem Jahni exemplo *cod. Bersm.* citavimus. E codicibus quos nostra aetate accuratius collatos esse diximus, optimi videntur Lips. 1., Goth. 2. et Rhenovianus, nec contemnendus est Dresdensis. Mirus mihi visus est Berolinensis ut qui in multis cum optimis et in totidem aliis locis cum omnium pessimis consentiat. Lipsiensis 1. et Vrat. 1. ita similes sunt in omnibus, ut ex eodem descriptos esse exemplo ubivis appareat, nisi quod Vrat. minus accurate excerptus est quam Lipsiensis.

Ad hunc igitur apparatum variantium scripturarum textum Metamorphoseon diligenter exegi atque examinavi et hujus ope conjuncta cum diuturno Nasonis studio fideliter elaboravi, ut carmina haec quam simillima sui redderentur pristinoque nitori restituerentur. In commentariis criticis quae vocantur praeter accuratam annotationem variarum lectionum, quae quidem ad criticam alicujus commodi esse possent, de tota nostra opera textus emendandi reddere rationem receptamque scripturam contra insectationes et scrupulos ab aliis grammaticis motos aut movendos et contra variantium auctoritatem aliorum codicum, quam quos ego secutus sum, defendere atque confirmare contendi. In qua operis parte hoc a lectoribus

benevolis peto ut ne quaerant quam multa emendarim; nam multa sane emendanda fuere et tot fere ego locos sub criticam vocavi quot vitiosi esse et medela indigere videbantur: sed ad illud potius velim intendant animos, quo jure, quanta veterum librorum auctoritate, quanta Ovidianae dicendi consuetudinis observantia et quam bene explicatis causis et argumentis ubivis a scriptura vulgata discesserim.

In commentariis exegeticis qui vocantur et interpretatione, quod est alterum munus constituti operis, cura fuit, ut quaecunque aliquam difficultatem aut obscuritatem aut insolentiam habere videbantur, verba, dictiones, structuras, item orationis elegantias et vitia, item res historicas, geographicas, fabulas et antiquitates quae dicuntur exponerem ac brevi annotatione illustrarem. Singularem vero operam posui in oratione Nasoniana, vocibus, dicendi formis et id genus aliis quibus poetae ratio et oratio cognoscitur, explicandis. Atque in hoc interpretandi negotio ita plerumque sum versatus, ut primum res ipsas breviter expedirem, tum ubi opus videbatur, argumentis et locis simillimis ac testimoniis ex ipso Nasone aut aliunde petitis confirmarem, denique auctores apud quos res eaedem subtilius explicatae et uberius tractatae reperiuntur, citarem. Quod autem ad annotandi modum et ambitum attinet, certos constituere fines, quos hujusmodi commentatio nusquam excedat, arduum est; id quod vel ex eo apparet quod de tot viris doctis, qui talia scripserunt, quorum in hac re gravissima est auctoritas, ne duos quidem in hoc genere prorsus consentire videmus. Atque habet ista res natura sua et ipso genere aliquid incertum ac liberum, ne de diverso commentandi fine atque consilio dicatur. Ego vero satis habebo largissimumque hujus laboris pretium existimabo, si id consecutus sim, ne quis, qui haec carmina penitius intelligere cupiat, commentarios meos frustra consulat, sed in copiis meis desideratam ubivis opem et auxilium reperiat. De commentariis superiorum editorum tam in annotatione critica quam in reliqua commentatione eandem fere tenui rationem, quam in editione mea Tristium et Heroidum. Omnium operas atque copias ubivis diligenter excussi, et quae manca essent, expleta et emendata, quae vero proba commodeque explicata, integra ipsis plerumque scriptorum verbis servatis et subjunctis quoque nominibus in meos commentarios transcripsi. Neque tamen ubique diu quaesivi, an quae ego annotarem, jam ab aliis

ante me et a quo primum observata essent, quod inanis operae ac pusillae diligentiae est. Semel ego in praefationis limine ingenue profiteor, me ex aliorum grammaticorum commentationibus et superiorum editorum, imprimis e Gierigii et N. Bachii copiis permulta ad hanc editionem exornandam atque conficiendam hausisse. Reliquum est ut publice gratias agam viro eruditissimo et humanissimo O. Kreussler, philosophiae doctori, qui non solum specimina typographica hujus editionis summa cura atque diligentia correxit, sed etiam plura quae me praeterierant benevole me admonuit, docteque emendavit. Scripsi Treviris Cal. Dec. MDCCCXLII.

INTRODUCTIO.

Ovidii metamorphoses*) in argumento versantur et difficillimo pariter et ad copiam ornatumque poeticum felicissimo et uberrimo. Nam praeter tractationis elegantiam, quam unaquaevis fabula pro se postulabat, summae artis atque ad excogitandum difficultatis erat, tam ingentem multitudinem fabularum et locis et temporibus et personis diversissimarum serie conjungere et ut inter se aptae essent connectere; atque quum omnes in metamorphosin exirent, ad similitudinis ac satietatis reprehensionem devitandam novos et exquisitos ubivis, qui legentium animos retinerent et redintegrarent, transformationis modos ac vices invenire. Quod autem ad copiam attinet, erat illa materia suapte natura et ipso genere infinita nec certo aliquo limite ac modulo rerum circumscripta atque conclusa. Itaque jam ipsa operis ratio idoneam praebebat occasionem totam fabulam atque antiquitatem pervagandi et quicquid transformationum et Graeci et Latini scriptores continerent, quod quidem eleganti et exquisitae tractationi poeticae imprimis accommodatum esset, libere delibandi. Atque antiquitas illorum populorum imprimis Graecorum ut omnino epicis omnis generis argumentis fecundissima

*) Libri manu scripti plerique et veteres editiones hoc carmen inscribunt numero singulari *Metamorphosis*. Verum plurativum *Metarmorphoses* postulat ipsa carminis natura; tum confirmant veteres scriptores, qui hoc carmen memorant, Seneca, Quintilianus, Tertullianus, Servius, Priscianus, Fulgentius. E libris manu scriptis pluralem servarunt cod. Par. 2., alter Twisdeni, Patav., optimus Mediceus et unus Moreti.

erat, sic praecipue hujusmodi abundabat fabulis quae in transformatis figuris atque corporibus versantur. Neque enim unum ac certum quoddam genus metamorphoseon est, quod apud illos prae ceteris cultum floruerit, sed quicquid ad transformationem attingit, hujus vegetum illorum ad imaginandum ingenium elegantissima et carminibus dignissima exempla invenit. Itaque primum frequentes apud eos exstiterunt fabulae, quales apud omnes fere nationes inveniuntur, quae ad persuasionem religionum et opiniones de deorum vi ac natura pertinerent, velut de hominibus propter insignem quandam impietatem aut patrata magna flagitia deorum ira in alienas formas conversis; item de bonis hominibus et magnis ducibus ob singularem virtutem aut ingentes exantlatos labores, summaque in salutem hominum suscepta atque superata pericula non sine mutatione humanae naturae a diis honoratis et in beatorum sedem translatis; item de dis qui sumta aliena figura hominum rebus intervenisse easque fovisse, curasse et ordinasse credebantur. Cum vero fabulosa vetustas deos suos iisdem quibus homines libidinibus atque cupiditatibus obnoxios finxisset, permagna inventa copia transformationum quae ad deorum ac dearum amores, contentiones, invidias, iras, aliasque cupiditates pertinerent. Aliae de metamorphosi fabulae natae ex superstitione rerum magicarum et persuasione de arcanis naturae viribus et incantationum praestigiis. Aliae e primis initiis et quasi infantia philosophiae ortae erant, quae mira admodum de rerum et animantium origine et interitu deque hominum post mortem statu monstra ac phantasmata proposuerat. Aliae e ratione et etymologia nominum; rursum aliae e situ, natura ac forma terrarum, montium, insularum, fontium, fluviorum, animalium, plantarum. Has fabulas, ut quae praeter illustria facta virorum clarorum atque heroum inter vetustissima carminum argumenta fuere, mature occuparunt poetae materiamque initio rudem atque confusam auxerunt, amplificarunt omnique ornamento poetico expoliverunt. Itaque jam apud Homerum et Hesiodum, qui, quod scimus, in eo genere auctores atque quasi antesignani fuerunt, multae de transformatione exstant fabulae, atque horum exemplum ac vestigia secuti reliqui poetae deinceps usque ad posteriora tempora suam sibi quisque quasi partem sumserunt atque exornarunt. Verum ut erat gens Graecorum ingenio ad excogitandum vegeta et alacris mature exstiterunt, qui non singulas tantum et eas quidem carminibus

suis metamorphoses tractarent, ad quas tractandas nunc offerretur opportunitas, sed singularia carmina totosque libros non de una aut altera sed de pluribus transformationibus inter se junctis aut genere cognatis componerent; ac memorantur, qui talia scripsisse dicuntur, Eumelus, Simonides, Callisthenes, Corinna, Antigonus, Nicander, alii; e Latinis Parthenius, praeceptor Virgilii. Verum de horum omnium carminibus, eorum argumento, consilio, ambitu, arte nihil certum et exploratum constat: nisi quod Eumelum *Βουγονίαν* de apibus ex cadaveribus boum procreandis (Pausan. IV. 33.), Boeum sive Boeo (Athenae. IX. p. 393. Anton. Liber. c. 5.) *ὀρνιθογονίαν* composuisse memorant, in qua omnes aves homines fuisse docuerat, et Simoniden singulare carmen *περὶ γυναικῶν* inscriptum fecisse tradunt, in quo mulieres pro diversis moribus ex variis animalibus, terra, mari aliisque naturis ortas esse luserat. E quibus tamen certum esse videtur, superiorum illorum Metamorphoseon scriptorum carmina certo et angusto quodam transformationum ambitu conclusa atque terminata fuisse. Vid. J. G. L. Mellmann de causis et auctoribus narrationum de mutatis formis. Lips. Kummer, 1786. J. Christ. Jahn. Introduct. ad Met. p. 9.

Exortum est felix ingenium Nasonis, a quo ea materia vasto juxta ac prorsus novo consilio illustrata est variaeque fabulae in transformationem aut vere exeuntes aut transformationem capientes e poetis Graecis ac Latinis, e philosophorum commentis, ex historiarum monumentis, quaeque in ore vulgi vigebant, Graecae, Latinae, Aegyptiae, Libycae, Asianae et cujusvis originis ac patriae collectae et artificioso poeseos vinculo in unum ac perpetuum carminum complexum colligatae sunt. In quo quidem instituto consilio an transformationum tractationem earumque connexum maxime in animo habuerit, non equidem, dicet ipse in exordio operis profiteatur, affirmaverim; quum praesertim ipsae metamorphoses perparvam si cum toto opere conferas, carminis partem efficiant. Propius vero esse videtur, eum metamorphosi magis usum esse ut certum ac elegans esset horum carminum vinculum, ceterum praetento novo hoc titulo id potissimum intendisse, ut tot has elegantissimas per omnem antiquitatem dispersas fabulas et alias iis cohaerentes novo ac suo modo totas pertractaret, et post Heroïdas, Amores, Artem amatoriam, Remedia amoris aliaque carmina confecta ab epicis quoque lauream mereret, carmenque compo-

neret, quod quamvis in diverso argumento versaretur, cum Virgilii Aeneïdos laudibus concertaret. Utcumque ea se res habuit, e mixta illa atque confusa diversissimarum fabularum congerie opus confecit, quod et rerum copia et doctrinae praestantia et inveniendi arte ac varietate divinoque dicendi ornatu merito in pulcherrimis ac praestantissimis literarum Latinarum monumentis habetur.

Ac primum insignem habet laudem ab artificiosa tot diversissimarum rerum ac fabularum nexu ac dispositione. Namque, ut modo indicavimus, opus sic instituit, ut innumerabiles illae deorum, hominum, animantium, terrarum, plantarum transformationes a prima origine rerum, quae et eadem non sine mutatione fuit, per omnium saeculorum seriem usque ad suam aetatem uno filo decurrant atque ita sese excipiant, ut plurimae quasi cognatae inter se esse deorumque voluntate et per fatorum necessitatem certo quodam ordine temporis accidisse videantur, itaque quasi pulcra membra unius pulcherrimi omnium mutationum corporis efficiant, quod metamorphosi Augusti principis et ejus laudibus concluditur. Dici non potest, quanta arte, quantaque ad excogitandum felicitate hanc difficillimam operis partem elaborarit, quantaque varietate singulas transformationes illustrarit; de quo tamen loco nunc pluribus disputare nolumus, quando ei, ut qui ad carmen hoc penitius intelligendum imprimis pertineat, singularem disputationem in serie quam addimus fabularum tribuimus. Vid. Gierigii Comment. de opere Metamorphoseon p. XVII. Quod autem ad copiam doctrinae ac rerum ubertatem attinet, nullum fere totius antiquitatis exstat carmen, quod cum Ovidii metamorphosibus comparari queat. Fere nihil enim memorabile in rerum natura et in vita communi sensuque hominum inest, quod non ornatum suum in hoc carmine habeat. Nullum non veterum epicorum carminum argumentum, quod quidem in vetere fabula versatur, majorem minoremve hujus operis partem efficit. Vetustatis autem tanta notitia inest, ut fere pro historia Graecae ac Latinae fabulae habeatur. Omnino varia cognitione rerum terrestrium ac coelestium, divinarum et humanarum, naturae, philosophiae adeo perpolitum atque instructum est, ut poeta omnia literarum monumenta pertractata encycliumque doctrinarum omnium ubivis praesens paratumque habuisse videatur. Accedit diversitas ingeniorum tot deorum, hominum, animalium, quae in maximo carmine describuntur, sed quid

dico describuntur, vividissimis coloribus picta ac sua quaeque forma ac natura induta atque animata vivunt. Adde artem varietatemque compositionis. Nam quum carmen proprie ad narrationem poeticam pertineat nec quicquam aliud quam se narraturum esse profiteatur, praeter tot narrationes et elegantes et arte eximias opus omni propemodum carminum figura ac genere distinctum est, actionibus, orationibus, sermonibus, descriptionibus, hymnis, epistolis, inscriptionibus. Ut verbo dicam, opus est tanta copia rerum et varietate, ut epici carminis varietatem ac copiam propemodum assequatur. Sed praecipuam nescio an non laudem mereatur ab ornamento ac flumine dicendi; tanta facilitate oratio ubique decurrit, tam simplex ac pura et elegans est, tam aptae ac propriae sunt similitudines, metaphorae, figurae, tam alacer spiritus ubique viget, tam vividus et vere poeticus color sermonis super totum carmen effusus est.

Sed quaesitum est, quota pars in illa copia rerum et illo innumerorum carminum complexu, quorum argumenta pleraque ab aliis poetis jam ante tractata essent, ipsius Nasonis propria ac sua esse videatur. Quod in singulis indagari difficile est, quum illa aliorum poetarum carmina in tanto antiquarum literarum naufragio magna ex parte deperierint. Sed satis multa exstant, e quibus eam quaestionem apertissime explicare possumus; unde manifestum est, quod ad res et argumenta attinet alia, quae ab aliis scriptoribus luculentius explicata erant, in breve et pauculos ab eo versiculos coacta atque contracta, verbo tantum absoluta, alia singulis quae e re sua non erant, partibus abjectis esse recepta, alia rursus laetius et uberius explicata et exornata. Ceterum in omnibus operis maximi partibus poeta proprius ac sibi tantum similis apparet. Cuncta figuram ac rationem praeferunt sinceram illam ac vere Nasonianam tam in rebus argumentique tractatione quam in colore orationis, in verbis ac sententiis; cunctaque uni illi consilio ac fini mira sollertia, constantia et aequabilitate sunt apta atque accommodata. Maxime vero abest servilis atque jejuna illa imitatio, quae partus suos aliunde petitis luminibus, et sententiarum ac sensuum flosculis ornare et expolire studet: a quo pusillo studio fecundum ac generosum Nasonis ingenium adeo abhorruisse videtur, ut ipsas illas fabulas, quas fere totas in opus suum transferre potuisset, velut de Orpheo et Fama carmina Virgilii, pestis descriptionem Lucretii, Famis Callimachi

et multa alia sive aemulandi causa sive ut, quod probabilius est, imitandi vituperationem vitaret, suo modo totas refinxerit. Quanquam pauca ex aliis scriptoribus expressa esse manifesto constat. Scilicet cum in eodem argumento, quo multi alii poetae ante epici, tragici, lyrici, versaretur; fieri non potuit, quin nonnulla ex illis, quae memoriae ejus inhaererent, invito ac fere inscio inter componendi ardorem in calamum incurrerent orationemque ejus colorarent. Pauca tamen etiam sponte et consilio, non imitandi sed judicii sui et doctrinae probandae causa carmini suo intexuit. Quod etiam ipsi veteres scriptores animadverterunt, ut Seneca qui Suasor. III. ea de re haec scribit: *Hoc autem* (sc. manifestas aliorum imitationes et allusiones) *dicebat Gallio Nasoni suo valde placuisse itaque fecisse quod in multis aliis versibus Virgilius fecerat non surripiendi causa sed palam imitandi, hoc animo ut vellet agnosci.* Atque de laudibus ac virtutibus metamorphoseon quidem hactenus.

Restat ut de vitiis et egregii corporis naevis breviter explicetur. Ac de ea re jam veteres, qui sua ipsi opera optime aestimabant, distincte et vere judicaverunt. Nam nunc lascivire Nasonis ingenium, nunc nimium esse, nunc nescire desinere censuere; quae quidem judicia verbis discrepant, re atque sententia propemodum consentiunt. Et vero ad nimietatem pleraque quae cum in Ovidii carminibus omnino, tum in metamorphosesi de quibus quaerimus reprehenduntur, commode revocari possunt. Non raro enim ita peccatum reperimus, ut eadem notio aut sententia nimis saepe varietur et nunc propriis verbis, modo metaphoris in infinitum prope vel certe ultra verae elegantiae modum trahatur et attenuetur, aut ut oratio locis ad ornatum poeticum imprimis idoneis justo longius inhaereat et in luxuriam evagetur. Ad eandem nimietatem quoque referendae imprimis quae multae insunt inanes repetitiones versiculorum, sententiarum, verborum atque particularum quibus oratio nonnusquam ludibunda fit aut falsum colorem affectuum accipit, ubi ille sensuum fervor minime requiritur. Uti haec vitia e male temperata abundantia et copia, sic alia ex alius virtutis abusu fluxerunt, ex dicacitatis. Quantopere Ovidius carmina sua acutis et dictis et sententiis et omnino omnibus hujus generis suavitatibus condierit, nemo qui ea curatius legit, ignorat. Verum saepe hac eximia ad poeticam facultate ultra verae elegantiae terminos sese abripi passus est. Inde nimius antithesium usus atque concinnitatum tam in versibus

quam in sententiis et singulis verbis, inde frequentiores lusus verborum, acumina, ambiguitates et omnis generis argutiae. Ac tantum abest, ut id vitium ipse perspexerit et agnoverit, et in ea re, quod saepe fit, naturam et proclivitatem animi devincere non potuerit, ut illud imprimis probarit et sibi ipse in eo mire placuisse videatur. Cujus rei insigne argumentum memoriae prodidit Senec. Controv. II. c. 10. Rogatus enim aliquando ab amicis, ut tolleret tres versus, petivit invicem, ut tres exciperet, in quos illis nihil liceret. Conscripserant illi, quos tolli vellent, secreto hic, quos tutos esse vellet. In utrisque codicillis iidem versus erant, in quibus

Semibovemque virum, simivirumque bovem

et

Egelidum Borean, egelidumque Notum.

Quanquam haec omnia quae de vitiis pulcherrimi carminis disputamus, singula tantum et pauca, si cum toto opere conferantur, contingunt; plurima sunt eximia, elegantia, arte perfecta. Ac recte G. I. Voss. Institt. Poett. II. p. 73. *Si quo peccat Ovidius*, inquit, *in eo peccat, quod magnorum fluminum instar interdum redundet. Quod si in eo vitium est, tot suis virtutibus illud compensat.*

Quod ad genus carminum attinet, veteres qui in carminibus tribuendis ac distinguendis minus accurati erant ac versuum ac numerorum rationem magis quam argumentum ac sensuum rationem ac spiritum spectabant, ad heroica retulerunt, ut Quintilianus L. X. c. 1. Ex recentiori autem et accuratiori carminum distributione non ad heroica pertinent, sed illi generi, quod poeticam narrationem appellant, rectius adscribuntur.

METAMORPHOSEON SERIES

CANTERI

MULTIS LOCIS EMENDATA ET AUCTA.

Lib. I. Principio chaos in quatuor elementa separatur ac transformatur, deinde per transformationem nati sunt animantes atque in iis homines. Prima aetas aurea fuit, quae mox in argenteam conversa est; argentea mutata est in aëneam, aënea in pessimam ferream. In communi ferreae aetatis corruptione gigantes, filii Terrae, expugnare coelum tentant; hos Jupiter fulmine occidit, quorum sanguis mutatus est in novum genus, itidem pravum ac scelestum. Quare Jupiter non solum Lycaonem, scelestissimum ex illo genere hominem, in lupum mutavit, sed etiam totum genus hominum et animalium terrestrium in diluvio, superficie terrae in maris faciem mutata, perdit. Soli superstistes relinquuntur Deucalion et Pyrrha, qui, postquam terra siccata est pristinamque faciem accepit, jactis post tergum lapidibus in homines mutatis humanum genus repararunt. Cetera animalia sponte sua, postquam humidum solum calore solis percaluit, nascuntur, in quibus Pytho serpens; quem cum Apollo occidisset, in rei memoriam ludos Pythicos instituit, in quibus victores corona aesculea donabantur; nondum enim laurus erat, quae mox nata est, Daphne, quum Phoebi a caede Pythonis redeuntis amplexus fugeret, in eam arborem mutata. Quod cum accidisset, ad Daphnae patrem, Peneum fluvium, sive gratulandi sive consolandi causa convenerunt fluvii omnes praeter Inachum, qui in luctu erat propter amissam filiam,

Io, quam Jupiter post stuprum in juvencam mutarat. Quae cum ab Junone, quae eam ab Jove expetiverat, Argo centoculo custodienda esset tradita, hunc Mercurius, narrata nymphae Syringis in arundinem transformatione, sopivit atque occidit, cujus oculi deinde a Junone in pavonis, avis suae, cauda collocati sunt. Tum Io pristinam mulieris formam recepit ac deinde dea facta est. Ea peperit Epaphum. Qui cum aliquando Phaëthonti, Phoebi et Clymenes filio, Apollinem falsum ac fictum ejus esse patrem, objecisset;

Lib. II. Ille a patre in pignus verae stirpis regimen currus solaris in unum diem petiit: quo impetrato terra ab eo incenditur, quo incendio Aethiopes nigri, Libya arida facta, aliaeque transformationes ortae. Phaëthontem autem deinde Jupiter fulmine percussit; quem cum sorores, Heliades, et Cygnus cognatus lugerent, illae in arbores, Cygnus in cygnum avem mutatur. Hinc Jupiter lustrato coelo et terra, ne quid ab incendio illo labaret, ad amorem Callistonis exarsit eamque stupravit. Ob hoc irata Juno Callistonem in ursam convertit, quam postea Arcas ex illis amplexibus ortus filius sagitta transfixurus a Jove cohibitus est, qui et filium et matrem sub nomine Ursae majoris et minoris sidera fecit. Quare irata Juno cum Oceanum adiisset et ab eo impetrasset, ne nova sidera unquam mari tinguerentur, relata est in coelum trahentibus currum pavonibus, quorum caudae olim Argi caede stellatae factae sive oculis distinctae, sicut nuper corvus ex albo niger factus erat, cum Cornicis monitis, quae illi et suam in cornicem et Nyctimenes in noctuam transformationem narrarat, non obtemperasset, sed Coronidis adulterium Apollini, qui illam amabat, retulisset. E Coronide natus erat Aesculapius, cui in Chironis antrum delato Ocyrrhoë, Chironis filia fatidica, dum futura praedicit, in equam convertitur. Pater ejus auxilium Apollinis, dei vaticinii, frustra implorat, quia ille tum in Elide aberat, et ibi pastoris forma accepta armenta pascebat, bubus tamen illo tempore propter novum quendam amorem neglectis. Quod Mercurio eas furandi opportunitatem dedit, qui deinde Battum ob furtum proditum in lapidem mutavit. Inde avolans Mercurius Hersen, Cecropis Atheniensis filiam, amat, cui dum invidet Aglaurus soror, in saxum vertitur. Inde in Olympum reversum Jupiter boves Agenoris, regis Phoeniciae, ad litus abigere jussit, tum ipse in tauri speciem

se convertit et Europam, Agenoris filiam, per mare in Cretam abduxit.

Lib. III. Filiam amissam Agenor Cadmum filium suum jussit investigare; quam cum ille non reperisset, in Boeotia considit, ubi dentes ab ipso occisi magni draconis in homines armatos conversi sunt, quorum duo eum in condendis Thebis adjuverunt, ubi regnum deinde tenuit. Neque ab omni parte Cadmus felix fuit: nam primum deploravit miserrimam mortem Actaeonis nepotis, in cervum mutati; qua re tamen Juno, totam Agenoris domum exosa, laetata est ob Europam pellicem; ad quem dolorem novus accessit, cum Semele, Cadmi soror, ab Jove concepisset. Nam Juno sumta Beroës nutricis figura eam adiit, doloque effecit, ut illa Jovis fulmine combureretur, infante tamen, quo ex Jove gravida erat (Bacchus erat), servato. Qui dum in India a nymphis educatur, Jupiter forte cum Junone de re quadam jocosa altercans Theresiam Thebanum, qui olim e femina in marem conversus erat, arbitrum adhibet. Is lata contra Junonem sententia ab ea visu privatur, sed a Jove vaticinandi arte donatur. Primum ejus vaticinium in Narcisso probatum, qui cum puellas omnes, in quibus Echo, quae repulsae impatientia in vocem fuerat conversa, contemsisset, sui tandem ipsius amore contabuit, atque in florem sui nominis mutatus est. Pentheus tamen, rex Thebanorum, vatem spernebat, licet et ipsi sua fata vaticinatus esset, quod vaticinium itidem mox evenit. Nam cum orgia celebrarentur, Bacchum contemsit, eumque, cum ei, sub persona famuli sacrorum latens, Tyrrhenos nautas ab illo deo in delphinos esse transformatos narrasset, in vincula conjecit: ob quod facinus in monte Cithaerone a Bacchis est discerptus. Id quod summam apud omnes Bacchi sacris venerationem conciliavit.

Lib. IV. Alcithoë tamen et sorores ipsis diebus festis lanificio operam dabant, opusque levabant fabellis narrandis: de Pyramo et Thisbe, quorum miserrima morte moris niger color additus sit; de Sole, ut Leucothoën amplecteretur, in Eurynomen matrem ejus converso, quo facto illa in turis arborem, nympha autem, quae illum amorem prodiderat, in heliotropium mutata sit; de Daphnide in saxum mutato, de mutato sexu Sithonis, de Celmi in adamantem mutato, de Curetibus ab imbri natis, de Croco et Smilace in flores versis, denique de

Hermaphrodito et Salmacide in unum corpus concretis. Quo facto Minyades ipsae in vespertiliones et telae earum in vitem transformatae sunt. Qua re cum Ino laetaretur, Juno, et invidens et indignata, Furiam ei et Athamanti conjugi immittit, cujus veneno ambo ad furorem concitati sunt, in quo Athamas Learchum filium leonem esse putans misere occidit, Ino autem cum Melicerta filio in mare prosiluit, et ambo, ipsa et filius, Venere intercedente facti sunt dii marini. Quos cum comites Sidoniae pro mortuis deplorant, aliae in saxum, aliae in volucres mutantur. Cadmus, multis calamitatibus motus relictis Thebis in Illyriam cum uxore profectus est, ubi uterque formam anguineam accepit. Solus igitur de Bacchi contemtoribus restabat Acrisius, cujus nepos, Perseus, Gorgonis Medusae, quae pro crinibus angues habebat (mutatis olim pulcherrimis capillis ejus in dracones sive angues) caput amputavit, e cujus guttis in terram lapsis angues nati sunt, et ope Medusaei capitis Atlantem in montem convertit, atque inde digressus Andromedam monstro marino expositam liberavit (qua occasione virgae in curalia conversae), eamque uxorem duxit.

Lib. V. In nuptiis ejus cum Phineus sponsam vindicaret, orto inter Centauros ac Lapithas tumultu cruentissimaque caede, Phineum cum multis suorum obtento Medusae capite saxeos reddidit, mox etiam Proetum patris fratrem et Polydectem. Tum Pallas, quae hactenus Persei comes fuerat, eo relicto, in Heliconem abit, ut Hippocrenen ungulae ictu Pegasi ortam inspiciat. Ibi Musae ei narrant, quomodo sumtis alis Pyrenei vim effugerint, deinde de Pieridibus in picas conversis, postquam cantus certamine instituto Pierides de variis deorum in animalia transformationibus, ipsae alia carmina cecinissent: quae carmina Pallade rogante Calliope repetit canitque, quomodo Proserpinam Pluto rapuerit et Cyane nympha, cum raptori obstitisset, in fontem mutata sit; Cererem autem, porro canit, cum filiam amissam quaereret, puerum procacem in stellionem vertisse, et post longos errores cum tandem a Cyane filiam in Sicilia raptam esse accepisset, ibi omnes fruges et agros devastasse; cum vero deinde ex Alpheïade sive Arethusa audivisset, a deo inferorum filiam esse raptam, Ascalaphum, qui filiam jejunia solvisse prodiderat, ab ea in bubonem mutatum esse: quem ad modum Sirenes, Proserpinae sociae, sed nulla sua

culpa, inferiore parte ante in aves conversae essent. Cereri, dolore tandem de amissa filia lenito, in Siciliam reversae Arethusam narrasse transformationem suam in fontem. Deinde deam vectam esse Athenas, Triptolemo semina frugum dedisse, et Lyncum Scytharum regem, qui huic illud munus invideret, in lynca mutasse. Hunc igitur cantum, pergit Musa narrare, cum Pierides sprevissent et convicia addidissent, a se in picas esse mutatas.

Lib. VI. Quo exemplo mota Pallas de Arachnae, lanificii arte superbae, vindicta cogitavit. Itaque inito cum ea certamine, telam utraque instituerunt, ac Minerva intexuit, ut olim, quum cum Neptuno de Athenis certarit, Neptunus tridentis ictu fretum, ipsa autem olivam protulerit ac vicerit; deinde in eadem repraesentavit Rhodopae et Haemonis in montes, Pygmaeae in gruem, Antigonae in ciconiam, et Cinyrae filiarum in gradus templi transformationes; Arachne intexuit varia deorum furta atque transformationes. Qua tela confecta a Pallade in araneam mutata est. Neque tamen Niobe popularis hujus poena admonita est, ut Latonae cederet: ob quam superbiam, interfectis ab Apolline et Diana omnibus liberis ejus, in saxum obduruit. Quo cognito, unus e vulgo in memoriam revocavit, Lycios rusticos quondam ab eadem Latona in ranas versos, et alter Marsyan ab Apolline irato excoriatum, et ex deplorantium eum Nympharum et Satyrorum lacrimis fluvium Marsyan ortum esse. Nioben luget Pelops, cui humerus eburneus a dis datus erat. Sed ad consolandos Thebanos de morte Amphionis et tota stirpe ejus urbium finitimarum legati convenere: soli deerant Athienses, quia a barbaris agminibus infestabantur, quos Tereus Thrax fudit. Igitur Pandion ei Procnen in matrimonium dedit. Is postea Athenas reversus, cum Philomelam, uxoris sororem, secum abduxisset atque stuprasset, in upupam est transformatus, Philomela in lusciniam, Procne in hirundinem. Quae res Pandioni nuntiata mortem attulit. Huic in regno successit Erechtheus, cujus filiam Orithyiam Boreas rapuit, atque ex rapta Calain procreavit et Zeten, qui cum puberes facti essent, ut volucres pennas acceperunt atque in Argonautarum numero fuerunt, cum

Lib. VII. Iason e Ponto, victis Medeae auxilio tauris ignem vomentibus, et seminatis serpentis dentibus, e quibus homines armati prodierant, et horrendo dracone sopito, vellus

aureum attulit. Medea, Iasonem in Graeciam secuta, Aesoni ejus patri veneficii ope juvenem reddidit, idemque Peliae, scelerato Aesonis fratri, pollicita, speciminis causa ante ariete in agnum reformato, ei mortis causa fuit. Inde Medea per aëra varia loca transformationibus insignia praetervecta, occisis Corinthi liberis suis et pellice, Athenas pervenit nupsitque Aegeo regi sub reditum illius filii, Thesei, quem paene veneno occidit, quo facto *effugit illa necem, nebulis per carmina motis.* Aegei gaudia de recepto filio turbat Minos, bellum contra eum parans, collectis undique copiis, etiam e Paro, ubi Arne in monedulam fuerat conversa, et Aeacum quoque in partes suas trahere cupiens. At ille a parte fuit Aegei, eique Myrmidones suos auxilio misit, post gravem pestem e formicis ortos, duce Cephalo Atheniensi, qui Phoco, Aeaci filio narrat, quomodo ab Aurora et raptus sit, et alia forma indutus Procrin uxorem tentarit et ad adulterium pellexerit, ab eaque ex fuga reversa canem et jaculum acceperit, quorum ille cum vulpe Thebana in saxum conversus sit, hoc autem a se imprudenti missum uxorem interfecerit.

Lib. VIII. Cum Minos interim Megaram obsideret, Scylla amore ejus capta, patriam ei prodidit, abscisso fatali Nisi patris crine purpureo; sed spreta ab eo cum abeuntis navi inhaereret, in cirin avem mutata est, quum pater ejus ante in haliaeëton versus esset. Reversus in Cretam Minos Minotaurum, opprobrium generis sui, labyrintho a Daedalo aedificato includit, eique comedendos objecit, quos Athenienses pro tributo mittebant juvenes; e quibus Theseus monstrum interficit, atque Ariadnen, Minois filiam, cujus ope ex labyrintho sese expedierat, abductam in Dia insula relinquit, ubi eam Bacchus duxit ejusque coronam sidus fecit. Daedalus cum invitus in Creta retineretur, artificiosis alis inventis avolavit cum filio Icaro, qui tamen solis calore solutis alis in mare decidit, illique mari nomen dedit Icarium. Hujus exsequias celebrantem patrem vidit et gavisa est perdix e Perdice, Daedali cognato multarumque rerum inventore, quem Daedalus invidia motus ex arce Minervae praecipitem dederat, transformata. Theseus interea, cum magna ejus esset fama, ad venationem apri Caledonii advocatus est, quem aprum cum Atalanta Arcadia primum vulnerasset, Meleager interfecit, qui praedam dedit, quam amabat, Atalantae, atque matris suae fratres, hunc ho-

norem filiae rapientes, occidit. Quorum caedem cum Meleagri mater audivisset, fatalem stipitem in ignem conjecit, quo comburente filius absens igne absumtus est. Theseus ab ea venatione rediens cum Pirithoo amico ad Acheloum divertit, ubi cum Echinadas insulas e longinquo conspexisset, Achelous ei narrat, eas olim nymphas fuisse et in insulas esse mutatas. Quod fieri potuisse negante Pirithoo, Lelex primum Philemonis et Baucidis exemplo probat, qui in arbores fuerint conversi, sicut domus eorum in templum et pagus in stagnum. Achelous deinde memorat Protei et Mestrae, quae Erysichthona patrem, fame furentem, variis acceptis figuris aluerat, naturam transformem; se quoque potestatem habere addit, varias species accipiendi.

Lib. IX. Tum formas refert, in quas sese mutarat, cum Hercule de Deïanira certans. Hanc Herculi victori in patriam redeunti Nessus rapere voluit, sed Herculis sagitta venenata confossus cecidit, et ne inultus periret, raptae vestem dedit sanguine suo tinctam, *velut irritamen amoris.* Deïanira aliquanto post dubitans de mariti amore, illam ei vestem misit, qua indutus cum concremaretur, Lichan famulum, qui vestem attulerat, cladis auctorem existimans per aëra misit, missus in saxum mutatus est; ipse deinde periit, sed renovata facie in coelum translatus est. Iolen, quam Hercules amarat, duxit filius ejus Hyllus. Tum Alcmena, mater Herculis, nepotis uxori partum Herculis narrat, et quomodo in eo partu Galanthis famula sua in mustelam conversa sit. Iole Alcmenae vicissim Driopen sororem suam, quum filio suo loti ramum, in quam Lotis nympha olim mutata fuerat, dedisset, et ipsam in lotum versam esse. Supervenit Iolaus, reparata per Heben juventute; quo facto Themis similem aliquando mutationem instare filiis Callirhoës, subito in viros mutandis, vaticinatur. Quod Jupiter non omnibus posse contingere Minoïs sui potissimum exemplo docet, qui olim potens postea Miletum Cretensem vehementer timuit, neque e finibus ejicere ausus est. Sponte tamen tandem Miletus in Asiam concessit, et Byblidem procreavit atque Caunum; cujus illa amore tabefacta in fontem transiit: quae quidem res Cretensibus magis mira visa esset, nisi paullo ante Iphis, filia Cretensis, ipso nuptiarum die virilem sexum accepisset.

Lib. X. Iphidis nuptiis qui interfuerat Hymenaeus in

Thraciam se contulit ad nuptias Orphei et Eurydices, malo omine, siquidem mox serpentis morsu obiit Eurydice, quam Orpheus, licet ad inferos descendisset, reducere non potuit. Quare moerore perculsus montes solitarios petiit, ubi sono tentatae ab eo lyrae animalia ad eum concurrerunt et arbores, in quibus pinus ex Aty atque cupressus e Cyparisso mutata. Canebat autem ille de Jove ad rapiendum Ganymeden in aquilam mutato, de Hyacinthi ab Apolline amati et interfecti mutatione in hyacinthum florem, de Propoetidarum in lapides, de Cerastarum in tauros, de Pygmalionis statuae in mulierem vivam, de Myrrhae propter incestum cum patre concubitum in myrrham arborem, de Adonidis, cui Venus Hippomenis et Atalantae in templo ipsius concumbentium in leones transformationes narraverat, in anemonem.

Lib. XI. Talia canentem cum Thraciae mulieres Orphea discerpsissent, serpente, qui caput ejus petebat, in lapidem mutato, in arbores conversae sunt a Baccho, qui relicta ob interfectum vatem Thracia, in Phrygiam se contulit, ibique pro Sileno restituto Midam, qui optarat, ut, quidquid contigisset, in aurum veteretur, voti compotem fecit. Cujus voti cum illum poeniteret, ejusdem dei ope ab eo liberatus est, et cum jussus a deo in Pactolo lavaretur, arenas ejus aureas fecit. Eidem postea Phoebus propter iniquum de cantu judicium aures asininas dedit. Quo facto Trojam profectus Apollo cum Neptuno Laomedontem muros Trojanos exstruentem adjuvit. Pactam vero mercedem non solvente Laomedonte Neptunus terram omnem in freti formam convertit. Filiam Laomedontis Hesionem, saxo alligatam, liberavit Hercules, cujus socius Telamon eam conjugem duxit; nam hujus frater duxerat Thetida, multis licet acceptis formis tandem victam. Is postea Trachina ad Ceycem migravit tum luctu fratris Daedalionis afflictum, qui in accipitrem erat conversus. Apud illum commoranti nuntiatur greges suos a lupo dilacerari; igitur placata ab eo, quae illam cladem miserat, dea lupus in saxum mutatur. Quibus miraculis territus Ceyx aditurus erat oraculum Clarium, sed in itinere periit naufragio. Halcyone uxor ejus postea marito naufrago, qui ad litus ejectus erat, conspecto in halcyonem avem, sicuti etiam maritus, mutata est. Quos cum aliquis volantes conspexisset, Aesacum, Priami filium meminit quondam simili modo in mergum, qui tum forte aderat, transformatum.

Lib. XII. Huic tum Priamus pater tanquam mortuo exsequias fecit una cum filiis, excepto Paride, qui in Graeciam profectus Helenam rapuit. Raptorem secuti sunt Graeci, postquam Aulide, serpente quodam in lapidem mutato, Dianam placare voluerant Iphigenia oblata, cui tamen dea substituit cervam. Trojani cum fama adventum Graecorum cognovissent, armati eos exspectarunt. Primo congressu Cygnus, qui duritiam lapidis habebat neque ferro vulnerari poterat ab Achille constrictis faucibus suffocatus et a Neptuno in avem sui nominis conversus est. In convivio propter eam victoriam instituto Nestor in memoriam revocabat Caenea a Neptuno et ipsum et invulnerabilem factum et e femina in marem conversum et deinde in proelio Centaurorum cum Lapithis cum arborum congerie obrutus esset, ab eodem deo in avem transformatum; addita narratione Periclymeni fratris in aquilam mutati. Neptunus vero Cygni mortem dolens postea exoravit Apollinem, ut Paridis sagittam in Achillem flecteret, qua ille periit.

Lib. XIII. De Achillis armis Ajax et Ulixes contenderunt, atque cum Ulixes causam vicisset, Ajax se ipse ferro transfixit, cujus sanguis in hyacinthum vertitur. Capta tandem Troja Hecuba, Priami regis uxor, capta et in Thraciam abducta est, ubi Polymestore, qui unicum ejus ex tot liberis superstitem filium crudeliter occiderat, excaecato fit canis. Ejus casum cum dii alii omnes deplorarent, Aurora alio luctu tenebatur, Memnonis scilicet filii, cujus e cineribus Memnonides aves prodierunt. Aeneas autem patria profugus Delum ad Anium venit, cujus filiae in columbas erant conversae, acceptoque ab eo poculo, in quo Orionis Thebani filiarum historia caelata erat, quarum e cinere duo juvenes, Coronae, prodierant, Cretam profectus est, unde Ambraciam et Chaoniam, transformationibus claras praetervectus in Siciliam delatus est, ubi Scylla est, quae olim virgo fuit, cui Galatea narrat Polyphemi amores et miseram Acidis, quem amarat, mortem atque in fluvium transformationem, quo facto Glaucus Scyllae amore captus est, qui nuper in deum marinum mutatus erat.

Lib. XIV. Scyllam Circe, quae ei Glauci amorem invidebat, mutat in monstrum. Mox eadem in scopulum transformata est. Aeneas autem in Africam venit, ubi a Didone exceptus et amatus est. Mox relicta Carthagine, Pithecusas

praetervectus, ubi Cercopes ex hominibus in simias mutati erant, in Italiam appulit, cum Sibylla Cumaea ad inferos descendit, et deinde Cajetam venit, ubi Macareus, comes Ulixis qui fuerat, Achaemenidi de Polyphemo Cyclope narrat. Achaemenides Macareo inter alia narrat, socios Ulixis a Circe in sues, et cogente Ulixe iterum in homines, et Picum, qui ejus amorem spreverat, in picum avem, socios ejus in varias feras esse transformatos; Canentem nympham, Pici conjugem prae dolore in auras evanuisse. Cajeta Aeneas venit in Latium, ubi bellum cum Turno rege suscepit. Turnus cum Venulum misisset, ut peteret auxilium a Diomede, repulsam tulit, sociis ejus nuper in aves mutatis. Venulus per ea loca rediit, in quibus Appulus pastor quondam in oleastrum conversus erat. Jam bellum fuit, in quo Aeneae naves a Turno incensae nymphae fiunt, sicut ex Ardeae urbis incendio deletae cineribus ardea avis. Bello composito novoque regno condito Aeneas transit in deum. Huic successerunt reges alii complures in quibus Phocas, quo rege floruit Pomona: quam cum Vertumnus amaret, primum sumsit anus formam amataeque ut eam commoveret Anaxaretes propter contemtum amorem in saxum conversae exemplum narravit, deinde rursus in pulcrum juvenem conversus voto potitus est. Inde sub Numitore aquae frigidae redduntur calidae. Deinde rex fuit Romulus, qui Roma condita regnoque constituto factus est deus Quirinus, ejusque uxor dea, accepto nomine Hora.

Lib. XV. Secutus est Numa, qui sapientiae studio Crotona profectus hujus urbis originem quaerens inter alia nigros calculos quondam in albos fuisse commutatos comperit, et deinde Pythagoram de omnium rerum mutationibus disputantem audivit: de metempsychosi, in qua exponenda se temporibus belli Trojani fuisse Euphorbum narrat, de mutatione temporum, rerum coelestium, anni, aetatis humanae, elementorum, terrae, montium, fluviorum, urbium ac regionum, aquarum. Numa deinde Romae rex factus civitatem religionibus ac legibus firmavit. Mortuum Egeria uxor, nec Hippolyti, qui sua ipsi tristissima fata atque in deum Virbium conversionem narrabat, consolatione lenita in fontem liquescit: quae res non minus fuit miranda, quam quod Tages e gleba ortus, Romuli lancea arbor, et Cippus cornutus factus est. Deinde Urbs gravissima pestilentia afflicta est, consulto-

que oraculo Aesculapium Epidauro serpentis forma indutum in Italiam transtulerunt, qui insulam Tiberis sedem legit pestique finem fecit: ut hic deus e peregrina terra adductus est, sic J. Caesar, Romanus, postquam stupenda facta gessit, et conjuratorum manibus cecidit, in deum commutatus est.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBRI XV.

Orba parente suo quicunque volumina tangis,
His saltem vestra detur in Urbe locus.
Quoque magis faveas, non haec sunt edita ab illo,
Sed quasi de domini funere rapta sui.
Quicquid in his igitur vitii rude carmen habebit,
Emendaturus, si licuisset, erat.

Trist. I, 7, 35 — 40.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER PRIMUS.

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora. Dî, coeptis - nam vos mutastis et illas -
Adspirate meis, primaque ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.
Ante mare et terras et, quod tegit omnia, coelum
Unus erat toto naturae vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigestaque moles,
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaque eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum.

1 — 4. *Argumentum carminis et invocatio deorum.*

1. *Fert animus*, tendit animus, juvat. Cf. v. 775. Lucan. I, 67.

Fert animus causas tantarum expromere rerum.

formas. Sic Trist. I, 7, 13.

Carmina mutatas hominum dicentia formas.

Cf. Trist. I, 1, 117. Contra Trist. II, 556. *in facies corpora versa novas.* Eodem recit, utrum dicas *corpora in novas formas* s. *figuras* (I, 436.), an *formas in nova corpora esse mutatas*; nisi quod posterius exquisitius est. — *nam vos mutastis et illas.* Verba *et illas* conjungi non patitur ratio sententiae; nihil enim, quod dî praeterea mutarint, antecessit aut significatum est aut cogitatione commode additur. Connexus orationis postulat, ut *et* cum *mutastis* conjungatur, sed tum e vulgari quidem consuetudine loquendi ponendum erat *et mutastis*, non *mutastis et.* Cf. VI, 471. VII, 571. Ups. *in illas*, quod friget; nonnulli Heins. *easdem*, inepte. De corruptione vix cogitandum est: itaque e singulari Nasonis verborum collocandorum libertate explicandum erit. Pal. 1., Par. 2., Gal., Leod. a l. m., I Hamb. et S. Gall. *nam dî.*

3. *adspirate*, afflate (Tib. II, 1, 35.), favete. Virg. A. II, 385. *adspirat primo fortuna labori.* — 4. *perpetuum*, continuum (ut nonnulli codd.), in quo res h. e. transformationes serie tractantur et inter se aptae sunt. XI, 755. — *deducite* a lanificio ducta metaphora. Conf. IV, 36. Trist. II, 559.

Pauca quibus prima surgens ab origine mundi
In tua deduxi tempora, Caesar, opus.

5. *Principio chaos in coelum et terram et IV elementa digeritur ac transformatur, ex elementis formantur animantes et in iis homines.* Diog. Laert. X. Ap. Rhod. I, 496 sqq. Diod. Sic. I. 5. Art. A. II, 467.

Prima fuit rerum confusa sine ordine moles,
Unaque erant facies sidera, terra, fretum.

Unus Medic. et unus Viv. *et tellus*, ex Fast. I, 106. — 6. *unus - vultus*, una facies, forma in qua partes non discernerentur. — *in orbe*, in universo. XII, 39. — 7. *chaos.* Hesiod. Th. 116. ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετο. — 8. *iners*, pigrum et informe. — *eodem*, in unum, ut nonnulli Heins. ex glossa habent.

9. *semina*, elementa, principia, στοιχεῖα. XV, 239. *genitalia corpora.*

Nullus adhuc mundo praebebat lumina Titan,
Nec nova crescendo reparabat cornua Phoebe,
Nec circumfuso pendebat in aëre tellus
Ponderibus librata suis, nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite,
Quaque fuit tellus, illic et pontus et aër.
Sic erat instabilis tellus, innabilis unda,
Lucis egens aër: nulli sua forma manebat,
Obstabatque aliis aliud, quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.
Hanc deus et melior litem natura diremit:
Nam coelo terras et terris abscidit undas,
Et liquidum spisso secrevit ab aëre coelum.
Quae postquam evolvit caecoque exemit acervo,
Dissociata locis concordi pace ligavit.
Ignea convexi vis et sine pondere coeli
Emicuit summaque locum sibi legit in arce;

10. *Titan*, Phoebus s. Sol vocatur, ut filius Hyperionis (IV, 192.) qui fuit e Titanibus. Hesiod. Theog. 371. Soror ejus est Phoebe s. Luna, quae inde *Titania* vocatur. III, 173. Cf. not. ad VI, 346. et ad VIII, 565. — 11. Cod. Bersm. *nec sua*. Idem et Abb. *renovabat*, ex gl.

12. *circumfuso*. Tib. IV, 1, 151. *circumfuso considit in aëre tellus*. — *ponderibus librata suis* i. e. ita suspensa, ut aequalitate ponderum aequilibrium servaret. Cic. Tusc. V. c. 24. *Inde est indagatio nata initiorum et tanquam seminum unde essent omnia orta, generata, concreta - unde terra et quibus librata ponderibus etc.*

14. *Amphitrite*, Nerei dei marini (v. 187.) filia et Neptuni uxor pro ipso mari. Sensus est: *Amphitrite nondum brachia sua* (undas suas) *porrexerat* (effuderat, extenderat. X, 741.) *longo terrarum margine* (circa longas terrarum oras). Cf. v. 30. — Viv., II Bersm., plurimi Heins., Berol., Dresd., Gal., Goth. 2., Pal. 2., Par., Petr., Rhen., Lips. 2., Vrat. *amphitrites*. mendose. — De illo spondeo in quinto pede vid. ad v. 62.

15. *quaque fuit t.* Hanc veram lectionem servarunt Porphyr. ad Hor. Od. III, 4., unus Medic. et unus Bersm. Nam reliquorum vett. libr. scripturae corruptae sunt. Vulg. enim *quaque erat et t.* Nonnulli Heins. *quaque erat t.*, alii *qua erat et t.*, alii *qua erat et t.* alii *quamquam erat et t.*, alii *quaque ubi erat t.*, Vrat. *at qua erat et t.* Franc. et quidam Heins. *ut qua erat et t.* Alii Heins. et IV Gif. *utque erat et t.* Alii *atque ubi erat t.*, alii *ast ubi erat t.*,

16. *instabilis*, passive, uti etiam *innabilis*. Cf. XII, 401. *innabilis* a Nasone novatum. Vid. ind. in *adjectiva* et *Add.* ad p. 35. Ad rem vid. XV, 245 sqq.¶

19. *pugnare* a poetis saepe cum dat. construitur, more Graeco. Cf. XIV, 794. — 20. Construe: „*pondus habentia* (iis quae erant) *sine pondere*." Vid. v. 26. et Cic. Orat. c. 4.

21. *deus et melior natura* de eodem numine divino intelligenda, ut apparet etiam e v. 32. 48. 57. 79. Nam *et* h. l. non jungit, sed exponit. Vid. ad III, 204. IV, 757. VI, 150. XIV, 510. XV, 148. et ad Trist. IV, 2, 55. — 22. *abscĭdit* ab *abscindo*. XII, 362. *abscīdit* est ab *abscido*. Vid. Forcell. — 23. *liquidum coelum*, q. e. purum ab humoribus aethera, opponitur illis *spisso ab aëre*. Cf. v. 67. Lucret. V, 501. et vid. ad III, 486.

24. *caeco acervo* periphrasis verbi *chaos*. Fast. I, 106. *lucidus hic aër, — Ignis, aquae, tellus, unus acervus erant*. — 25. *dissociata*, separata. — 26. Verba *sine pondere* pro adjectivo sunt ut v. 20. Cf. VII, 306. VIII, 518. et IX, 730. *Vis* igitur duo habet epitheta: *ignea* et *sine pondere*. — 27. *emicuit*, repente et celeriter prosiluit. Cum respectu ad naturam illius elementi dictum est. Vid. ad XV, 248. — Flor. et III Heins. *sibi fecit*. De re vid. Diod. I. c. 7. et Virg. Ecl. VI, 33.

29. *densior his tellus*, sc. *est*.

Proximus est aër illi levitate locoque;
Densior his tellus elementaque grandia traxit
Et pressa est gravitate sui; circumfluus humor
Ultima possedit solidumque coërcuit orbem.
Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille deorum,
Congeriem secuit sectamque in membra redegit;
Principio terram, ne non aequalis ab omni
Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis.
Tum freta diffudit, rapidisque tumescere ventis
Jussit et ambitae circumdare litora terrae.
Addidit et fontes et stagna immensa lacusque,
Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis,
Quae, diversa locis, partim sorbentur ab ipsa,
In mare perveniunt partim, campoque recepta
Liberioris aquae pro ripis litora pulsant.
Jussit et extendi campos, subsidere valles,
Fronde tegi silvas, lapidosos surgere montes.
Utque duae dextra coelum totidemque sinistra
Parte secant zonae, quinta est ardentior illis;
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura dei, totidemque plagae tellure premuntur:
Quarum quae media est, non est habitabilis aestu;
Nix tegit alta duas; totidem inter utramque locavit,
Temperiemque dedit mixta cum frigore flamma.
Imminet his aër, qui, quanto est pondere terrae

29. *traxit*, secum rapuit vel tulit.

30. *pressa est*, depressa est, ut ceteris esset inferior. Fast. V, 13.

Pondere terra suo subsedit et aequora traxit.

Berol., Cant., Gal., Pal. 2., Rhen., Lips. 2., XX Heins. et ed. Ven. 2. *sua. Sui*, q. e. naturae suae, etiam gravius est, quam *sua*. Conf. III, 435. XV, 875. — *circumfluus humor*. Periphrasis oceani. Vid. v. 14. — 31. *ultima*, ultimam oram. — *possedit*, occupavit. Conf. v. 355. — 33. *secuit sectamque*, apud Nasonem imprimis frequens oratio. Conf. v. 402. IV, 64. 316. 713. IX, 195. 196. 525. VII, 168. 260. VIII, 474. X, 557. XIII, 943. 345. XIV, 44.

35. *speciem in orbis*. Ita persaepe apud poetas praepositio inter nomen et genitivum qui ab eo pendet interponitur. Conf. II, 446. VI, 340. VII, 66.

36. *diffudit*. Urb. et Lang. *diffundi* ab inepto librario, qui concinnitatem captaret, varietatem poetae non sentiret. Conf. XV, 632. 633. — Rhen., et nonnulli Heinsii *rabidisque*.

37. *ambitae*, ut XV, 287., paenultima producta; quia est a verbo *ambio*. Vid. Priscian. X. c. 9. — 38. Gal., unus Medic., Mor. et unus Heinsii *fontes immensaque stagna*. Reliqui omnes ut dedimus. — 39. *obliquis*, tortuosis. IX, 18. *cursibus obliquis*.

40. *ab ipsa*, sc. terra, in qua quid fecerit ille deus h. l. exponitur. — *diversa locis*. Conf. v. 173. et IV, 406.

41. *campoque*. Conf. XI, 356.

42. *ripis* sc. fluminis, *litora*, sc. maris. — 43. *subsidere* de locis depressis. Conf. not. ad v. 30. Contrarium est *surgere*, quod v. 44. sequitur.

45. De re conf. Virg. Georg. I, 233 sqq. et Tib. IV, 1, 152 sqq.

46. *secant*, dividunt. Ductum a sphaera, quam secant circuli. — 47. *onus inclusum* sc. coelo, q. e. moles terrae sive terra. — 48. *premi* h. l. valet *coërceri*, includi. IV, 636. XIV, 6.

49. *non est habitabilis*. Conf. Lucret. V, 205. Virg. G. I, 237 sqq. et Macrob. Somn. Scip. II. c. 5.

50. *inter utramque*. II Leid. et Rhen. *inter utrumque*. Sed proxime antecessit *duas*. — 52. *imminet*, superimpositus est. Et vicinitatem et altiorem, sed tamen proximum, situm declarat. IV, 459. Junge: *qui tanto onerosior igne est, quanto pondus aquae levius est pondere terrae*. Medic., Bon. et Stroz. *igni*. Vid. VII, 29. X, 369. et not. ad Trist.

Pondus aquae levius, tanto est onerosior igne.
Illic et nebulas, illic consistere nubes
Jussit, et humanas motura tonitrua mentes,
Et cum fulminibus facientes frigora ventos.
His quoque non passim mundi fabricator habendum
Aëra permisit: vix nunc obsistitur illis,
Cum sua quisque regat diverso flamina tractu,
Quin lanient mundum: tanta est discordia fratrum!
Eurus ad auroram Nabataeaque regna recessit
Persidaque et radiis juga subdita matutinis;
Vesper et occiduo quae litora sole tepescunt,
Proxima sunt zephyro; Scythiam septemque triones
Horrifer invasit boreas; contraria tellus
Nubibus assiduis pluvioque madescit ab austro.
Haec super imposuit liquidum et gravitate carentem
Aethera nec quicquam terrenae faecis habentem.
Vix ita limitibus dissepserat omnia certis,

IV, 10, 67. et ad Her. IV, 13. — Vulg.: *qui q. e. pondere terrae, pondere aquae levior-igne.* Sed Alexander Philomenus in cod. vetusto: *quanto est p. terrae pondus aquae levius, t. e. on. aër.* Prius: *pondus aq. levius,* exc. Cal. et mârgo Gryph. confirmant. *Jahn.*

54. *consistere,* locum suum habere.

55. *motura,* universe dictum pro *territura.* IX, 185. Alludit Senec. N. Q. II. c. 1. *secunda pars tractat inter coelum terramque versantia. Haec sunt nubila, imbres, nives et humanas motura tonitrua mentes.*

56. *et cum fulminibus etc.* Credebant veteres, fulmina ac tonitrua nubibus ventorum vi concussis oriri. Vid. XV, 70. VI, 695. Conf. I, 268. VIII, 338. XI, 436. Sensus igitur est: *et ventos facientes et fulmina et frigora.* Lucan. I, 151.

— *expressum ventis per nubila fulmen.*

Virg. G. I, 352.

— *et agentes frigora venti.*

57. *non passim,* non sine certo loci discrimine, ut quisque spirare posset, unde luberet. Nam *habendum* est possidendum. — 59. *regat.* Flor., unus Mor. et Ups. *regant,* pluralem ut v. 183. Sed tam parva codicum auctoritate optimam vulg. mutare non licet. Vid. XIII, 660. XII, 224. — 60. *fratrum.* Conf. VI, 693. XIV, 545. — 61. Laudat hanc ventorum descriptionem Seneca N. Q. V. c. 16. *Nabataea regna,* regio in oriente Arabiae petraeae. Plin. N. H. VI. c. 28. Strab. XVI. p. 767.

62. *radiis i. s. m.* sunt montes Indiae. — Spondeus in quinto pede in hoc carmine admodum frequens est, imprimis in fine sententiae et nominibus propriis. Cf. 14. 117. 732. II, 409. III, 669. 184. V, 165. 265. VI, 69. 128. 247. 683. VII, 114. 623. 695. VIII, 23. IX, 283. XI, 456. XII, 219. 456. XIII, 407. 684. Vid. Quinct. Inst. Or. IX. c. 4. §. 65.

64. *zephyrus* ventus, qui ab occasu flat. Si tepidae ac gratae aurae veris declarantur, plerumque pluraliter dicitur *zephyri.* Vid. v. 108. et conf. IX, 661. *Scythiae* nomine Romani comprehendebant omnes terras boreales, incertis finibus. Vid. Voss. ad Virg. G. I. p. 222. — *septem triones* sunt septem stellae clarissimae in Ursa majore, quas Graeci plaustri nomine appellarunt, a vetere nomine *trio,* bos, taurus. — Flor., Par. 2. et Urb. *trionem.* Conf. II, 528. X, 446.

66. *nubibus assiduis.* Conf. v. 264. II, 853. XIII, 725. Virg. G. III, 278.

— — *unde nigerrimus auster*
Nascitur et pluvia contristat frigore coelum.

69. *vix ita limitibus dissepserat.* Cod. Bersm., Goth. 2. et meliores (?) Heins. *vix ea,* quod sine justa caussa recepit Burmannus, et prosam orationem sapit. Scripturam *dissepserat* solum Fragm. Leod. servavit. Confirmant variantes permultorum aliorum codd.: *discepserat,* quod exhibent Vat. Ciof. et multi vetustiores Heinsii; *discerpserat,* quod exhibent reliqui Ciof. codd., III Bersm., IV Pal., Berol., Dresd., Gal., Goth. 2., Petr., Rhen., Lips. 2., Ups., multi vett. Heins. et vett. edd., et quocum consentiunt VI Gif. codd., in quibus *discerpserat, descerpserat* legitur. Vulg. *discre-*

Cum, quae pressa diu massa latuere sub illa,
Sidera coeperunt toto effervescere coelo.
Neu regio foret ulla suis animalibus orba:
Astra tenent coeleste solum formaeque deorum;
Cesserunt nitidis habitandae piscibus undae;
Terra feras cepit, volucres agitabilis aër.
Sanctius his animal mentisque capacius altae
Deerat adhuc, et quod dominari in cetera posset.
Natus homo est: sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo;
Sive recens tellus seductaque nuper ab alto
Aethere cognati retinebat semina coeli,
Quam satus Iapeto, mixtam fluvialibus undis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.
Pronaque cum spectent animalia cetera terram;
Os homini sublime dedit, coelumque videre
Jussit et erectos ad sidera tollere vultus.
Sic, modo quae fuerat rudis et sine imagine, tellus
Induit ignotas hominum conversa figuras.
Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,

verat, quod fortasse genuinum est. Senec. Med. v. 335. *Bene dissepti foedera mundi.*

71. *effervescere coelo.* Ita II Bersm., Berol., Capr., Ern., alter Maff., Dresd., Petr., Vrat., meliores Heins. et vett. edd. — Codd. Ciof. praeter unum Cael., Bersm. 3., Gal., Goth. 2., a corr. Pal. 2., Rhen. et Lips. 2. *fervescere.* Nonnulli Heins. *claresc.* vel *splendescere.* Vulg. *fulgescere.* — 72. *animalibus.* Cod. Bersm. et meliores Heins. *animantibus.* Sed de melioribus Heinsii dubito, alios auctores praeter unum Bersmanni non habeo. Itaque optimam reliquorum veterum libb. scripturam *animalibus* revocavi. V. 84. *cetera animalia.*

73. *Astra* sive signa coelestia a poetis animantia finguntur. II, 78. Virg. Georg. II, 340. ubi vid. Voss. Fast. III, 111.

Libera currebant, et inobservata per annum
Sidera: constabat sed tamen esse deos.

Formae deorum, quales *Sol*, *Luna*. Sic II, 78. de iisdem astris: *formae ferarum*, II, 194. *simulacra ferarum*, et Her. X, 95. *simulacra deorum.*

74. *nitidis* sc. a squamarum laevitate ac lubricitate. IX, 267. *Squama nitere recenti.* De illo *cesserunt* conf. IV, 533. V, 368. — 76. *mentis altae.* Cic. Mil. c. 8. *homo sapiens et alta et divina quadam mente praeditus.*

77. *deerat*, synaeresis. Conf. VI, 113. XIII, 366. — 79. *origo*, auctor. Conf. V, 262. XI, 755.

81. *cognati*, a quo nuper discreta erat.

82. *satus Iapeto.* Prometheus f. Iapeti, quem recentior fabula tradebat hominem de luto et aqua formasse. Apollod. I. c. 7. Interpp. ad Hor. Od. I, 16, 13. Hyg. F. 142.

84. *pronaque etc.* Sil. XV, 84.

Nonne vides, hominum ut celsos ad sidera vultus
Sustulerit deus, ac sublimia finxerit ora?
Cum pecudes, volucrumque genus formasque ferarum
Segnem atque obscoenam passim stravisset in alvum.

prona, ad terram depressa.

85. *videre.* II Medic. et schol. ad Prudent. in Symm. II, 260. *tueri.* Reliqui omnes cum edd. vett. et Lactant. Inst. div. II. c. 1. et Isidor. Etym. XI. c. 1. *videre*, quod genuinum videtur, etsi priori elegantia cedit. Virg. Aen. IV, 451. *taedet coeli convexa tueri*, unde fortasse *tueri* hoc loco natum est.

87. *sine imagine*, sine forma ac specie. Fast. I, 111. *sine imagine moles.* Conf. Met. III, 1.

89. *De IV aetatibus narratur: aeream primam in argenteam, hanc in aeream, aeream in ferream esse mutatam.* Vid. Hesiod. Ἔργ. v. 109 sqq. Arat. Phaen. v. 100 sqq. Conf. Virg. Georg. I, 125 sqq. Tib. I, 3.

89. II Leid., II Gron. et Neap. *judice.*

Sponte sua, sine lege fidem rectumqne colebat.
Poena metusque aberant, nec verba minantia fixo
Aere ligabantur, nec supplex turba timebat
Judicis ora sui, sed erant sine judice tuti.
Nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,
Montibus in liquidas pinus descenderat undas;
Nullaque mortales praeter sua litora norant.
Nondum praecipites cingebant oppida fossae;
Non tuba directi, non aeris cornua flexi,
Non galeae, non ensis erat: sine militis usu
Mollia securae peragebant otia gentes.
Ipsa quoque immunis rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus;
Contentique cibis, nullo cogente creatis,
Arbuteos foetus montanaque fraga legebant,
Cornaque et in duris haerentia mora rubetis
Et quae deciderant patula Jovis arbore glandes.
Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis.
Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant,
Flavaque de viridi stillabant ilice mella.
Postquam, Saturno tenebrosa in tartara misso,
Sub Jove mundus erat; subiit argentea proles,

91. *minantia*. Ups. et castigatiores(?) Heins. *minacia*, quam adjectivi formam Heinsius Nasoni et h. l. et plus viginti aliis obtrusit. Vid. v. 333. II, 779. V, 669. XV, 787. 793. VIII, 399. — *fixo aere*. XII aereas legum tabulas significat, quae in publico affixae sive propositae erant. Liv. III. c. 57. Virg. A. VI, 622. *fixit leges pretio atque refixit*.

92. *ligabantur*. Exc. Cal., III Medic. et unus Bon. *legebantur*. non male. Sed cave mutes. Pro *timebat* Heinsius e III codd. novavit *timebant*. Sine omni caussa, uti etiam v. 59., II, 11. 688. III, 529. 629. VI, 348. et plus centum aliis locis in Nasone. Vid. praef. Trist. p. V. *Supplex turba* sunt rei eorumque amici, qui moesti ac sordidati caussam suam defendebant.

93. II Bersm., Berol., Goth. 1., Ups. et quidam e melioribus Heinsii *sine vindice*.

95. *pinus*. XIV, 530. Tib. I, 3, 37.

Nondum caeruleas pinus contemserat undas,
Effusum ventis praebueratque sinum.

suis, sibi ab ipsa natura assignatis.

99. *erat*. Ups. et V Heins. *erant*. Conf. v. 142. V, 11. VIII, 327. — 103. *nullo cogente*. Virg. Georg. I, 128.

— — — — *ipsaque tellus*
Omnia liberius nullo poscente ferebat.

Sed idem *nullis cogentibus* Georg. II, 10.

104. *arbutus* arbor, cujus fructus (*arbuta*. X, 101.) a pauperibus edebantur. — Cod. Bersm., plurimi Heins. et Gron. *arboreos*. — 106. *Jovis arbor*, quercus, quae Jovi sacra. De re conf. Virg. G. I, 7. et 148.

108. *mulcebant zeph*. Prop. IV, 7, 60.

Mulcet ubi Elysias aura beata rosas.

De zephyris vid. ad v. 64.

110. Construe: *et ager, non renovatus, quin renovatus esset, g. c. a.* Conf. V, 453. — 112. Virg. G. l. l.

Et durae quercus sudabant roscida mella.

De aurea aetate conf. omnino Tib. I, 3.

113. *Saturnus* pater Jovis, Neptuni et Plutonis, Junonis, Cereris et Vestae, a filiis regno exutus in Tartara dejectus est. Eo regnante fuit aetas aurea. Virg. Georg. l. l.

114. *subiit*, successit. Ultima syllaba producta propter arsin. Conf. II, 567. III, 546. 184. IV, 317. V, 460. VI, 658. VII, 61. IX, 611. 612. XI, 14. XII, 127. XIV, 250. XV, 63. Scripturam

Auro deterior, fulvo pretiosior aere.
Jupiter antiqui contraxit tempora veris,
Perque hiemes aestusque et inaequales autumnos
Et breve ver spatiis exegit quatuor annum.
Tum primum siccis aër fervoribus ustus
Canduit, et ventis glacies adstricta pependit.
Tum primum subiere domos: domus antra fuerunt
Et densi frutices et vinctae cortice virgae.
Semina tum primum longis Cerealia sulcis
Obruta sunt, pressique jugo gemuere juvenci.
Tertia post illam successit ahenea proles,
Saevior ingeniis et ad horrida promtior arma,
Non scelerata tamen. De duro est ultima ferro.
Protinus irrupit venae pejoris in aevum
Omne nefas; fugere pudor verumque fidesque;
In quorum subiere locum fraudesque dolique
Insidiaeque et vis et amor sceleratus habendi.
Vela dabat ventis nec adhuc bene noverat illos
Navita, quaeque diu steterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis insultavere carinae:
Communemque prius, ceu lumina solis et aurae,

subiit tuetur et sententiae ratio et codd. II Bersm., Berol., Gal., Goth. 2., Petr., Rhen., a m. 2. Lips. 2., Ups., Ciof., castigatiores Heins. et ed. princ. Vulg. *subiitque*. male. — 116. *contraxit;* nam ante (v. 107.) *ver erat aeternum*.

117. *inaequales* sc. propter tempestates. Virg. Georg. I, 115. *incertos* tales *menses* dicit. De spondeo in quinto pede vid. ad v. 62.

118. *exegit*, peregit, ad finem duxit. Nonnulli Heins. *divisit* vel *perfecit*, ex interpretamento. — 119. *tum*. II Bersm., Petr., Lips. 2. et Vrat. *tunc*.

120. *canduit*. Conf. v. 435.

121. *fuerunt*. III Bersm., Goth. 1. 2., omnes fere Heins. et ed. pr. *fuere*. II Bersm., Dresd., Petr., Lips. 2. et Vrat. *tunc*. — Flor., Hamb. 1. et Vrat. *domus; domus*. Reliqui: *domos; domus*.

123. *Cerealia;* nam Ceres hominibus primum semina frugum dedit (V, 341. et 646 sqq.) eosque agriculturam docuit. II Bersm., Petr. et Berol. *tunc*.

124. *pressique jugo*. Vid. v. 101.

125. *post illam*. Par. 2., Urb., Medic. 1., Nor., Goth. 1. et ed. pr. *post illas*. Sed caussa vulgatam mutandi non adest. — 127. *non*. Pauci: Bersm., Bas., II Heins., Berol., Rhen. et Ups. *nec*. — 128. *vena* in fontibus et aqua saepe dicitur (XIV, 788.), item in metallis et lapidibus. Cf. 410.

129. *pudor*, moderatio in cupiditatibus justi et aequi caussa. Tac. Ann. III. c. 26. *pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat*. — Medic. 3., Gen. et Berol. *irrumpit*. Reliqui *irrupit*.

131. *amor sceleratus habendi*. Virg. Aen. III, 56.

— *quid non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames?

132. *dabat*. II Bersm., optimi (?) Heins., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Rhen., a 1. m. Vrat. et ed. pr. *dabant*. Reliqui omnes *dabat;* recte, de navita hoc dictum est. Sensus est: *vela dabat ventis nec illos bene noverat navita*. — 134. *insultavere*, petulantem audaciam declarat.

135. „*ceu lumina solis et aurae* (h. e. aër) communia sunt.“ Cod. Bersm., Fragm. Leod., Neap., Urb., Par. 2., unus Medic., unus Vat. et II alii Heinsii: *auras*, quae scriptura etsi et ipsa recta et latina, immo consuetudini dicendi magis conveniat, tamen recipere nolui propter majorem alterius scripturae auctoritatem. Graeci quoque ita construunt: Hom. Il. X, 556.

Ῥεῖα θεός γ' ἐθέλων καὶ ἀμείνονας, ἠέπερ οἵδε,
Ἵππους δωρήσαιτ', ἐπεὶ πολὺ φέρτεροί εἰσιν.

Ad rem Virg. G. I, 126.

Ne signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat.

Conf. Tib. I, 3, 43.

Cautus humum longo signavit limite mensor.
Nec tantum segetes alimentaque debita dives
Poscebatur humus; sed itum est in viscera terrae,
Quasque recondiderat Stygiisque admoverat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat; prodit bellum, quod pugnat utroque,
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex rapto; non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero; fratrum quoque gratia rara est;
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti;
Lurida terribiles miscent aconita novercae;
Filius ante diem patrios inquirit in annos;
Victa jacet pietas, et virgo caede madentes
Ultima coelestum terras Astraea reliquit.
Neve foret terris securior arduus aether:
Affectasse ferunt regnum coeleste Gigantas,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.
Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, et excussit subjecto Pelion Ossae.
Obruta mole sua cum corpora dira jacerent;
Perfusam multo natorum sanguine Terram

138. Conf. VII, 771.

139. Styx fl. inferorum, atque hinc saepe pro ipso tartaro. Per eum di jurare solebant idque gravissimum juramentum. Conf. v. 188. II, 46.

140. Conf. XIII, 434. — 142. Unus Gron. *prodierant*. Conf. v. 99. — *utroque*, numis aureis et armis ferreis.

144. Medic., Stroz., Rhen. et Lips. 2. *ex raptu*. — 145. *gratia*, amor.

146. *imminet*, cupide instat. Conf. V, 52. — 147. *acon.-lurida*. Conf. IX, 173. et VII, 415. *Lurida* autem ab effectu sive colore veneno illo exstinctorum. IV, 267. XI, 654. XIV, 747. Virg. G. II, 153. [illegible]

Pocula si quando saevae infecere novercae,
Miscueruntque herbas et non innoxia verba.

148. *inquir.*, sc. per mathematicos et Chaldaeos. Gell. N. A. I. c. 9. Tac. Ann. III. c. 22. ibique interpp. — *ante diem*, sc. a fatis destinatum. VI, 675.

149. *Astraea*, dea justitiae.

150. *coelestum* forma genitivi apud poetas frequens. Conf. VIII, 500. Lucret. VI, 1272. De re conf. Fast. I, 247.

151. *Gigantes, monstra, filii Terrae, ingenti magnitudine, pedibus anguineis et L capitibus et C manibus, coelum oppugnant, et a Jove fulminibus occiduntur. Terra eorum sanguinem in novum genus et ipsum scelleratissimum mutavit.* Apollod. I. c. 6. Hom. Od. XI, 304 sqq.

155. Pelion, Ossa et Olympus sunt montes Thessaliae. Scripturam *subjecto Pelion Ossae* unus Bersm. et multi Heins. vetustiores. Unus Bersm., Pal. 2. et Rhen. *subjecto Pelion Ossa*. Unus Ambr. pro v. l. *subjecto Pelio Ossam*. Unus Pal. *subjectum Pelion Ossam*. Thu. *subjectum Pelion Ossa*. Vulg. *subjectum Pelion Ossae*, quae scriptura ferri non potest: non enim excuti potest, quod alteri subjectum est. Rectior videtur scriptura Burmanni *subjecto Pelio Ossam;* quia *Pelion* major et altior Ossa. Fast. III, 441. Atque ita Virg. Georg. I, 281.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam
Scilicet, atque Ossae frondosum involvere Olympum.

Conf. tamen Prop. II, 1, 19. Ov. Amor. II, 1, 13.

156. *mole sua*, i. e. quam ipsi congesserant. Senec. Thyest. v. 1084. de iisdem tribus montibus: *montium tergemina moles*. Conf. Amor. II, 1, 13. Fast. III, 441.

Ignibus Ossa novis (fulm.) *et Pelion altior Ossa*
Arsit et in solida fixus Olympus humo.

Immaduisse ferunt calidumque animasse cruorem,
Et, ne nulla suae stirpis monumenta manerent,
In faciem vertisse hominum. Sed et illa propago
Contemtrix superûm saevaeque avidissima caedis
Et violenta fuit: scires e sanguine natos.
Quae pater ut summa vidit Saturnius arce;
Ingemit et, facto nondum vulgata recenti,
Foeda Lycaoniae referens convivia mensae,
Ingentes animo et dignas Jove concipit iras,
Conciliumque vocat: tenuit mora nulla vocatos.
Est via sublimis, coelo manifesta sereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso:
Hac iter est superis ad magni tecta Tonantis
Regalemque domum. Dextra laevaque deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis;
Plebs habitat diversa locis; a fronte potentes
Coelicolae clarique suos posuere penates.
Hic locus est, quem, si verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixisse Palatia coeli.
Ergo ubi marmoreo superi sedere recessu;
Celsior ipse loco sceptroque innixus eburno
Terrificam capitis concussit terque quaterque

corpora dira. Fast. V, 37. de iisdem Gigantibus:

Mille manus illis dedit et pro cruribus angues.

158. Unus Medic. *incaluisse*, quod temere induxit Burmannus, qui etiam v. 159. ex uno Voss. et Thu. dedit *ferae stirpis*. — 162. *scires*. Conf. VI, 23. 104. 296. 667. *Natos* ad sensum dictum, ut supra v. 92. et 93. Vid. etiam XI, 372. — Arg. Gal. et Leid. *recolens se s. natam*. Duo Bersm., Berol., Dresd., Douz., Goth. 1. et a. 1. m. 2., Ups., Vrat., plerique Heins. meliores *natos*. Reliqui *natam*.

163. *In summa generis humani corruptione Lycaon Arcas adeo impius fuit, ut ipsi Jovi terras visenti non modo carnes humanas apponeret, sed etiam noctu insidias strueret; quam ob impietatem in lupum mutatus est.* Hyg. F. 176. Apollod. III. c. 8.

163. *Saturnius*. Vid. ad v. 113. *summa arce*, sc. coeli. Conf. II, 306.

164. *facto-recenti*, cum factum adhuc recens esset. — *referens*, animo repetens, recordans.

165. *Lycaoniae mensae*. Conf. XV, 26.

166. *ingentes animo et dignas Jove*. Vat., Berol., Gal., et vett. edd. *ingentes animo dignas Jove*, unde Heinsius eleganter conjecit *ing. animo et dignas Jove*. Reliqui codd. *ing. animos, dignas Jove*. — 167. *tenuit*, retinuit. XII, 10. Rhen. et ed. Ven. 2. *consiliumque*. Conf. Virg. Aen. X, 2. De codd. Heins. nihil liquet. — 169. *nomen lactea*. Conf. VI, 400. XV, 740. Dicere etiam poterat, *quae lactea nomen habet*. Sed cf. IV, 433.

170. *magni Tonantis*. Cf. II, 466.

172. *celebrantur*, frequenter adeuntur, ut patriciorum et nobilium atria a clientibus; nam Romanorum mores ob oculos habet poeta.

173. *plebs*. Dividebantur di in deos majorum et minorum gentium. Vid. v. 595. Ib. v. 81. *Vos quoque plebs superum, Fauni Satyrique Lareseque Fluminaque et Nymphae, semideumque genus.* — Hamb., unus Ambr. et unus Medic. *habitant*. Vid. ad v. 142. — *diversa locis*. Vid. ad v. 40.

174. *penates* h. l. simpliciter pro domibus. Conf. v. 773.

176. Respicit Palatinum montem sive Palatium, in quo Augusti domus et summorum deorum templa erant. Suet. Oct. c. 72. Cf. Trist. III, 1, 35 sqq. — II Bersm., Berol., Dresd., Joan., Ups., Vrat. et plurimi Heins. *palatia regis*.

177. *ergo* post digressionem revocat lectorem ad sententiam abruptam, h. l. ad v. 166. — *recessu*, interiori domo. VIII, 590. VII, 670. XIV, 261.

Caesariem, cum qua terram, mare, sidera movit.
Talibus inde modis ora indignantia solvit:
„Non ego pro mundi regno magis anxius illa
Tempestate fui, qua centum quisque parabat
Injicere anguipedum captivo brachia coelo.
Nam quanquam ferus hostis erat, tamen illud ab uno
Corpore et ex una pendebat origine bellum.
Nunc mihi, qua totum Nereus circumsonat orbem,
Perdendum est mortale genus. Per flumina juro
Infera, sub terras Stygio labentia luco,
Cuncta prius tentata: sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.
Sunt mihi semidei, sunt rustica numina, Nymphae
Faunique Satyrique et monticolae Silvani;
Quos quoniam coeli nondum dignamur honore,
Quas dedimus, certe terras habitare sinamus.
An satis, o superi, tutos fore creditis illos,
Cum mihi, qui fulmen, qui vos habeoque regoque,
Struxerit insidias, notus feritate Lycaon?“
Confremuere omnes, studiisque ardentibus ausum
Talia deposcunt. Sic, cum manus impia saevit
Sanguine Caesareo Romanum extinguere nomen,
Attonitum tanto subitae terrore ruinae

180. ***cum qua*** h. e. et una cum ea. Cf. VIII, 604. 782. Expressum ex Hom. Il. I, 529.

ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο· μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

Cf. Met. VIII, 784. — Unus Heins. ***parabant***. — ***ora solvit***. Cf. IX, 427. et XIII, 127. — 182. ***anxius pro***. Conf. IX, 107. — 183. Junge: ***qua quisque anguip. parabat centum brachia captivo*** (obsesso s. incluso) ***coelo injicere***. De anguip. vid. v. 151. Trist. IV, 7, 17. ***serpentipedesque Gigantas***.

187. ***Nereus*** deus marinus, inde pro ipso mari et oceano. Hujus e Doride, Oceani nata, filiae L erant Nereides, in quibus Thetis mater Achillis. Hes. Th. v. 240. — IV Heins. ***circumtonat***.

189. ***Stygio***. Vid. v. 139.

190. ***tentata***. Ita unus Medic. Reliqui omnes ***tentanda***. Sed prius poscit sententia. — 191. ***trahatur***, corripiatur, inficiatur. II, 825. ***sincera***, integra, illaesa. XII, 100. Flor. et unus Ambr. ***est*** omittunt. — 192. Variant h. l. veteres libri. Unus Maff. et vett. edd., principe excepta: ***Fauni Et Nymphae Satyrique et***. Dresd. ***Fauni Nymphaeque et Satyri et***. Bersm. 3. ***Fauni Nymphaeque Satyrique et***. Rhen. ***Nymphae Et Fauni Satyrique et***. Ed. pr. ***Nymphae Sunt Fauni Satyrique et***. Berol., Gal., Fr. Klein, Vrat. et Lips. 2. ***Nymphae Faunique et Satyri et*** (Vrat. ***Satyrique et***). II Bersm., Briant., Ern., Goth. 1. 2., alter Maff., III Vat. Ciof.: ***Nymphae Faunique Satyrique et***, quod Heinsius tacite edidit, et sine dubio etiam in multis codd. suorum reperit.

Que h. l. in arsi productum est, ut III, 530. IV, 10. VII, 265. — ***Fauni*** semidei silvestres, cornibus hircinis et parva cauda. ***Satyri*** semidei agrestes capripedes. ***Silvanus*** deus silvarum, agrorum et pecorum.

199. ***confremuere***. Ita III Bersm., II Sulm. Ciof., Abb., Ern., Domin., Farn., Joan., unus Vat. Ciof., Dresd., Gal., Goth. 1. et a 1. m. 2., Fragm. Klein., Pal. 2., Rhen., Ups., Vrat., plurimi Heins. et vett. edd., quae scriptura illis ***attonitum terrore — est***, et ***totusque perhorruit orbis*** apte respondet. Vulg. ***confremuere***. Vid. 206.

200. ***Caesareo***, Caesaris. ***manus impia***, sexaginta illi, qui C. Cassio, M. et D. Brutis principibus contra vitam Caesaris conspirarant. Suet. Caes. c. 80.

202. ***tanto subitae***. Bersm., Berol., Pal. 2., Rhen. et ed. pr. ***tantae subito***. Illa ***humanum genus*** et ***totus orbis*** cum rhetorica exaggeratione dicta sunt.

Humanum genus est, totusque perhorruit orbis;
Nec tibi grata minus pietas, Auguste, tuorum,
Quam fuit illa Jovi. Qui postquam voce manuque
Murmura compressit, tenuere silentia cuncti.
Substitit ut clamor, pressus gravitate regentis,
Jupiter hoc iterum sermone silentia rupit:
„Ille quidem poenas-curam hanc dimittite-solvit;
Quod tamen admissum, quae sit vindicta, docebo.
Contigerat nostras infamia temporis aures;
Quam cupiens falsam, summo delabor Olympo
Et deus humana lustro sub imagine terras.
Longa mora est, quantum noxae sit ubique repertum,
Enumerare: minor fuit ipsa infamia vero.
Maenala transieram, latebris horrenda ferarum,
Et cum Cyllene gelidi pineta Lycaei;
Arcados hinc sedes et inhospita tecta tyranni
Ingredior, traherent cum sera crepuscula noctem.
Signa dedi venisse deum, vulgusque precari
Coeperat; irridet primo pia vota Lycaon,
Mox ait „„Experiar, deus hic, discrimine aperto,
An sit mortalis, nec erit dubitabile verum.““
„Nocte gravem somno necopina perdere morte
Me parat: haec illi placet experientia veri.
Nec contentus eo missi de gente Molossa
Obsidis unius jugulum mucrone resolvit,
Atque ita semineces partim ferventibus artus
Mollit aquis, partim subjecto torruit igni.
Quos simul imposuit mensis, ego vindice flamma
In dominum dignosque everti tecta Penates.
Territus ipse fugit, nactusque silentia ruris
Exululat frustraque loqui conatur: ab ipso

204. *tuorum*, populi Romani Caesaris necem vindicantis. — Vett. libri Ciof., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 2., Vrat. et ed. pr. *tuorum est*. Vulgo *est* abest. Heinsius tacet. *Jahn.* — 207. *substitit*, cessavit. XII, 147. — 208. Rhen. *rumpit*. Reliqui omnes *rupit*. — 209. *dimitt*. Cf. XIII, 217. — 210. *admissum*, crimen, scelus. XI, 380. — 212. *delabor*. Cf. v. 608. XIV, 821. 838.

213. *humana - sub imagine*. Conf. VIII, 627. II, 804. XI, 202.

214. *longa mora est*. Conf. V, 207. 463. — 216. *Maenalus* s. *Maenala*, *Cyllene* s. *Cyllenus* et *Lycaeus* sunt montes Arcadiae. — 217. plerique codd. *spineta*. Male. — 218. *Arcados tyranni*, Lycaonis. V. 163.

223. *dubitabile*, a Nasone ut videtur novata vox. Cf. v. 16. — 226. *Molossi*, gens Epiri. — Gal., Goth. 1., Fr. Klein, Pal. 2., Rhen., Vrat. et edd. Venn. *eo est*. Reliqui Jahni codd. *est* omittunt, quod Heinsius, de cujus tamen codd. nil constat, primus ejecit. — 229. *torruit*, sc. veru. *Igni*, quod Heinsius tacite edidit, confirmant Goth. 1., Guelf., Rhen., Vrat. et vett. edd. — Cod. Bersm., Dresd., Gal., Goth. 2., Long., Fr. Klein et Lips. 2. *igne*. De reliquis codd. tacent. *Jahn.* — 231. Vulg.: *in dominum dignos ev. t. p.* Male. Exc. Mon. et unus Sulm. Ciof. *in domino dignos e.* III Bersm., Dom., Dresd., Goth. 1., Guelf., Pal. 2., Vrat. et plerique Heins. *in dominum dignosque*. Conf. XI, 555.

232. *ipse*. II Bersm., Dresd., Goth. 1. 2. et Vrat. *ille*, quod Heinsius tacite edidit. Sed codd. plerique omnes et vett. edd. *ipse*. — 233. *ab ipso:* nam feritatem jam ante in se habuerat, unde explicandi caussa additur *solitaeque cup. e.* Conf. IV, 781. Goth. 1. et unus Sulm. Ciof. *ab ille*.

Colligit os rabiem, solitaeque cupidine caedis
Vertitur in pecudes; et nunc quoque sanguine gaudet.
In villos abeunt vestes, in crura lacerti;
Fit lupus, et veteris servat vestigia formae:
Canities eadem est, eadem violentia vultus,
Idem oculi lucent, eadem feritatis imago est.
Occidit una domus; sed non domus una perire
Digna fuit: qua terra patet, fera regnat Erinnys;
In facinus jurasse putes. Dent ocius omnes,
Quas meruere pati - sic stat sententia - poenas."
Dicta Jovis pars voce probant stimulosque frementi
Adjiciunt; alii partes assensibus implent.
Est tamen humani generis jactura dolori
Omnibus, et, quae sit terrae mortalibus orbae
Forma futura, rogant; quis sit laturus in aras
Tura? ferisne paret populandas tradere terras?
Talia quaerentes - sibi enim fore cetera curae -
Rex superûm trepidare vetat, sobolemque priori
Dissimilem populo promittit origine mira.
Jamque erat in totas sparsurus fulmina terras;
Sed timuit, ne forte sacer tot ab ignibus aether
Conciperet flammas, totusque ardesceret axis.
Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus correptaque regia coeli
Ardeat et mundi moles operosa laboret.
Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum:
Poena placet diversa, genus mortale sub undis

234. *colligit*, ut v. 166. *concipit*.

235. *vertitur*. Cod. Bersm., Dom., unus Vat. Ciof., Berol., Gal., Goth. 1. 2., Rhen., III Pal. Gebh., multi vett. Heins. et ed. pr. *vertitur*. Unus Heins. *mittitur*. Reliqui *utitur*. — 236. *abeunt*, transeunt, mutantur. XI, 653.

238. *eadem*, sc. quae ante fuerat. Uterque Erf., unus Leid., Pal. 2. et Goth. 2. *vultu*, quod temere recepit Heinsius. Vid. ad XIV, 371. XIII, 494. 853. 875. — 239. *imago est*. Cod. Bersm., Dresd., Gal., Goth. 1. 2., Pal. 2., a 2. m., Rhen. et ed. pr. *est* omittunt, quod tacite Heinsius delevit; sed *feritatis imago* non commode illi *lucent* jungitur, et potior codicum pars habet *imago est*.

240. *Digna* cum inf., ut passim apud poetas. VIII, 127.

241. *Erinnys*, Furia, dea furoris, item ultionis et poenarum. Erant tres, Tisiphone, Alecto et Megaera. XI, 14.

244. *frementi*. Alter Bersm. et Pal. 2 *furenti*, quod temere induxit Heinsius. *Plerique (?) Heinsii trementi*. Reliqui *libri omnes frementi*. *Conf.* v. 299.

247. *mortalibus orbae*, si mortalibus orba sit.

249. Erf. et IV Heins. *gentes*.

253. *Narratur quo pacto omnes homines et animantes terrestres diluvio deleti, et genus humanum mutatis lapidibus in homines reparatum sit*. Hyg. F. 153. Apollod. III. c. 8.

254. *sacer aether*, quia sedes deorum.

255. *axis* pro coelo. Guelf., Pal. 2., Rhen., Goth. 2. pro v. l. et meliores (?) Heins. *longusque*. Vulg. *totusque*.

258. *operosa*, multi operis. XV, 667. *templa operosa*. — *laboret* pro pereat. — Unus Sulm. Ciof., unus Maff., II Medic., Arg., Cant., Flor., Gal., Pal. 2. et alii Heins. *obsessa*. — *mundi*, universi. Antea partes mundi nominavit, nunc ponit universum. Lucr. V, 96. *multosque per annos Sustentata ruet moles et machina mundi*.

259. Cyclopes gigantes, filii Coeli et Telluris, uno oculo in media fronte, qui in Siciliae litore haud procul ab Aetna habitasse et quorum tres Vulcani ministri in fabricandis fulminibus fuisse fingantur. III, 305.

Perdere et ex omni nimbos dimittere coelo.
Protinus Aeoliis Aquilonem claudit in antris
Et quaecumque fugant inductas flamina nubes,
Emittitque Notum. Madidis Notus evolat alis,
Terribilem picea tectus caligine vultum;
Barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis,
Fronte sedent nebulae, rorant pennaeque sinusque.
Utque manu late pendentia nubila pressit;
Fit fragor, et densi funduntur ab aethere nimbi.
Nuntia Junonis, varios induta colores,
Concipit Iris aquas alimentaque nubibus affert.
Sternuntur segetes, et deplorata coloni
Vota jacent, longique perit labor irritus anni.
Nec coelo contenta suo est Jovis ira; sed illum
Caeruleus frater juvat auxiliaribus undis.
Convocat hic amnes; qui postquam tecta tyranni
Intravere sui: „Non est hortamine longo
„Nunc“ ait „utendum: vires effundite vestras, —
Sic opus est — aperite domos, ac mole remota
Fluminibus vestris totas immittite habenas.“
Jusserat: hi redeunt, ac fontibus ora relaxant,
Et defrenato volvuntur in aequora cursu.
Ipse tridente suo terram percussit; at illa
Intremuit motuque vias patefecit aquarum.
Exspatiata ruunt per apertos flumina campos,
Cumque satis arbusta simul pecudesque virosque
Tectaque, cumque suis rapiunt penetralia sacris.
Si qua domus mansit potuitque resistere tanto
Indejecta malo; culmen tamen altior hujus
Unda tegit, pressaeque latent sub gurgite turres.

261. *dimittere*, sc. ut retentum aliquod malum. Deteriores Heins. et ed. Ven. 2. *demittere*. Sed *dimittere* etiam vividius et elegantius est.

262. *Aeolia antra* fuerunt in una e VII insulis Aeoliis, ubi Aeolus ventorum rex ventos clausos tenebat atque temperabat. Hom. Od. XII, 19 sqq. Virg. A. I, 51 sqq. Aquilo autem clauditur, ut nubes dissipans et aëra purgans. Cf. 65. 328.

263. *et quaecunque*, et omnino omnia fl., quae. Conf. XII, 399. — *inductas*. Cf. v. 599. et II, 307. — 264. *Notus*. Vid. v. 66. — 265. *vultum*, accus., qui vocatur Graecus. Vid. ad v. 332. — De *picea caligine* cf. II, 233. — 266. Viv. et nonnulli Heins. *madidis capillis*, ex XI, 656. — 268. *pressit*. XII, 52. Unus Sulm. Ciof., Goth. 2., Lips. 2. et meliores (?) Heins. *lata*, quod perperam recepit Heinsius. — 269. *et densi*. Flor., Neap., Vat. 1., Medic. 2. et Goth. 1. *hinc densi*. — 270. *Iris*, filia Thaumantis, dea *arcus coelestis, ac deorum imprimis Junonis nuntia ac ministra*. IV, 480. XI, 589. Quae etiam cornibus arcus sui aquas haurire fingebatur.

272. Cf. VIII, 291. Berol., Par. 2., Gal., unus Medic. et Neap. *coloni*. Reliqui libri omnes *colonis*, quod etiam Senec. Quaest. N. III. c. 28. confirmat.

273. Heinsius tacite edidit *labor perit*, quod cod. Bersm., Vrat. et ed. pr. comprobant. Reliqui libri cum Seneca: *perit labor*. *Jahn*. — 275. *caeruleus frater*, Neptunus (v. 113.) deus maris, cujus telum et insigne tridens. VI, 75. *caeruleus* ut omnes di aquarum. Cf. 333. II, 12. — 280. *immittite habenas*. Cf. v. 662. — 284. Cod. Bersm., Erf. 2. et unus Leid. *sinus*, ex interpretamento.

289. „*potuitque resistere tanto malo, indejecta*“ s. quin proroueretur, collaberetur. Conf. II, 605.

290. *latent*. Seneca Q. N. III. c. 28. *labant*. Sed omnes codd. et vett. edd. *latent*, quod unice convenit illi *pressaeque*.

Jamque mare et tellus nullum discrimen habebant:
Omnia pontus erant; deerant quoque litora ponto.
Occupat hic collem; cymba sedet alter adunca
Et ducit remos illic, ubi nuper ararat;
Ille super segetes aut mersae culmina villae
Navigat; hic summa piscem deprendit in ulmo.
Figitur in viridi, si fors tulit, ancora prato,
Aut subjecta tegunt curvae vineta carinae;
Et, modo qua graciles gramen carpsere capellae,
Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocae.
Mirantur sub aqua lucos urbesque domosque
Nereïdes, silvasque tenent delphines et altis
Incursant ramis agitataque robora pulsant.
Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones,
Unda vehit tigres, nec vires fulminis apro,
Crura nec ablato prosunt velocia cervo,
Quaesitisque diu terris, ubi sistere possit,
In mare lassatis volucris vaga decidit alis.
Obruerat tumulos immensa licentia ponti,
Pulsabantque novi montana cacumina fluctus.
Maxima pars unda rapitur; quibus unda pepercit,
Illos longa domant inopi jejunia victu.
Separat Aonios Oetaeis Phocis ab arvis,
Terra ferax, dum terra fuit, sed tempore in illo
Pars maris et latus subitarum campus aquarum.
Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus,
Nomine Parnasus, superatque cacumine nubes.
Hic ubi Deucalion - nam cetera texerat aequor -
Cum consorte tori parva rate vectus adhaesit;
Corycidas Nymphas et numina montis adorant

292. Berol., Dresd., Goth. 2., meliores Heins. *erant*, quod poscit sententia. Reliqui libri et Senec. l. l. III. c. 27. *erat*. Conf. XI, 83. et XV, 529.

295. *super*. Goth. 2., Rhen. et ed. Ven. 2. *supra*, quod tacite edidit Heinsius. — 297. *si fors*. Alter Bersm., Gal., Goth. 1. 2., Rhen., Vrat. et ed. pr. *si f.*, quod Heinsius tacite recepit. Sulm. Ciof., Cael., Joan. et nonnulli Ciof. *sic fors*. Cod. Bersm., Berol., Dresd. et Lips. 2. *si sors*. Vulg. *sic sors*.

298. *tegunt*. Goth. 2. a 2. m., Lips. 2., Vrat. *terunt*. Ciof. et Heinsius tacent. *Jahn*.

300. Virg. G. IV, 395. *turpes phocas*.

302. *Nereïdes*. Vid. ad v. 187.

303. *agitata robora pulsant*, agitant et pulsant. Conf. III, 76. IV, 802.

305. *fulm*. X, 550. VIII, 289. Fast. II, 232. — 306. *ablato*, sc. fluctibus, IV, 626. V, 502.

307. *sistere possit*. Medic. 2. *sidere*, quod hac auctoritate recipere non debebat Heinsius. Med. 1., Bon. et unus Pal. *sistere detur* e Virg. A. III, 7.; cod. Bersm., Dresd., Gal. et Vrat. *sistere posset*. Reliqui *sistere possit*. — 313. *Phocis* regio Graeciae inter Boeotiam [nam *Aonia* vetus nomen Boeotiae] et Oetam Thessaliae montem. Strab. IX. Sed vett. libri omnes *Actaeis* q. e. Atticis, non *Oetaeis*, ex ignorantia ut videtur librariorum. — 315. *subitarum*. III, 122. V, 560. — 316. *Parnasus* sive *Parnasus* mons Phocidis, duobus verticibus eminens: in quo antrum Corycium (Herodot. VIII. c. 36. Strab. IX. Apoll. Rh. II, 713.) et ad cujus radices urbs Delphi sita erat. — 319. *adhaesit*. Senec. N. Q. III. c. 27. de diluvio: *Editissimis quibusque adhaerebant reliquiae generis humani*.

320. Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2., meliores (?) Heins. *adorant*. Reliqui omnes *adorat*, quod revocandum videtur, quia singularis *adhaesit* in protasi praecedit. Conf. IV, 735. XI, 114.

Fatidicamque Themin, quae tunc oracla tenebat.
Non illo melior quisquam nec amantior aequi
Vir fuit, aut illa metuentior ulla deorum.
Jupiter ut liquidis stagnare paludibus orbem,
Et superesse videt de tot modo millibus unum,
Et superesse videt de tot modo millibus unam,
Innocuos ambos, cultores numinis ambos;
Nubila disjecit, nimbisque aquilone remotis
Et coelo terras ostendit et aethera terris.
Nec maris ira manet, positoque tricuspide telo
Mulcet aquas rector pelagi, supraque profundum
Exstantem atque humeros innato murice tectum
Caeruleum Tritona vocat, conchaeque sonanti
Inspirare jubet fluctusque et flumina signo
Jam revocare dato. Cava buccina sumitur illi
Tortilis, in latum quae turbine crescit ab imo,
Buccina, quae medio concepit ubi aëra ponto,
Litora voce replet sub utroque jacentia Phoebo.
Tunc quoque, ut ora dei madida rorantia barba
Contigit et cecinit jussos inflata recessus,
Omnibus audita est telluris et aequoris undis,
Et quibus est undis audita, coërcuit omnes.
Jam mare litus habet, plenos capit alveus amnes,
Flumina subsidunt collesque exire videntur,
Surgit humus, crescunt loca decrescentibus undis,

321. Ante Apollinem (v. 515.) Themis Aetheris et Telluris filia, justitiae praeses, oraculum Delphicum tenuisse traditur. Apollod. I. c. 4. Lucan. V, 81. Rhen. et Cant. *nunc.* — 323. *metuentior.* Cod. Bersm., Ern., Gal., Goth. 2. a 2. m., Joan., Maff. 1. 2., Rhen. et meliores Heinsii cum ed. pr. *metuentior.* Vulg. *reverentior.* Fast. V, 259.

— — *quo non metuentius ullum Numinis ingenium terra Sabina tulit.* Phaedr. I, 16, 4. *praemetuens doli.* Ov. Met. V, 100. *aequi cultor timidusque deorum.* Multi codd. *dearum.*

325. Cod. Bersm., unus Cael., Ern., unus Sulm. et II Vat. Ciof. et meliores (?) Heins. *et superesse videt.* Vulg. *virum.* Male. Omnis vis posita est in mascul. *unum* et fem. *unam*, et in deliciis habet Naso sic totorum versiculorum aut partis repetitiones. Conf. IX, 488. 489. VI, 15. 16. 419. 420. VIII, 630. 631.

328. *aquilone*, ope aquilonis. Vid. v. 262. et VI, 690. — 330. *tricuspide telo.* Vid. ad v. 275. Val. Flacc. I, 642. *trifida hasta.* — 332. *innato murice*, innatis conchis. Conf. IV, 725.

333. *Triton* Neptuni f. et praeco sive tubicen, qui loco buccinae *concha* utebatur. Viv. et exc. Cal. *sonaci*, quod male edidit Heinsius. Vid. ad 91. — Goth. 1., Rhen., Ups., Stroz., Par. 1. pro v. l., quidam Heins. et ed. pr. *conchaeque.* Vulg. *conchaque*, quod vix Latinum videtur. — De repetitione illa verbi *buccina* v. 335. 337. vid. ad v. 639.

337. *concepit*, in se recepit, q. e. inflata est. Conf. XII, 569. Vulgo *quae in medio.* Sed cod. Bersm., Berol., Dresd., Gal., Goth. 1. 2., Joan., Pal. 2., Rhen., Lips. 2., Ups., unus Vat. Ciof., Vrat., potiores Heinsii et ed. pr. *in* omittunt. Dresd., Goth. 2. et IV Heins. *ut aëra.*

338. *sub utroque*, h. e. oriente et occidente. Conf. XV, 829. *Phoebus*, sol. I, 10. Conf. XI, 594.

339. *tunc.* Ita cod. Bersm., Dresd. et Gal. Reliqui libri omnes *tum.*

340. *recessus.* Par. 2., exc. Cal., Lang., Pal. 2. et pro v. l. Leid. *receptus.* Reliqui omnes *recessus*, quod revocavi. Altera scriptura perparvam habet auctoritatem veterum librorum, et librariis originem debere videtur, qui poetam h. l. nonnisi vulgari modo loqui potuisse putarent.— 344. *collesque.* Ita cod. Bersm., Berol., Dresd., Gal., Goth. 2., Pal. 2., Rhen., Vrat., plurimi Heins. et vett. edd. Heinsius *que* prave delevit, quod pauci codd. et vulg. non habent.

Postque diem longam nudata cacumina silvae
Ostendunt limumque tenent in fronde relictum.
Redditus orbis erat. Quem postquam vidit apertum,
Et desolatas agere alta silentia terras;
Deucalion lacrimis ita Pyrrham affatur obortis:
„O soror, o conjux, o femina sola superstes,
Quam commune mihi genus et patruelis origo,
Deinde torus junxit, nunc ipsa pericula jungunt,
Terrarum, quascumque vident occasus et ortus,
Nos duo turba sumus: possedit cetera pontus.
Nunc quoque adhuc vitae non est fiducia nostrae
Certa satis: terrent etiam nunc nubila mentem.
Quid tibi, si sine me fatis erepta fuisses,
Nunc animi, miseranda, foret? quo sola timorem
Ferre modo posses; quo consolante doleres?
Namque ego, - crede mihi - si te quoque pontus haberet,
Te sequerer, conjux, et me quoque pontus haberet.
O utinam possem populos reparare paternis
Artibus, atque animas formatae infundere terrae!
Nunc genus in nobis restat mortale duobus - :
Sic visum superis, - hominumque exempla manemus.“
Dixerat et flebant. Placuit coeleste precari
Numen, et auxilium per sacras quaerere sortes.
Nulla mora est: adeunt pariter Cephisidas undas,
Ut nondum liquidas sic jam vada nota secantes.

346. Gal., Lips. 2. et plurimi Heins. *longum*. — 348. *redditus orbis erat*, sc. qui modo undis tectus fuerat. Cod. Bersm., Gal. et ed. pr. *inanem* pro *apertum*. Perperam. — 350. Codd. Ciof., Goth. 1., Lips. 2. et vett. edd. *abortis*. Heinsius tacet. Vulg. *obortis*.

352. *patruelis origo*. Iapeti filii fuere Prometheus et Epimetheus. Prometheo ex Pandora natus Deucalion. Epimethei filia fuit Pyrrha. Hinc intelligitur *sororis* vocabulum h. l. esse pro *sorore patrueli* sive filia patrui, ut *frater* XIII,30.

355. *nos duo turba sumus*. Conf. VIII, 638. — 356. Medic. 2., Goth. 2., Rhen., V Heins. et ed. pr. *nunc quoque*. Vulg. *haec q.* — 358. 359. *quid — animi*. Codd. Ciof. exceptis uno Vat., Joan., Abb. et Briant., unus Voss. et unus Heins. *quid animi*. Bona locutio, atque ita legitur etiam V, 626. VII, 582. XIV, 177. Nec tamen negligendum est, plus XX locis, ut h. l., longe plurimos codd. et vett. edd. exhibere *quis animus, quem animum*, quibus locis omnibus Heinsius substituit *quid animi*. Vid. not. ad Trist. III, 3, 5.

360. *quo consolante doleres*, i. e. quis te dolentem consolatione erigeret? *Gier.* De hac oratione vid. Virg. A. I, 8 sqq. et Hor. Od. III, 19, 7. — Scripturam *doleres* confirmant etiam cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat. a rec. m., plurimi Heins. et ed. pr. — Pal. 2. *laborem*. Gal. *dolorem*. Vulg. *dolores*. — 361. Nonnulli Heinsii *si te modo*, quod temere recepit Heinsius. De repetitione illa conf. v. 325. 326. III, 611. 612.

363. *possem*. Rhen. et nonnulli Heinsii *possim*. Conf. XV, 495. V, 344. et VII, 519. Trist. I, 9, 3. ubi vid. not. — De *paternis* vid. ad v. 82. et 352.

366. *exempla*, species, exemplaria, quibus cognosci genus humanum possit. — Vulg. *sic visum est*. Sed Dresd., Gal., Rhen. et optimi Heins. *est* omittunt.

368. *per sacras sortes*, per oracula: oracula enim antiquitus per sortes, *ψήφους*, edebantur. Cic. de Div. II. c. 33.

369. *Cephisus*, fluvius Phocidis. Strab. IX. c. 2. — 370. *ut - sic*. Conf. v. 404. XIV, 409. Sed hanc optimam et, ut videtur, genuinam scripturam nullus servavit codex praeter Rhen. *Ut nondum* exhibent praeterea Thu., Berol., Gal., Rhen. et Lips. 2. et *sic jam* exhibet etiam unus Medic. Reliqui codices et vett. editiones omnes *et nondum . . sed jam*, quae minime convenit sententiae naturae. Dresd.

Inde ubi libatos irroravere liquores
Vestibus et capiti; flectunt vestigia sanctae
Ad delubra deae, quorum fastigia turpi
Pallebant musco, stabantque sine ignibus arae.
Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque
Pronus humi gelidoque pavens dedit oscula saxo,
Atque ita „Si precibus“ dixerunt „numina justis
„Victa remollescunt, si flectitur ira deorum;
Dic, Themi, qua generis damnum reparabile nostri
Arte sit, et mersis fer opem, mitissima, rebus.“
Mota dea est, sortemque dedit: „Discedite templo,
„Et velate caput cinctasque resolvite vestes,
Ossaque post tergum magnae jactate parentis.“
Obstupuere diu, rumpitque silentia voce
Pyrrha prior jussisque deae parere recusat,
Detque sibi veniam, pavido rogat ore, pavetque
Laedere jactatis maternas ossibus umbras.
Interea repetunt caecis obscura latebris
Verba datae sortis secum inter seque volutant.
Inde Promethiades placidis Epimethida dictis
Mulcet et „Aut fallax“ ait „est sollertia nobis,
„Aut pia sunt nullumque nefas oracula suadent.
Magna parens terra est, lapides in corpore terrae
Ossa reor dici: jacere hos post terga jubemur.“
Conjugis augurio quanquam Titania mota est,
Spes tamen in dubio est, adeo coelestibus ambo
Diffidunt monitis. Sed quid tentare nocebit?

a corr., Ups. et nonnulli Heinsii *sequenta*. Perperam. Reliqui omnes *secantes*.

371. *inde - capiti*, ex solemni usu lustrationis. Vid. VII, 190. Virg. A. II, 719. et VI, 229. Scripturam *sanctae* confirmant et sensus et cod. Abb., Dresd., Gal., Goth. 1. 2., Berol., Joan., Rhen., Lips. 2., unus Sulm., unus Vat. Ciof. et ed. pr. Vulgo *sacrae*. Heinsius de suis codd. tacet.

373. *deae*, Themidis. Vid. 321.

374. *pallebant*. *Pallere* etiam de livido colore dicitur, qui situ vel humore contractus est et opponitur nitido et candido. Vid. Gesn. ad Quint. inst. or. I. c. 11. §. 18. Scripturam recentiorum editionum *squalebant* nulli codd. agnoscunt. Virg. Cul. 142. *viridi pallore corymbi*.

380. *mersis rebus*, merso undis orbi.

382. *velate caput*, ut ad rem sacram faciendam. Virg. A. III, 405.

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat et omina turbet.

Vid. ibi Heyn. — Unus Mor., Dresd. et II Heins. *recingite*, e v. 398.

384. III Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 2., Vrat. et vett. edd. *rupitque*. — 386. *detque sibi veniam* deprecantis est. XI, 131.

387. *laedere jactatis etc.* Summae impietatis habebatur, mortuorum ossa movere aut laedere. — 388. *caecis obscura latebris*. Conf. II, 1. III, 407. VII, 409. — Cael., Goth. 1. et a 1. m. 2., unus Sulm. Ciof., Par. 1., Thu. et Urs. *caecisque*. — 390. Vulgata *Promethides*, a *Prometheus* ut *Oenides* ab *Oeneus*. Cod. Bersm., Viv., plerique Ciof., Dresd., Goth. 2., Par. 1. 2., et plerique (?) Heins. *Promethiades*. Vid. etiam Priscian. II. c. 7. — Unus Sulm. et nonnulli alii Ciof., Berol., Dresd., Pal. 2., Par. 1. 2., Rhen., Vrat. et omnes fere Heins. *hinc*. — 392. *aut pia sunt*, h. e. aut nihil continent, quod pietatem ac religionem laedat. — 395. *augurio*, interpretatione oraculi. — *Titania* est Pyrrha ut neptis Iapeti (v. 82. 352.), qui fuit e Titanibus. Apollod. I. c. 1.

397. *nocebit*. Ita Goth. 1., Par., Rhen.,

Discedunt, velantque caput tunicasque recingunt,
Et jussos lapides sua post vestigia mittunt.
Saxa - quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas? -
Ponere duritiem coepere suumque rigorem,
Mollirique mora mollitaque ducere formam.
Mox, ubi creverunt naturaque mitior illis
Contigit, ut quaedam sic non manifesta videri
Forma potest hominis, sed, uti de marmore coepta,
Non exacta satis rudibusque simillima signis.
Quae tamen ex illis aliquo pars humida suco,
Et terrena fuit, versa est in corporis usum;
Quod solidum est flectique nequit, mutatur in ossa;
Quae modo vena fuit, sub eodem nomine mansit.
Inque brevi spatio superorum numine saxa
Missa viri manibus faciem traxere virorum,
Et de femineo reparata est femina jactu.
Inde genus durum sumus experiensque laborum,
Et documenta damus, qua simus origine nati.
Cetera diversis tellus animalia formis
Sponte sua peperit, postquam vetus humor ab igne
Percaluit solis, coenumque udaeque paludes
Intumuere aestu, fecundaque semina rerum
Vivaci nutrita solo, ceu matris in alvo,
Creverunt faciemque aliquam cepere morando.
Sic ubi deseruit madidos septemfluus agros
Nilus et antiquo sua flumina reddidit alveo,

meliores Heins. et edd. Venn. Reliqui *nocebat*. — 398. *discedunt*, sc. delubris. Cod. Bersm., Dresd., Flor., Pal. 1. et IV Heins. *descendunt*, quod recipere in textum non debebat Heinsius. Supra praecessit *discedite templo*. Cf. III, 14. — 399. *jussos lapides*, ut *jussos dentes* III, 105. — 401. Gal., Goth. 1., Bersm., Dresd., Par. 2. et Lips. 2. *duritiam*. — 402. *mollirique mora*. Conf. v. 421. De illo *ducere formam* conf. v. 412. De illo *molliri mollitaque* conf. v. 33. VIII, 474. 651. 652. IX, 504. — 404. *ut-sic*. Vid. v. 370. — 405. Pal. 1. *coepto*, quod temere recepit Heinsius.

406. *exacta*, perfecta. De illo *rudibus* conf. v. 87. et de *signis* III, 419.

408. *corporis*. *Corpus* h. l. opponitur ossibus et *carnes* significat. Vid. ad VII, 291. De oratione *in corporis usum* pro *in corpus* conf. VIII, 246. XIV, 553.

410. *quae modo*. Quod Heinsius novavit *quod modo*, nullis codd. confirmatur. Par. 1. 2. *quae vero*.

411. *numine*, vi et potestate, idque efficacius quam V Heins. codicum *munere*. *Gierig*.

412. *virorum*. Dresd., unus Mediol. et unus Heins. *virilem*, quod temere recepit Heinsius. De illo *faciem traxere* vid. v. 402. III, 399. 482. II, 236. XI, 305. Conf. VII, 289. Unus Vat. Ciof. et unus Heins. *faciem cepere*, e v. 421.

414. *inde genus durum sumus*. E Virg. G. I, 61.

— *quo tempore primum*
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem,
Unde homines nati, durum genus.

Conf. Apollod. I. c. 7. §. 6.

416. *Post diluvium e coeno et humore, calore solis temperato, nata sunt animalia terrestria, in quibus Python immanis serpens, quo obtruncato Apollo Pythius cognominatus est et ludos Pythios instituit*. Conf. Lucret. V, 793 - 815. et vid. Apollod. I. c. 4. Hyg. F. 140.

417. *Vetus humor*, aqua ab eluvione in locis depressis relicta. *Gier*.

420. *vivax*, quod vim vitalem continet.

422. *septemfluus — Nilus*. Vid. V, 187. Virg. Aen. VI, 801. *septemgeminus*. — 423. *alvēo* per synizesin. Conf. v. 77. VI, 113. 635.

Aetherioque recens exarsit sidere limus;
Plurima cultores versis animalia glebis
Inveniunt, et in his quaedam modo coepta per ipsum
Nascendi spatium, quaedam imperfecta suisque
Trunca vident numeris, et eodem in corpore saepe
Altera pars vivit, rudis est pars altera tellus.
Quippe ubi temperiem sumsere humorque calorque,
Concipiunt, et ab his oriuntur cuncta duobus;
Cumque sit ignis aquae pugnax, vapor humidus omnes
Res creat, et discors concordia fetibus apta est.
Ergo ubi diluvio tellus lutulenta recenti
Solibus aetheriis altoque recanduit aestu;
Edidit innumeras species, partimque figuras
Retulit antiquas, partim nova monstra creavit.
Illa quidem nollet, sed te quoque, maxime Python,
Tum genuit, populisque novis, incognite serpens,
Terror eras: tantum spatii de monte tenebas.
Hunc deus arcitenens, et nunquam talibus armis
Ante nisi in damis capreisque fugacibus usus,
Mille gravem telis, exhausta paene pharetra,
Perdidit effuso per vulnera nigra veneno.
Neve operis famam posset delere vetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomiti serpentis nomine dictos.
His juvenum quicumque manu pedibusve rotave

424. *aetherio — sidere.* Cf. 435. *solibus aetheriis.* Berol., Dresd., Gal., Goth. 1. et vett. edd. *aethereoque.*

426. *per ipsum — spatium* h. e. *in ipso — spatio.* Alter Bersm., exc. Cal., Leod. *sub ipsum*, quod sine idonea causa recepit Heinsius. Pro vulg. *modo coepta* cod. Raph. Regii, II Bersm., Berol., pro v. l. Gal., Goth. 1. 2., Par. 1. et pro v. l. 2., Rhen., Ups., Vrat. et multi Heins. *modo nata*, quod pugnat cum illis *per ipsum nascendi spatium.*

428. *numeris*, membris, partibus, quarum certus numerus requiritur, ut corpora sint completa atque perfecta. VII, 126. Atque eam scripturam tuentur meliores Heinsii, Vrat. et pro v. l. Pal. 4. Gebhardi. Nam vulg.: *humeris.* Scripturam *in corp.* confirmant III Bersm., Berol., Dresd., Gal., Goth. 1., Rhen., Lips. 2., Ups., Vrat., meliores Heins. et ed. pr. Reliqui *in* omittunt. — Mela I. c. 9. de eadem re: *Per humentes campos quaedam non perfecta animalia, sed tum demum accipientia spiritum, et ex parte jam formata, ex parte adhuc terrena visuntur.* Conf. Lucret. V, 838.

430. *ubi temperiem sumsere*, ubi juste temperati sunt. Conf. v. 51.

432. *vapor*, calor. Conf. X, 126.

433. *fetibus*, animalibus procreandis.

435. Bas., Dresd., Gal., Lips. 2., Vrat. et vett. edd. *aethereis.* Cf. 424.

437. *retulit*, reparavit. — *antiquas*, quales ante diluvium fuerant.

439. *incognite.* Par. 2., Neap. et VIII Heins. *incognita*, e vulgari usu et propter v. 447. Post *maxime Python* rectius videtur genus masculinum, quod multo majorem quoque habet auctoritatem vetustatis. Hinc v. 441. revocavi etiam *hunc*, ubi Neap., Medic. 2. et Goth. 2. exhibent *hanc*, quod recepit Heinsius.

441. *deus arcitenens*, Apollo, quem fabula juvenem (vid. 564.) longa coma, arcu et pharetra, atque, ut carminum ac Musarum praesidem, lyra instructum describit. — E vulgari consuetudine dicendi recte h. l. *at nunquam* poni posset; sed vid. XIII, 37. et 451.

442. *in* h. l. locum, ubi? declarat; nam *in*, contra, regit accusat. Cf. IV, 234.

443. *gravem*, oneratam, refertam. Conf. v. 460. — 445. *posset.* Rhen. *possit*, quod temere recepit Heinsius.

447. Meliores Heins. *de domitae.* Berol. *de domiti.* Dresd., Gal., Pal. 2. et Ups. *perdomiti.* Vulg. *perdomitae.*

448. *manu*, pugilatu; *rota*, curru; *pedibus*, cursu.

Vicerat, aesculeae capiebat frondis honorem:
Nondum laurus erat, longoque decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phoebus.
Primus amor Phoebi Daphne Peneïa, quem non
Fors ignara dedit, sed saeva Cupidinis ira.
Delius hunc nuper victo serpente superbus
Viderat adducto flectentem cornua nervo,
„Quidque tibi, lascive puer, cum fortibus armis?“
Dixerat: „ista decent humeros gestamina nostros,
„Qui dare certa ferae, dare vulnera possumus hosti,
Qui modo pestifero tot jugera ventre prementem
Stravimus innumeris tumidum Pythona sagittis.
Tu face nescio quos esto contentus amores
Irritare tua, nec laudes assere nostras.“
Filius huic Veneris „Figat tuus omnia Phoebe,
„Te meus arcus“ ait; „quantoque animalia cedunt
Cuncta tibi, tanto minor est tua gloria nostra.“
Dixit, et eliso percussis aëre pennis
Impiger umbrosa Parnasi constitit arce,
Eque sagittifera promsit duo tela pharetra
Diversorum operum: fugat hoc, facit illud amorem.
Quod facit, auratum est et cuspide fulget acuta;
Quod fugat, obtusum est et habet sub arundine plumbum.
Hoc deus in nympha Peneïde fixit, at illo
Laesit Apollineas trajecta per ossa medullas.

450. 451. His vers. transitum facit ad novam fabulam atque transformationem. Conf. III, 421. — *decentia*, decora. Conf. v. 527.

452. *Daphne, Penei fluvii Thessaliae filia, ab Apolline amata in laurum* (δάφνην) *mutatur.* Hyg. F. 203.

452. De Peneo fluvio vid. ad v. 569.

453. *fors ignara*, f. caeca. Scripturam *fors* exhibent Par. 2., II Cael., Dom., Goth. 1. 2., unus Maff., II Sulm., unus Vat. Ciof. et meliores Heinsii. Vulg. *sors*. — *Cupido* s. Amor, filius Veneris, deus puer, alatus, arcu et pharetra, saepe etiam face instructus fingitur.

454. *victo*. Medic. 1. 2., Par. 2., Neap., Rhen., Lips. 2., Thu. et II Heins. *victa*. Reliqui omnes *victo*, quod non mutandum censeo. Vid. ad v. 439. — *Delius* autem Apollo appellatur, quia in Delo natus erat. Vid. ad VI, 204.

455. *adducto*. Conf. VIII, 52. 357. *Cornua* de arcu ex similitudine. Cf. V, 383. XI, 324.

456. Junge: *et dixerat: quid tibi etc.*

460. *tumidum*, sc. veneno. Conf. III, 33. — 461. *nescio quos*, cum contemtu. XIII, 844.

462. *irritare*. II Bersm., unus Cael., *Jens., unus Maff., Par. 1.*, plerique Viv. et pro v. l. unus Sulm. Ciof. *inflammare*, a librariis, ut videtur, propter illud *face* inventum, uti in Goth. 2. glossae loco legitur. — 465. *cuncta tibi*. Par. 2., unus Voss. et pro v. l. unus Mor. *tibi*, quod certe elegantius est, quam vulg. *deo*. Apollo gloriatus erat, se cuncta animalia domare posse. Respondet Amor: *Figat tuus arcus omnia, te meus arcus*, et quanto animalia cuncta *tibi* cedunt, tanto minor *tua* gloria est *nostrâ*.

466. *percussis pennis*, ut *motis* II, 547. et 719., et *jactatis* II, 835. *Elidere* aëra i. q. alibi *findere, secare*.

467. *Parnasi*. Vid. ad v. 317.

468. *eque*. Ita cod. Bersm., Berol., Rhen., Vrat. a 2. m., praestantiores Heinsii et ed. pr. — Bersm. 2., Dresd., Gal., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Vrat. a 1. m., II Heins. et edd. Venn. *atque*. Vulg. *deque*. *Deque* minus recte dictum est. *Atque*, ut praepositio omittatur, ad sensum recte habet. Sed quum praestantiores Heinsii habeant *eque*, illud retinui.

473. *Apollineas*, ut supra v. 165. *Lycaoniae mensae*, oratio apud Nasonem frequentissima. *medullas* autem dicit, quia poetis intima ignis amoris sedes in ossibus ac medullis est. Conf. II, 410. Virg. A. VIII, 388.

Protinus alter amat; fugit altera nomen amantis,
Silvarum latebris captivarumque ferarum
Exuviis gaudens innuptaeque aemula Phoebes.
Vitta coërcebat positos sine lege capillos.
Multi illam petiere: illa aversata petentes,
Impatiens expersque viri, nemora avia lustrat,
Nec quid Hymen, quid Amor, quid sint connubia curat.
Saepe pater dixit „Generum mihi, filia, debes;“
Saepe pater dixit „Debes mihi, nata, nepotes“ —:
Illa, velut crimen taedas exosa jugales,
Pulchra verecundo suffunditur ora rubore,
Inque patris blandis haerens cervice lacertis
„Da mihi perpetua, genitor carissime,“ dixit
„Virginitate frui: dedit hoc pater ante Dianae.“
Ille quidem obsequitur; sed te decor iste, quod optas,
Esse vetat, votoque tuo tua forma repugnat.
Phoebus amat, visaeque cupit connubia Daphnes,
Quodque cupit sperat, suaque illum oracula fallunt.
Utque leves stipulae demtis adolentur aristis,
Ut facibus sepes ardent, quas forte viator
Vel nimis admovit vel jam sub luce reliquit;
Sic deus in flammas abiit, sic pectore toto
Uritur, et sterilem sperando nutrit amorem.
Spectat inornatos collo pendere capillos,
Et „Quid, si comantur?“ ait. Videt igne micantes
Sideribus similes oculos; videt oscula, quae non

476. *Phoebe* s. *Diana*, dea virgo, venationis praeses. Vid. I, 10. et VII, 94.

477. *vitta coërcebat*, constringebat, sc. ne diffunderentur. *ponere* et *componere capillos* Naso passim in Amor. et Art. A. — 479. *nemora avia*. Cod. Bersm., Gal., Lips. 2., Vrat., unus Sulm. et unus Vat. Ciof., et nonnulli Heins. *nemorum avia*. Sed istorum codd. auctoritas non est tanta, ut optimam reliquorum codicum et vett. edd. scripturam *nemora avia* mutare liceat; nam hujusmodi elisiones nihil ingrati Romanorum auribus habuisse, alio loco exemplis ostendimus. — 480. *Hymen* sive *Hymenaeus* deus nuptiarum. X, 1.

481. 482. *saepe pater dixit*. Vere Ovidiana, sed parum elegans repetitio.

483. *taedae* sive *faces* in nuptiis praeferebantur, quia mos erat, sponsam vesperi deducere. Inde *taedae* pro ipsis nuptiis et conjugio. Conf. IX, 722.

484. *suffunditur*. Ita Pal. 2., Gal., Gron. 1., Erf. 1., Par. 2., Rhen. et II Heinsii. — Dresd., Goth. 2., et Lips. 2. *suffuderat* ex interpretamento. Vulg. *suffundens*, quod etsi ad sensum ferri potest, tamen elegantia scripturae *suffunditur* cedit, quia *ita oratio in infinitum* trahitur. De accusativo *ora* vid. ad v. 332.

486. *da — frui*. *Dare* cum inf. passim. V, 619. XI, 177. XII, 557. Hor. Epist. I, 16, 61.

Da mihi fallere, da justum sanctumque videri.

Ceterum hic versus expressus videtur ex Callim. H. Dian. v. 6., ubi Diana ad Jovem:

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον, ἄππα, φυλάσσειν.

490. *connubia*, *conjugia*, *nuptiae* de deorum amoribus ac nequitiis passim.

491. *quodque*. Dresd., Erf., Pal. 1., Vrat. et nonnulli Heinsii *quaeque*, quod temere recepit Heinsius; IV e melioribus Heins. *quamque*. — Post Themida Apollo oraculum Delphicum tenuit. Inde *sua eum oracula fallunt*.

492. Eadem similitudine utitur VI, 456. — Stipulae autem adoleri solebant ab agricolis, ut vitia agri excoquerentur. Virg. G. I, 85 seqq. Lucret. V, 1246.

493. De re conf. Fast. IV, 167.

499. *oscula*, parvum os, Gr. στομάτιον, ut apparet ex illis *quae non est vidisse satis*. Conf. XIII, 491. Ad sententiam conf. III, 420.

Est vidisse satis; laudat digitosque manusque
Brachiaque et nudos media plus parte lacertos.
Si qua latent, meliora putat. Fugit ocior aura
Illa levi, neque ad haec revocantis verba resistit:
„Nympha, precor, Peneï, mane: non insequor hostis;
Nympha, mane. Sic agna lupum, sic cerva leonem,
Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae,
Hostes quaeque suos; amor est mihi causa sequendi. —
Me miserum, ne prona cadas, indignave laedi
Crura notent sentes, et sim tibi causa doloris.
Aspera, qua properas, loca sunt: moderatius, oro,
Curre fugamque inhibe; moderatius insequar ipse. —
Cui placeas, inquire tamen: non incola montis,
Non ego sum pastor, non hic armenta gregesve
Horridus observo. Nescis, temeraria, nescis,
Quem fugias, ideoque fugis. Mihi Delphica tellus
Et Claros et Tenedos Patareaque regia servit;
Jupiter est genitor; per me, quod eritque fuitque
Estque, patet; per me concordant carmina nervis.
Certa quidem nostra est, nostra tamen una sagitta
Certior, in vacuo quae vulnera pectore fecit.
Inventum medicina meum est, opiferque per orbem
Dicor, et herbarum subjecta potentia nobis.
Hei mihi, quod nullis amor est sanabilis herbis,

502. *si qua*. Quint. inst. or. VIII. c. 3. §. 47. ubi monet, etiam sensum bonum interdum perverti ab impuris hominibus, exempli loco haec ipsa verba laudat, et pro *si qua* habet *quaeque*. Sed illud elegantius est. *Gier*.

504. *Peneï*. Ita Neap. et Flor. Conf. Bentl. ad Hor. Od. I, 26, 9. Est autem *Penei* vocativus Graeci nominis *Peneïs*. Vid. v. 472. et not. ad v. 569. Reliqui libri vett. omnes *Peneïa*, quod non fert ratio metrorum.

506. *penna trepidante*. Conf. V, 605. et VII, 382.

508. *indignave laedi*. *Dignus* cum infin., ut supra 240. Cf. II, 43. VII, 697.

509. *notent*. Cod. Bersm., Abb., Gal., Sulm. 2., Lips. 2. et X e melioribus Heinsii *secent*, e glossa, quod tamen Heinsius in textum recepit. Tib. IV, 3, 10. *hamatis crura notare rubis*.

510. *moderatius*. Ita hic et seq. versu II Bersm., Gal., Rhen., Lips. 2., Sulm. 2., Ups. et castigatiores Heinsii. Reliqui *moderantius*, quae vox quum alibi apud Nasonem non reperiatur nec apud alios bonos scriptores praeter Lucret., merito suspecta habetur. Vid. Her. XVIII, 45. et Amor. II, 17, 3.

512. Jam incipit dignitatem suam ac *virtutes jactare. Conf. v.* 595 sqq.

513. Gal., Goth. 1. 2., Pal. 2., Vrat. et edd. Venn. *gregesque*.

514. *horridus*, agrestis, incultus. Amor. III, 6, 47. *quamvis erat horrida cultu*. — 515. *Delphica tellus*. Vid. ad v. 317. — 516. *Claros* in Ionia prope Colophonem, ubi fuit fanum et oraculum Apollinis Clarii. XI, 413. Strab. XIV. p. 442. Plin. N. H. V. c. 31. Pausan. VII. p. 405. — *Tenedos* insula Troadi proxima, ubi erat templum Apollinis Smintheï. XII, 585. Strab. XIII. p. 116. Tauchn. Conf. Virg. A. II, 21. — *Patara* urbs Lyciae, ubi quoque Apollo colebatur et oracula edebat, et unde nomen *Patareus* habebat. Herodot. I. c. 182. Serv. ad Virg. A. IV, 143. — 518. *concordant*. Conf. X, 146. — 519. *certa quidem nostra est*. Conf. 441. Hor. Od. I, 12, 23. *metuende certa Phoebe sagitta*.

521. Apollo etiam deus et praeses artis medendi. Pro *opiferque* multi codd. cum vulg. *opiferque*. Perperam.

523. Her. V, 149.

Me miseram, quod amor non est medicabilis herbis!

Cod. Bersm., Dresd., Ern., Gal., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Sulm. 1. 2., et III Vat. Ciof., Ups., Vrat. et ed. pr. *sanabilis*. Edd. Venn. et reliqui codd., qui perpauci esse videa-

Nec prosunt domino, quae prosunt omnibus, artes!“
Plura locuturum timido Peneïa cursu
Fugit, cumque ipso verba imperfecta reliquit, —
Tum quoque visa decens: nudabant corpora venti,
Obviaque adversas vibrabant flamina vestes,
Et levis impulsos retro dabat aura capillos;
Aucta fuga forma est. Sed enim non sustinet ultra
Perdere blanditias juvenis deus, utque movebat
Ipse Amor, admisso sequitur vestigia passu.
Ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo
Vidit, et hic praedam pedibus petit, ille salutem;
Alter, inhaesuro similis, jam jamque tenere
Sperat et extento stringit vestigia rostro,
Alter in ambiguo est, an sit comprensus, et ipsis
Morsibus eripitur tangentiaque ora relinquit:
Sic deus et virgo est, hic spe celer, illa timore.
Qui tamen insequitur, pennis adjutus amoris
Ocior est requiemque negat, tergoque fugacis
Imminet, et crinem sparsum cervicibus afflat.
Viribus absumtis expalluit illa, citaeque
Victa labore fugae, spectans Peneïdas undas,
„Fer, pater,“ inquit „opem, si flumina numen habetis,
Qua nimium placui, tellus aut hisce vel istam
Quae facit, ut laedar, mutando perde figuram.“
Vix prece finita, torpor gravis occupat artus;

tur, *medicabilis* ex Her. l. l. Heinsius de suis tacet.

524. *domino*. Conf. XIII, 138. VI, 560. — 525. multi Heins. *rapido*.

528. *obviaque etc*. Conf. X, 591.

529. *impulsos*. Medic. 3. et III Heinsii *impexos*. *impulsos* recte habet de mota aëris. — 530. Dresd., Goth. 1., Lips. 2. et meliores (?) Heins. *auctaque forma fuga est*. — 531. *juvenis*. Apollo enim semper juvenis. Vid. ad v. 441. Vulg. *monebat*. Optimus Reg., unus Arg., unus Leid., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Par. 1. et ed. pr. *movebat*, quod certe elegantius est. Varietas nata videtur e similitudine literae *v* et *n* in vetere scriptura. — 532. *admisso*. incitato. Conf. infra VI, 237. IX, 83. XI, 512. — 533. *Gallicus*. Gallici canes imprimis apti venationi habebantur. Grat. Cyneg. v. 203. — Ceterum expressus locus videtur, certe colorem duxit e Virg. A. XII, 749 sqq. Conf. Metam. VII, 781. — 536. *vestigia*, plantas. Conf. v. 499. IV, 343. V, 198.

537. *comprensus*. Nonnulli Heins. *deprensus*, quod temere recepit Burmannus. Quem sequimur cursu comprehendimus, deprehendimus in latebris et furto. Vid. v. 606. — 540. *pennis adjutus amoris*. Conf. v. 143. — 541. *fugacis*. Langerm. a 1. m. *fugaci*, a 2. m. *fugacis* cum reliquis codd. et vett. edd. omnibus. Nihilominus Heinsius edidit *fugaci*, ut etiam decem alios locos huic similes in his carminibus corrupit. VI, 226.

542. Conf. V, 617.

544. *Peneïdas*. Vid. ad v. 452.

545. *si* h. l. non est dubitantis, sed pro *quando, cum*.

546. *aut*. Ita Bas. 1. 2. 3., Berol., Dresd., pro v. l. Goth. 2., Par. 1. 2., Lips. 2., Vrat., multi Heins. et edd. Venn. Reliqui codd. et ed. pr. *ait*, quam scripturam Jahn. his defendit verbis: *Haec inter cursum per pausam dicta sunt, quapropter poeta dicendi vocabulum geminavit*. Cf. VI, 281. Verum eam rationem ego probare non possum. Mihi verum videtur *aut*, et ordo esse talis: *Fer, pater, opem; aut tellus, qua* (tellure) *nimium placui*, (vel) *hisce vel istam — p. figuram. Vel* post *aut* nihil insolens habet. Vid. IX, 623 sqq. Hoc autem loco facilius ferendum, quia *aut* alias, alias notiones *vel* disjungit.

548. De hac transformatione conf. IX, 351 sqq. — Bas. 1., Laug. et Par. 2. *alligat*, quod temere recepit Burmannus.

Mollia cinguntur tenui praecordia libro;
In frondem crines, in ramos brachia crescunt;
Pes, modo tam velox, pigris radicibus haeret;
Ora cacumen obit; remanet nitor unus in illa.
Hanc quoque Phoebus amat, positaque in stipite dextra
Sentit adhuc trepidare novo sub cortice pectus,
Complexusque suis ramos ut membra lacertis,
Oscula dat ligno; refugit tamen oscula lignum.
Cui deus „At quoniam conjux mea non potes esse,
„Arbor eris certe“ dixit „mea. Semper habebunt
Te coma, te citharae, te nostrae, laure, pharetrae.
Tu ducibus Latiis aderis, cum laeta triumphum
Vox canet, et longas visent Capitolia pompas.
Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.
Utque meum intonsis caput est juvenile capillis,
Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores.“
Finierat Paean: factis modo laurea ramis
Annuit, utque caput visa est agitasse cacumen.
Est nemus Haemoniae, praerupta quod undique claudit
Silva: vocant Tempe; per quae Penëus ab imo

550. Briant., Capr., Goth. 1. et 2. a m. 2., Lips. 2., unus Sulm. et unus Vat. Ciof. et edd. Venn. *in frondes.*

551. *pigris,* firmis, immobilibus. De illo *haeret* conf. IV, 266.

552. *obit.* Ita Rhen., St. Gall., Par. 2., Cant., Gal., Lang. et pro v. l. Gron. 1. — Gal. pro v. l., Goth 2. a 2. m. et nonnulli Heinsii *habet.* Reliqui *habent. Obit* mihi suspectum videtur. *habet* simplicius est. Sed ferri potest etiam *habent* et exemplis probari. — *nitida laurus* etiam XIV, 720. Plin. Ep. V, 6, 4. Atque etiam puellis nitor tribuitur, i. e. pulcritudo. XI, 471. Hoc suum decus Daphne servat mutata. *Gier.*

557. Goth. 1. *conjux quoniam,* quod nescio unde edidit Heinsius.

558. *arbor mea* ex more, quo di arbores quasdam in tutela habebant. Plin. Hist. N. XII. c. 1. Phaedr. III, 17.

559. Apollo laurea ornatus fingebatur. Etiam triumphantes Romae laureati, et ante fores domus Augustae duae positae erant lauri, et laurus perpetuo viret. Haec omnia poeta ingeniose in usum suum convertit. Conf. III, 668.

560. *Latiis.* Flor. et Rhen. *latis,* unde Heinsius feliciter *Latiis* conjecit, quod retinendum putavi, si quidem scriptura vulgata *laetis* juxta illud *laeta* vix ferenda et prorsus inelegans est. *Latiis pro Latinis, Romanis,* ut passim.

561. Triumphus a Campo Martio incedebat per urbem in Capitolium, ubi Jovi Capitolino vota persolvebantur. Conf. Trist. IV, 2. ibique not.

562. *Augustis,* adject. pro Augusti. Vid. v. 473. Plin. H. N. XV. c. 30. *Laurus vel gratissima domibus, janitrix Caesarum Pontificumque; sola et domos exornat et ante limina excubat.* Vid. not. ad Trist. III, 1, 39.

563. *quercum,* quernam coronam civicam dicit, quae supra Augusti domus portam suspensa erat, qua erat a senatu donatus inscripta: *Ex S. C. ob cives servatos.* Vid. ad Trist. l. l.

564. *intonsis capillis.* Apollo juvenis imberbis fingebatur. Conf. XII, 585.

566. *finierat.* Conf. XIII, 118. *Paean,* Apollo a Graeco Παιάν, quod est medicus. Vid. v. 521. *Factis modo,* modo natis.

568. *Io Inachi Argolidis fluvii filia ab Jove amata et ab eodem, ut furtum Junoni occultaret, in vaccam mutata est. Juno fraudem suspicata vaccam ab Jove petit, et cum impetrasset, Argo centoculo custodiendam tradit.* Hyg. F. 145.

568. *Haemonia,* vetus nomen Thessaliae ab Haemone rege, Thessali patre. Strab. IX. p. 449. Ceterum animadverte epicum orationis initium. Hom. Od. XIX, 172. Herodot. IV. c. 154.

569. *Tempe,* vallis illa a veteribus ob eximiam amoenitatem celebrata. Plin.

Effusus Pindo spumosis volvitur undis,
Dejectuque gravi tenues agitantia fumos
Nubila conducit summisque adspergine silvis
Impluit, et sonitu plus quam vicina fatigat.
Haec domus, haec sedes, haec sunt penetralia magni
Amnis; in his, residens facto de cautibus antro,
Undis jura dabat nymphisque colentibus undas.
Conveniunt illuc popularia flumina primum,
Nescia gratentur consolenturne parentem:
Populifer Spercheos et irrequietus Enipeus,
Apidanusque senex lenisque Amphrysos et Aeas;
Moxque amnes alii, qui, qua tulit impetus illos,
In mare deducunt fessas erroribus undas.
Inachus unus abest, imoque reconditus antro
Fletibus auget aquas, natamque miserrimus Io
Luget ut amissam: nescit, vitane fruatur
An sit apud manes; sed quam non invenit usquam,
Esse putat nusquam, atque animo pejora veretur.
Viderat a patrio redeuntem Jupiter illam
Flumine, et „O virgo Jove digna tuoque beatum
„Nescio quem factura toro, pete“ dixerat „umbras

N. H. VIII. c. 15. *ante cunctos claritate Penëus ortus juxta Gomphos, interque Ossam et Olympum nemorosa convalle defluens quingentis stadiis, dimidio ejus spatii navigabilis. In eo cursu Tempe vocantur quinque milia passuum longitudine, et ferme sesquijugeri latitudine, ultra visum hominis attollentibus se dextera laevaque leniter convexis jugis.* Liv. XLIV. c. 6. Ael. V. H. III. c. 1. — Est autem *Tempe* neutrum pluralis, inde *quae*. —

570. *Pindus* mons Thessaliae.

571. *dejectu*, lapsu. Senec. Cons. ad Max. c. 17. *dejectus fluminum, et ex uno fonte in orientem occidentemque defusi amnes.*

572. *summisque adsp. silvis impluit.* Vulg. *summisque a. s. influit.* Flor., Medic. 2., unus Mor., Neap. et III Heins. *summasque a. silvas impluit.* Ambr. 1., Par. 2., Cant., Gal., pro v. l. Goth. 2., II Pal. Gebh., Thu. et nonnulli Heins. *summisque a. s. impluit. Influit* parum elegans est et librariorum inventum videtur. Utrum *silvis* an *silvas* ponendum sit, nulla potest esse dubitatio. Sidon. Carm. XXII, 132. de torrente: *ipsis adspergine tectis impluit.*

573. *plus quam vicina*, ergo etiam remotiora.

575. *in his*, sc. penetralibus. Dresd., meliores (?) Heinsii et ed. pr. *in hoc.* Reliqui codd. omnes *et edd. Venn. in his.*

577. *conveniunt illuc*, sc. quum filiae ejus fata audissent. — *popularia*, Thessaliae.

579. *Spercheos* fluvius Thessaliae, qui ex Oeta monte ortus in sinum Maliacum exoneratur. Strab. VIII. p. 356. Conf. Lucan. VI, 323.

580. *Apidanusque senex.* Codd. omnes et vett. edd. *Eridanusque.* Sed debet esse fluvius Thessaliae vel illarum regionum. Hinc editor Aldinae ex conjectura ut videtur scite edidit *Apidanusque* (Conf. not. ad VII, 226.), qui Thessaliae fluvius accepto ad Pharsalum Enipeo in Penëum inlabitur. Plin. H. N. VIII. c. 15. *Flumina Thessaliae Apidanus, Phoenix, Enipeus, Onochonos, Pamisus.* — *Senex.* Di majorum fluviorum plerumque cani aut senes finguntur. Conf. v. 645. et II, 510. 243. — *Aeas* Epiri fluvius, qui a Pindo ortus Apolloniam praeterfluit et in mare Ionium effunditur. Plin. H. N. III. c. 23., ubi *Aous* dicitur.

582. *fessas erroribus.* Conf. VIII, 166.

583. *Inachus* Argolidis fluvius. Strab. VIII. p. 370. Absentia Inachi transitum praebet ad fata Ius ejus filiae narranda. Conf. XIII, 576.

584. *fletibus auget aquas.* De hoc luctu conf. IX, 47.

588. *illam.* Duo Bersm., unus Vat. Ciof., Men. et pauci Heins. Io, ex glossa.

Aut horum nemorum aut horum„ - et monstraverat umbras; -
„Dum calet et medio sol est altissimus orbe.
Quod si sola times latebras intrare ferarum;
Praeside tuta deo nemorum secreta subibis,
Nec de plebe deo, sed qui coelestia magna
Sceptra manu teneo, sed qui vaga fulmina mitto.
Ne fuge me!" —: fugiebat enim. Jam pascua Lernae
Consitaque arboribus Lyrcea reliquerat arva;
Cum deus inducta latas caligine terras
Occuluit tenuitque fugam rapuitque pudorem.
Interea medios Juno despexit in agros,
Et, noctis faciem nebulas fecisse volucres
Sub nitido mirata die, non fluminis illas
Esse nec humenti sensit tellure remitti;
Atque, suus conjux ubi sit circumspicit, ut quae
Deprensi toties jam nosset furta mariti.
Quem postquam coelo non reperit; „Aut ego fallor
„Aut ego laedor" ait, delapsaque ab aethere summo
Constitit in terris, nebulasque recedere jussit.
Conjugis adventum praesenserat, inque nitentem
Inachidos vultus mutaverat ille juvencam.
Bos quoque formosa est. Speciem Saturnia vaccae

591. *aut horum etc.* Jahn. cum codd. Viv., Flor., Neap., Thu., et fragm. Leod. dedit:

Altorum nemorum — et nemorum monstraverat umbras —

Vulg.:

Aut horum aut horum nemorum — et monstraverat ambas —

Pal. 2., II Bersm., Berol., Dresd., Gal., Goth. 1., Par 1. 2., Rhen., Ups. et edd. Venn.

Aut horum nemorum aut horum.

II Bersm., Berol., Dresd., Gal., Lips. 2., Vrat., Ups. et ed. pr. *et* omittunt. Scripturam *umbras* exhibent etiam Berol., Gal., pro v. l. Goth. 2., Pal. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 2., ed. pr. et haud dubie multi quoque Heinsiani. Vera mihi scriptura et majore codicum auctoritate confirmata videtur:

Aut horum nemorum aut horum — et monstraverat umbras —

595. *de plebe deo.* Vid. ad v. 173. Conf. Mart. Epigr. VIII, 50, 3. — *magna,* valida. De repetito illo *sed* vid. VI, 512. V, 17. 507. — 597. *Lerna* flumen et lacus Argolidis, ubi Hercules Lernaeam hydram occidit. IX, 69. 130. De forma orationis conf. V, 280. XV, 565. 566.

598. *Lyrcea - arva. Lyrcēus* mons Argolidis, ex quo Inachus fluvius exoritur. Ibidem Lyrcea oppidum. Pausan. II. c. 25. Val. Flacc. IV, 355.

599. *induota.* Conf. v. 263. XI, 498.

603. *sub nitido - die.* VIII, 1.

604. *remitti,* exhalari. Virg. Georg. II, 217.

Quae (terra) *tenuem exhalat nebulam fumosque volucres,*
Et bibit humorem, et quum vult, ex se ipsa remittit.

Duo Bersm., Dresd., Goth. 2. et Ups. *sentit,* quod tacite edidit Heinsius.

606. *furta,* de clandestinis amoribus passim. II, 423. IV, 174. Virg. Georg. IV, 436. *Martisque dolos et dulcia furta.* Illud *jam* tuentur Gal., Par. 2., Rhen. et meliores Heinsii: quod certe elegantius est, quam vulg. *bene.*

608. *laedor,* sc. in amore a marito. — *delapsa.* Cf. v. 212.

611. *Inachidos,* Inachi filiae.

612. *Saturnia.* Juno erat Saturni filia (v. 112.), igitur simul Jovis soror et conjux. Cf. 620. Val. Flacc. IV, 358 sqq.

— *plausu fovet hanc* (vaccam) *et pectora mulcet*
Juno, renidenti cohibens suspiria vultu.
Mox ita adorta Jovem: da carae munera nuptae;
Ipsa ego dilectae pecudi jam pascua digna

Quanquam invita probat, nec non, et cujus et unde
Quove sit armento, veri quasi nescia quaerit.
Jupiter e terra genitam mentitur, ut auctor
Desinat inquiri. Petit hanc Saturnia munus.
Quid faciat? Crudele, suos addicere amores;
Non dare, suspectum. Pudor est qui suadeat illinc,
Hinc dissuadet amor. Victus pudor esset amore;
Sed leve si munus sociae generisque torique
Vacca negaretur, poterat non vacca videri.
Pellice donata non protinus exuit omnem
Diva metum, timuitque Jovem et fuit anxia furti,
Donec Arestoridae servandam tradidit Argo.
Centum luminibus cinctum caput Argus habebat;
Inde suis vicibus capiebant bina quietem,
Cetera servabant atque in statione manebant.
Constiterat quocumque modo, spectabat ad Io;
Ante oculos Io, quamvis aversus, habebat.
Luce sinit pasci; cum sol tellure sub alta est,
Claudit et indigno circumdat vincula collo.
Frondibus arboreis et amara pascitur herba,
Proque toro terrae, non semper gramen habenti,
Incubat infelix, limosaque flumina potat.
Illa etiam supplex Argo cum brachia vellet
Tendere, non habuit quae brachia tenderet Argo;
Et conata queri mugitus edidit ore,
Pertimuitque sonos propriaque exterrita voce est.
Venit et ad ripas, ubi ludere saepe solebat,

Praecipuosque legam fontes. Qua fraude negaret,
Aut quos inventos timuisset Jupiter astus?

617. *quid faciat?* Conf. II, 204. *Addicere* confirmant Flor., Gal., Rhen., meliores Heins. et ed. pr., Flor. c. gl. *prodere, dare.* Vulg. *abdicere.* Perperam. — 618. *suspectum,* suspicionem movebat apud Junonem. II Bersm., Berol., Gal., Goth. 1. 2., Pal. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat. et ed. pr. *suspectum est.* Ciof. et Heinsius tacent.

623. *et fuit anxia furti,* et fuit anxia, ne vacca sibi a Jove clam surriperetur. *Furti* genitivus, quem dicunt exeundi. Vid. not. ad II, 765. et XII, 199.

624. *Arestoridae,* Arestoris filio. Vid. Apollod. II. c. 1.

625. *centum lum.* Apoll. l. l. Ἄργος ὁ Πανόπτης λεγόμενος. εἶχε δὲ οὗτος, ὀφθαλμοὺς ἐν παντὶ τῷ σώματι. Amor. III, 4, 19.

Centum fronte oculos, centum cervice gerebat
Argus.

626. *inde,* ex illis. VI, 645. XIII, 829. De *suis vicibus* conf. Fast. IV, 353. — 628. *modo.* Ita Rhen. et meliores Heinsii. Reliqui *loco.* — 631. *indigno,* quod hoc non meruerat. I, 508. X, 723.

632. Unus Par. 2. *arbuteis,* quod temere recepit Heinsius.

635. Conf. III, 723. — 637. *et conata queri.* Unus Heinsii, Pal. 1., Rhen. et a 2. m. Vrat. *conatoque queri,* quod insolita quaeque ubique admirans temere recepit Heinsius. Conf. Her. XIV, 91., quem locum idem Heinsius invitis codd. corrupit, qui eandem orationem multis quoque aliis locis inscite novavit. II Bersm., Pal., 2., Lips. 2., Dresd., Ups. et ed. pr. *et conata loqui.* De sententia conf. IV, 588.

639. *venit et ad ripas.* Ita II Bersm., Berol., Dresd., Gal., Goth. 1. 2., Men., Par. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat., plurimi Heins. et vett. edd., ut illud *ripas* in sequenti versu cum vi et explicationis caussa repetatur. Trist. I, 10, 29.

Hincque (petit) *Propontiacis haerentem Cyzicon oris,*
Cyzicon Haemoniae nobile gentis opus.

Inachidas ripas, novaque ut conspexit in unda
Cornua, pertimuit seque exsternata refugit.
Naides ignorant, ignorat et Inachus ipse,
Quae sit; at illa patrem sequitur sequiturque sorores,
Et patitur tangi seque admirantibus offert.
Decerptas senior porrexerat Inachus herbas:
Illa manus lambit patriisque dat oscula palmis,
Nec retinet lacrimas et, si modo verba sequantur,
Oret opem, nomenque suum casusque loquatur.
Litera pro verbis, quam pes in pulvere duxit,
Corporis indicium mutati triste peregit.
„Me miserum!“ exclamat pater Inachus, inque gementis
Cornibus et niveae pendens cervice juvencae,
„Me miserum!“ ingeminat. „Tune es quaesita per omnes,
„Nata, mihi terras? Tu non inventa reperta
Luctus eras levior. Retices, nec mutua nostris
Dicta refers, alto tantum suspiria ducis
Pectore, quodque unum potes, ad mea verba remugis.
At tibi ego ignarus thalamos taedasque parabam,
Spesque fuit generi mihi prima, secunda nepotum —:
De grege nunc tibi vir, et de grege natus habendus.
Nec finire licet tantos mihi morte dolores;
Sed nocet esse deum, praeclusaque janua leti
Aeternum nostros luctus extendit in aevum.“
Talia maerentem stellatus submovet Argus,

Met. XIV, 223.
Aeolon ille refert Tusco regnare profundo,
Aeolon Hippotaden etc.
Conf. Met. III, 207, 208. Trist. II, 423. 424. III, 10, 54. 55. Prop. II, 25, 85. Hom. Il. VI, 153. XII, 96. Odyss. I, 22. — Par. 1. cum vulgata: *venit et ad patrias — Inachidas ripas.* Conf. II, 249.

641. *seque exsternata refugit.* Codd. Ciof., III Bersm., Dresd., Gal., Goth. 1., Par. 1. 2., Rhen., Ups., plurimi Heins., ed. pr. et seriores Venn. *seseque exterrita fugit*, quod fluxisse videtur ex Amor. I, 3, 21. ac vix ferendum propter v. 638. Goth. 2., Vrat., multi Heins. et edd. Venn. 1486. et 1492. *seque externata refugit.* Conf. XI, 77.

642. *Naides*, nymphae aquaticae, Ius sorores. — 647. *sequantur.* Ita cod. Bersm., plerique vett. Ciof., Dresd., Gal., Goth. 1. 2., Par. 2., Rhen., multi Heins. et ed. pr. — Vulg. *supersint.* Conf. XI, 326. — 649. *duxit.* Vid. ad X, 216. — 654. *tu etc.* „tu cum te non invenissem in miserrima hac vaccae specie, levior luctus eras, quam nunc es, postquam te reperi.“ Libri omnes: *tu non inventa reperta es. Luctus eras etc.*, nisi quod in Goth. 1. *cum non*, in Lips. 2. *num tu non*, in ed. pr. interrogandi signum pro puncto legitur. Receptam lectionem e conjectura reposuerunt Gruterus et Nic. Heinsius. *Jahn.*

655. *eras* a Naugerio primum receptum: nam vett. libri *erat.*

656. *suspiria ducis.* Conf. X, 402.

658. *taedas.* Conf. v. 483.

660. *de grege vir*, taurus, *de grege natus*, vitulus. IX, 47. 48. — Berol., Dresd., Rhen. et pauci Heins. *nunc tibi vir nunc de grege*, quae mihi interpolatio librariorum esse videtur, qui dici non potest quot locis Nasoni frigidissimos affectus et inanes verborum repetitiones obtruserint. Nam ex illa repetitione *de grege* minime sequitur, illud *nunc* quoque a poeta esse repetitum. Conf. Amor. I, 15, 29. — 662. *nocet esse deum.* Scribi etiam posset *esse deo*, per attractionem quam vocant. Vid. VIII, 406. 554. XIII, 142. Sed conf. XI, 219.

664. *stellatus*, distinctus stellis sive *luminibus.* 625. Met. V, 461. *variis stellatus corpora guttis.* Nemes. Cyneg. v. 31.
Stellatumque oculis custodem virginis Ius.

Ereptamque patri diversa in pascua natam
Abstrahit; ipse procul montis sublime cacumen
Occupat, unde sedens partes speculatur in omnes.
Nec superûm rector mala tanta Phoronidos ultra
Ferre potest, natumque vocat, quem lucida partu
Pleïas enixa est, letoque det imperat Argum.
Parva mora est, alas pedibus virgamque potenti
Somniferam sumsisse manu tegimenque capillis:
Haec ubi disposuit, patria Jove natus ab arce
Desilit in terras. Illic tegimenque removit
Et posuit pennas; tantummodo virga retenta est.
Hac agit, ut pastor, per devia rura capellas,
Dum venit, adductas, et structis cantat avenis.
Voce novae captus custos Junonius artis:

Pro *moerentem* vulg. *dicenti*. Thu. *querenti*. Unus Cael. pro v. l., Capr., Goth. 1., Mor. 1., unus Sulm. a 2. m. et VIII Heinsii *moerenti;* sed parum apte verba juncta: *talia moerenti s. dicenti submovet*, et *patri ereptam natam .. abstrahit*. Abb., Berol., II Cael., Ern., Gal., Joan., Par. 2., Rhen., Lips. 2., II Sulm. et II Vat. Ciof., Vrat. a 2. m.: *talia moerentem*. Recte, ut mihi videtur. Pater pendebat cervice natae (v. 653.). Jam narrat poeta, quid patri fecerit Argus et quid natae: *submovet patrem moerentem, et abstrahit natam ereptam*.

666. Leid. *ille*.

667. *unde speculatur*, et inde speculatur. Heinsius ad novandum ubique pronus, praecipue sicubi conjunctivus oblatus est, quem multis locis etiam in metamorphosesin prave induxit, edidit: *unde speculetur*, quod nonnisi unus Medic. 2. exhibet, sed ita exhibet, ut secunda manus vitium prioris correxerit in *speculatur*. Vid. not. ad III, 520. 602.

668. *Mercurius a Jove mittitur ad Argum occidendum. Is cum sopit fabulam narrans de Syringis nymphae in arundinem transformatione* (Hyg. F. 274.) *et occidit. Oculos ejus Juno in cauda pavonis, avis suae, ponit.* Vid. Cic. de Nat. deor. III. c. 22.

668. *Phoronidos*, Ius. Inachum patrem Ius a Phoroneo Oceani filio genus duxisse auctor est Apollod. II. c. 1. Conf. Met. II, 524.

669. *natumque — enixa est*, h. e. Mercurium, quem Maja una de septem Pleïadibus, filiabus Atlantis, Iovi peperit, quae postea cum sororibus in sidus *Pleïades* dictum mutata est. Unde h. l. *lucida*. Conf. II, 685.

671. Mercurius fingitur alatis pedibus et alata galea, et virga (sive caduceo) duobus serpentibus circumplicata. II, 736. Virg. A. IV, 238.

— *Ille* (Mercurius) *patris magni parere parabat*
Imperio, et primum pedibus talaria nectit
Aurea, quae sublimem alis, sive aequora supra
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias sub tartara tristia mittit,
Dat somnos adimitque et lumina morte resignat.

Scripturam *potenti* confirmant II Bersm., Gal., Goth. 1., Rhen., Lips. 2., Vrat., pauci Heinsii et edd. Venn. Vulg. *potente*. Dresd., Goth. 2., et ed. Ven. 2. *potentem*.

673. *patr. ab arce*. Conf. v. 163.

674. *desilit in terras*. Conf. v. 608.

675. Leid. *deposuit*, ex glossa.

677. *dum venit adductas* i. e. *dum accedit ad Argum, adductas*. Poeta, qui properat ad eventum, omittit, unde eas adduxerit. Heinsius de suo dedit *abductas*, quod obscuro sensu et mera conjectura est. — *structis*. Conf. v. 683. Trist. V, 10, 25.

— *pastor junctis pice cantat avenis.*

678. *voce novae — artis; namque reperta fistula nuper erat* v. 687. — V. 709.

Arte nova vocisque deum dulcedine captum.

Receptam scripturam codices prope consensu tuentur: nisi quod Berol., Gal., Rhen., Par. 1. 2., unus Thu. et plerique Heinsii *nova;* Gal., Par. 2. et unus Heins. *Junonis et arte*, Par. 1. sive unus

„Quisquis es, hoc poteras mecum considere saxo,“
Argus ait: „neque enim pecori fecundior ullo
„Herba loco est, aptamque vides pastoribus umbram.“
Sedit Atlantiades, et euntem multa loquendo
Detinuit sermone diem, junctisque canendo
Vincere arundinibus servantia lumina tentat.
Ille tamen pugnat molles evincere somnos,
Et quamvis sopor est oculorum parte receptus,
Parte tamen vigilat; quaerit quoque - namque reperta
Fistula nuper erat - qua sit ratione reperta.
Tum deus „Arcadiae gelidis in montibus“ inquit
„Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas
Naïas una fuit: nymphae Syringa vocabant.
Non semel et Satyros eluserat illa sequentes,
Et quoscunque deos umbrosaque silva feraxque
Rus habet. Ortygiam studiis ipsaque colebat
Virginitate deam. Ritu quoque cincta Dianae
Falleret, et posset credi Latonia, si non
Corneus huic arcus, si non foret aureus illi.
Sic quoque fallebat. Redeuntem colle Lycaeo
Pan videt hanc, pinuque caput praecinctus acuta

Thu. *Junonis at tu.* Quod nunc post Heinsium pro vulgata est:

Voce nova captus custos Junonius: At tu . . .

conflatum est e duabus diversorum codicum variantibus, quo nihil potest esse in critica incertius. — 679. *quisquis es.* Conf. v. II, 692. *poteras — considere.* Ita duo Bersm., Gal., Lips. 2., meliores Heins. et vett. edd. — Reliqui *poteris.* Conf. VIII, 47. Virg. Ecl. I, 80.

Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem.

Mor., Thu., Leid. et IV Heins. *requiescere* e Virg. l. l. Leid. alter, Lov. et complures Heins. *consistere.*

680. Duo dicit Argus, locum *copiosam* praebere *herbam pecori*, et *pastoribus gratam umbram.* — *fecundior* h. l. est pro *uberior.* — Cant., Voss. et Leid. *nec enim.*

682. *Atlantiades*, Atlantis nepos. Vid. ad v. 689. — 683. *detinuit*, occupavit, ut Argo non sentiente transiret. Pont. IV, 10, 67. *detinui tempus curasque fefelli.* Trist. V, 7, 39.

Detineo studiis animum falloque dolores.

685. *pugnat evincere.* Conf. V, 349. 354. — 686. *quamvis* cum indic. II, 177.

689. *in.* Berol., Leid. et alius Heins. *sub.* — 690. *Hamadryades* nymphae, quae in arboribus imprimis quercubus vivere, et una cum arboribus nasci et mori fingebantur. *Plut.* de Orac. def. p. 415. — *Nonacrinas*, a Nonacri monte et oppido Arcadiae. Plin. N. H. II. c. 103. Conf. Met. II, 409.

692. *Satyros.* Vid. ad v. 193. *eluserat*, cursu evaserat. Conf. VIII, 688. Satyri in amores proni passim finguntur. Conf. XIV, 137. — 693. Multi Heins. et Vrat. *umbrosave*, Lips. 2. *umbrosave s. feraxve*, quod temere recepit Heinsius. Reliqui consensu omnes quod edidimus.

694. *Ortygiam*, Dianam, ab Ortygia vetere nomine Deli (XV, 337.), ubi nata erat. Vid. v. 454. et conf. V, 640. — Leid. *studiisque.* Scripturam *ipsaque* exhibent Goth. 2 et a corr. 1., Vrat. et castigatiores Heins. — Vulg.: *ipsamque.* mendose. De sententia conf. v. 476.

695. *cincta.* Vid. ad III, 156.

696. *Latonia*, Diana Latonae filia. III Bersm., Berol., Dresd., Gal., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat. et vett. edd. *posset credi*, quod potius esse dixerim. *Jahn.* Viv., Flor., Vat. et alii *ut credi.*

698. *sic*, quamvis arcum minus splendidum gerens. — 699. *Pan* deus agrestis, qui imprimis in Lycaeo et Maenalo Arcadiae montibus habitare fingebatur. Theocr. I, 123. Virg. Georg. I, 16.

Ipse nemus linquens patrium saltusque Lycaei,
Pan ovium custos . . .

pinuque caput praecinctus acuta. XIV, 638. *et pinu praecincti cornua Panes. Acuta* pinus dicitur a forma foliorum. Conf. III, 155.

Talia verba refert: " . . . Restabat verba referre;
Et precibus spretis fugisse per avia nympham,
Donec arenosi placidum Ladonis ad amnem
Venerit; hic illam, cursum impedientibus undis,
Ut se mutarent, liquidas orasse sorores;
Panaque, cum prensam sibi jam Syringa putaret,
Corpore pro Nymphae calamos tenuisse palustres;
Dumque ibi suspirat, motos in arundine ventos
Effecisse sonum tenuem similemque querenti;
Arte nova vocisque deum dulcedine captum,
„Hoc mihi concilium tecum" dixisse „manebit;"
Atque ita disparibus calamis compagine cerae
Inter se junctis nomen tenuisse puellae.
Talia dicturus vidit Cyllenius omnes
Succubuisse oculos, adopertaque lumina somno.
Supprimit extemplo vocem firmatque soporem,
Languida permulcens medicata lumina virga.
Nec mora: falcato nutantem vulnerat ense,
Qua collo est confine caput, saxoque cruentum
Dejicit, et maculat praeruptam sanguine rupem.
Arge, jaces, quodque in tot lumina lumen habebas,

700. Vulg.: *Talia verba refert: tibi nubere, nympha, volentis Votis cede dei. Restabat plura referre;* nisi quod in II Bersm., Par. 1., Lips. 2. et ed. pr. et Ven. 1. *verba referre.* Sed in Goth. 1. verba: *tibi nubere — dei,* obelo notata et in Gal. inter lineas tantum scripta sunt. Alii in margine habent. Plane omissa est illa interpolatio in cod. Raph. Regii, cod. Mariang. Accurs., Berol., Capr., Dresd., Gal., Goth. 2., Joan., Rhen., optimis Heins. et edd. Ven. 1. et a. 1486., qui libri omnes exhibent, ut dedimus, nisi quod Dresd. *plura referre* habet. — „*restabat verba referre* Mercurio." Sed poeta reliquam fabulae partem, quam Mercurium dormienti referre noluisse dicit, ipse addit, eleganter variata oratione. — 701. Leid. *consumtis precibus,* ex VIII, 106.

702. *Ladon* fl. Arcadiae in Alpheum influens. Pausan. Arcad. p. 631. Vocatur Fast. V, 89. *rapax.* Itaque h. l. *rapidum* correxerunt. Sed quid obstat, quo minus poetae sui obliti eidem fluvio diversis locis diversas virtutes tribuant?

703. *venerit.* Ita Flor., Medic. 1., Pal. 1., Rhen., Vrat., III Heins. et pro v. l. Gal. Recte; ut in oratione obliqua. Reliqui *venerat.* Cant. *hic illi,* quod temere recepit Heinsius.

704. *liquidas - sorores,* nymphas in Ladone habitantes. — V. 706. unus Medic. *cannas.* — 710. *hoc mihi concilium tecum,* h. e. *haec mihi conjunctio tecum;* unde verbum *conciliare.* Baumgart.-Crusius. — Codd. multi *consilium.* Alii *conscilium, colloquium, solatium, solamen.* Posterius etiam Gron. et Strozz. — 711. *disparibus calamis.* Vid. VIII, 189 sqq. Virg. Ecl. II, 36.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.

Plin. H. N. XVI. c. 36. *Calamus alius totus concavus, quem Syringiam vocant, utilissimus fistulis, quoniam nihil ei est cartilaginis atque carnis.*

712. *tenuisse,* servasse. Nomen autem σύριγξ i. q. *fistula.*

713. *Cyllenius.* Mercurius in Cyllene monte Arcadiae (v. 217.) natus esse dicitur. — 716. *medicata virga,* sucis soporiferis infecta s. tincta. Conf. Virg. A. VI, 420. — 717. *nutantem,* de dormiente dictum. *falcato ense.* Fabula Mercurio curvum gladium sive falcem tribuit quam ἅρπην Graeci appellant. V, 176. IV, 727. — Construe: *falcato vulnerat ense* (ea parte), *qua caput confine collo est.*

718. *saxoque.* Conf. v. 679.

719. Mor. 1. *cautem,* quod idem Heinsius sine ulla caussa induxit.

720. *in tot lumina,* quod ad tot lumina. *In* h. l. positum videtur, ut Graecum πρὸς et ἐς ponitur. Conf. X, 538. XI, 178. — Dresd., Rhen. et nonnulli Heinsii *inter tot lumina.* Quidam Heins. *inter lumina.*

Exstinctum est, centumque oculos nox occupat una.
Excipit hos volucrisque suae Saturnia pennis
Collocat, et gemmis caudam stellantibus implet.
Protinus exarsit nec tempora distulit irae,
Horriferamque oculis animoque objecit Erinnyn
Pellicis Argolicae, stimulosque in pectore caecos
Condidit et profugam per totum terruit orbem.
Ultimus immenso restabas, Nile, labori.
Quem simul ac tetigit, positisque in margine ripae
Procubuit genibus resupinoque ardua collo,
Quos potuit solos, tollens ad sidera vultus,
Et gemitu et lacrimis et luctisono mugitu
Cum Jove visa queri est, finemque orare malorum.
Conjugis ille suae complexus colla lacertis,
Finiat ut poenas tandem, rogat, „Inque futurum
„Pone metus“ inquit, „nunquam tibi caussa doloris
Haec erit,“ et Stygias jubet hoc audire paludes.
Ut lenita dea est, vultus capit illa priores,
Fitque quod ante fuit: fugiunt e corpore setae,
Cornua decrescunt, fit luminis arctior orbis,
Contrahitur rictus, redeunt humerique manusque,
Ungulaque in quinos dilapsa absumitur ungues.
De bove nil superest, formae nisi candor, in illa,

722. *volucris suae*, pavonis qui Junoni sacer. Conf. II, 532. 533. et XV, 385. Martial. XIV, 85.

Nunc Junonis avis, sed prius Argus erat.

Plin. H. N. X. c. 20. pavonibus tribuit gemmantes colores, et guttas in cauda vocat *oculos*. Phaedr. III, 18. *Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.*

724. *Io immisso a Junone furore multas per terras agitatur tandemque in Aegyptum venit, ubi humanam formam recipit et dea nomine Isidis colitur.* Apollod. II. c. 1. Hyg. F. 145.

725. *horrif.-Erinnyn.* Val.Fl.IV,392.

— — — — *et ecce*
Cum facibus spirisque et tartareo ululatu
Tisiphonen videt.

De Furiis vid. ad IV, 451. Alii poetae oestro a Junone misso agitatam fingunt. Virg. G. III, 152. — 726. *pellex Argolica*, Io quae Argolide oriunda pellicis loco Jovi fuerat. Vid. ad v. 568. — Six. *in pectora;* ac plerumque in his carminibus poeta scribit *condere aliquo loco* vel *in aliquem locum*. Sed vetus scriptura propter consensum librorum non movenda. Virg. A. IX, 347.

Pectore in adverso totum cui cominus ensem
Condidit.

Conf. Fast. V, 269. Leid. *corpore*.

729. *in margine ripae*. Conf. V, 598. In Dresd., Rhen., Lips. 2. et nonnullis Heins. *que* deest, ut ab his verbis apodosis incipiat. *Jahn.*

730. *ardua*, erecta ad coelum. Naturam vaccae exprimit.

731. *„quos solos potuit vultus:“* nam manus jam non poterat ad coelum tollere. Conf. IV, 684. VI, 203. Virg. A. II, 405.

Ad coelum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.

Tollens cod. Raph. Regii, II Bersm., Berol., Dresd., Gal., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Stat., unus Sulm., Urs., Vrat., meliores Heins. et ed. pr. — Vulg. *tendens*, quod et idem probum ad sententiam esse docet etiam ille versus Virgilianus. — 732. *luctisono mugitu*. De spondeo in quinto pede vid. ad v. 62.

733. Gal., Goth. 1., Pal. 2., Par. 2., Rhen., Lips. 2., Flor., Neap., Bern. et VIII alii *est* omittunt. — 737. *haec*, Io. — *Stygias*. Vid. ad v. 139. et II, 101.

739. *e corpore*. Dresd., Gal., Goth. 1. 2., Lips 2., Vrat. et vett. edd.: *de corpore*. — *setae*. Virg. Aen. VII, 790. *Io jam setis obsita, jam bos.*

742. Cod. Bersm., plurimi Heins. et ed. pr. *delapsa*. nonnulli Heins. *diducta*.

743. *formae nisi candor*. Vid. v. 552.

Officioque pedum nymphe contenta duorum
Erigitur metuitque loqui, ne more juvencae
Mugiat, et timide verba intermissa retentat.
Nunc dea Niligena colitur celeberrima turba.
Hinc Epaphus magni genitus de semine tandem
Creditur esse Jovis, perque urbes juncta parenti
Templa tenet. Fuit huic animis aequalis et annis
Sole satus Phaëthon; quem quondam magna loquentem
Nec sibi cedentem Phoeboque parente superbum
Non tulit Inachides „Matrique“ ait „omnia demens
„Credis, et es tumidus genitoris imagine falsi.“
Erubuit Phaëthon, iramque pudore repressit,
Et tulit ad Clymenen Epaphi convicia matrem;
„Quoque magis doleas, genitrix,“ ait, „ille ego liber,
„Ille ferox tacui. Pudet haec opprobria nobis
Et dici potuisse, et non potuisse refelli.
At tu, si modo sum coelesti stirpe creatus,
Ede notam tanti generis, meque assere coelo.“
Dixit, et implicuit materno brachia collo,
Perque suum Meropisque caput taedasque sororum,
Traderet, oravit, veri sibi signa parentis.
Ambiguum est, Clymene precibus Phaëthontis an ira
Mota magis dicti sibi criminis, utraque coelo
Brachia porrexit, spectansque ad lumina Solis,
„Per jubar hoc“ inquit „radiis insigne coruscis,
„Nate, tibi juro, quod nos auditque videtque,

745. *metuitque loqui.* Conf. IV. 627.

747. *Niligena.* Sic vulg., q. e. ad Nilum nata, h. e. Aegyptiaca. Vid. ad IV, 173. Gal., Stat., Vrat. a 1. m., nonnulli Heins. et ed. Ven. 2. *linigera* ut Art. A. I, 77., ex quo tamen loco nihil efficitur ad eam scripturam huic loco vindicandam. Neap., Goth. 2. pro v. l., plurimi (?) Heins. et ed. Ven. a. 1486. *lanigera.* putide.

748. *hinc.* Unus Twisd. et Goth. 1. 2. *huic,* quod ab Heinsio receptum edd. omnes occupavit. Dresd. *hunc.* Gal., Rhen., Lips. 2., Vrat. et multi Heins. *nunc.* Alii Heins. *tunc.* Conf. Trist. IV, 10, 5. — 749. *parenti,* Ioni. Cant. *parentis.* Justin. II. c. 14. *Atheniensium virtus ceteris praelata.*

750. *animis,* superbia ac spiritu.

751. *magna loq.* IX, 31. XIII, 222.

752. „*nec sibi* (Jovis filio) *cedentem.*“

753. *Inachides,* ut nepos Inachi. Construe: „*et ait: matri omnia credis.*“

754. *et es tumidus.* Conf. VIII, 396. — *falsi,* ficti. — 756. „*et tulit ad Clymenen matrem suam convicia Epaphi filii Ius, et ait* (adjicit): *quo magis . . .*“

757. *ille ego.* Ita Berol., Erf., Gal., Goth. 2. pro v. l., II Pal. Gebh., Rhen. et vetustiores Heins. — Vulg. *en ego.* Mendose. De *ille ego* vid. not. ad Trist. IV, 10, 1. — *liber,* qui nihil timens dicit et facit, quae sibi recta videntur. *ferox* opponitur leni et placido ingenio. *Gierig.*

759. *refelli.* Berol. et plurimi Heinsii *referri.* Perperam. Dresd. et aliquot Heins. *repelli.* Reliqui *refelli.* Falsum Epaphi convicium refellendum erat. *Jahn. Repelli* etiam huic loco aptum est. Sed tamen majorem auctoritatem codicum sequendam putavi.

760. *si modo.* Vid. 775. II, 330.

761. *meque assere coelo,* vindica me coelo, h. e. divinae origini sc. Phoebo.

762. Conf. v. 734. — 763. *Merops,* rex Aethiopum prope Aegyptum, conjux fuit Clymenes (II, 184.) et pater putativus Phaëthontis. — *Sorores,* Heliades. II, 346 sqq.

765. Heinsius, ut permultis aliis locis, tacite *est* delevit, quod abest a cod. Bersm., Berol., Gal., Goth. 2. et Rhen.

766. *coelo porrexit,* dat. pro *ad* cum accus., apud poetas frequens oratio. II, 580. II, 347. IX, 468. III, 695. IV, 92.

767. Dresd., Goth. 1. et exc. Cant. *que* omittunt.

769. *quod nos auditque videtque,* ut

Hoc te, quem spectas, hoc te, qui temperat orbem,
Sole satum. Si ficta loquor, neget ipse videndum
Se mihi, sitque oculis lux ista novissima nostris.
Nec longus patrios labor est tibi nosse penates:
Unde oritur, domus est terrae contermina nostrae;
Si modo fert animus, gradere et scitabere ab ipso.“
Emicat extemplo laetus post talia matris
Dicta suae Phaëthon et concipit aethera mente,
Aethiopasque suos positosque sub ignibus Indos
Sidereis transit, patriosque adit impiger ortus.

Hom. Il. III, 277. Ἥλιος, ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις.

770. *temperat*, regit certis legibus. IV, 169. *sidera qui temperat omnia luce.* Conf. XII, 94. 580. X, 108.

771. *ipse.* Ita cod. Bersm., Berol., Gal., Goth. 1., Rhen., Lips. 2., meliores Heins. et vett. edd. Vulg.: *ille.*

773. Heinsius tacite edidit: *labor est patrios*, quod Dresd., Gal., Rhen. et Lips. 2. confirmant, nisi quod in Lips. *est* deest. Berol., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 1. 2., Vrat. vett. edd. *patrios labor est.* — *patrii penates* sunt regia Solis s. Phoebi. Vid. v. 174.

774. *terrae domus est.* Berol., Gal., Goth. 1., Par. 1. 2., Rhen. et Lips. 2. *domus est terrae*, quod Heinsius tacite edidit. Vulg. *terrae domus est. Jahn.*

775. *si modo fert animus.* Vid. v. 1.

776. *emicat*, primum de igne et fulgore, dein pro exsilit. Conf. v. 27. V, 67. IV, 121. Virg. Aen. VI, 5. *juvenum manus emicat ardens.*

777. *et concipit aethera mente*, et aethera cogitat vel in aethera proficisci statuit. Val. Fl. III, 226. *spemque aetheris mente concipit.*

778. *Aethiopasque suos*, sc. unde ipse erat. Indi h. l. fere juxta Aethiopas ponuntur, ex opinione ac persuasione fabulosae vetustatis. Vid. not. I. H. Voss. ad Virg. Georg. II, 116. p. 306. Atque hinc etiam: *positos sub ignibus sidereis* q. e. Solis, explicandum. Vid. ad VI, 311. Multi Heins. *Aethiopesque.*

779. *patrios - ortus*, locum ubi Sol pater oritur.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER SECUNDUS.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro flammasque imitante pyropo,
Cujus ebur nitidum fastigia summa tenebat;
Argenti bifores radiabant lumine valvae.
Materiam superabat opus: nam Mulciber illic
Aequora caelarat medias cingentia terras,
Terrarumque orbem, coelumque quod imminet orbi.
Caeruleos habet unda deos, Tritona canorum,
Proteaque ambiguum, balaenarumque prementem
Aegaeona suis immania terga lacertis,
Doridaque et natas, quarum pars nare videtur,
Pars in mole sedens virides siccare capillos,
Pisce vehi quaedam; facies non omnibus una,
Nec diversa tamen: qualem decet esse sororum.

1. *Phaëthon, Solis et Clymenes Oceanitidis filius, impetrata a patre in fidem, quod vere filius ejus esset, agitandi cursus solaris in unum diem potestate, regere eum nescius mundum incendit, quo facto Jupiter eum fulmine de curru solari excussit, ut in Eridanum fluvium praecipitaretur. Inter luctum ob caesum Phaëthontem Cygnus cognatus in cygnum, sorores eius Heliades in arbores mutatae sunt.* Hyg. F. 152. Apoll. Rhod. IV, 597. Plin. H. N. XXXVII. c. 11. hanc fabulam tractasse docet Aeschylum, Philoxenum, Euripidem et Satyrum. Vid. Cluv. Ital. ant. de Pado c. 33. p. 386.

1. Virg. Aen. VII, 170. *Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis.* Conf. Trist. III, 1, 59.

2. *Pyropus*, mixtura trium partium aeris et quartae auri. Plin. H. N. XXXIV. c. 8. — 3. *opus*, artificium operis. *tenebat* Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1., Rhen., unus Sulm., plerique Heins. et ed. pr. Reliqui *tegebat*. — 5. *Mulciber*, Vulcanus a molliendo aere dictus, ex quo artificiosa opera fabricabatur. Cf. v. 106. XIII, 289. IV, 175 sqq.

5. Unus Leid., Gron. et Rhen. *materiem*. — 6. Conf. I, 14.

8. *caerul.* Vid. I, 275. — *canorum.* Est enim Neptuni tubicen. Vid. ad I, 333.

9. *Proteus*, deus marinus, qui varias accipere formas poterat. Virg. Georg. IV, 387 sqq. Hinc *ambig.*, q. e. incertae figurae. VIII, 732. IV, 279. *Premere aliquid* saepe in stante, sedente ac jacente dicitur. Vid. 148. 421. VIII, 34.

10. *Aegaeon*, unus de Centimanis sive Gigantibus (I, 152.), qui etiam Neptuni gener vel filius et deus marinus fingitur. Virg. A. X, 565. Hom. Il. I, 402 sqq. — 11. *Dor.* I, 187. — Dresd., Goth. 1. et IV Heinsii *videntur*, quod sine caussa recepit Heinsius. Vid. ad I, 92. — 12. *mole*, rupe, scopulo. XIII, 923. — *siccare.* Conf. XI, 770.

13. *pisce vehi.* Conf. XI, 237.

14. „*neque tamen diversa* (‚talis'), *qualem.*" Berol., Gal., Goth. 1., Rhen., Lips. 2., Vrat. et vett. edd. *non diversa.*

Terra viros urbesque gerit silvasque ferasque
Fluminaque et nymphas et cetera numina ruris.
Haec super imposita est coeli fulgentis imago,
Signaque sex foribus dextris totidemque sinistris.
Quo simul acclivo Clymeneïa limite proles
Venit, et intravit dubitati tecta parentis;
Protinus ad patrios sua fert vestigia vultus,
Consistitque procul: neque enim propiora ferebat
Lumina. Purpurea velatus veste sedebat
In solio Phoebus claris lucente zmaragdis.
A dextra laevaque Dies et Mensis et Annus
Saeculaque et positae spatiis aequalibus Horae,
Verque novum stabat cinctum florente corona;
Stabat nuda Aestas et spicea serta gerebat;
Stabat et Autumnus calcatis sordidus uvis,
Et glacialis Hiems, canos hirsuta capillos.
Inde loco medius rerum novitate paventem
Sol oculis juvenem, quibus adspicit omnia, vidit,
„Quaeque viae tibi causa? quid hac“ ait „arce petisti,
Progenies, Phaëthon, haud infitianda parenti?“
Ille refert: „O lux immensi publica mundi,
„Phoebe pater, si das hujus mihi nominis usum
Nec falsa Clymene culpam sub imagine celat;
Pignora da, genitor, per quae tua vera propago
Credar, et hunc animis errorem detrahe nostris.“
Dixerat; at genitor circum caput omne micantes
Deposuit radios propiusque accedere jussit,
Amplexuque dato „Nec tu meus esse negari
„Dignus es, et Clymene veros“ ait „edidit ortus.
Quoque minus dubites, quodvis pete munus, et illud
Me tribuente feres: promissi testis adesto
Dîs juranda palus, oculis incognita nostris.“
Vix bene desierat, currus petit ille paternos,

18. *signa*, XII sidera zodiaci. Conf. v. 78. — 19. *Clymen. proles*. I, 756.

20. *dubitati*. Vid. I, 751 sqq. Cf. VI, 208. — 22. *neque enim — lumina*. Conf. v. 40. — 26. *Horae* deae, filiae Themidis, praesides temporum ac ministrae Phoebi. Hesiod. Th. v. 901. Vid. Met. II, 118. — 30. *capillos*, acc. qui vocatur Graecus. I, 332. Conf. XV, 201 —213. — 31. *loco medius*. I, 40. 178.

33. *quaeque — ait*, h. e. *et ait: quae t. c. v.* Cf. I, 110. 757. Bersm. *viae est*.

36. Receptam scripturam Heinsius tacite reposuit. Berol., Gal., Goth. 1. 2., Pal. 2., Rhen., Vrat., Lips. 2. et sine dubio multi quoque Heins. cum vett. edd. *usum mihi nominis hujus*.

37. *falsa sub imagine*, ficto sub amatore (I, 754.), quo honestior culpa sit.

39. *errorem*, incertitudinem. Liv. I, c. 24. *nominum error manet*. — 41. *deposuit radios*. Cf. v. 144. et Virg. A. XII, 162. — 42. *„et non dignus es et Clymene . .“ Dignus* cum inf. I, 508. et passim. — 43. *edidit*, indicavit, narravit. III, 580. XI, 362. Ad *veros ortus* conf. v. 38. et 20.

44. 45. *et — feres*. Gal., Rhen., meliores (?) Heins. et ed. pr. *ut—feras*, quod induxit Heinsius, qui eandem orationem etiam multis aliis locis prave novavit. Cf. not. ad III, 518. et ad Trist. IV, 3, 83. *Feras* etiam Par. 2. et Lips. 2. — Berol., Dresd., pauci Heins. *promissis*, quod idem prave induxit Heinsius. Vid. ad XIV, 371. — 46. *dis jur. palus*, Styx. I, 139. *oculis incognita nostris*, quia Sol ea loca non adit. Cf. III, 289 sqq.

47. *vix bene*. III, 14. VII, 774. XI, 260. — Gal., Rhen., Lips. 2. et meliores(?)

Inque diem alipedum jus et moderamen equorum.
Poenituit jurasse patrem, qui terque quaterque
Concutiens illustre caput „Temeraria“ dixit
„Vox mea facta tua est. Utinam promissa liceret
Non dare! Confiteor, solum hoc tibi, nate, negarem.
Dissuadere licet. Non est tua tuta voluntas.
Magna petis, Phaëthon, et quae nec viribus istis
Munera conveniant nec tam puerilibus annis.
Sors tua mortalis; non est mortale, quod optas.
Plus etiam, quam quod superis contingere fas est,
Nescius affectas. Placeat sibi quisque licebit:
Non tamen ignifero quisquam consistere in axe
Me valet excepto. Vasti quoque rector Olympi,
Qui fera terribili jaculatur fulmina dextra,
Non agat hos currus: et quid Jove majus habetur?
Ardua prima via est, et qua vix mane recentes
Enitantur equi; medio est altissima coelo,
Unde mare et terras ipsi mihi saepe videre
Fit timor, et pavida trepidat formidine pectus.
Ultima prona via est, et eget moderamine certo.
Tunc etiam, quae me subjectis excipit undis,
Ne ferar in praeceps, Tethys solet ipsa vereri.
Adde, quod assidua rapitur vertigine coelum,
Sideraque alta trahit celerique volumine torquet.
Nitor in adversum nec me, qui cetera, vincit
Impetus, et rapido contrarius evehor orbi.

Heins. *rogat*. *Petit* respondet illi *pete* v. 44. Certe idoneam mutandi caussam non habebat Heinsius.

48. *alipedum*. Vid. v. 159.

50. *concutiens — caput*. I, 179. *„vox mea* (mea promissio) *tua voce* (tuis votis) temeraria facta est.

54. Cod. Bersm., Berol., Dresd., Gal., Goth. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat. et meliores Heinsii et ed. pr. *nec*. Vulg. *non*.

55. Par. 1., Rhen. et meliores Heinsii *conveniant*, quod recte Heinsius recepit. Ovidius enim constanter fere, si juxta adjectivum alterius adjectivi loco relativum ponit, conjunctivo utitur. Vid. v. 161. 763—765. VII, 657. IV, 303.

56. *non est mortale*, non est mortalis s. hominis, sed dei.

57. *fas est*. Ita Dresd., Goth. 2., Vrat., multi Heins. et vett. edd. excepta principe. — Quidam Heins. *fas sit*. Vulg. *possit*: male. nam definite loqui debet. — 59. *consistere*. Cf. 151.

61. Conf. I, 154. — 62. *habetur*. Gal., Goth. 1. 2., Rhen. et meliores Heinsii *habemus*. Sed insolentior illa, attamen Latina lectio omnium prope codd. et vett. edd.: *habetur*, librariorum inventionibus parum similis videtur. Pro vulg. *aget* Gal. et Rhen. *agit*. Meliores (?) Heins. *agat*. — 63. *prima via*, prima viae pars. Sic v. 67. *ultima*. — *recentes*, nocturna quiete recreati.

64. *enitantur*. Ita Seneca, Berol., Cant. et Rhen. — Par. 2. *emittantur*. Cod. Bersm. et II Heins. *emittuntur*. Reliqui *enituntur*. Cum Heinsio conjunctivum praetulimus. Vid. v. 55. — Hor. Od. III, 10, 10.

Hac arte Pollux et vagus Hercules
Enisus arces attigit igneas.

66. *fit timor*. Seneca, Abb., Dom., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2. a corr., Lips. 2., unus Sulm. Ciof., vetustiores Heins. et vett. edd. *fit*. Vulg. *sit*.

69. *Tethys*, conjux Oceani mater Clymenes, igitur avia Phaëthontis. Alia est *Thetis* mater Achillis. IX, 499. Quorum nominum diversa quantitas. Catull. LXIV, 28.

Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene suam Tethys concessit ducere neptem?

70. *vertigine*, volumine.

73. *impetus* sc. coeli, quod rapitur vertigine ab occidente ad orientem et cetera sidera trahit.

Finge datos currus; quid ages? poterisne rotatis
Obvius ire polis, ne te citus auferat axis?
Forsitan et lucos illic urbesque deorum
Concipias animo delubraque ditia donis
Esse. Per insidias iter est formasque ferarum.
Utque viam teneas nulloque errore traharis;
Per tamen adversi gradieris cornua Tauri,
Haemoniosque arcus, violentique ora Leonis,
Saevaque circuitu curvantem brachia longo
Scorpion, atque aliter curvantem brachia Cancrum.
Nec tibi quadrupedes animosos ignibus illis,
Quos in pectore habent, quos ore et naribus efflant,
In promtu regere est: vix me patiuntur, ubi acres
Incaluere animi, cervixque repugnat habenis.
At tu, funesti ne sim tibi muneris auctor,
Nate, cave, dum resque sinit, tua corrige vota.
Scilicet, ut nostro genitum te sanguine credas,
Pignora certa petis: do pignora certa timendo,
Et patrio pater esse metu probor. Adspice vultus
Ecce meos, utinamque oculos in pectora posses
Inserere et patrias intus deprendere curas!
Denique quicquid habet dives, circumspice, mundus,
Eque tot ac tantis coeli terraeque marisque
Posce bonis aliquid: nullam patiere repulsam.
Deprecor hoc unum, quod vero nomine poena,
Non honor est. Poenam, Phaëthon, pro munere poscis. —
Quid mea colla tenes blandis, ignare, lacertis?
Ne dubita: dabitur - Stygias juravimus undas -
Quodcumque optaris; sed tu sapientius opta."
Finierat monitus; dictis tamen ille repugnat,
Propositumque premit flagratque cupidine currus.
Ergo, qua licuit, genitor cunctatus, ad altos

74. *quid ages?* Cant., Pal. 2., Rhen., Thu. et VI Heins. *agas.* Gal., Goth. 2. pro v. l., Lips 2. et edd. Ven. 1486. et 1492. *agis.* Reliqui *ages,* quod in conjunctivum *agas* mutandi caussam non video; cum praesertim *poteris* sequatur. — *rotatis,* circumactis vertigine coeli.

76. *deorum.* Unus Ambr., Pal. 2., Rhen., Thu. et ed. pr. *domosque,* ex I, 301. — Eodem modo infra IV, 437 sqq. Tartaro urbem et forum tribuit.

78. *formae ferarum* sunt ipsae ferae. Dicit autem duodecim signa (v. 18.), quae poetae vivere finxerunt. I, 73. Ceterum quae signa sol annuo cursu transire dicitur, ea h. l. diurno itinere transiri finguntur; sc. licentia poetica.

79. *ut,* fac, finge.

80. *adversi,* contra te versi. Spectat enim Taurus, sidus, ad solem orientem. *Hyg. poet. Astron.* II. c. 21.

81. *Haemoniosque arcus,* Sagittarium, quem fabula Centaurum fingit, inde *Haemonios* h. e. Thessalos (I, 568.): nam Centauri erant e Thessalia. XII, 210sqq. Hyg. P. A. II. c. 27.

83. *aliter,* h. e. in diversam partem. De Scorp. vid. ad v. 95. — 86. *in promtu — est.* III, 96. Cod. Bersm., Goth. 2., Par. 1., multi Heins. et ed. pr. *ut,* pro vulgato *ubi.* — 89. Junge: *et dum res sinit.* — 91. *timendo,* ipso timore, eo quod timeo.

92. *Probor* construitur ut *dicor, dubitor.* VI, 208. *Adspice ecce,* ut *en aspice* v. 283.

94. *deprendere,* cognoscere.

97. Voss., Gron. exc. et VI Heins. *patiare.* — 101. *Styg. undas.* Vid. v. 48. — 102. *sapientius,* prudentius.

104. Propositum *premit,* qui in proposito consistit. Goth. 1. et XI Heins. *tenet,* ab inscito correctore.

105. *qua,* quantum, quatenus.

Deducit juvenem, Vulcania munera, currus.
Aureus axis erat, temo aureus, aurea summae
Curvatura rotae, radiorum argenteus ordo;
Per juga chrysolithi positaeque ex ordine gemmae
Clara repercusso reddebant lumina Phoebo.
Dumque ea magnanimus Phaëthon miratur opusque
Perspicit, ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores et plena rosarum
Atria. Diffugiunt stellae, quarum agmina cogit
Lucifer et coeli statione novissimus exit.
At pater, ut terras mundumque rubescere vidit
Cornuaque extremae velut evanescere Lunae,
Jungere equos Titan velocibus imperat Horis.
Jussa deae celeres peragunt, ignemque vomentes,
Ambrosiae suco saturos, praesepibus altis
Quadrupedes ducunt, adduntque sonantia frena.
Tum pater ora sui sacro medicamine nati
Contigit et rapidae fecit patientia flammae,
Imposuitque comae radios, praesagaque luctus
Pectore sollicito repetens suspiria dixit:
„Si potes his saltem monitis parere parentis:
Parce, puer, stimulis, et fortius utere loris:
Sponte sua properant; labor est inhibere volantes.
Nec tibi directos placeat via quinque per arcus.
Sectus in obliquum est lato curvamine limes,

106. *Vulcania*. Vid. v. 5.

108. *curvatura rotae*, circulus rotae.

109. *juga*, ligna transversa, quae imponebantur cervicibus equorum. *chrysolithi*. Vid. Plin. H. N. XXXVII. c. 9. Prop. IV, 16, 44.

Quosve dedit flavo lumine chrysolithos.

110. *repercusso Phoebo*. IV, 783. et 349. — 112. *nitido*. Medic. 1., Nor., Rhen. et III Heins. *rutilo*. Reliqui omnes *nitido*. — 114. *cogit* poetice, prae se agit, quatenus ultimus e coelo decedit. — *Lucifer stella Veneris* (ut scribit Cic. de N. D. II. c. 20.), *quae φωσφόρος Graece, Lucifer Latinis dicitur cum antegreditur solem, cum subsequitur autem Hesperus*. Cf. XV, 189. — *statione*, metaphora a re militari. Cf. XI, 97. 296. — 116. *pater*, Phoebus. — Vulgo *tum pater*. Gal. *cum*. Bersm. *tunc*. Joan., Goth. 2. a 1. m., Rhen., Thu., VI Heins. et ed. pr. *at pater*. — Voss. et Leid. *coelumque*.

118. *Horis*. Vid. ad v. 26.

119. Neap. et Urb. *dei*.

120. *Ambrosia* non modo cibus deorum est, sed etiam pabulum divinorum equorum. IV, 215. Hom. Il. V, 369. — Goth. 2. a 2. m., *plurimi Heins. et* ed. pr. *ambrosio*. — *praesepibus*, a praesepibus. — 122. *sacro medicamine*, suco divino. Conf. IV, 388. VI, 140.

124. *imposuitque*. Vid. v. 40.

125. *repetens*, ducens, trahens. I, 636. Neap. *reprimens*. — 126. *his*, sc. quae nunc propositurus est. Heinsius e conjectura dedit *hic*. Male. Idem edidit *paternis*, quod exhibent Par. 2., Goth. 1. 2., et IV Heins. Sed vulgata scriptura etiam gravior est. — 127. *stimulis*, qui erant pro flagello s. scutica. — Leid., Gron. et III Heins. *fortibus*.

128. *volantes*. Apte respondet illi *properant*. Hinc male cod. Bersm., Dresd., Lips. 2. a 2. m., Vrat., plurimi Heins. et ed. pr. *volentes*.

129. *arcus* h. l. sunt zonae coelestes. I, 45.

130. „*Sectus* (ductus) *est limes* (zodiacus, via solis) *in obliquum* (ad aequatorem) *lato curvamine* (lato spatio sese incurvans, ut fines utriusque zonae temperatae attingat)." Virg. Georg. I, 238.

— — — *via secta per ambas*
(zonas temperatas),
Obliquus qua se signorum verteret ordo.

Loquitur autem iterum ita, quasi totus zodiacus uno die percurrendus esset.

Zonarumque trium contentus fine polumque
Effugit australem junctamque aquilonibus Arcton.
Hac sit iter; manifesta rotae vestigia cernes.
Utque ferant aequos et coelum et terra calores,
Nec preme nec summum molire per aethera currum:
Altius egressus coelestia tecta cremabis,
Inferius terras; medio tutissimus ibis.
Neu te dexterior tortum declinet ad Anguem,
Neve sinisterior pressam rota ducat ad Aram:
Inter utrumque tene. Fortunae cetera mando,
Quae juvet et melius, quam tu, tibi consulat, opto.
Dum loquor, Hesperio positas in litore metas
Humida nox tetigit. Non est mora libera nobis;
Poscimur, et fulget tenebris Aurora fugatis.
Corripe lora manu, vel, si mutabile pectus
Est tibi consiliis, non curribus utere nostris,
Dum potes et solidis etiam nunc sedibus adstas,
Dumque male optatos nondum premis inscius axes.
Quae tutus spectes, sine me dare lumina terris."
Occupat ille levem juvenili corpore currum,
Statque super manibusque datas contingere habenas
Gaudet, et invito grates agit inde parenti.
Interea volucres, Pyroëis, Eous et Aethon,
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent pedibusque repagula pulsant.

132. *effugit*, vitat, non procedit ad polum australem. — Bas. 1., Pal. 1. 2., Rhen., III Heins. et pro v. l. Vrat. *effugito*, quod inscite dedit Heinsius. — *Arctos*, Ursa major, etiam Helice dicta, sidus septentrionale. Vid. ad v. 401. et ad 507. — 133. *hac sit iter*, verba monentis sunt. Nor. *hac fit*. Mendose. Conf. IV, 437. Ad *manifesta vestigia* vid. v. 167. — 135. *premere* h. l. valet *justo inferius agere — moliri*, agere cum notione laboris atque contentionis. Leid., Thu. et Bern. *per aëra*.

136. Heinsius tacite edidit *tecta*, quod etiam in cod. Bersm., Berol., Dresd., Gal., Goth. 1. et in marg. 2., Rhen., uno Sulm. et uno Vat. Ciof. et in Vrat. legitur. Vulg. *signa*.

138. *ad Anguem*. Twisd. 2., Lips. 2. et Vrat. *in Anguem*. Anguis, draco, sidus septentrionale inter Ursas. Virg. G. I, 244.

Maximus hic flexu sinuoso elabitur Anguis
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos oceani metuentes aequore tingui.

ubi vid. not. Voss. Cf. Met. III, 45.

139. Aram, sidus australe. — dexter. Stat Phoebus in oriente ad occidentem conversus, igitur septentrionem ad dextram habens.

140. *tene* sc. cursum. Conf. VIII, 206.

142. *Hesperia* pro occidente est, quo cum venisset nox, in mare sese praecipitaret. — *metas*. Cf. III, 145.

144. *poscimur*, necessitas adest provehendi. Cf. V, 333. — Gron. 1. pro v. l. *effulget*, quod prave edidit Heinsius.

147. *solidis sedibus*, ubi adstas, et non mobili curru. Thu., Goth. 1. 2. et Rhen. *etiamnum*.

148. *male*, malo s. damno tuo. Cf. XI, 136. IX, 493. *Premere* de sedendo et jacendo passim. Conf. 421.

150. *juvenili corpore*, juvenili levitate.

151. Cant., Lov. et multi Heins. *leves contingere*. — 152. *inde* primum recte emendavit Heinsius, quod est etiam in Berol., Briant., Gal., Goth. 1., Rhen., Lips. 2., utroque Sulm. et uno Vat. Ciof., Urs., Vrat. et ed. pr. Vulg. *ille*.

153. Nomina equorum Graeca, quorum primum ac tertium solis effectui conveniunt: πυρόεις, αἴθων s. φλέγων. *Eous* a Gr. ἠῷος. *Eous* autem primam et corripit et producit. IV, 197. X, 44.

155. *repagula*, carceres, obices, quibus via Solis praeclusa erat. — Cod. Bersm.,

Quae postquam Tethys, fatorum ignara nepotis,
Repulit, et facta est immensi copia mundi;
Corripuere viam, pedibusque per aëra motis
Obstantes scindunt nebulas, pennisque levati
Praetereunt ortos îsdem de partibus euros.
Sed leve pondus erat, nec quod cognoscere possent
Solis equi, solitaque jugum gravitate carebat;
Utque labant curvae justo sine pondere naves,
Perque mare instabiles nimia levitate feruntur:
Sic onere insueto vacuos dat in aëre saltus
Succutiturque alte similisque est currus inani.
Quod simulac sensere, ruunt tritumque relinquunt
Quadrijugi spatium, nec, quo prius, ordine currunt.
Ipse pavet, nec qua commissas flectat habenas,
Nec scit qua sit iter, nec, si sciat, imperet illis.
Tum primum radiis gelidi caluere Triones,
Et vetito frustra tentarunt aequore tingi;
Quaeque polo posita est glaciali proxima Serpens,
Frigore pigra prius nec formidabilis ulli,
Incaluit sumsitque novas fervoribus iras.
Te quoque turbatum memorant fugisse, Boote,
Quamvis tardus eras et te tua Plaustra tenebant.
Ut vero summo despexit ab aethere terras
Infelix Phaëthon penitus penitusque jacentes;
Palluit et subito genua intremuere timore,
Suntque oculis tenebrae per tantum lumen obortae,

Gal., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 1. 2., unus Sulm. et III Vat. Ciof., Vrat. et ed. pr. *flammigeris*. Vulg. *flammiferis*. Heinsius tacet. Naso prope nusquam *flammiger* dicit.

156. *nepotis*. Vid. ad v. 69.

157. *mundi*. Ita II Bersm., Cael. 1. 2., Dresd., Gal., Goth. 1. 2., Rhen., Sulm. 1. et unus Vat. Ciof., Vrat., plerique Heins. et ed. pr. Vulg. *coeli*, non male, sed prius grandius dictum est.

159. Par. 1. a 2. m., unus Thu. *findunt*. Reliqui *scindunt*, quod etiam naturae est aptius.

160. *euros*. I, 61. — 161. *cognoscere*, sentire. Di ut forma majores ita etiam ponderosiores. IV, 449.

163. *labant*, incertae huc et illuc nutant. — 164. *ferri* saepe de involuntario et celeri motu. — 165. *onere insueto* respondet illi *justo sine pondere* v. 163. Cod. Bersm., Cant., Flor., Gal., Pal. 2., Urb., Vat. 1. et II Heins. *assueto*. Leid. et Thu. *insolito*. Gal., Goth. 1., Rhen., Vrat. et nonnulli e melioribus Heinsii *in aëra*. Reliqui *in aëre*, quod mutare non debebant editores. est enim pro *per aëra*.

168. *quadrijugi*. Ita Goth. 2., Vrat. a 2. m. et meliores Heinsii. *Leid.*, *Urb.*, Dresd., Gal., Pal. 2. et margo Bersm. *quadrupedes*. Vulg. *quadrijuges*.

171. *Triones*. I, 64. Quae stellae quum nunquam occidant, fabula finxit, tingui aequore eas fas non esse. Vid. v. 528 sqq. et cf. IV, 91. Virg. G. I, 246.

Arctos oceani metuentes aequore tingui.

173. *Serpens*. Vid. v. 138.

174. Calor serpentibus furorem addit. Cf. v. 763. Senec. Epist. XLII.

175. *sumsitque iras*. Cf. III, 705.

176. *Bootes*, et ipsum sidus boreale juxta Ursam majorem s. Plaustrum, quod sequitur ac quasi servat, unde etiam Arctophylax dictus. Vid. ad v. 401. et 436.

178. *summo — terras*. Ita Heinsius tacite edidit, quod exhibent etiam cod. Bersm., Gal., Goth. 1., Rhen. et Lips. 2. — Dresd., Goth. 2., Vrat. et vett. edd. *terras — summo*.

177. *tardus*, quia agebat plaustrum. *Quamvis* cum indic. passim apud Nasonem. Vid. ad Tr. I, 2, 11. Met. I, 688. V, 581. — 179. *jacentes*. Berol., Cant., Flor., Medic. 2., Pal. 2., Thu., II Heins. et margo Gal. *patentes*. Male. De illo *penitus penitusque* cf. not. ad XI, 723.

181. Multi Heins. *obortae*. Cf. IV, 684.

Et jam mallet equos nunquam tetigisse paternos;
Jam cognosse genus piget et valuisse rogando;
Jam Meropis dici cupiens ita fertur, ut acta
Praecipiti pinus borea, cui victa remisit
Frena suus rector, quam dîs votisque reliquit.
Quid faciat? Multum coeli post terga relictum,
Ante oculos plus est: animo metitur utrumque,
Et modo, quos illi fatum contingere non est,
Prospicit occasus, interdum respicit ortus;
Quidque agat ignarus, stupet et nec frena remittit
Nec retinere valet, nec nomina novit equorum;
Sparsa quoque in vario passim miracula coelo
Vastarumque videt trepidus simulacra ferarum.
Est locus, in geminos ubi brachia concavat arcus
Scorpios, et cauda flexisque utrimque lacertis
Porrigit in spatium signorum membra duorum.
Hunc puer ut nigri madidum sudore veneni
Vulnera curvata minitantem cuspide vidit;
Mentis inops gelida formidine lora remisit.
Quae postquam summo sensere jacentia tergo,
Exspatiantur equi, nulloque inhibente per auras
Ignotae regionis eunt, quaque impetus egit,
Hac sine lege ruunt, altoque sub aethere fixis
Incursant stellis rapiuntque per avia currum,
Et modo summa petunt, modo per decliva viasque
Praecipites spatio terrae propriore feruntur.
Inferiusque suis fraternos currere Luna
Admiratur equos, ambustaque nubila fumant;

183. *jam cognosse.* Par. 1. et meliores Heins. *jamque agnosse. Cognovit* Phaëthon genus adhuc incognitum, addubitatum non agnovit; et plurimi et perboni codd. et vett. edd. *cognosse.*

184. *Meropis.* I, 763. *fertur* ut v. 164.

185. *pinus.* I, 95. – Vulg. cum Par. 2. *cuncta.* Sed Heinsius tacite edidit *victa,* quod cod. Bersm., Gal., Goth. 1. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 2. et ed. pr. tuentur: ac certe elegantius est.

186. *reliquit,* permisit. Fast. III, 593.

Vincitur ars ventis nec jam moderator habenis
Utitur, at votis etc.

189. *fatum — non est,* per fatum non licet. III, 478. Scripturam *fatum* confirmant cod. Bersm., Berol., Dresd., Gal., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 2., Vrat., Urs., III Vat. Ciof. plurimi Heins. et vett. edd. Alter Bersm., Par. 2. et Rhen. *fato.* Vulg. *fas tum.*

191. Jun., Leid., Thu. et Sprot. *et non.* — 192. Cf. V, 402.

193. *sparsa.* Cf. XI, 309.

194. *simulacra fer.* Vid. v. 78.

195. Scorpios coeleste signum inter Sagittarium et Virgiuem. Postea brachia ejus proprium sidus, *Libram,* fecerunt. Scripturam *Scorpios* Rhen. et meliores Heins. Vulg. *Scorpius.*

198. Cur Phaëthontem puerum h. l. appellet, apparet. — Huc pertinet Plin. N. H. XI. c. 25. *Scorpionis autem cauda desinit in curvatam cuspidem et semper in ictu est, nulloque momento meditari cessat, ne quando desit occasioni.* — 201. Berol., Gal., in textu Goth. 2., Par. 1, 2., nonnulli Heins. et edd. Venn. *summo tetigere jacentia tergo.* Neap. et Urb. *summum tetigere j. tergum.* Reliqui cum ed. pr. *summo sensere jacentia tergo,* quod mihi genuinum videtur. — 202. *exspatiantur* sc. e trita via. Vid. 130. — 206. *decliva* ut supra v. 19. *acclivo.* Cf. I, 39.

208. Etiam Luna s. Phoebe (I, 10.) curru vehitur. Trist. I, 3.

Lunaque nocturnos alta regebat equos.

Ad v. 211. cf. IV, 65.

209. **ambustaque.** Ita Berol., Dresd.,

Corripitur flammis, ut quaeque altissima, tellus,
Fissaque agit rimas et sucis aret ademtis;
Pabula canescunt, cum frondibus uritur arbor,
Materiamque suo praebet seges arida damno.
Parva queror: magnae pereunt cum moenibus urbes,
Cumque suis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt. Silvae cum montibus ardent:
Ardet Athos Taurusque Cilix et Tmolus et Oete,
Et tunc sicca, prius celeberrima fontibus, Ide,
Virgineusque Helicon et nondum Oeagrius Haemos;
Ardet in immensum geminatis ignibus Aetna,
Parnasusque biceps et Eryx et Cynthus et Othrys,
Et tandem Rhodope nivibus caritura, Mimasque
Dindymaque et Mycale natusque ad sacra Cithaeron;
Nec prosunt Scythiae sua frigora: Caucasus ardet,
Ossaque cum Pindo majorque ambobus Olympus,
Aëriaeque Alpes et nubifer Apenninus.
Tum vero Phaëthon cunctis e partibus orbem
Adspicit accensum, nec tantos sustinet aestus,
Ferventesque auras velut e fornace profunda
Ore trahit, currusque suos candescere sentit;
Et neque jam cineres ejectatamque favillam
Ferre potest, calidoque involvitur undique fumo;

Gal., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat., codd. Ciof., meliores Heinsii et vett. edd. Vulg. *combustaque*.

210. Neap. et Medic. *quaecunque*.

212. *pabula*, gramina. Heinsius hic ut multis aliis locis tacite induxit *arbos*, quod etiam Lips. 2. et Rhen. exhibent.

213. *suo — damno*, in suum damnum.

215. *cum suis populis*, cum populis ad quos pertinent, quorum partem faciunt. Briant., Cael. 1. 2., Capr., Dresd., Goth. 1., unus Sulm., multi Heins. et margo Urs. *terras*. Sed scriptura *gentes*, quam meliores Heins., Twisd. 1. 2., Par. 1. 2., et reliqui cum vett. edd. habent, Nasonianae verbositatis est.

217. *Athos*, mons Macedoniae. *Taurus* m. Ciliciae. Plin. H. N. IV. c. 12. *Taurus mons Asiae Cilix vocatur, quia mediam Ciliciam dividit*. Curt. VII. c. 3. *Tmolus* m. Lydiae. Plin. V. c. 29. XI. c. 156 sqq. *Oete* m. Thessaliam inter et Phocida. I, 313. Strab. IX. p. 655.

218. *celeberrima fontibus*, quae multos fontes habet. VI, 165. VIII, 626. Unde Homericum πολυπίδαξ Ἴδη. Ida autem m. Troadis. — Urb., III Heins. *et nunc*. Berol., Gal., Goth. 2., Par. 1. 2., Rhen. et ed. pr. *tunc*. Vulg. *tum*. *Nunc* a correctore est. Lips. 2. et edd. Venn. *Ida*.

219. *Helicon, m. Boeotiae, Musarum* virginum sedes. V, 254. Strab. IX. *Haemos* m. Thraciae, postea demum Oeagrius dictus ab Orpheo vate, Oeagri Thracii regis filio, qui in eo monte cantavit et a Maenadibus occisus est. Cf. VI, 415. 418. Formam *Haemos* nonnisi Barb., Gal. et Rhen. tuentur. Codd. Ciof. *Haemus*. Vulg. *Aemus*.

220. *geminatis*, quia etiam suo igne ardebat. Gal., Rhen. et meliores Heins. et Goth. 2. *Aetne*. Vulg. *Aetna*, quae vera scriptura videtur.

221. *Parnasus*. I, 317. *Eryx* m. Siciliae. V, 363. *Cynthus* m. insulae Deli. VI, 204. *Othrys* m. Thessaliae.

222. *Rhodope* m. Thraciae. *Mimas* m. Ioniae. *Dindyma* m. Phrygiae. *Mycale* m. Ioniae. *Cithaeron* m. Boeotiae, in quo sacra Bacchi trieterica celebrabantur. Vid. ad III, 702. — 223. De oratione *natus ad* vid. ad IX, 180. Neap. *aptusque*. — 224. *Scyth.* I, 64. *Caucasus* m. Asiae. Curt. VII. c. 3.

225. Vid. ad I, 154. 570. VII, 225.

226. *aëriae Alpes* etiam Virg. G. III, 474. De spondeo in quinto pede vid. ad I, 62.

228. Cod. Bersm., Goth. 2., unus Sulm., Vrat., multi Heins. et ed. pr. *accend.* — Jun., Lang. *incendi*.

229. *fornax* intelligenda vel aeraria vel calcaria. Cf. VII, 107.

Quoque eat aut ubi sit, picea caligine tectus
Nescit, et arbitrio volucrum raptatur equorum.
Sanguine tunc credunt in corpora summa vocato
Aethiopum populos nigrum traxisse colorem;
Tunc facta est Libye raptis humoribus aestu
Arida; tunc Nymphae passis fontesque lacusque
Deflevere comis: quaerit Boeotia Dircen,
Argos Amymonen, Ephyre Pirenidas undas.
Nec sortita loco distantes flumina ripas
Tuta manent: mediis Tanais fumavit in undis,
Peneosque senex Teuthranteusque Caicus
Et celer Ismenos cum Psophaico Erymantho,
Arsurusque iterum Xanthus flavusque Lycormas,
Quique recurvatis ludit Maeandros in undis,
Mygdoniusque Melas et Taenarius Eurotas;
Arsit et Euphrates Babylonius, arsit Orontes,
Thermodonque citus Gangesque et Phasis et Ister;
Aestuat Alpheos, ripae Spercheïdes ardent;

233. *picea cal. tectus.* I, 265.

235. 237. 238. Vulg. *tum.* Sed v. 235. cod. Bersm., Dresd., Rhen., Goth. 2., ed. pr. et Ven. 1., v. 237. Berol., Dresd. et ed. pr. et v. 238. ed. pr. *tunc.* Perpetua in toto hoc carmine diversitate, neque codicibus satis dijudicanda. Leid., Thu. et quidam alii Heins. *nunc.*

237. *Libye* Graecis dicta Africa. Plin. H. N. V. prooem.

238. Multi Heins. *sparsis.*

239. Conf. XIII, 689. *Dirce* fons nobilissimus Boeotiae prope Thebas.

240. *Amymone* fons Argolidis prope Lernam lacum. Strab. VIII. p. 371. *Pirene* fons Musis sacer in acropoli Corinthi. VII, 391. Nam *Ephyre* vetus nomen Corinthi. Strab. VIII. p. 511. *quaerit*, desiderat. Hor. Od. III, 24, 32. *Virtutem sublatam ex oculis quaerimus invidi.* Par. 1. et Strot. *Pirenidos.*

241. *flumina s. l. d. ripas*, flumina lata. — 242. *Tanais* fl. Scythiae, hodie *Don* dictus. Plin. H. N. IV. c. 12.

243. *Peneos* I, 569. *senex* I, 580. *Caicus*, Mysiae ac Phrygiae fluvius, *Teuthranteus* dictus a vicino monte Teuthrante, unde oritur. XV, 278.

244. *Ismenos*, fl. ad Thebas in Boeotia, unde persaepe *Ismenius* pro *Thebanus.* XIII, 682. *Erymanthus* fl. Arcadiae, *Psophaicus* dictus a Psophide urbe Arcadiae, ad eum sita. Codd. omnes et vett. edd. *Phocaico.* — Hiatus in hoc praecipue pede frequens, maxime in *nominibus propriis.* XI, 17. 93. V, 312. *409. VIII, 310.*

245. *arsurusque iterum.* Xanthus s. Scamander, fluvius Troadis, tempore belli Trojani, cum contra Achillem fureret, a Vulcano iterum incensus est. Hom. Il. XXI, 212 sqq. Met. IX, 232. — *Lycormas* torrens Aetoliae, postea Evenus dictus. XI, 104.

246. *Maeandros* fl. Phrygiae et Ioniae, qui ambagibus suis in proverbium abiit. VIII, 162. Plin. H. N. V. c. 29. Scripturam *Maeandros* tuentur cod. Bersm., Goth. 2., Rhen. et VI Heins. — Alter Bersm., Sulm. 1. 2., Dresd., Vrat. et edd. Venn. *Maeandrus.* Vulg. *Maeander.* — 247. *Melas* fl. Thraciae, *Mygdonius* a Mygdonibus, e Thracia ortis. Plin. H. N. IV. c. 11. Strab. VII. p. 295. XII. p. 575. — *Eurotas* clarus ille fl. Laconiae, *Taenarius* a Taenaro promontorio, ubi in mare infunditur.

248. *Euphrates* fl. Babyloniae. Curt. V. c. 1. *Orontes* fl. Syriae Antiochiam praeterfluens. — 249. *Thermodon* fl. Ponti. Curt. VI. c. 5. *Ganges* fl. Indiae. Plin. H. N. VI. c. 22. Curt. VIII. c. 9. *Phasis* fl. Colchidis in Asia. Strab. IX. p. 801. Curt. VI. c. 5. — *Ister* inferior pars Danubii. Vid. ad Trist. II, 189. Plin. IV. c. 12.

250. *Alpheos* fl. Elidis in Peloponneso. V, 487. Formam *Alpheos* habent Gal., Goth. 1. 2., Rhen., Vrat. et castigatiores Heinsii et Lips. 2. Vulg. *Alphëus. Spercheïdes* est in Goth. 2., Rhen., Vrat., omnibus Pal. Gebh., vetustioribus Heins. et ed. pr. — Vulg. *Sperchiades.* Conf. VII, 230. I, 640. De Spercheo fl. Thessaliae conf. I, 579.

Quodque suo Tagus amne vehit, fluit ignibus, aurum;
Et quae Maeonias celebrabant carmine ripas,
Flumineae volucres medio caluere Caystro.
Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitque caput, quod adhuc latet, ostia septem
Pulverulenta vacant septem sine flumine valles.
Fors eadem Ismarios, Hebrum cum Strymone, siccat,
Hesperiosque amnes, Rhenum Rhodanumque Padumque,
Cuique fuit rerum promissa potentia, Tibrim.
Dissilit omne solum, penetratque in Tartara rimis
Lumen et infernum terret cum conjuge regem;
Et mare contrahitur siccaeque est campus arenae,
Quod modo pondus erat, quosque altum texerat aequor,
Exsistunt montes et sparsas Cycladas augent.
Ima petunt pisces, nec se super aequora curvi
Tollere consuetas audent delphines in auras;
Corpora phocarum summo resupina profundo
Exanimata natant. Ipsum quoque Nerea fama est
Doridaque et natas tepidis latuisse sub antris.
Ter Neptunus aquis cum torvo brachia vultu
Exserere ausus erat, ter non tulit aëris ignes.
Alma tamen Tellus, ut erat circumdata ponto,
Inter aquas pelagi contractosque undique fontes,

251. *Tagus* fluvius Hispaniae aurum vehens. Mel. III. c. 4. — *fluit ignibus*, liquefactum s. igneum fluit. Respondet illis *fumavit*, *arsit*, *ardent*, *caluere*.

252. *carm. celebrabant* poetice pro frequentes cantus exercebant. *Celebrabant*, *sc.* tunc, cum haec fierent. Hinc male quidam Heins. (ipse *meliores* dicit), Goth. 1. et Rhen. *celebrarant*. Male etiam alii Heins., alter Bersm., Goth. 2. et edd. Venn. *celebrarunt*.

253. *Cayster* fl. Lydiae, cujus pars superior olim *Maeonia* dicta. Strab. VIII. p. 626. Plin. H. N. V. c. 29. *Volucres* autem intelligendae sunt cygni, quorum multitudine ille fluvius jam apud Hom. clarus. Il. II, 460. Cf. Virg. G. I, 384. De dulci cantu (*carmine* X, 453.) cygnorum, praesertim morientium, pleni sunt vett. poetae. Vid. Plat. Phaed. p. 84. et not. ad Met. V, 386. — 255. Nili fontes in Abyssinia Nasonis aetate ignoti, quod eleganter in usum suum convertit. De VII Nili ostiis V, 187. Strab. XVII. in.

257. *Hebrus* et *Strymon* fluvii Thraciae, *Ismarus* mons Thraciae, unde *Ismarius* pro *Thracicus*. — Libri veteres omnes *Hebrum*. Unus Neap. pro v. l. *Hebron*. — Heins. tacite edidit *fors*, quod etiam exstat in cod. Bersm., Cael., Dresd., Goth. 1. et a 1. m. 2., Rhen., I Sulm., Vrat. et vett. edd. Vulg. *sors*.

258. *Hesperios* hos amnes dicit, quatenus Graecis *occidentales sunt*.

259. *rerum potentia*, orbis terrarum imperium. Fast. VI, 359. Cf. Virg. A. I, 254 sqq. — Gal. et Rhen. *Thybrin*. Par. 1. *Tybrin*. Lips. 2. *Tybrim*. Berol. *Thybrim*. Ed. Ven. 1. *Thibrim*. Edd. pr., Ven. 2. *Tybrim*: Vulg. *Tibrim*. — 261. *infernum cum conjuge regem*, Plutonem cum Proserpina conjuge. V, 391 sqq. cf. V, 356. — 262. Urb. et Bern. *siccae quoque c.* — 264. *exsistunt*, emergunt. Vid. ad XIII, 893. I Sulm. et quidam Heins. *apparent*, ex gl. — *Cyclades* notae maris Aegaei insulae.

265. *curvi*, dorso repando. Fast. II, 113. — 266. *consuetas*, in quas exsilire consueverant. Plin. IX. c. 8. — 267. *summo profundo*, in superficie maris. Cf. XI, 197. *resupina*, ut solent mortua. — 268. *Nerea*. I, 187. Cf. ad v. 415. — Abb., Briant., Cael. 1. 2., Gal., Goth. 1., Lips. 2., Pal. 2., Par. 2. et meliores Heins. *natant* i. e. feruntur undis, recta et ex rei natura. Vulgo *jacent*. Iidem codd. cum Lips. 1. et Vrat. v. 269. *antris* pro vulg. *undis*. *Antra* deorum maris et fluviorum domicilia; et gravius est, hos deos in fundo maris sub antris iisque jam tepidis refugium contra aestum quaesivisse. — 270. *br. cum vultu*, br. et vultum. *torvo*, quod signum irae. — 271. IV Heins. *aestus*. Leid. *ignem*. — 272. „*ut erat circumd. ponto*, ac sic munita.“ Cf. I, 14. VI, 237. — 273. Cod. Bersm., Dresd. et meliores (?) Heins. que male omittunt. —

Qui se condiderant in opacae viscera matris,
Sustulit omniferos collo tenus arida vultus,
Opposuitque manum fronti, magnoque tremore
Omnia concutiens paullum subsedit et infra,
Quam solet esse, fuit sacraque ita voce locuta est:
„Si placet hoc, meruique, quid o tua fulmina cessant,
Summe deûm? Liceat perituraе viribus ignis
Igne perire tuo clademque auctore levare.
Vix equidem fauces haec ipsa in verba resolvo:“ —
Presserat ora vapor - „tostos en adspice crines,
Inque oculis tantum, tantum super ora favillae.
Hosne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem
Officiique refers, quod adunci vulnera aratri
Rastrorumque fero, totoque exerceor anno?
Quod pecori frondes, alimentaque mitia, fruges,
Humano generi, vobis quoque tura ministro?
Sed tamen exitium fac me meruisse: quid undae,
Quid meruit frater? Cur illi tradita sorte
Aequora decrescunt et ab aethere longius absunt?
Quod si nec fratris nec te mea gratia tangit;
At coeli miserere tui. Circumspice utrumque:
Fumat uterque polus; quos si violaverit ignis,
Atria vestra ruent. Atlas en ipse laborat,
Vixque suis humeris candentem sustinet axem.
Si freta, si terrae pereunt, si regia coeli;
In chaos antiquum confundimur. Eripe flammis,

275. *omniferos* eleganter de alma terra. Cf. *Add.* ad p. 35. — Thu. *omniparens*. Bas. 1., Dresd., Neap., Pal. 1. 2., Vat. 1., quidam alii Heins. et ed. pr. *igniferos*. Ill Heins. *horriferos*.

277. *infra quam*. Sall. J. 24, 5. *intellego illum supra quam ego sumpetere*.

278. Abb. et Urb. *sicca voce*. Optima omnium reliquorum codd. et vett. edd. scriptura *sacra* revocanda est. *Tellus* dea est. — *locuta est* II Bersm., Berol., omnes Ciof., Dresd., Gal., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et vett. edd., quod Heins. tacite edidit. Vulg. *profatur*.

280. „*liceat perituraе* (si tamen peritura sum) *viribus ignis tui* (fulmine tuo) *perire*.“ De *clad. auctore levare* v. ad V, 191. — 282. *fauces resolvo*. I, 181.

283. *presserat*, clauserat. — Goth. 2., Leid. et Dresd. pro gl. *calor*. — Multi Heins., Cant., Rhen, Lips. 2., pro v. l. Goth. 2. et ed. pr. *ustos*. Bern., Gal. et Par. 2. *nostros*, e gl. — 284. Vulg. *inque oculis fumum, volitant super o. f.* Rhen. *i. o. fumum, tantum est s. o. f.* Ed. pr. et Dresd. *i. o. volitant etiam* (Dresd. *tantum*) *s. o. f.* Nonnulli Heins. *i. o. tant. volitantque per o.* Goth. *2 pro v. l., Pal. 2.*, Lips. 2., quidam *Heins. i. o. t., volitant super o. f.* Par. 2. *i. o. tantum, tantum est s. o. f.* Berol., Gal., S. Gall., Goth. 2., Vrat. et vetustiores Heins. *i. o. tantum, tantum s. o. Jahn*. Et est ista lectio et simplex et repetitione illa *tantum* vere Nasoniana.

286. *vulnera*. Cf. I, 101. Plin. H. N. II. c. 63. *ferro, ligno, igne, lapide terra omnibus cruciatur horis*. — 287. *exerceor*, fatigor ac crucior. — 288. *mitia*. Vid. ad V, 342. — 289. *tura*, quorum dis maxima cura. I, 248. — Patav. *vobis quod*; sic sine idonea caussa H.

291. *frater*, Neptunus. Vid. ad I, 113. — *tradita sorte*, itaque summo ei jure debita ac propria. Hom. Il. XV, 190. — 294. *utrumque*, sc. polum. Sic Berol., Dresd., Gal., Lips. 2., meliores Heins. et ed. pr. Vulg. *utrimque*. Cf. v. 257. 258. — 295. Goth. 1., Rhen., Lips. 2. et meliores (?) Heins. *vitiaverit*. — 296. *atria*. I, 172.

296. *Atlas* coelum humeris sustinere fingebatur. IV, 661. — *laborat*. Plin. Paneg. c. 22. *tecta laborantia multitudine hominum insistentium*. Conf. interpp. ad Hor. Od. I, 9, 3.

299. *chaos*. I, 6 sqq. Lucan. I, 74.

— — *Si cum compage soluta*
Saecula tot mundi suprema coëgerit hora,
Antiquum repetent iterum chaos omnia.

Si quid adhuc superest, et rerum consule summae.“
Dixerat haec Tellus; neque enim tolerare vaporem
Ulterius potuit nec dicere plura, suumque
Retulit os in se propioraque manibus antra.
At pater omnipotens superos testatus et ipsum,
Qui dederat currus, nisi opem ferat, omnia fato
Interitura gravi, summam petit arduus arcem,
Unde solet nubes latis inducere terris,
Unde movet tonitrus vibrataque fulmina jactat.
Sed neque, quas posset terris inducere, nubes
Tunc habuit, nec, quos coelo dimitteret, imbres.
Intonat, et dextra libratum fulmen ab aure
Misit in aurigam, pariterque animaque rotisque
Expulit, et saevis compescuit ignibus ignes.
Consternantur equi, et saltu in contraria facto
Colla jugo eripiunt abruptaque lora relinquunt.
Illic frena jacent, illic temone revulsus
Axis, in hac radii fractarum parte rotarum,
Sparsaque sunt late laceri vestigia currus.
At Phaëthon, rutilos flamma populante capillos,
Volvitur in praeceps longoque per aëra tractu
Fertur, ut interdum de coelo stella sereno,
Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.
Quem procul a patria diverso maximus orbe
Excipit Eridanus fumantiaque abluit ora.

301. Goth. 1. 2., Dresd., Leid., Gron., Lov. *nec enim*. — 302. XX Heinsiani *poterat*. — 304. *ipsum qui* . ., Phoebum. — 307. *nubes latis*. Ita Dresd., Gal., Goth. 1. 2., Pal. 2., Vrat., vett. edd. et sine dubio permulti quoque codd. Heinsii. Reliqui *latis nubes*. Sed prior verborum ordo elegantior est, quia vis sententiae est in voce *nubes* non in *latis*. Heinsius, qui edidit *latis nubes*, de suis codd. tacet. — 310. Nonnulli Heins., Berol., Dresd., Gal., pro v. l. Goth. 2., Pal. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat. et vett. edd. *dimitteret*. Vulg. *demitteret*. — Dresd., Goth. 1., Sprot. *vibratum*.

311. *ab aure*, pingit; jacula enim excusso lacerto ab aure vel a latere mittuntur. Virg. A. IX, 417. *summa telum librabat ab aure*. Conf. Met. II, 624.

312. *pariterque animaque rotisque expulit*. Conf. v. 601. 506. III, 99. et IX, 409. Plin. Ep. VIII, 4. *pulsum regia, pulsum vita*.

313. *expulit* fulminis vehementiae accommodatius est, quam vulg. *exuit*; ac confirmant illud II Bersm., Dresd., Gal., Goth. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Sulm. 1. 2., Vrat., III Vat. aliique Cief., nonnulli Heins. et ed. pr. et Ven. 1.

314. *in contraria*, retro. inde *colla jugo excutiunt*. *Consternantur* cod. Bersm., Capr., Farn., Goth. 2. pro v. l., antiquiores Heins., Maff. 1. 2., Rhen. et edd. Venn. Vulg. *consternuntur*. Pro vulg. *facto* Goth. 2., quidam Heins., Sulm. 1. 2., Vrat., unus Vat. Cief. et ed. pr. *verso*. — 315. *eripiunt*. Codd. Cief. exceptis uno Maff., Abb., Briant. et Farn., porro II Bersm., Goth. 2., Twisd. 1. 2., Vrat. et ed. pr. *excutiunt*, quod dedit Heinsius et in nonnullis suorum codd. invenisse videtur. Vulg. *eripiunt*, quod et ipsum sententiae aptum et vero simplicius est. Senec. Hippol. 1084. *sonipedes — se luctantur jugo eripere*.

318. Neap., Flor. et Urb. *laceri late*.

320. *volvi* de decidente etiam VI, 238. — *in praeceps*, in caput s. prono capite.

321. *fertur*. Vid. v. 164.

322. *etsi*. Par. 1., unus Sulm., II Vat. Cief., Voss., II Leid., Gron., Lov. et plurimi (?) Heinsii cum ed. pr. *quae si*, quod prosam orationem et interpolatorem sapit. — 323. *diversus orbis* h. l. pars orbis terrarum opposita, sc. septentrionalis. *Gier*.

324. *Eridanus*, fluvius fabulosus, quem alii in Europae occidente ponunt, alii Padum in Italia intelligunt.

Naïdes Hesperiae trifida fumantia flamma
Corpora dant tumulo, signant quoque carmine saxum:
HIC SITUS EST PHAETHON, CURRUS AURIGA PATERNI:
QUEM SI NON TENUIT, MAGNIS TAMEN EXCIDIT AUSIS.
At pater obductos, luctu miserabilis aegro,
Condiderat vultus; et, si modo credimus, unum
Isse diem sine sole ferunt. Incendia lumen
Praebebant, aliquisque malo fuit usus in illo.
At Clymene, postquam dixit quaecumque fuerunt
In tantis dicenda malis, lugubris et amens
Et laniata sinus totum percensuit orbem,
Exanimesque artus primo, mox ossa requirens,
Reperit ossa tamen peregrina condita ripa,
Incubuitque loco, nomenque in marmore lectum
Perfudit lacrimis et aperto pectore fovit.
Nec minus Heliades fletus et inania morti
Munera dant lacrimas, et caesae pectora palmis
Non auditurum miseras Phaëthonta querelas
Nocte dieque vocant, adsternunturque sepulcro.
Luna quater junctis implerat cornibus orbem:
Illae more suo - nam morem fecerat usus -
Plangorem dederant. E quîs Phaëthusa, sororum
Maxima, cum vellet terrae procumbere, questa est

325. *fumantia.* Medic. 1. et Goth. 2. *spumantia*, quod temere edidit Heinsius. Nam unde *spuma* in corpore fulmine necato; et quid codicum consensus? Dresd., Goth. 1. 2., Gal., multi Heins. et ed. pr. *Najades.*

326. *Carmen* etiam de singulis aut paucis versibus, imprimis de inscriptionibus. IX, 793. II Leid. et Berol. *signantque hoc*, quod idem temere invexit Heinsius. De illo *signant saxum* conf. VIII, 540. XV, 169. — Cod. Bersm. et plurimi Heinsii *carmine factum.* Goth. 1. 2., Gal. in ras., Lips. 2., Vrat. *fatum.* Omnes frustra. — 328. *non tenuit*, obtinere, regere non valuit. Citat hunc locum Senec. de Vita beat. c. 21.

329. *At pater.* Antecessit: *Naïdes Hesperiae* (sc. Eridani et reliquae) *etc.* Jam pergit: *at pater.* Goth. 2., Vrat., Rhen. et vetustiores (?) Heins. *nam pater*, ut caussam contineat cur pater non ipse sepelierit. Cod. Bersm., Berol., Goth. 1., Pal. 2. a 2. m., Par. 2. et plurimi Heins. *jam.* Medic. *tum.*

330. *si modo credimus.* I, 760. 775. III, 284. — Lov. *illum.*

331. *incendia — in illo.* Inscitum sane acumen. — 332. *malo — in illo*, pro quo etiam genitivus poni poterat. *Conf. X, 213. 651. XIV, 269. XIII, 102. 333. Clymene, mater. I, 755. 756.*

335. *percensuit.* Fast. III, 109.
Signaque quae longo frater percenseat anno.

337. *peregrina*, quod majori dolori. II Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat., plurimi Heins. et vett. edd. *condita terra.* — 338. Cf. VIII, 539 sqq.

339. *aperto pectore*, scisso scil. vestitu, ut in gravissimo luctu. Cf. IV, 590.

340. *Heliades*, Solis e Clymene filiae et sorores Phaëthontis. II Bersm., Berol., Dresd., Erf. 1., Goth. 2., Hamb. 1. 2., Medic. 3., Pal. 1., Urb., Vrat. et XI Heins. *fletus.* Ed. pr. *deflent.* Goth. 2. in marg., Pal. 2., Par. 1. 2. et reliqui cum edd. Venn. *lugent*, quae mihi vera scriptura videtur, ut prius universe loquatur, deinde varia luctus signa sequantur. Cui scripturae favet etiam illud *nec minus.* — *inania*, vana, quia mortuum non ad vitam revocant. Pont. I, 7, 29.
Cui nos et lacrimas supremum in funere munus
Et dedimus medio scripta canenda foro.

341. *caesae pectora.* I, 332.

343. *adsternunturque.* Cf. VIII, 540. IX, 366. — 346. *Phaëthusa*, fem. vocis *Phaëthon.*

347. *terrae.* Cod. Bersm., Goth. 1. 2., Pal. 2., Vrat. et nonnulli Heins.

Diriguisse pedes; ad quam conata venire
Candida Lampetie, subita radice retenta est;
Tertia, cum crinem manibus laniare pararet,
Avellit frondes; haec stipite crura teneri,
Illa dolet fieri longos sua brachia ramos.
Dumque ea mirantur, complectitur inguina cortex,
Perque gradus uterum pectusque humerosque manusque
Ambit, et exstabant tantum ora vocantia matrem.
Quid faciat mater, nisi, quo trahat impetus illam,
Huc eat atque illuc, et, dum licet, oscula jungat?
Non satis est: truncis avellere corpora tentat
Et teneros manibus ramos abrumpit; at inde
Sanguineae manant tanquam de vulnere guttae.
„Parce, precor, mater," quaecumque est saucia, clamat,
„Parce, precor: nostrum laceratur in arbore corpus.
Jamque vale." . . Cortex in verba novissima venit.
Inde fluunt lacrimae, stillataque sole rigescunt
De ramis electra novis, quae lucidus amnis
Excipit et nuribus mittit gestanda Latinis.
Affuit huic monstro proles Stheneleïa Cygnus,
Qui tibi materno quamvis a sanguine junctus,
Mente tamen, Phaëthon, proprior fuit. Ille relicto -
Nam Ligurum populos et magnas rexerat urbes -
Imperio ripas virides amnemque querelis
Eridanum implerat silvamque sororibus auctam;
Cum vox est tenuata viro, canaeque capillos
Dissimulant plumae, collumque a pectore longe

terra. Cf. V, 122. VII, 578. et Amor. III, 2, 25. et not. ad Met. I, 766.

348. *diriguisse.* Cf. V, 186. 233.

349. Goth. 1. et Gron. *Iapetide.* Dresd., Vrat., Leid. et ed. pr. *Iapecie.* — *subita,* subito ex ipsa nata. Conf. I, 315. Ad rem conf. IX, 351. VII, 249.

350. *laniare,* ut V, 472. VI, 531. IX, 354. IV, 557. 139. XIII, 534. Pal. 2. *lacerare.*

354. *per gradus,* gradatim.

356. *quo trahat.* Ita Bersm., Dresd., Rhen., Lips. 2. et meliores Heinsii. — Pal. 2., Par. 1. 2. et reliqui cum vett. edd. *trahit,* quod ita teneri posset, ut ex narrantis persona dictum intelligeretur.

358. Berol., Goth. 1. et Lov. *evellere.*

359. „*et* (vere jam) *teneros ramos m. abrumpit.*" Male Barb., unus Mor. et Urb. *abrumpere.* — 360. Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Sulm. 1., unus Vat. Ciof., multi Heins. et ed. pr. *de corpore.* — 362. *laceratur.* Heinsius edidit *laniatur,* quod vett. libri non confirmant. — 363. *in verba — venit.* Conf. X, 497. Medic. a 1. m. et Urb. *vertit.* Gron. *vale et.* Ceterum in populos mutatas Ovidius *ipse dicit Pont. I, 2, 31.*

Vos quoque felices, quarum clamantia fratrem
Cortice velavit populus ora novo.

Alii in *alnos* aut *ulmos* aut *pinus* aut *larices* esse conversas fingunt. Heyn. ad Virg. A. X, 190.

364. *stillataque.* Conf. X, 501.

366. *gestanda;* nam pro monilibus sucina gestasse mulieres auctor est Plin. N. H. IV. c. 27. Vid. interpp. ad Juv. Sat. VI, 573. et IX, 50. Boettig. Sabin. p. 452. — *nurus* pro mulieribus passim. III, 529. — 367. *Cygnus* f. Sthenelei, rex Liguriae, materno genere Phaëthonti proximus, in eodem luctu in olorem sive cygnum transformatur. Hyg. Fab. 154. Virg. Aen. X, 190 sqq. — *huic monstro,* huic monstrosae transformationi. VII, 294. Scripturam *Cygnus,* quam leges sermonis Latini postulant, confirmant ed. pr. et antiquiores codd. Ciofani. Alia est scriptura *Cycnus.*

372. *sororibus* in arbores mutatis.

373. *vox est tenuata viro.* Ex voce virili et gravi facta est vox cygni tenuis. *Gier.* Menard. *viri.*

374. *dissimulant,* obtegunt. Her. IV, 56. *taurо dissimulante Jovem.* Conf.

Porrigitur, digitosque ligat junctura rubentes,
Penna latus velat, tenet os sine acumine rostrum.
Fit nova Cygnus avis, nec se coeloque Jovique
Credit, ut injuste missi memor ignis ab illo:
Stagna petit patulosque lacus, ignemque perosus,
Quae colat, elegit contraria flumina flammis.
Squalidus interea genitor Phaëthontis et expers
Ipse sui decoris, qualis, cum deficit orbi,
Esse solet, lucemque odit seque ipse diemque,
Datque animum in luctus, et luctibus adjicit iram,
Officiumque negat mundo. „Satis“ inquit „ab aevi
Sors mea principiis fuit irrequieta, pigetque
Actorum sine fine mihi, sine honore, laborum.
Quilibet alter agat portantes lumina currus.
Si nemo est, omnesque dei non posse fatentur;
Ipse agat, ut saltem, dum nostras tentat habenas,
Orbatura patres aliquando fulmina ponat.
Tunc sciet, ignipedum vires expertus equorum,
Non meruisse necem, qui non bene rexerit illos.“
Talia dicentem circumstant omnia Solem
Numina, neve velit tenebras inducere rebus,
Supplice voce rogant; missos quoque Jupiter ignes
Excusat, precibusque minas regaliter addit.
Colligit amentes et adhuc terrore paventes

Met. II, 731. — Joann. et nonnulli (?) Heinsii *longum*, quod temere edidit Heinsius. — De re conf. XIV, 499. 500.

375. *junctura*, cuticula.

376. *pennae* h. l. alarum sunt; nam *latus* alas dicit. Reliquum corpus plumis velatur. — *velat* proprium fere Nasonis in tali re vocabulum, neque inventum librariorum esse potest. Vid. not. ad Trist. V, 5, 10. VIII Heinsii *vestit*, quod idem sine caussa edidit Heinsius. — *Tenet os*, occupat locum oris. — 377. *Jovique*. Jupiter etiam pro aëre est.

378. „*ut memor ignis* (fulminis) *injuste ab illo* (*in Phaëthonta*) *missi*.“ Multi Heins. et pro v. l. Goth. 2. *tradit*.

381. Redit poeta ad Solis luctum v. 332., unde ad duas posteriores transformationes narrandas declinarat. — *Squalidus*, squalido habitu, more lugentium. X, 74. XV, 38. Plin. Epist. VI, 20. *Sol etiam effulsit, luridus tamen, qualis esse, quum deficit, solet*. Nam *cum deficit orbi* h. l. est in solis defectu. Flor., Hamb. 1., unus Heins. et Rhen. *orbem*. Conf. IX, 567. Duo Bersm., Goth. 1. 2., Pal., Lips. 1. 2., Vrat. et multi Heins. *orbe*. Reliqui *orbi*. Vera scriptura videtur *orbi*. Vid. Pont. I, 5, 8. *et not. ad* Trist. V, 13, 27. et Forcell. *in lex. Sed exspectanda est accuratior collatio codicum*. Nam *orbe*, ut ipsius solis orbis intelligatur, equidem non defenderim.

384. Goth. 2. et multi Heins. *animam*.

385. *officium* sc. currus ducendi.

391. *orbatura patres*. Cupidius loquitur, quasi Jupiter jam plures patres fulmine suo orbaverit.

392. *ignipedum*. Conf. v. 85. 119. 154. Stat. Theb. I, 27.: (Sol) *ignipedum frenator equorum*. Lov. *alipedum*. Dresd., Goth. 2., Lips. 1. 2. et edd. Venn. *tunc*. Heinsius tacite dedit *tum*, quod reliqui tuentur. Dresd. *sciat*.

393. *qui non bene rexerit*. Conf. v. 328. Goth. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Leid., Neap. *rexerat*. — 395. *neve velit inducere*, urbanius et blandius dictum est, quam *neve inducat*. — *rebus*, mundo. Conf. XV, 447. Goth. 2. pro v. l., Rhen., Ups. et ed. pr. *terris*, quod malum interpretamentum est.

397. *regaliter*, more regis. VII, 805.

398. *amentes — paventes*. Versus Leonini quos vocant apud Nasonem frequentes sunt. Sed tenendum illud est, Romanos *amentes* aliter legisse quam *paventes*; nam in *amentes* illud *es* in arsi est. Lips. 2., Urb. et Neap. *trementes*.

Phoebus equos, stimuloque dolens et verbere saevit:
Saevit enim, natumque objectat et imputat illis.
At pater omnipotens ingentia moenia coeli
Circuit et, ne quid labefactum viribus ignis
Corruat, explorat. Quae postquam firma suique
Roboris esse videt, terras hominumque labores
Perspicit. Arcadiae tamen est impensior illi
Cura suae, fontesque et nondum audentia labi
Flumina restituit, dat terrae gramina, frondes
Arboribus, laesasque jubet revirescere silvas.
Dum redit itque frequens, in virgine Nonacrina
Haesit, et accepti caluere sub ossibus ignes.
Non erat hujus opus lanam mollire trahendo,
Nec positu variare comas: sed fibula vestem,
Vitta coërcuerat neglectos alba capillos;

399. *stimulo*. Vid. v. 127. — *dolens*. „et propter dolorem amissi filii *et stimulo simul et verbere saevit*.“ Alter Reg. *domans*, perperam. De illo *saevit: saevit enim* conf. III, 629. 630. VI, 667. 668. et XI, 437. Cic. de Divin. I. c. 8.

Et matutinis acredula vocibus instat,
Vocibus instat et assiduas jacit ore querelas.

401. *Callisto filia Lycaonis regis Arcadiae* (I, 198.), *Jovis fraude corrupta a Diana nympharum choro expellitur, et postea Arcadem filium enixa a Junone in ursam mutatur; quam quum Arcas in venatione occidere vellet, et ipse in ursam mutatur. Quo facto Jupiter ambos et matrem et filium inter sidera collocat: materque ursa major sive Arctos* (v. 132.), *filius Arctophylax sive Bootes* (v. 176.) *vocatus est*. Apollod. III. c. 8. ibique Heyn. Hyg. F. 176. 177. P. A. II. c. 1.

401 sqq. Simillimus locus est V, 359 sqq. et XIV, 523. 524.

404. *hominumque labores*, opera, maxime agrestia. — Mor. *terrasque*.

405. *perspicit*, lustrat. Conf. V, 360. *Arcadiae — suae*, ut in cujus monte Parrhasio natus erat. Conf. VIII, 99. Callim. H. in Jov. v. 4—10.

406. *nondum aud. labi*. Vid. v. 274.

409. *redit itque*. Conf. Met. VIII, 163. 537. — *Nonacrina*, Arcadiae. Vid. ad I, 690. De spondeo in quinto pede vid. ad I, 62. — 410. *haesit* de amante. Amor. I, 8, 24.

Haesit et in vultu constitit usque tuo.

410. *accepti — ignes*, ut acceptum vulnus et sim. *Virg. VIII, 389. ille repente accepit solitam flammam*. — 411. *mollire*, carminare, purgare. Conf. IV, 34. Scaliger. ad Tib. I, 6, 80.

412. *positu*. Heinsius tacite edidit *positu*, quod cod. Bersm., Erf., Pal. Gebh., Goth. 2., Rhen., Lips. 1., Sulm. 1. et ed. pr. confirmant. Bas. 4. et Medic. 4. *positam comam*. Vulg. *positas — comas*, quae quidem teneri h. l. potest, ut *positas variare* sit pro *ponere et variare*. Verum prior scriptura et majorem habet auctoritatem codicum et sic etiam Naso locutus est Medic. fac. v. 19.

Vultis odoratos positu variare capillos.

Aptior quoque est versui praecedenti vel concinnior: *non erat hujus opus lanam mollire trahendo nec positu variare capillos*. Pro *sed* Rhen. et pauci Heins. *ubi*, quod dedit Heinsius, qui etiam semicolon post *arcum* posuit: ut *ubi fibula — arcum* efficiat protasin. Sed ea scriptura parum auctoritatis habet. — Medic. 2. pro v. l. *ut* et cod. Bersm. et unus Pal. *at*. Medic. 2., in ras. Neap., II Pal. Gebh., Lips. 2., Vrat., multi Heins. et edd. Venn. *sed*. — Berol., Goth. 1. 2., Pal. 2., II Pal. Gebh., Lips. 1., multi Heins., Viv. et ed. pr. *cui*. Dresd. et IX Heins. *huic*. Difficile est Nasonis manum discernere. Itaque dedi, quod mihi probabilius videbatur. — Ad sententiam conf. VIII, 318.

413. *vitta*. Vid. I, 477. et not. ad III, 170. Pro *coërcuerat* codd. Ciof. excepto Sulm. 1. omnes, Berol., Dresd., Goth. 1., Ups., Thu., ed. pr. et Ven. 1493. *coërcebat*, quod genuinum videtur. Heinsius de suis codd. tacet. — Dresd., Ups., Sprot. et IX Heins. *coërc. positos sine lege cap.*, ex I, 477. — *neglectos*, incompositos.

Et modo leve manu jaculum, modo sumserat arcum.
Miles erat Phoebes, nec Maenalon attigit ulla
Gratior hac Triviae. Sed nulla potentia longa est.
Ulterius medio spatium sol altus habebat;
Cum subit illa nemus, quod nulla ceciderat aetas.
Exuit hic humero pharetram, lentosque retendit
Arcus, inque solo, quod texerat herba, jacebat,
Et pictam posita pharetram cervice premebat.
Jupiter, ut vidit fessam et custode vacantem,
„Hoc certe conjux furtum mea nesciet“ inquit,
„Aut si rescierit, sunt o sunt jurgia tanti.“
Protinus induitur faciem cultumque Dianae,
Atque ait „O comitum, virgo, pars una mearum,
„In quibus es venata jugis?“ De cespite virgo
Se levat et „Salve numen, me judice“ dixit,
Audiat ipse licet, majus Jove.“ Ridet et audit
Et sibi praeferri se gaudet, et oscula jungit.
Nec moderata satis nec sic a virgine danda.
Qua venata foret silva narrare parantem
Impedit amplexu, nec se sine crimine prodit.
Illa quidem contra, quantum modo femina possit, —
Adspiceres utinam, Saturnia, mitior esses! —
Illa quidem pugnat; sed quae superare puella,
Quisve Jovem poterat superûm? — Petit aethera victor
Jupiter; huic odio nemus est et conscia silva.
Unde pedem referens, paene est oblita pharetram

415. *miles Phoebes*, venatrix. Nam *Phoebe* eadem quae Diana: Diana enim triplex dea atque in terris et ut dea venationis plerumque *Diana*, ut dea lunae *Luna* et ut dea inferorum *Hecate* appellabatur. Dea inferorum in triviis colebatur: unde v. 416. *Triviae*. Conf. I, 694 sqq. et 476 sqq. — *Maenalon*. I, 216. Ceterum amat Ovidius in Graecis nominibus hanc Graecam accusativi formam. XII, 1. IV, 784. VIII, 799. 261. VII, 413. Fast. IV, 249. al. Conf. not. ad v. 268. — 417. *ulterius medio*, ulterius quam medium. Fast. II, 164.

Aut plus aut medium sole tenente diem.

Goth. 2., Lips. 1., Vrat., et vett. edd. *spatium medio*. — 419. *lentos*, qui non facile flectuntur. — 421. *premebat*. Conf. v. 148. — *pictam*, distinctam auro, argento vel ebore. — 422. *fessam*. Conf. III, 163. — 423. *furtum*. Conf. I, 606. Heinsius de suo edidit *conjux furtum*.

424. Dresd., Men., II Heins., Sarrav. et Viv. *sunt o mihi j.* Par. 2. *sunt o tua j.* Rhen., Ups. et II Heins. *sunt o sua j.* Leid. *non sunt mihi j. t.*

425. *cultum*, arma et vestitus. III, 609. *X, 517. Conf. II, 413—415.* et I, 695—697. — 426. Conf. IX, 696. Fast. II, 156. *sacri pars una chori*. — 430. Conf. v. 704. et IX, 538. — 431. *a virgine*: nam Jupiter virgineae deae, Dianae, speciem et cultum acceperat. Ad rem cf. XIV, 658. 659. — Thu., Sprot., Voss. *non mod.*

434. Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Lips. 1. 2., Vrat. et vett. edd. *posset*. Mendose. Ciofanus et Heinsius tacent. Lov., Viv. et quidam Heins. *pugnat* loco *contra*.

435. *mitior esses*. Significat crudelem vindictam, quam dea Juno postea sumpsit. — *Saturnia*. Juno. Vid. I, 612.

437. *quisve — superûm*. Alii jungunt *superum aethera*, alii *superum Jovem*. Mihi verius videtur *quis superûm*; ut insit gradatio: *quae puella*, vel ne dicam quae puella, *quis superûm* poterat Jovem superare? — Leid. *posset*. Neap. Medic. *possit*. De repetitione *illa quidem* cf. Her. XIX, 151. 152.

Sternuit et lumen, posito nam scribimus illo,
Sternuit et nobis prospera signa dedit.

Vid. Met. XIII, 427. 580. et not. ad Trist. 1, 3, 101. — 438. *conscia* sc. laesae virginitatis. Conf. III, 290. — 439. II Bersm., Dresd., Goth. 1. et multi Heins. *inde*.

Tollere cum telis et, quem suspenderat, arcum.
Ecce, suo comitata choro Dictynna per altum
Maenalon ingrediens, et caede superba ferarum,
Adspicit hanc visamque vocat: clamata refugit,
Et timuit primo, ne Jupiter esset in illa.
Sed postquam pariter nymphas incedere vidit;
Sensit abesse dolos, numerumque accessit ad harum.
Heu quam difficile est, crimen non prodere vultu!
Vix oculos attollit humo, nec, ut ante solebat,
Juncta deae lateri, nec toto est agmine prima;
Sed silet et laesi dat signa rubore pudoris;
Et, nisi quod virgo est, poterat sentire Diana
Mille notis culpam. Nymphae sensisse feruntur.
Orbe resurgebant lunaria cornua nono,
Cum dea venatu et fraternis languida flammis
Nacta nemus gelidum, de quo cum murmure labens
Ibat et attritas versabat rivus arenas.
Ut loca laudavit, summas pede contigit undas.
His quoque laudatis „Procul est“ ait „arbiter omnis:
„Nuda superfusis tingamus corpora lymphis.“
Parrhasis erubuit. Cunctae velamina ponunt;
Una moras quaerit: dubitanti vestis ademta est,
Qua posita nudo patuit cum corpore crimen.
Attonitae manibusque uterum celare volenti
„I procul hinc,“ dixit „nec sacros pollue fontes“
Cynthia, deque suo jussit secedere coetu.
Senserat hoc olim magni matrona Tonantis,
Distuleratque graves in idonea tempora poenas.
Causa morae nulla est; et jam puer Arcas - id ipsum

441. *Dictynna*, Diana a Graeco δίκτυον, *rete*. — *comitata*, passive, ut VIII, 694. — *choro*, coetu sive turba comitum. Vid. 465. Fast. II, 155.

Inter Hamadryadas jaculatricemque Dianam
Callisto sacri pars fuit una chori.

443. *adspicit — visamque*. Vid. ad I, 402. — *clamata*. Cum nympha simularet, se levem vocem non audire, Diana clamabat. Conf. VI, 525. XIV, 397.

444. *in illa*. Conf. v. 425.

446. *numerumque — ad harum*. Conf. I, 289. VIII, 690. XI, 76.

451. *nisi quod virgo est*, quae talia signa laesae virginitatis non cognoscit, ut eae quae conceperunt. De *nisi quod* XIII, 895. IV, 673.

452. *nymphaeque — feruntur*. Perstringit eleganter libidinem nympharum, ut quae plus, quam virgo deberet, de ea re scirent. — 453. *orbe — nono*, cum partus instaret. Conf. X, 295. VII, 179. 530. Par. 1., Leid., Thu. et Lov. *refulgebant*. — 454. *fraternis*. Vid. ad v. 208. Cod. Raph. Regii, Sprot., Bern. et nonnulli (?) Heinsii *venatrix*. Berol. et Lips. 1. et reliqui: *Venatu et fraternis languida flammis*, quod mihi genuinum videtur. Dura nimis est constructio *venatu fraternis flammis* i. e. tempore aestus, nec auctoritatem vetustatis habet *venatrix*. Lov. *venata et*. III, 413.

Hic puer, et studio venandi lassus et aestu.

457. *summas pede cont. undas*, sc. tentandi caussa. Thu. *summo*.

458. *arbiter*, spectator ac testis. IV, 63.

459. Conf. III, 161 sqq.

460. *Parrhasis*, Callisto, ab Parrhasia oppido Arcadiae.

461. *dubitanti*. Viv. *cunctanti*.

464. *sacros*. *Sacri* sunt omnes fontes. Cant. *sacros ne*. *ne* etiam Leid.

465. *Cynthia*, Diana. Vid. ad VI, 204.

466. *hoc*. Vid. v. 423. *olim*, jam diu. Juv. VI, 346.

Audio, quid veteres olim moneatis amici.
magni Tonantis. Conf. I, 170.

Indoluit Juno - fuerat de pellice natus.
Quo simul obvertit saevam cum lumine mentem,
„Scilicet hoc unum restabat, adultera,“ dixit
„Ut fecunda fores, fieretque injuria partu
Nota, Jovisque mei testatum dedecus esset.
Haud impune feres: adimam tibi namque figuram,
Qua tibi, quaque places nostro, importuna, marito.“
Dixit, et arreptam prensis a fronte capillis
Stravit humi pronam. Tendebat brachia supplex:
Brachia coeperunt nigris horrescere villis,
Curvarique manus et aduncos crescere in ungues,
Officioqne pedum fungi, laudataque quondam
Ora Jovi lato fieri deformia rictu.
Neve preces animos et verba precantia flectant,
Posse loqui eripitur: vox iracunda minaxque
Plenaque terroris rauco de gutture fertur.
Mens antiqua tamen facta quoque mansit in ursa,
Assiduoque suos gemitu testata dolores,
Qualescumque manus ad coelum et sidera tollit,
Ingratumque Jovem, nequeat cum dicere, sentit.
Ah quoties, sola non ausa quiescere silva,
Ante domum quondamque suis erravit in agris!
Ah quoties per saxa canum latratibus acta est,
Venatrixque metu venantum territa fugit!

470. *quo*, sc. in puerum. Neap., Lips. 1. et unus Heinsii *advertit*. Conf. V, 231. XII, 467. — *saevam*, ultionis cupidam. — 471. *scilicet* h. l. confirmantis cum irrisione. Conf. III, 268. Scripturam *hoc unum* exhibent Abb., Berol., Cael., unus Sulm. et pro v. l. 2., Par. 2. et multi Heinsii. — Pal. 2. cum vulg. *hoc etiam*. — De illo *restabat* cf. VI, 539. — 473. *mei*, qui meus est.

474. *namque*. Cael., Goth. 1., nonnulli Ciof., meliores (?) Heinsii et ed. pr. *nempe*. Perperam. *Nempe* enim ita confirmantis est, ut ad quem conversa oratio sit rem affirmare et concedere exspectetur; ac plerumque post interrogationes et saepe non sine acerbitate ponitur. Conf. XIII, 93. IX, 497. IV, 194. VII, 166. Vid. not. ad Trist. III, 4, 23. Sed h. l. simplex oratio est: *haud impune feres, namque ego tibi etc.*

476. *arreptam*. Lips. 1. 2., pauci Heins. et margo Bersm. *adversa*. Berol., Dresd. et multi Heinsii *adversam*. Flor. et Par. 2. *aversam*. II Heinsii *aversa*. *Adversa*, quod vulgo editur, ad sententiam recte habet. Sed donec codices accuratius excussi fuerint, optimam vulgatam *arreptam* retinendam putavimus. Nam *prensis* juxta *arreptam* constare, *non dubitandum est.*

482. *animos*, iram, ut saepe pluralis *animi* pro iracundia ponitur. — *preces et verba precantia*, excidit Ovidio, quod emendaturus erat, ut plura in his carminibus, non emendato opere. Vid. ad Trist. I, 7. Virg. A. VII, 237.

Praeferimus manibus vittas et verba precantia.

Alii ex conjectura ediderunt *verba regantia*. — 483. *posse loqui*, loquendi facultas. Conf. XI, 177. Hor. Epist. I, 7, 27. *reddes dulce loqui*. Vid. etiam not. ad I, 33. — 485. Heinsius tacite edidit *tamen*, quod cod. Raph. Regii, Lips. 2r, varia l. Goth. 2. confirmant. II Bersm., Par. 1. 2. et reliqui cum vett. edd. *manet*, quod mihi genuinum, *tamen* autem ex glossa ortum videtur. Conf. IX, 320. Hoc dicit: *mens antiqua non mutata est, facta quoque permansit in ursa*. De illo *facta* conf. I, 566. Ad rem conf. III, 203.

486. *gemitu*, ex natura ursorum. Hor. Epod. XVI, 51. *circumgemit ursus ovili.*

487. *qualescumque*, qui qualicunque modo manuum vices praestabant. Poeta h. l. callide ursorum facultatem erecte standi et pedibus anterioribus quasi pro manibus utendi in usum suum convertit.

489. *sola*, deserta, solitaria. III, 394. VII, 819.

Saepe feris latuit visis, oblita quid esset,
Ursaque conspectos in montibus horruit ursos,
Pertimuitque lupos, quamvis pater esset in illis.
Ecce, Lycaoniae proles, ignara parentis,
Arcas adest, ter quinque fere natalibus actis;
Dumque feras sequitur, dum saltus eligit aptos
Nexilibusque plagis silvas Erymanthidas ambit;
Incidit in matrem, quae restitit Arcade viso
Et cognoscenti similis fuit. Ille refugit,
Immotosque oculos in se sine fine tenentem
Nescius extimuit, propiusque accedere aventi
Vulnifico fuerat fixurus pectora telo.
Arcuit Omnipotens, pariterque ipsosque nefasque
Sustulit, et celeri raptos per inania vento
Imposuit coelo vicinaque sidera fecit.
Intumuit Juno, postquam inter sidera pellex
Fulsit, et ad canam descendit in aequora Tethyn
Oceanumque senem, quorum reverentia movit
Saepe deos; causamque viae scitantibus infit:
„Quaeritis, aetheriis quare regina deorum
Sedibus huc adsim? Pro me tenet altera coelum.
Mentior, obscurum nisi nox cum fecerit orbem,
Nuper honoratas summo, mea vulnera, coelo
Videritis stellas illic, ubi circulus axem
Ultimus extremum spatioque brevissimus ambit.

495. *pater*. Pater Callistus, Lycaon jam ante in lupum mutatus erat. Vid. ad I, 163. — 496. *Lycaoniae*, Callistus Lycaonis filiae. — Barb., Langerm. et II Heins. *parenti*.

497. *ter quinque fere nat. actis*. Ita Exc. Cal., Cant., Erf. 1., Franc., Langerm., et pro v. l. Vrat., quod etiam Constant. Fanensis in libris invenit. — Reliqui: *ter quinque ferens natalibus annos*, in qua scriptura illud *annos ferre* quanquam Latinum, tamen insolens est. *natalibus* obscurum est. Conf. VIII, 242. XIII, 753. — 498. *aptos*, sc. venatibus.

499. *Erymanthidas*. Vid. 244.

503. *accedere aventi*. Ita II Pal. Gebh., Berol., Cant., Erf. 1., Medic. 1., Rhen., Urb., pro v. l. Vrat. et IV Heins. — Reliqui fere cum vett. edd. *accedere fugit*. Leid. *accedere jussit*. Idem pro v. l. Lov. — 505. *nefas*, matricidium, quod Arcas parabat.

506. *celeri raptos*. Multi Heins., Pal. 2., Lips. 1. et unus Vat. Ciofani *pariter raptos*. — *Sustulit* in dilogia positum est. Rapuit e terra ipsos, et prohibuit *nefas*, caedem matris. *Gier*. Conf. VII, 347. — *per inania*. Conf. IX, 223.

507. *vicina sidera*. Vid. ad v. 401. Fast. II, 189.

Signa propinqua micant: prior est quam dicimus Arcton,
Arctophylax formam terga sequentis habet.

508. *intumuit*. Conf. v. 602. — *pellex*, Callisto. — 509. *canam — Tethyn — Oc. senem*. Di maris plerumque senes finguntur. Hoc l. autem ita appellat, ut iis diis auctoritatem conciliet. De *Tethye* conf. v. 69. — 511. *infit*. Ita II Bersm., Abb., Berol., Goth. 1. 2., Joan., unus Maff., unus Vat. Ciof., IV Heins. et vett. edd. — Vulg. *inquit*; barbare et mendose. — 512. *regina deorum*. Duo Medic. et pro v. l. Thu. *dearum*. Virg. Aen. I, 46. eadem Juno:

Ast ego quae divom incedo regina, Jovisque
Et soror et conjux.

De dictione *aetheriis sedibus adsum* conf. X, 316.

513. *altera*. XIII, 775. XIV, 378.

514. *Mentior*. Lov. et edd. Venn. *mentiar*. Reliqui libri vett. omnes *mentior*. Sen. Epist. 116. *Mentior, nisi et quae alunt illud corpora sunt*. Conf. III, 271.

517. *brevissimus*. Intelligendus est circulus polaris, qui est brevior caeteris.

Est vero, cur quis Junonem laedere nolit
Offensamque tremat: quae prosum sola nocendo?
O ego quantum egi! quam vasta potentia nostra est!
Esse hominem vetui: facta est dea. Sic ego poenas
Sontibus impono; sic est mea magna potestas!
Vindicet antiquam faciem vultusque ferinos
Detrahat, Argolica quod in ante Phoronide fecit....
Cur non et pulsa ducit Junone, meoque
Collocat in thalamo, socerumque Lycaona sumit?
At vos si laesae tangit contemtus alumnae,
Gurgite caeruleo septem prohibete triones,
Sideraque in coelum stupri mercede recepta
Pellite, ne puro tingatur in aequore pellex.
Dî maris annuerant; habili Saturnia curru
Ingreditur liquidum pavonibus aëra pictis,
Tam nuper pictis caeso pavonibus Argo,
Quam tu nuper eras, cum candidus ante fuisses,

518. *est vero etc.* cum acerbitate dicta. *Junonem* cum vi pro *me*. Rhen. et multi Heins. *est aliquid cur*.

519. *quae prosum*. Rott. et Rhen. *prosim*, quod tam debili auctoritate vetustatis recipere non debebat Heinsius. Vid. XIII, 237. et not. ad Trist. I, 5, 47. — Quod ad rem, Juno Callisto in ursam mutarat, quae caussa fuerat, cur Jupiter eam inter astra collocaret. Itaque ipsa, invita sane, inimicae suae profuerat. — 520. *O ego*. III Heins., Thu. pro v. l. et ed. pr. *ecce ego*. III Heins. *en ego*. Unus Medic. *ergo ego*. Reliqui *o ego*, quod haud dubie verum est, et aptissimum huic affectui.

523. *Vindicamus* ea ex jure, quorum possessione excidimus. *Gier.*

524. *in Argolica — Phoronide*, in Ione. Vid. I, 668. et not. ad I, 724. — *In ante*. Arg., unus Mor., Par. 2., Rhen. et Thys. *et ante*. Ego mutare non audeo, cum exempla, ut inter praepositionem et nomen quod regit adverbia et alia hujusmodi ponantur, apud poetas non rara sint. — 525. *ducit* eam sc. uxorem, III Heins. *ducat*, et v. 526. Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., plerique Heinsii et vett. edd. *sumat*. Dresd. et V Heins. *collocet*. Reliqui *ducit*, *collocat* et *sumit*. Atque indicativi praeter quod multo majorem auctoritatem vetustatis habent, infenso Junonis animo aptiores, quippe rem praesentem vel statim futuram esse, conjunctivi autem rem fieri posse declarant. — *et pulsa* cod. Bersm., Par. 2., Rhen., nonnulli Heins. — Goth. 2. *impulsa*. Reliqui *expulsa*. Sed auget *rem additum illud et q. e. etiam, insuper*, et *pellere* in hac re usitatum. Her. IX, 131. ubi vid. not.

527. *vos*. Vid. v. 509. — *alumnae*. Tethys nutrix Junonis fuerat. — *tangit contemtus alumnae*. Ita Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 1. 2. et vett. edd.; et elegantiori sensu est et aptioribus numeris, quam vulg. *contemtus tangit alumnae*. — 528. *septem triones*, VII stellae Ursae majoris. Vid. ad I, 64. Conf. II, 171.

529. „*et sidera, mercede stupri, in coelum recepta pellite.*“ Goth. 1., Medic. 2., Neap., unus Thu., Urb. et II Heinsii *in coelo*. Naso constanter *recipere loco* sine praep. et *recipere in locum*. — 530. „*ne (impurissima illa) pellex puro in aequore tingatur.*“

531. *Corvus, qui prius albus Apollinique sacer fuerat, domino suo adulterium Coronidis amicae suae cum juvene quodam Thessalo (Ischyn appellant) indicat. Apollo Coronida occidit, et ejus ex ipso filium, Aesculapium Chironi Centauro educandum tradit. Corvum vero mali nuntium ex albo nigrum fecit. Intexuntur duae aliae fabulae: de Coronei filia in cornicem mutata et de Nyctimene in noctuam.* Apollod. III. c. 10. Hyg. F. 202. et Poet. Astron. II. c. 40. — 531. *Dî maris*. Vid. v. 509, 510. — *habili*, levi, X, 717.

532. *liquidum*. Vid. ad I, 23. *Aëra* Berol., Dresd., Goth. 2., Lips. 1. 2., Vrat. et optimi Heinsii. — Vulg. *aethera*.

533. *tam nuper pictis*. Vid. ad I, 668. 534. Contorta sane ad illam fabulam transitio.

Corve loquax, subito nigrantes versus in alas.
Nam fuit haec quondam niveis argentea pennis
Ales, ut aequaret totas sine labe columbas,
Nec servaturis vigili Capitolia voce
Cederet anseribus nec amanti flumina cygno.
Lingua fuit damno: lingua faciente loquaci,
Qui color albus erat, nunc est contrarius albo.
Pulcrior in tota, quam Larissaea Coronis,
Non fuit Haemonia: placuit tibi, Delphice, certe,
Dum vel casta fuit vel inobservata. Sed ales
Sensit adulterium Phoebeïus, utque latentem
Detegeret culpam non exorabilis index,
Ad dominum tendebat iter. Quem garrula motis
Consequitur pennis, scitetur ut omnia, cornix,
Auditaque viae causa „Non utile carpis“
Inquit „iter: ne sperne meae praesagia linguae.
„Quid fuerim quid simque vide, meritumque require:
Invenies nocuisse fidem. Nam tempore quodam
Pallas Erichthonium, prolem sine matre creatam,
Clauserat Actaeo texta de vimine cista,
Virginibusque tribus gemino de Cecrope natis
Hanc legem dederat, sua ne secreta viderent.

537. *sine labe*, sine maculis.

538. *nec servaturis etc.* Anseres postero tempore Manlii aetate Capitolium ascendentibus Gallis servasse, res nota e Liv. V. c. 47. Hinc Lucret. IV, 687.

Romulidarum arcis servator, candidus anser.

Eleganter autem hos nominavit anseres pro anseribus in genere. Vid. ad VIII, 686. — 542. *Larissaea.* Coronis f. fuit Phlegyae ex oppido Larissa in Thessalia. Nam *Haemonia* antiquum nomen Thessaliae (I, 568.), cujus urbs nobilissima *Larissa* ad Peneum fluvium.

543. *Delphice* appellatur Apollo, quia Delphis oracula edebat. I, 515.

544. *dum vel.* Cod. Bersm., Abb., Briant., Cael., Dresd., Goth. 2., Joan., Lips. 1., Sulm. 1., unus Vat. Ciof., Vrat., Thu., Par. 1., Sprot., VII Heins. et vett. edd. *vel dum.* Sed vulg. *dum vel* rectior est. — 547. *tendebat iter ad*, Virg. Aen. I, 656. *iter ad naves tendebat Achates.* — 548. Dresd., Lips. 2., Menard., Gron. et Sprot. *insequitur*.

551. *meritum*, culpa, peccatum.

552. *fidem*, sc. adversus Minervam.

553. *Erichthonius* fuit Vulcani filius [IX, 423.] miro modo, quem tamen afferre pudet, sine matre creatus. Minerva eum suscepit. Apollod. III. c. 14. Quae deinde secuta sunt, poeta narrat.

554. *Actaeo — de vimine. Nam in* Attica res evenit. Conf. v. 720. Unus Vat. Ciof., Leid., Gron. et Sprot. *facta de.*

555. *gemino. Geminus* (διγενής) Cecrops dicitur, συμφυὲς ἔχων σῶμα ἀνδρὸς καὶ δράκοντος. Apollod. III. c. 14. Ita *Chiron geminus* est v. 630., qui v. 664. *biformis est.* Tres illae Cecropis natae infra nominantur. — Codd. fere omnes et vett. edd. post hunc v. addunt:

Servandum dederat, sic inconfessa quid esset —

nisi quod in cod. Raph. Regii., cod. Naug., Par. 2., melioribus Heinsii et ed. Ven. 2. *servandam*, in cod. Naug., Par. 2. et ed. Ven. 2. *sed inconfessa*, in cod. Bersm. altero, Goth. 1. nonnullis Heins. *sed non confessa*, in cod. Raph. Reg. et quibusdam Heinsii *sed enim inconfessa.* II Bersm. confirmant *servandum*, alter *sic inconfessa.* In Lips. 2. versus ante v. 555. insertus est. Berol.

Servandum dederat, sua ne secreta viderent,
Servandum dederat, sic inconfessa quid esset,
Et legem etc.

In Vrat. et Par. 2. hic v. spurius in margine positus et in Vrat. a rec. m. scriptus est. Abest ab Erf. 1., Par. 1., Rhen. et II Heins. De codd. Pal. 2. et Ups. nihil liquet. Ciofani codd. versum habuisse videntur. Deleverunt post Heinsium omnes. Jahn.

Abdita fronde levi densa speculabar ab ulmo,
Quid facerent. Commissa duae sine fraude tuentur,
Pandrosos atque Herse; timidas vocat una sorores
Aglauros, nodosque manu diducit; et intus
Infantemque vident apporrectumque draconem.
Acta deae refero, pro quo mihi gratia talis
Redditur, ut dicar tutela pulsa Minervae,
Et ponar post noctis avem. Mea poena volucres
Admonuisse potest, ne voce pericula quaerant.
At, puto, non ultro, nec quicquam tale rogantem
Me petiit. Ipsa licet hoc a Pallade quaeras;
Quamvis irata est, non hoc irata negabit.
Nam me Phocaica clarus tellure Coroneus -
Nota loquor - genuit, fueramque ego regia virgo,
Divitibusque procis - ne me contemne - petebar.
Forma mihi nocuit: nam cum per litora lentis
Passibus, ut soleo, summa spatiarer arena;
Vidit et incaluit pelagi deus, utque precando
Tempora cum blandis consumsit inania verbis,
Vim parat et sequitur. Fugio, densumque relinquo
Litus, et in molli nequicquam lassor arena.
Inde deos hominesque voco: nec contigit ullum
Vox mea mortalem; mota est pro virgine Virgo,
Auxiliumque tulit. Tendebam brachia coelo:
Brachia coeperunt levibus nigrescere pennis.
Rejicere ex humeris vestem molibar: at illa

560. *diducit*. Duo Bersm., omnes Ciof., Dresd., Goth. 1., Pal. 2., Par. 1. 2., Vrat., plerique Heins. et vett. edd. *deducit*. Reliqui fere *diducit*, quod de *nodis* rectius et proprie dicitur. Vid. ad IV, 372. Cod. Jun. *at intus*, quod temere recepit Heinsius.

561. Goth. 2., Lips. 1., Vrat. a 1. m., Menard. *videt*. Cod. Bersm. *adspicit inf.*

564. *et ponar post noctis avem*, sc. quae nunc Minervae avis est.

566. *at puto* objectionem occupantis est. Conf. III, 266. XI, 425. *Puto* posteriori syll. correpta, ut XI, 425. VIII, 60. — 567. *petiit*, ultima producta, ut saepius. I, 114. Heinsius libros vett. mire turbare dixit, lectiones tamen non adscripsit, sed tacite edidit: *Me petiit. ipsa licet hoc a Pallade quaeras*. quae scriptura in marg. ed. Bersm., et codd. Par. 2., Rhen., Bersm. 2. et Goth. 2. exstat, nisi quod duo posteriores: *petit* pro *petiit*. — Goth. 1. et Pal. 2. *me petit. ipsa quidem licet hoc a P. q.* — Cod. Bersm. *me petit illa quidem, licet hoc a P. q.* — Ed. pr. *me petiit Pallas. licet hoc a P. q.* — Vrat. *me petit ipsa. licet hoc ipsa a P. q.* — Berol. *me petiit. hoc licet ex ipsa P. q.* — Par. 1., Lips. 1. 2. et edd. Venn. *me petiit. licet hoc ex ipsa P. q.* De Ciof. codd. non liquet. *Jahn*. Varietates ortae videntur a librariis, qui offendebantur producta ultima verbi *petiit*.

569. *Phocaica tellure*, Phocide.

571. Cod. Bersm., Goth. 1., Jun., Leid. et multi Heins. *nec me*.

572. Virg. Georg. I, 389.
(Cornix) *sola in sicca secum spatiatur arena.*
Medic. et II Mor. *nam dum*.

575. *tempora — absumsit*. Bersm., Goth. 1., Lips. 2. et plurimi (?) Heinsii *consumsit*. Utrumque dicitur. *Absumere tempus* etiam est Trist. IV, 10, 114. et Amor. I, 6, 70.

578. *contigit ullum*, movit ullum. Dresd. et Gron. *unde*.

579. *Virgo* h. l. *dea virgo*, q. e. Minerva. Conf. I, 695.

580. *coelo*. Conf. IX, 468. I, 766.

582. *rejicere*, prima syllaba producta. Vid. ad IX, 32. 513. IV, 475. Cod. Bersm. et multi Heinsii *dejicere*. *Molibar*, antiqua forma, quae apud poetas frequens est. Conf. VIII, 199. Dresd., Lips. 2., Menard., Leid., Thu., Sprot. conabar.

Pluma erat, inque cutem radices egerat imas.
Plangere nuda meis conabar pectora palmis:
Sed neque jam palmas nec pectora nuda gerebam.
Currebam: nec, ut ante, pedes retinebat arena,
Sed summa tollebar humo; mox acta per auras
Evehor, et data sum comes inculpata Minervae.
Quid tamen hoc prodest, si diro facta volucris
Crimine Nyctimene nostro successit honori?
An, quae per totam res est notissima Lesbon,
Non audita tibi est: patrium temerasse cubile
Nyctimenen? Avis illa quidem; sed conscia culpae
Conspectum lucemque fugit, tenebrisque pudorem
Celat, et a cunctis expellitur aethere toto.“
Talia dicenti „Tibi“ ait „revocamina“ corvus
„Sint precor ista malo; nos vanum spernimus omen.“
Nec coeptum dimittit iter, dominoque jacentem
Cum juvene Haemonio vidisse Coronida narrat.
Laurea delapsa est audito crimine amantis,
Et pariter vultusque deo plectrumque colorque
Excidit; utque animus tumida fervebat ab ira,
Arma assueta rapit fluxumque a cornibus arcum
Tendit, et illa suo toties cum pectore juncta
Indevitato trajecit pectora telo.
Icta dedit gemitum, tractoque a vulnere ferro
Candida puniceo perfudit membra cruore,

583. *radices egerat*, ut IV, 254. Confirmant hanc scr. Abb., Berol., Lips. 2. et multi e melioribus Heinsii. Vulg. *fixerat*, quod in hac re insolens est. — 584. *nuda*, nudata ruptis aut detractis vestibus. Pectora *plangere*, ferire, percutere, quod signum summi doloris, passim in his carminibus memoratur. Cf. III, 481. IV, 590. X, 723. 386. XIII, 688. VI, 248. XI, 726. — Lips. 2., Flor., Neap. et Bern. *tangere*. — 586. *nec-arena*. Cf. v. 577. XI, 336. 337. — 587. Arond. *et summa*. Cod. Bersm., Lips. 2., II Leid. et Neap. *mox alta*. Reliqui *acta*. — 588. *inculpata*, sincera, illaesa a viro. Cf. ad VIII, 665. — 589. *Quid tamen etc.* Transitio ad metamorphosin Nyctimenes.

589. *Nyctimene fuit filia vel Epopei regis Lesbiorum, vel Nyctei. Quae cum vi a patre compressa esset, a Minerva in noctuam mutata est, quae pudoris causa interdiu lateat*, ut auctor est Hyg. F. 204. 253. — 592. *temerare*, incestu polluere, ut XV, 501. — 593. *conscia culpae etc.* Conf. v. 377. — 594. *pudor* etiam de re pudenda. Vid. ad Her. I, 96. — 596. *revocamina malo* pro *a malo*. — 597. *domino*, Apollini. — 599. *cum Haemonio juvene*, Ischye. Vid. ad v. 531. Hesiod. Fragm. Pind. Pyth. III, 46 sqq. *Haemonius, Thessalus. I, 588. — 600. amantis*, Apollinis. 612. Pal. 4. Heinsii et Goth. 1. *amanti*, quod temere H. edidit. Vid. ad I, 541. III, 729. VI, 226. XI, 107. XIV, 371. et Praefat. *Laurea amantis* conjungendum esse apparet e contextu. Nam Apollo semper *lauream* gestabat. I, 559. — Cod. Bersm., Lips. 1. 2., Vrat., Jun., Voss. et Leid. *dilapsa*. — 601. *plectrumque*. Vid. ad I, 441.

602. *excidit* in dilogia positum est. Cf. 505. 506. 312. 313. IV, 175. X, 368. *Vultus excidit* ei, cujus vultus subito in tristitiam mutatur. Tib. IV, 2, 4. Liv. XXXIX, 34. Contrarium *vultum recipere* Fast. IV, 615. — *tumida ab ira*. 508. *intumuit Juno*. VIII, 396. 437. XIII, 559. Nonnulli Heins. *nimia. ab ira* I, 417. III, 571.

603. *arma-arcum*. Vid. ad I, 441. *Rapit* apte de impetu irati: quod exhibent Abb., Berol., 1 Medic., ed. pr. et Parm. Reliqui *capit*, quod genuinum videtur. — *a cornibus*, quoad cornua — 605. *indevitato*, certo, a Nasone novat. ut I, 289. *indejectus* Vid. ad Trist. I, 5, 28. et *Add.* ad p. 35.

606. Briant., Goth., Dresd. et Rhen. *a pectore*. Aliquot Ciof. *a corpore*, e gl.

607. Nonnulli codd. *pocniceo*. Sed Naso antiquas formas non affectat Goth. 2. pro v. l., Par. 1., Lips. 2., I Vat. Ciof. et III Heins. purpureo, ex glossa.

Et dixit „Potui poenas tibi, Phoebe, dedisse,
Sed peperisse prius: duo nunc moriemur in una.“
Hactenus, et pariter vitam cum sanguine fudit;
Corpus inane animae frigus letale secutum est.
Poenitet heu sero poenae crudelis amantem,
Seque, quod audierit, quod sic exarserit, odit;
Odit avem, per quam crimen causamque dolendi
Scire coactus erat, nec non arcumque manumque
Odit, cumque manu temeraria tela, sagittas;
Collapsamque fovet, seraque ope vincere fata
Nititur, et medicas exercet inaniter artes.
Quae postquam frustra tentata, rogumque parari
Vidit, et arsuros supremis ignibus artus;
Tum vero gemitus - neque enim coelestia tingi
Ora licet lacrimis - alto de corde petitos
Edidit, haud aliter quam cum spectante juvenca
Lactentis vituli, dextra libratus ab aure,
Tempora discussit claro cava malleus ictu.
Ut tamen ingratos in pectora fudit odores,
Et dedit amplexus, injustaque justa peregit;
Non tulit in cineres labi sua Phoebus eosdem
Semina, sed natum flammis uteroque parentis
Eripuit geminique tulit Chironis in antrum.
Sperantemque sibi non falsae praemia linguae
Inter aves albas vetuit consistere corvum.
Semifer interea divinae stirpis alumno

610. *hactenus*. XIV, 512. — 611. *inane animae*. Vid. ad XIII, 488. — 614. *crim. causamque dol.* Vid. ad I, 21.

615. Urb. et pro v. l. Cant. *nervumque arcumque*. Reliqui *nec non arcumque*. — 616. Cf. XIII, 401. — 617. *fovet*, sc. amplexu. Cf. v. 339. X, 187. — 618. *medicas — artes*. I, 521. X, 189.

620. *vidit*, optimam scripturam omnium vett. libb. Heinsius temere mutavit in *sensit*.

621. *neque enim etc.* Fast. IV, 521. *neque enim lacrimare deorum est.* Eurip. Hipp. 1395. ubi Diana: *καὶ ὅσσων δ' οὐ θέμις βαλεῖν δάκρυ*. — Dresd., Goth. 2., pro v. l. Vrat., Cant., Leid. et alii Heins. *nec enim*. Heins. ex uno Bas. temere edidit *decet*. — 622. *alto*, profundo. I, 656. — 624. *dextra libratus ab aure*. Vid. ad 311. — Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1., Ups., II Vat. Ciof., multi Heins. et ed. pr. *vibratus*.

615. *olaro*, ut clare audiretur.

626. *Ingrati* sunt odores propter causam, cur fundantur. — 627. *Justa* sunt supremi honores, qui *justa* vocantur, quia debentur mortuis. *Injusta* autem h. l. vocantur propter crudelem, quam *deus* sumsit, vindictam. Pauci Heins. et margo ed. Bersm. *invisaque justa* Cod. Bersm., Dresd., Goth. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 1. 2. et vett. edd. *injustaque busta*. Inepte, propter illud *peregit*. Reliqui omnes cum vulg. ut edidimus.

629. *sua semina*, prolem suam. De re cf. III, 311.

630. *Chiron*, Saturni e Philyra filius (Vid. ad VI, 125.) Centaurus, (Apollod. I. c. 2.), itaque superiori parte corporis homo, inferiori equus fuit. Hinc *gemini*, i. e. biformis. Conf. v. 555. 664. Fuit peritissimus artis medendi, fidibus canendi et venandi et habitavit in Pelio Thessaliae monte. Natus autem ille Apollinis et Coronidis est Aesculapius. XV, 624 seqq. — *tulit Chironis in antrum* i. e. ad Chironem, qui eum educaret.

632. *consistere*. Medic. 2. et Neap. *considere*. Construe: *et corvum speratem sibi praemia, quod vera nuntiasset, vetuit consistere* (esse) *inter albas aves*.

633. *Ocyrhoë Chironis filia vatidica dum patri et Aesculapio alumno ejus futuram sortem canit, in equam mutatur*. Hyg. P. A. II. c. 18. — 633. *semifer*, quia inferior corporis pars feri

Pluma erat, inque cutem radices egerat imas.
Plangere nuda meis conabar pectora palmis:
Sed neque jam palmas nec pectora nuda gerebam.
Currebam: nec, ut ante, pedes retinebat arena,
Sed summa tollebar humo; mox acta per auras
Evehor, et data sum comes inculpata Minervae.
Quid tamen hoc prodest, si diro facta volucris
Crimine Nyctimene nostro successit honori?
An, quae per totam res est notissima Lesbon,
Non audita tibi est: patrium temerasse cubile
Nyctimenen? Avis illa quidem; sed conscia culpae
Conspectum lucemque fugit, tenebrisque pudorem
Celat, et a cunctis expellitur aethere toto.“
Talia dicenti „Tibi“ ait „revocamina“ corvus
„Sint precor ista malo; nos vanum spernimus omen.“
Nec coeptum dimittit iter, dominoque jacentem
Cum juvene Haemonio vidisse Coronida narrat.
Laurea delapsa est audito crimine amantis,
Et pariter vultusque deo plectrumque colorque
Excidit; utque animus tumida fervebat ab ira,
Arma assueta rapit flexumque a cornibus arcum
Tendit, et illa suo toties cum pectore juncta
Indevitato trajecit pectora telo.
Icta dedit gemitum, tractoque a vulnere ferro
Candida puniceo perfudit membra cruore,

583. *radices egerat*, ut IV, 254. Confirmant hanc scr. Abb., Berol., Lips. 2. et multi e melioribus Heinsii. Reliqui *fixerat*, quod in hac re insolens est, et *figere* Naso plerumque ponere solet cum *in* et abl. — 584. *nuda*, nudata ruptis vestibus, ut passim in his carminibus. IV, 590. VIII, 527. X, 722. 386. Lips. 2., Flor., Neap. et Bern. *tangere*.

586. *ut ante*. Vid. v. 577. Conf. XI, 336. 337. — 587. Cod. Bersm., Lips. 2., II Leid. et Neap. *alta*.

589. *Quid tamen etc.* Transitio ad transformationem Nyctimenes. Nyctimene autem fuit Epopei Lesbi regis filia. Hyg. F. 204. et 253.

590. *Rursus alia adspergitur fabula, sed breviter.* V. 591—595. *Nyctimene fuit filia vel Epopei regis Lesbiorum, vel Nyctei. Vi eam a patre compressam, a Minerva mutatam esse in noctuam, quae pudoris caussa interdiu lateat, scribit* Hyg. F. 204. 253. *Gier.*

592. *temerare*, incestu polluere. Conf. XV, 501. — 599. *cum Haemonio juvene*. Vid. ad v. 531. Nam *Haemonius* est Thessalus. I, 588.

600. *amantis*. Pal. 4. Heinsii et Goth. 1. *amanti*, quod temere *edidit Heinsius*. Vid. ad VI, 604. et ad XIV, 371. Conjungendum: *laurea amantis*, ut liquido apparet e contextu. Conf. v. 612. — *Laurea;* nam Apollo semper lauream gestabat. I, 559. Cod. Bersm., Lips. 1. 2., Vrat., Jun., Voss., Leid. et Gron. *delapsa*. — 601. *plectrumque*. Vid. ad I, 441. et 518. — *Vultus plectrumque excidit*. Cf. 506. 312. et IV, 175. — *Vultus excidit* ei, cujus vultus subito in tristitiam mutatur. Contrarium est *vultum recipere* Fast. IV, 615.

602. *tumida — ab ira*. Supra v. 508. *intumuit Juno*. Conf. VIII, 437. XIII, 559. Nonnulli Heinsii *nimia*.

603. *arma assueta — arcum*. Vid. ad I, 441. *Rapit* apte de impetu irascentis; quod exhibent Abb., Berol., unus Medic., ed. pr. et margo Bersm. Reliqui *capit*, quod genuinum videtur. *A cornibus*, quoad cornua. — 604. *pectora jungere* passim de amplexibus.

605. *indevitato*. Conf. I, 289. et vid. not. ad Trist. I, 5, 28.

606. Briant., Goth. 1., Rhen., Gron. et multi Heins. *a pectore*. Aliquot Ciof. et multi Heins. *a corpore*, ex glossis.

607. Nonnulli codd. *poniceo*. Sed Nasonem antiquis formis perraro uti saepe jam notavimus. Goth. 2. pro v. l.,

Et dixit „Potui poenas tibi, Phoebe, dedisse,
Sed peperisse prius: duo nunc moriemur in una.“
Hactenus, et pariter vitam cum sanguine fudit;
Corpus inane animae frigus letale secutum est.
Poenitet heu sero poenae crudelis amantem,
Seque, quod audierit, quod sic exarserit, odit;
Odit avem, per quam crimen causamque dolendi
Scire coactus erat, nec non arcumque manumque
Odit, cumque manu temeraria tela, sagittas;
Collapsamque fovet, seraque ope vincere fata
Nititur, et medicas exercet inaniter artes.
Quae postquam frustra tentata, rogumque parari
Vidit, et arsuros supremis ignibus artus;
Tum vero gemitus - neque enim coelestia tingi
Ora licet lacrimis - alto de corde petitos
Edidit, haud aliter quam cum spectante juvenca
Lactentis vituli, dextra libratus ab aure,
Tempora discussit claro cava malleus ictu.
Ut tamen ingratos in pectora fudit odores,
Et dedit amplexus, injustaque justa peregit;
Non tulit in cineres labi sua Phoebus eosdem
Semina, sed natum flammis uteroque parentis
Eripuit geminique tulit Chironis in antrum.
Sperantemque sibi non falsae praemia linguae
Inter aves albas vetuit consistere corvum.
Semifer interea divinae stirpis alumno

Par. 1., Lips. 2., unus Vat. Ciof. et III Heins. *purpureo*, ex interpretamento.

610. *hactenus*. Conf. VII, 794. XIV, 512. — 615. *nec non arcumque*. Urb. et pro v. l. Cant. *nervumque arcumque*. Reliqui omnes *nec non arcumque*.

617. *fovet*, sc. amplexu. Conf. v. 339. X, 187. — 618. *medicas — artes*. Vid. I, 521. et X, 189.

620. *vidit*, optimam scripturam omnium codd., Heinsius temere mutavit in *sensit*.

621. *neque enim etc.* Fast. IV, 521. *neque enim lacrimare deorum est*. Eurip. Hipp. v. 1395. ubi Diana: καὶ ὅσσων δ' οὐ θέμις βαλεῖν δάκρυ. — Dresd., Goth. 2., pro v. l. Vrat., Cant., Leid., Gron. et alii Heins. *nec enim*. —

622. Heinsius ex uno Bas. sine omni caussa edidit *decet*. — 624. *dextra libratus ab aure*. Conf. v. 311. — Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1., Ups., II Vat. Ciof., multi Heins. et ed. pr. *vibratus*.

625. *claro*, ut clare audiretur.

626. *ingratos*. *Ingrati* sunt odores propter caussam, cur fundantur.

627. *injustaque justa*. Sic Par. 2., Goth. 2. pro v. l. et plerique reliqui codd. cum vulg. *Justa* sunt supremi honores, qui *justa* propterea vocantur, pars feri quia debentur mortuis. *injusta* autem appellantur propter crudelem, quam deus sumserat, vindictam. Nonnulli Heinsii et margo Bersm. *invisaque justa*. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 2., Par. 1., Rhen. et Lips. 1. 2. et edd. Venn. *injustaque busta*. Inepte, propter illud *peregit*.

629. *semina sua*, prolem suam. De re conf. III, 311.

630. *gemini — Chironis*, Chiron Saturni e Philyra filius (Vid. ad VI, 125.) Centaurus, itaque superiori parte homo, inferiori equus fuit. Hinc *gemini*, q. e. biformis. Conf. v. 555. et 664. Fuit praestantissimus medicus, musicus ac venator, et habitavit in Pelio Thessaliae monte. Natus autem ille Apollinis et Coronidis fuit Aesculapius. XV, 624 seqq. — Dresd. et Thu. *ad antrum*.

632. *consistere*. Medic. 2. et Neap. *considere*. Construe: *et corvum sperantem sibi praemia, quod vera nuntiasset, vetuit consistere inter albas aves*.

633. *Ocyrhoë Chironis filia vaticinadum patri et Aesculapio alumno ejus futuram sortem praedicit, in equam mutatur*. Hyg. P. A. II. c. 18.

633. *Semifer*, quia inferior corporis

Laetus erat, mixtoque oneri gaudebat honore.
Ecce, venit rutilis humeros protecta capillis
Filia Centauri, quam quondam nympha Chariclo,
Fluminis in rapidi ripis enixa, vocavit
Ocyrhoën. Non haec artes contenta paternas
Edidicisse fuit; fatorum arcana canebat.
Ergo ubi vaticinos concepit mente furores,
Incaluitque deo, quem clausum pectore habebat;
Adspicit infantem „Totique salutifer orbi
Cresce puer“ dixit: „tibi se mortalia saepe
Corpora debebunt: animas tibi reddere ademtas
Fas erit; idque semel dîs indignantibus ausus,
Posse dare hoc iterum flamma prohibebere avita,
Eque deo corpus fies exsangue, deusque,
Qui modo corpus eras, et bis tua fata novabis.
Tu quoque, care pater, nunc immortalis et, aevis
Omnibus ut maneas, nascendi lege creatus,
Posse mori cupies tum, cum cruciabere dirae
Sanguine serpentis per saucia membra recepto;
Teque ex aeterno patientem numina mortis
Efficient, triplicesque deae tua fila resolvent.“

sive equi. Stat. Th. IX, 220. *semifer Centaurus*. De re vid. ad v. 630. Cod. Bersm., a corr. Lips. 1., et multi Heins. *semivir*.

634. *oneri*, sc. educandi.

635. *humeros protecta*. Conf. v. 637. De accus. illo *humeros* vid. ad I, 332.

636. *Chariclo*. Ita Rhen., quod Naugerius auctoritate Pindari et Schol. Apollon. ad I, 554. recepit eumque secuti sunt reliqui editores; atque confirmant eam scripturam cod. Naug., decem e melioribus Heinsii, marg. Bas., unus Maff., Lips. 1. et pro v. l. Goth. 2., qui habent *Charicto*. Lips. 2. *Caricta*. Berol., plerique Heins. et Viv. et vulg. *Caici*. — 638. *artes — paternas*. Vid. ad v. 630.

639. Cod. Voss. *addidicisse*. Vid. VII, 99. XIII, 246.

640. *vatic. — furores*. Vaticinantes furore divino corripi credebantur. De verbo *concipere* hac potestate conf. X, 249. Urb. *fatidicos*, quod temere edidit Heinsius. Quidam Heinsii et Vrat. pro v. l. *faticinos*. — 641. *incaluitque deo*. Fast. VI, 5. de poetis:

Est deus in nobis, agitante calescimus illo.

Goth. 2., Lips. 2., II Leid., Lov., Menard. *in pectore*.

642. *salutifer*. Significat miram ejus, qua postea excelluit, artem medendi. Vid. XV, 622. et seqq. Cod. Bersm., Berol., Goth. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2. et Vrat. *totoque*.

646. *flamma avita* est fulmen Jovis: nam cum Aesculapius esset filius Apollinis, Jovis filii, Jovem habebat avum. Cod. Bersm., Berol., omnes Ciof. excepto Sulm. 1., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., omnes fere Heinsii et vett. edd. *prohiberis*. Sed scriptura vulgata *prohibebere* rectior est, futurum inter futura, eamque exhibent Sulm. 1., Vrat. a 2. m. et reliqui.

647. *eque deo*. Erat semideus ut dei filius, sed Jovis fulmine factus est *corpus exsangue*. Cum vero post mortem tanquam deus coleretur, *deus fiebat, qui modo corpus erat. — Bis tua fata novabis*, duplicem experieris metamorphosin, ex heroe in mortuum, et e mortuo in deum.

649. Jam patri futura fata canit. Berol., Goth. 2., Men., Rhen., Vrat. et castigatiores (?) Heinsii cum edd. Venn. *non jam mortalis*, quod mirum est optimae vulg. substituisse Heinsium. — Leid. *nec jam*. Par. 1. et IV Heins. *jam non*.

651. Dresd. et Par. 1. *cupias*.

652. *sanguine — recepto*, sc. tum, cum Hercules imprudens sagitta Lernaeae hydrae veneno tincta femur ejus percussit. Vid. Fast. V, 397 sqq.

653. *ex aeterno*, ex immortali.

654. *triplices deae* sunt Parcae, quae fata hominum [illegible]ebant et eadem resol-

Restabat fatis aliquid. — Suspirat ab imis
Pectoribus, lacrimaeque genis labuntur obortae,
Atque ita „Praevertunt me“ inquit „mea fata, vetorque
Plura loqui, vocisque meae praecluditur usus.
Non fuerant artes tanti, quae numinis iram
Contraxere mihi; mallem nescisse futura.
Jam mihi subduci facies humana videtur,
Jam cibus herba placet, jam latis currere campis
Impetus est: in equam cognataque corpora vertor.
Tota tamen quare? Pater est mihi nempe biformis.“
Talia dicenti pars est extrema querelae
Intellecta parum, confusaque verba fuerunt;
Mox nec verba quidem, nec equae sonus ille videtur,
Sed simulantis equam, parvoque in tempore certos
Edidit hinnitus, et brachia movit in herbas.
Tum digiti coëunt, et quinos alligat ungues
Perpetuo cornu levis ungula; crescit et oris
Et colli spatium; longae pars maxima pallae
Cauda fit; utque vagi crines per colla jacebant,
In dextras abiere jubas, pariterque novata est
Et vox et facies; nomen quoque monstra dederunt.
Flebat opemque tuam frustra Philyreïus heros,

vere vel dissolvere poterant. Tib. I, 7, 2.

Stamina non ulli dissoluenda deo. X, 31. *retexere fata.*

655. *„restabat fatis* (paternis) *aliquid*, sc. fore ut inter sidera referretur. Vid. Fast. l. l. Similis propemodum orationis conversio est I, 700.

657. *praevertunt me mea fata*, h. e. fata mea (transformationis) me prius et jamjam tangunt. Virg. Aen. VII, 807. *cursuque pedum praevertere ventos.* Lips. 1., VI Heins. et ed. pr. *praevertunt, inquit, me fata.* Berol., Dresd., Goth. 1., Lips. 2., pauci Heins. *praevertunt inquit mea fata.* Reliqui et edd. Venn., ut dedimus.

659. *artes*, sc. vaticinandi.

662. *cibus herba placet*, herba pro cibo placet. — 663. *cognataque.* Cum pater inferiori corporis parte equus esset (vid. ad v. 630.) et ipsa in equam verteretur, recte in *cognata* corpora verti se dicere poterat. — De oratione *impetus est currere* vid. ad V, 287. Scripturam *corpora* tenent Par. 1., Cael., Goth. 1., Lips. 1. et meliores Heinsii. Vulg. *pectora.* — 664. *nempe.* Vid. ad v. 474.

665. Conf. v. 363. Par. 1. *dicentis.*

666. Cod. Bersm., Pal. 1., Goth. 1., Rhen. et VI Heinsii *fuere.* Reliqui omnes cum vett. edd. *fuerunt.*

668. simulantis, imit[illegible] certos, veros, qui vere equi essent. — 669. *brachia movit in herbas*, h. e. porrexit, quippe quae pedes fierent.

670. *coëunt*, coalescunt. Contrarium canit I, 742. — 671. *perpetuo cornu*, h. e. non scisso, quale ungularum equinarum est. I, 4. — 673. *utque vagi crines etc.* Conf. v. 635.

674. *In dextras — jubas*, in dextram partem colli dependentes. Virg. Georg. III, 86.

Densa juba et dextro jactata recumbit in armo.

675. *monstra.* V. 367. *nomen*, sc. *Hippo* v. *Hippe*, a Graeco ἵππος, *equus.* — Cod. Bersm., Dresd., Rhen., Lips. 2., meliores Heins. et ed. pr. *dedere.* Reliqui *dederunt.* Exspectanda accuratior collatio codicum est.

676. *Battus quum abactas a Mercurio Apollinis pascentis boves contra promissum prodidisset, in saxum mutatur.* Hom. Hymn. in Mercur. Antonin. Liber. Metamorph. 25.

676. *Philyreïus heros.* Chiron erat Saturni filius ex nympha Philyra. Vid. ad v. 630. Virg. G. III, 92 sqq. Unde *heros* dicitur, h. e. dei filius. Rectam scripturam *Philyrëius* servarunt Berol., Goth. 2., Lips. 2. et I Sulm., quam tacite edidit Heinsius. Reliqui codd. variant.

Delphice, poscebat; nam nec rescindere magni
Jussa Jovis poteras, nec, si rescindere posses,
Tunc aderas: Elin Messeniaque arva colebas.
Illud erat tempus, quo te pastoria pellis
Texit, onusque fuit dextrae silvestris oliva,
Alterius dispar septenis fistula cannis.
Dumque amor est curae, dum te tua fistula mulcet,
Incustoditae Pylios memorantur in agros
Processisse boves. Videt has Atlantide Maja
Natus, et arte sua silvis occultat abactas.
Senserat hoc furtum nemo, nisi natus in illo
Rure senex, Battum vicinia tota vocabat.
Divitis hic saltus herbosaque pascua Nelei
Nobiliumque greges custos servabat equarum.
Hunc timuit blandaque manu seduxit, et illi
„Quisquis es, hospes," ait „si forte armenta requiret
Haec aliquis, vidisse nega; neu gratia facto
Nulla rependatur, nitidam cape praemia vaccam."
Et dedit. Accepta voces has reddidit hospes:
„Tutus eas: lapis iste prius tua furta loquetur."

677. *Delphice.* Vid. ad v. 543. — *rescindere*, resolvere, irrita reddere. Conf. XIV, 784. III, 336.

679. *Elin. Elis* regio Peloponnesi, uti etiam *Messenia*. Conf. XII, 549. Apollo ibi mercede pacta greges pascebat. Hom. Hymn. in Merc. v. 70. Non igitur aderat in Thessalia, ubi habitabat Chiron. Franc., Par. 1. et optimi Heins. *Messanaque* vel *Messaniaque. Messaniaque* etiam Rhen., Lips. 1., Vrat. et Goth. 2. Vulg. *Messeniaque.*

681. *onusque fuit dextrae silv.* Ita nonnulli Heinsii. Atque scripturam *dextrae* poscit illud *alterius* versus sequentis, quod sensu caret hoc versu *dextrae* deleto. Namque scriptura Flor., fragm. Leod., Pal. 2. et marg. cod. Pol., quam dedit Heinsius: *onusque fuit baculum silvestre sinistrae*, non una de causa suspecta est. Omnes Ciof., Pal. 2., Par. 1. 2., Ups. et reliqui prorsus mendose: *onusque fuit baculum silvestris olivae.*

682. *fistula cannis.* VIII, 192. I, 711. 684 sqq. Virg. Ecl. II, 36.

Est mihi disparibus septem composta cicutis
Fistula.

Goth. 1. et a 1. m. 2., Vrat., vetustiores Heinsii et ed. pr. *e septem.* Lips. 2. *cum septem.* — 684. *Pylios — in agros*, qui non longe aberant. Nam Pylos Messeniae oppidum, patria Nestoris. VIII, 365. — 685. *Atl. Maja natus.* Vid. ad I, 670. Par. 1. 2., Cant., Gron. et Thu.: *Atl. matre.*

686. *arte sua;* nam Mercurius *Callidus, quidquid placuit, jocoso Condere furto* — ut canit Hor. Od. I, 10, 7. Conf. XI, 312.

687. *natus.* Codd. Ciof. et Heins (?), Berol., Dresd. a corr., Goth. 1., Rhen., Lips. 1., Vrat. et edd. Venn. *notus.* Reliqui *natus*, quod mihi verum videtur.

688. *vocabat.* Pal. 4., Rhen., Urb., Vrat. pro v. l. et X Heinsii, *vocabant.* Sed mihi horum codicum auctoritas non tanta esse videtur, ut auctoritati reliquorum omnium praeferendam putem. Hor. Sat. II, 5, 106. *egregie factum laudet vicinia.* Conf. not. ad IV, 636. I, 92. et ad XII, 244. Alii Heinsii: *vicina hunc rura vocabant.* Goth. 2., Vrat. et quidam Heins. *vicinia rura vocabant.* — 689. *Nelei*, patris Nestoris. VI, 418. — 690. Lips. 1., a 1. m. Vrat. et multi Heins. *equorum.*

691. *et illi.* Heinsius inutilem sane conjecturam edidit: *et eja.*

692. *quisquis es.* I, 679.

696. *loquetur.* Dresd. et nonnulli Heinsii *loquatur.* Gravius est futurum et elegantius, quo res pro certo enuntiatur et vis asseverationis augetur. Virg. Ecl. I, 60.

Ante leves ergo pascentur in aethere cervi.

Prop. II, 15, 31.

Terra prius falso partu deludet arantes.

Et lapidem ostendit. Simulat Jove natus abire;
Mox redit et, versa pariter cum voce figura,
„Rustice, vidisti si quas hoc limite“ dixit
„Ire boves, fer opem furtoque silentia deme.
Juncta suo pretium dabitur tibi femina tauro.“
At senior, postquam merces geminata, „Sub illis
„Montibus“ inquit „erunt;“ et erant sub montibus illis.
Risit Atlantiades, et „Me mihi, perfide, prodis?
„Me mihi prodis?“ ait, perjuraque pectora vertit
In durum silicem, qui nunc quoque dicitur Index.
Inque nihil merito vetus est infamia saxo.
Hinc se sustulerat paribus Caducifer alis,
Munychiosque volans agros gratamque Minervae
Despectabat humum cultique arbusta Lyceï.
Illa forte die castae de more puellae
Vertice supposito festas in Palladis arces
Pura coronatis portabant sacra canistris.
Inde revertentes deus adspicit ales, iterque
Non agit in rectum, sed in orbem curvat eundem.
Ut volucris visis rapidissima miluus extis,
Dum timet et densi circumstant sacra ministri,
Flectitur in gyrum nec longius audet abire,
Spemque suam motis avidus circumvolat alis:
Sic super Actaeas agilis Cyllenius arces
Inclinat cursus et easdem circinat auras.

697. *Jove natus*, Mercurius. I, 670. — Thu. *abisse.*

701. *pretium.* Ita unus Thu. Reliqui cum vett. edd. omnes *pariter;* non male.

702. Goth. 1., Lips. 1. 2. et Vrat. *postquam est.* Heinsius tacet.

703. Berol., Dresd., Flor., Goth. 1., Neap., Pal. 2., Lips. 2., Vat. 1., Vrat. a 1. m., multi Heins. et ed. pr. *erunt et erant.* Goth. 2., Men., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. a corr., multi Heins. et edd. Venn. *erant et erant.* Sed prius mihi elegantius videtur, et majorem quoque habet auctoritatem codicum. Vid. Art. A. I, 223. Vulg. *eunt et eunt.*

704. *Atlantiades* prima syllaba correpta. IV, 644.— *me mihi perfide prodis.* Conf. v. 430. et VIII, 865.

708. *Aglaurus Cecropis Atheniensium regis filia* (v. 555.), *quum Mercurio opem suam ad conciliandum ei Herses sororis amorem promisisset nec promissis stetisset, a Minerva, offensa nupera perfidia et avaritia ejus, immissa Invidia in saxum mutatur.* Apollod. III. c. 14.

708. Caducifer. I, 671. — *paribus alis, leni volatu, non magnopere* motis s. percussis alis. Virg. Aen. IX, 14. *paribus nitens Cyllenius alis.— hinc,* Pylo. Vid. v. 684. — 709. *Munichia*, portus et pars Athenarum. — *grata Min. lucus* est urbs Athenae, quae Minervae sacra et sub ejus tutela erat. VI, 70 sqq.

710. *Lyceum* nobile gymnasium Athenis extra moenia. — Il Bersm., Berol., Cael. 1. 2., Dresd., Goth. 1., Maff. 1. 2., Lips. 2. et Stat. *despectabat*, quod Heinsius tacite edidit. Reliqui cum vett. edd. *despiciebat.*

712. *Palladis arces*, arx Athenarum (ἀκρόπολις), in qua erat nobile templum Minervae sive Palladis. Significat autem Panathenaea, quae quinto quoque anno celebrari solebant, et quibus nobiliores virgines canistra floribus et frondibus impleta in solemni pompa capite portabant.

713. Cod. Constant. Fanens. antiquus et Par. 1. 2. *tecta — sacra.*

716. *miluus*, trisyllabum per dialysin; atque hanc formam tuentur cod. Gifanii, Briant. a corr., Ern., meliores Heins. et ed. pr. Vulg. *milvius.* — *extis*, sc. victimae.

719. *motis — alis.* Cf. v. 825.

720. *Actaeas*, Atticas, a vetere Atticae nomine *Acte.* — *Cyllenius* I, 713.

721. *circinat*, in gyrum volat.

Quanto splendidior, quam cetera sidera, fulget
Lucifer, et quanto, quam Lucifer, aurea Phoebe;
Tanto virginibus praestantior omnibus Herse
Ibat, eratque decus pompae comitumque suarum.
Obstupuit forma Jove natus, et aethere pendens
Non secus exarsit, quam cum Balearica plumbum
Funda jacit: volat illud et incandescit eundo,
Et quos non habuit, sub nubibus invenit ignes.
Vertit iter, coeloque petit diversa relicto,
Nec se dissimulat: tanta est fiducia formae.
Quae quamquam justa est, cura tamen adjuvat illam,
Permulcetque comas, chlamydemque, ut pendeat apte,
Collocat, ut limbus totumque appareat aurum,
Ut teres in dextra, qua somnos ducit et arcet,
Virga sit, ut tersis niteant talaria plantis.
Pars secreta domus ebore et testudine cultos
Tres habuit thalamos, quorum tu, Pandrose, dextrum,
Aglauros laevum, medium possederat Herse.
Quae tenuit laevum, venientem prima notavit
Mercurium, nomenque dei scitarier ausa est
Et causam adventus. Cui sic respondit: „Atlantis
„Pleïonesque nepos ego sum, qui jussa per auras
Verba patris porto: pater est mihi Jupiter ipse.
Nec fingam causas; tu tantum fida sorori
Esse velis prolisque meae matertera dici.
Herse causa viae est: faveas oramus amanti.“
Adspicit hunc oculis isdem, quibus abdita nuper
Viderat Aglauros flavae secreta Minervae,
Proque ministerio magni sibi ponderis aurum
Postulat; interea tectis excedere cogit.
Vertit ad hanc torvi dea bellica luminis orbes,

723. *Phoebe.* Vid. v. 415. *Lucif.* Vid. v. 115. Var. *et quanto te, Lucif.*

725. *pompae.* Vid. 711. 712.

727. *Balear.*, quia incolae insularum Balearium clarissimi funditores erant. Conf. IV, 709. XIV, 825. Dresd., Neap., Lips. 1. 2., Urb., Vat. 1., Vrat., plurimi Heins. et ed. pr. *Balearia. — non secus, quam.* XIV, 829. XV, 180.

730. *diversa,* ut v. 323. *diverso orbe.* Conf. III, 649.

732. *justa,* deo digna.

734. Conf. III, 556.

736. *virga,* caduceus. Conf. I, 672.

716. — *talaria,* calceamenta alata. I, 671. — Cod. Bersm., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 1. 2., Vrat., multi Heins. et ed. pr. *et tersis. Ut* eleganter repetitur.

739. *possederat,* occuparat, tenebat. V, 239. I, 31. — 742. *Atlantis — nepos.* Conf. v. 837. et not. ad I, 669. — Genev., I Gron., II Medic., *Mor., I Pal., Rhen.* et Lips. 2.: *cui sic respondit Atlantis Pleïonesque genus. ego sum etc.* Her. XVI, 62.

Atlantis magni Pleïonesque nepos.

745. Goth. 1., Pal. 2., Menard., Jun. et Gron. *non fingam.*

746. *prolisque meae,* sc. futurae.

747. Heinsius tacite omisit *est,* quod abest a Berol., Goth. 2., Rhen. et Lips. 2. Reliqui *viae est. Jahn.*

748. *abdita,* tecta. Vid. v. 553 sqq.

752. *dea bellica.* Facta res est Athenis, urbe Minervae sacra. Vid. v. 712. Nam Minerva dea belli. VI, 78. — *luminis orbes.* Virg. Aen. XII, 670. *ardentes oculorum orbes.* Culex 221. *micant ardorem luminis orbes. Orbis* singulariter unum oculum significat. Conf. Amor. I, 8, 16. Val. Flacc. VI, 246. Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 2., Rhen., Lips. 2. et meliores Heinsii: *orbem.* Reliqui cum vett. edd. orbes.

Et tanto penitus traxit suspiria motu,
Ut pariter pectus positamque in pectore forti
Aegida concuteret. Subit, hanc arcana profana
Detexisse manu tum, cum sine matre creatam
Lemnicolae stirpem contra data foedera vidit,
Et gratamque deo fore jam gratamque sorori
Et ditem sumto, quod avara poposcerat, auro.
Protinus Invidiae nigro squalentia tabo
Tecta petit. Domus est imis in vallibus hujus
Abdita, sole carens, non ulli pervia vento,
Tristis et ignavi plenissima frigoris, et quae
Igne vacet semper, caligine semper abundet.
Huc ubi pervenit belli metuenda virago,
Constitit ante domum - neque enim succedere tectis
Fas habet -, et postes extrema cuspide pulsat.
Concussae patuere fores. Videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum,
Invidiam, visaque oculos avertit; at illa
Surgit humo pigre, semesarumque relinquit
Corpora serpentum, passuque incedit inerti.
Utque deam vidit formaque armisque decoram,

755. *Aegida*. *Aegis* erat tegumentum pectoris Minervae, in quo Gorgonis caput insculptum erat. IV, 803. — *subit*. XII, 472. — 756. Leid. et ed. pr. *detraxisse*. — 757. *Lemnicolae stirpem*, Vulcani filium i. e. Erichthonium. Vid. v. 552 sqq. *Vulcanus* autem *Lemnicola* et *Lemnius* (IV, 185.) dicitur, quia propter corporis deformitatem e coelo in Lemnum insulam dejectus esse traditur, ubi quoque officinam habebat et imprimis colebatur. IV, 185.

758. Sensus est: *et* (eandem Aglaurum illo ministerio) *gratamque deo* (Mercurio) *et* (eodem ministerio) *gratam sorori jam fore, et* (insuper) *ditem sumto* sive accepto, *quod avara poposcerat auro*. — Vulg. *ingratamque deo fore jam ingratamque sorori*, quam scripturam exhibent Par. 2., Ups. et pro v. l. Vrat., cum quibus parvo discrimine cod. Berol., ed. pr., Goth. 2., Pal. 4. Gebh. — Arond., Flor., Hamb. 1., Medic. 3., Pal. 1., Rhen., et exc. Theat., ut edidimus. Par. 1. et Vrat. *jam gratamque d. f. gratamque*, cujus lectionis vestigia etiam in Par. 2., Pal. 2., uno Stroz. et Urb. exstare testatur Heinsius.

759. *poposcerat*, ex mente poetae dictum. Unus Bas. *poposcerit*.

760. *Invidia* h. l. personata, ut XII, 39. *Fama*, quem locum cum isto confer.

761. Berol., Dresd., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., praestantiores Heins. et vett. edd. *imis in vallibus antri*, ut *valles antri* sint recessus antri. Sed huic scripturae parum conveniunt quae sequuntur: *constitit ante domum*. Num enim in antrum intrasse deam et ibi ante Invidiae fores stetisse putemus? Itaque mihi genuina videtur scriptura vulg. *hujus*, sc. Invidiae.

763. *ignavi frigoris*. Vid. v. 174.

764. Voss., Par. 1., Dresd., Lips. 2. et ed. pr. *vacat .. abundat*. Cf. IV, 302.

765. *belli metuenda virago*. Minerva, virginea dea belli. Vid. v. 579. IV, 754. V, 46. — *belli*, causa, a parte belli. Est genitivus quem exeundi s. rationis appellant. Sil. XVI, 249. *venerandus sceptri*. Claud. Cons. Honor. VI, 176. *gladii tremendus*. Vid. X, 225. 616. VI, 137. I, 623. et not. ad Trist. III, 6, 31. Sed multi codd. et vett. edd. *bello*. III Heinsii *bellis*. *Belli* exhibent Berol., Par. 2., Bon. 1., alter Hamb., Pal. 2., Thu., alter Twisd., Urb. et Zulich.

766. Dresd., Voss., Thu., Leid., Sprot. et Lov. *nec*.

767. *cuspide*. VI, 78.

771. *pigre*. Codd. omnes fere Gifan., cod. Bersm., Goth. 1., Par. 1. 2., Lips. 2. et meliores (?) Heinsii *pigra*. Reliqui cum vett. edd. *pigre*, quod respondet illi *passu inerti* v. 772. — Cant., Jun., Leid., Lov., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 1. 2., Vrat. et ed. Ven. 2. *reliquit*. Reliqui omnes *relinquit*, quod etiam praestat, ut inter praesentia *surgit* et *incedit*.

Ingemuit vultumque ima ad suspiria duxit.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno;
Risus abest, nisi quem visi movere dolores;
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos intabescitque videndo
Successus hominum, carpitque et carpitur una,
Suppliciumque suum est. Quamvis tamen oderat illam,
Talibus affata est breviter Tritonia dictis:
„Infice tabe tua natarum Cecropis unam:
Sic opus est. Aglaurus ea est.“ Haud plura locuta
Fugit, et impressa tellurem repulit hasta.
Illa, deam obliquo fugientem lumine cernens,
Murmura parva dedit, successurumque Minervae
Indoluit, baculumque capit, quem spinea totum
Vincula cingebant, adopertaque nubibus atris,
Quacumque ingreditur, florentia proterit arva,

774. *Ducere* h. l. contrahere, torquere, sc. per invidiam. Pont. IV, 8, 13.

Hei mihi, si lectis vultum tu versibus istis
Ducis.

Conf. v. 787. — Receptam scripturam tuentur Berol. in marg., Par. 2., Cant., Flor., Leid., Medic. 1., Lips. 1., Vat. 1. et multi e praestantioribus Heinsii. — Vulgata cum multis Heins., Berol. in rasura, Pal. 2., Ups., pro v. l. Franc. et Lips. 1. *vultumque deae ad suspiria duxit*, quod explicant: effecit, ut dea vultum suum ad suspiria duceret. Perperam. Nam inde a v. 774. demum narratur, quid Invidia visa dea fecerit.

775. Thu. et Berol. *toto est.*

776. *nusquam recta acies*, sed a latere sive ex transverso, ut invidentes ac lividi solent. Vid. 787.

778. „*nisi movere* (ali)*quem* (risum) *visi* (alicujus) *dolores.*“ II Bersm., omnes Ciof., Berol., Goth. 1. 2., Pal. 2., Rhen., Lips. 1., Ups., Vrat. et vett. edd. *fecere.* Non male. Heinsius tacet. Vulg. *movere.*

779. *vigilantibus.* Par. 2., Cant., Erf. 1., Flor., Hamb. 1., Pol., Lips. 1., Thu. et a corr. Vrat. *vigilacibus*, quod cupidius recepit. Vid. ad I, 91. et 333. — *Excita* ab *excieo.* VIII, 337. *excita* ab *excio.*

780. *intabescit.* Pers. Sat. III, 37.

Virtutem videant, intabescantque relicta.

782. *oderat.* Cod. Bersm., Dresd., Rhen., Vrat., plerique Heins. et vett. edd. *oderit*, orta ut videtur varietate a librariis, qui *quamvis* cum indicativo soloecum putarent. Vid. ad I, 686.

783. *Tritonia*, Minerva, quam sunt qui ita appellatam tradant a Tritone fluvio Africae, ubi Minervae fanum fuisse dicitur. Alii aliter. Heyn. ad Virg. Aen. II, 170. — 784. *tabe*, veneno. III, 49. 76.

786. *repulit tellurem.* Conf. IV, 711. VI, 512. VIII, 366.

787. *obliquo fugientem lumine cernens.* Hor. Epist. I, 14, 37.

Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat, non odio obscuro morsuque venenat.

788. *successurumque.* Mire variant in hoc v. veteres libri. Multi, ut videtur, Heinsii, Rhen. et vetustissimus Pal. Heinsii pro v. l.: *successurumque.* Goth. 2. pro v. l. *successuramque.* Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Ups. a corr., Vrat. et edd. Venn. *successorumque.* Nonnulli e praestantioribus Heinsii *successibus usque.* Cod. Bersm., Par. 2., Lips. 2. et nonnulli e praestantioribus Heinsii *successibus atque.* Par. 1. et ed. pr. *successus namque.* Viv., Medic. 1. et nonnulli Heins. *successu namque. Successorum*, quod nunc vulgo editur, vix locum habere potest, quum *indolescere* cum genitivo non reperiatur. Restant *successurumque* et *successu namque*, quarum scripturarum utra probabilior sit, accuratiori demum codicum collatione intelligetur. — 789. *quem.* Berol., Dresd., Flor. et Vrat. *quod.* Deinde II codd. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., omnes praestantiores Heinsii et edd. Venn. *totum.* Vulg.: *tortum.*

Exuritque herbas et summa cacumina carpit,
Afflatuque suo populos urbesque domosque
Polluit, et tandem Tritonida conspicit arcem,
Ingeniisque opibusque et festa pace nitentem,
Vixque tenet lacrimas, quia nil lacrimabile cernit.
Sed postquam thalamos intravit Cecrope natae,
Jussa facit pectusque manu ferrugine tincta
Tangit, et hamatis praecordia sentibus implet,
Inspiratque nocens virus, piceumque per ossa
Dissipat et medio spargit pulmone venenum.
Neve mali causae spatium per latius errent,
Germanam ante oculos fortunatumque sororis
Conjugium pulchraque deum sub imagine ponit,
Cunctaque magna facit: quibus irritata, dolore
Cecropis occulto mordetur, et anxia nocte,
Anxia luce gemit, lentaque miserima tabe
Liquitur, ut glacies incerto saucia sole;
Felicisque bonis non lenius uritur Herses,
Quam cum spinosis ignis supponitur herbis,
Quae neque dant flammas lenique tepore cremantur.
Saepe mori voluit, ne quidquam tale videret,
Saepe, velut crimen, rigido narrare parenti;
Denique in adverso venientem limine sedit
Exclusura deum. Cui blandimenta precesque
Verbaque jactanti mitissima „Desine!“ dixit:
„Hinc ego me non sum nisi te motura repulso.“
„Stemus“ ait „pacto“ velox Cyllenius „isto!“
Caelatasque fores virga patefecit; at illi
Surgere conanti partes, quascumque sedendo

792. *herbas*, segetes. Fast. IV, 127. *Nunc herbae rupta tellure cacumina tollunt.*
Scripturam *cacumina* confirmant Dresd., Par. 1. 2., Rhen., Sulm. 1. et a pr. m. 2., Vrat., nonnulli Heins. et ed. pr. — Vulg. *papavera;* inepte. — 794. *Triton. arcem.* Vid. ad v. 712. et 709.

795. *ingeniisque.* Cod. Bersm. et Pal. 2. *ingeniis, opibus et f.* Goth. 2. *ingeniisque opibus et f.* Dresd., Goth. 1., Lips. 1. 2., Vrat. a 1. m., meliores Heins. et vett. edd. *ingeniis, opibusque et f.* Vulg.: *ingeniisque opibusque et f.* — Deinde Abb., Berol., Briant., Capr., Dresd., Gebh. 2., Maff. 1. 2., Lips. 2., Sulm. 1. 2. III Vat. Ciof., Vrat. et vett. edd. *nitentem.* Leid. unus et pro v. l. alter *beatum.* Sprot. *valentem.* Reliqui *virentem.* Non male. Sed *nitentem* majorem auctoritatem vetustatis habet.

797. *Cecrope natae*, Aglauri. Versu 806. vocatur *Cecropis.*

802. Cod. Rhen. et ed. pr. *spatium causeae, quod tacite* edidit Heinsius.

804. *conjugium* quale intelligendum sit, ex tota narratione satis apparet.

808. *incerto* (obscuro) *sole*, sc. veris. Parum aptum illud *incerto* huic quidem loco. Aptius illud posuit Virg. A. III, 203.

809. *non lenius.* Ita II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. in ras. et plerique Heinsii. Nonnulli Ciof. et Heins. et ed. pr. *non levius.* Mendose. IV Heinsii *non aliter.* Reliqui *aliter non.* Est conjectura Heinsii *non secius.*

811. *tepore.* Ambr., Rhen. et II Heins. *vapore. tepore* rectum et elegans, quod fumo crasso tectum interioremque ardorem declarat. Nostrum *Schmoren.* Conf. III, 489. — 813. *parenti*, Cecropi. V. 797. — 818. *stemus, ait, pacto*, sc. ne hinc movearis.

819. *caelatasque fores.* Vid. v. 4. — *virga* (Vid. v. 735.) patefacit fores, ut Minerva v. 767. extrema cuspide.

820. Goth. 1., Cant., Par. 1. et Flor. *quacunque.*

Flectimus, ignava nequeunt gravitate moveri.
Illa quidem recto pugnat se attollere trunco;
Sed genuum junctura riget, frigusque per artus
Labitur, et pallent amisso sanguine venae;
Utque malum late solet immedicabile cancer
Serpere et illaesas vitiatis addere partes:
Sic letalis hiems paullatim in pectora venit,
Vitalesque vias et respiramina clausit.
Nec conata loqui est, nec, si conata fuisset,
Vocis habebat iter, saxum jam colla tenebat,
Oraque duruerant, signumque exsangue sedebat.
Nec lapis albus erat: sua mens infecerat illam.
Has ubi verborum poenas mentisque profanae
Cepit Atlantiades, dictas a Pallade terras
Linquit et ingreditur jactatis aethera pennis.
Sevocat hunc genitor, nec causam fassus amoris,
„Fide minister“ ait „jussorum, nate, meorum,
Pelle moram, solitoque celer delabere cursu,
Quaeque tuam matrem tellus a parte sinistra
Suspicit – indigenae Sidonida nomine dicunt –,
Hanc pete, quodque procul montano gramine pasci
Armentum regale vides, ad litora verte.“
Dixit; et expulsi jamdudum monte juvenci
Litora jussa petunt, ubi magni filia regis

821. *flectimus*. Vat. 1. *flectimur*, quod temere recepit Heinsius. Scripturam *flectimus* tuentur et sensus bonitas et Lips. 2. et nonnulli Heinsii. Reliqui *flectitur*, ut de illa sola dicatur, non universe; certe minus eleganter.

822. *pugnat* cum infinit. I, 685. V, 349. IX, 79. 351. XI, 703. — Scripturam *se attollere* exhibent Berol., II Bersm., Goth. 1. 2., Vrat., meliores Heins. et vett. edd. Vulg. *se tollere*.

823. *per artus*. Ita nonnulli Heins., unus Sulm. et Ups. Reliqui *per ungues*. Male. „ungues enim nec frigus nec calorem sentiunt. Vult totum corpus dicere: id autem recte per artus et venas exprimit.“ *Gierig*.

830. *tenebat*, occuparat. Vid. v. 376. — Cod. Bersm., Goth. 2. et optimi (?) Heinsii *haberet*, quod temere edidit Heinsius. — 831. *signum*, imago, statua, ut passim. — *sedebat*. Conf. v. 814.

833. *Europa, Agenoris Phoenicum regis filia a Jove, qui tauri formam induerat, rapitur et in Cretam portatur*. Apollod. III. c. 1. Hyg. F. 178.

834. *Atlantiades*. Vid. 704. „*dictas a Pallade* (Ἀθήνη) *terras* Athenas, ubi modo, a v. 707—782., narrata acciderant, *linquit*.“

835. *aethera*, in Olympum, sedem deorum. Bersm., Urs., Vat. et nonnulli alii Ciof., Neap., Vrat. et omnes fere Heinsii *aëra*. Conf. II, 437. — *jactatis*. I, 466. — 836. Lips. 2., Flor., Urb. et Neap. *sed vocat*.

837. *fide minister*. Conf. v. 743. 744. et I, 669. — 838. *delabere*. I, 212. Scripturam *solitoque* exhibent liber vetus Ciof., codd. Constant. Fan., cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2., meliores Heins. et ed. pr., quae oratio etiam blandior videtur, quam vulg. *subitoque*.

839. *quaeque etc.* Construe: „*ct pete illam tellurem a parte sinistra, quae tuam matrem* (Majam et Pleïades I, 670.) *suspicit s. observat . . .*“ Si Jovem in Olympo deorum sede converso ad meridiem vultu, unde Mercurius veniebat, loqui, eumque Phoeniciam vultu ad se conversam putare (h. e. ad occidentem) fingimus: recte eum dicere apparet, Phoenices sinistra a parte suspicere vel spectare Pleïades, quae erant illi regioni meridionale sidus. — 840. *Sidonis tellus*, Phoenicia, a Sidone clarissima illa Phoeniciae urbe.

843. *expulsi*, abacti sc. a Mercurio. — *Jamdudum*, confestim. IV, 405. XI, 482. XIII, 475.

844. *magni regis*, Agenoris.

Ludere, virginibus Tyriis comitata, solebat.
Non bene conveniunt nec in una sede morantur
Majestas et amor. Sceptri gravitate relicta
Ille pater rectorque deûm, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem,
Induitur faciem tauri, mixtusque juvencis
Mugit et in teneris formosus obambulat herbis.
Quippe color nivis est, quam nec vestigia duri
Calcavere pedis nec solvit aquaticus auster;
Colla toris exstant; armis palearia pendent;
Cornua parva quidem, sed quae contendere posses
Facta manu, puraque magis pellucida gemma;
Nullae in fronte minae nec formidabile lumen,
Pacem vultus habet. Miratur Agenore nata,
Quod tam formosus, quod proelia nulla minetur.
Sed, quamvis mitem, metuit contingere primo;
Mox adit, et flores ad candida porrigit ora.
Gaudet amans et, dum veniat sperata voluptas,
Oscula dat manibus: vix, ah vix cetera differt;
Et nunc alludit viridique exsultat in herba,
Nunc latus in fulvis niveum deponit arenis,
Paullatimque metu demto modo pectora praebet
Virginea palpanda manu, modo cornua sertis
Impedienda novis. Ausa est quoque regia virgo
Nescia, quem premeret, tergo considere tauri.
Tum deus a terra siccoque a litore sensim
Falsa pedum primis vestigia ponit in undis.

845. *Tyriis.* III, 539. — *comitata.* Vid. ad v. 441. — 846. Her. XIX, 173. — *male res junctae calor et reverentia pugnant.* Quinct. Declam. 12. *non habitant una pudor et fames.*

848. *ille* bene inservit magnitudini declarandae. Virg. A. VII, 110. *sic Jupiter ille monebat.* — *trisulcis ignibus.* Conf. v. 325.

852. Verbis: *quippe color — pacem vultus habet* (v. 858.) illud *formosus* v. 851. explicatur.

853. *aquaticus auster.* Vid. I, 66. De voce *aquaticus* conf. IX, 341.

854. *exstant,* eminent. Virg. Georg. III, 51.

Optima torvae
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus a mento palearia pendent.

Conf. Met. VII, 117. et Columell. VI. c. 13.

855. *posses.* Rhen. et meliores Heins. *possis.* Reliqui cum vett. edd. *posses. Recte: loquitur* de illo tempore. Cf. VIII, 323. — 858. *habet,* gerit, praefert. X, 702. Stat. Silv. I, 15. de equo:

juvat ora tueri
Mixta notis belli placidamque gerentia pacem.

863. *vix cetera differt,* Conf. VI, 514.

866. Conf. X, 118. Scripturam *modo* praebent Abb., Cael. 1. 2., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., unus Sulm., praestantiores Heins., ed. pr. et Ven. 2. Reliqui codd. et edd. Venn. cum vulg. *nunc.*

867. *palpanda.* II Bersm., Goth. 1., Lips. 2. et meliores (?) Heins. *plaudenda. Plaudenda* h. l. dici potest (Art. Am. I, 630. Virg. Georg. III, 185.); potest etiam dici *mulcenda* ut X, 118. Sed hoc non quaeritur, sed *palpanda* an satis firmitatis habeat a vett. libris.

869. *premere* de sedente. Conf. v. 5. 9. V, 135. XIV, 343.

870. *Tum deus.* Cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Lips. 1. 2., meliores Heins. et ed. pr. *cum deus.* Omnino retinendum est *tum deus,* quod ad longam illam narrationem a v. 860. unice aptum est.

871. *falsa. Falsus* est taurus, igitur omnia in eo, ipsa quoque vestigia falsa.

Inde abit ulterius, mediique per aequora ponti
Fert praedam. Pavet haec litusque ablata relictum
Respicit, et dextra cornum tenet, altera dorso
Imposita est; tremulae sinuantur flamine vestes.

— Cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Lips. 2., meliores Heinsii et ed. pr. *primis*. Reliqui *primo*.

872. *aequora ponti*. Lucret. I, 8. *tibi rident aequora ponti*.

874. *cornum*. Ita Priscian. VI. c. 4. §. 20., Berol., exc. Cal., Medic. 1., Rhen., Lips. 2. et ed. pr. Reliqui *cornu*, quod nescio an revocandum putem, quum antiquas Nasonem formas non captare constet.

875. *tremulae* eleganter de vestibus vento leniter afflatis. VI, 326. Copiosius haec tractavit in Fast. V, 607 sqq. Unus et alter Ciofani et ed. Ven. 2. *tenues*. Ed. pr. *laxae*. Reliqui omnes *tremulae*. — *imposita est*, innititur.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER TERTIUS.

Jamque deus posita fallacis imagine tauri
Se confessus erat Dictaeaque rura tenebat,
Cum pater ignarus raptam perquirere Cadmo
Imperat et poenam, si non invenerit, addit
Exsilium, facto pius et sceleratus eodem.
Orbe pererrato – quis enim deprendere posset
Furta Jovis? – profugus patriamque iramque parentis
Vitat Agenorides, Phoebique oracula supplex
Consulit et, quae sit tellus habitanda, requirit.
„Bos tibi" Phoebus ait „solis occurret in arvis,
„Nullum passa jugum curvique immunis aratri.
Hac duce carpe vias et, qua requieverit herba,
Moenia fac condas, Boeotiaque illa vocato."
Vix bene Castalio Cadmus descenderat antro:

1. *Cadmus filius Agenoris Phoenicum regis a patre quum ad quaerendam Europen sororem missus esset neque pererrato terrarum orbe usque invenisset, patris iram timens in Phoeniciam non redire constituit, sed oraculi responso in Boeotia sedem fixit, ibique serpentem ingentis magnitudinis occidit: cujus dentibus satis armati milites prodierunt, qui mutua caede perierunt, quinque superstitibus, qui ei in condendis Thebis adjutores fuerunt.* Apollod. III. 1. et 4. Hyg. F. 178. Pausan. Boeot. p. 719. et 733. Apollon. Rh. III, 1179. et sqq.

1. *Deus*, Jupiter, qui Europen sub forma s. *imagine fallacis tauri* (Vid. fin. libri II.) rapuerat et ex Asia per mare in Cretam portarat.

2. *se confessus erat*, se Jovem esse declararat. Conf. XI, 264. — *Dictaea rura, Cretam a Dicte* monte Cretae, in quo Jupiter natus esse traditur, unde ipse *Dictaeus* vocatur. — II Medic. et ed. pr. *arva*. Goth. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et quidam Heinsii *regna*.

3. *ignarus*, sc. filiam a Jove esse raptam. Conf. v. 243. et I, 658. — II Bersm., omnes Ciof., Rhen., Vrat., multi Heins. et vett. edd. *raptam p. Cadmo*. Gal. et nonnulli Heins. *Cadmo p. raptam*. Berol., Goth. 2., Lips. 2., Ups. et nonnulli Heins. *Cadmo p. natam*. Men. et multi Heins. *natam p. Cadmo*.

5. *facto — eodem*. Conf. VIII, 476. IX, 408. — 6. *possit* II Bersm., Berol., Goth. 2. et plurimi Heins. — Reliqui *posset*, quod genuinum videtur. Vid. VI, 421. — *furta*. Vid. ad I, 606.

10. *solis*, solitariis, desertis. Vid. II, 489. Plurimi (?) Heins. *agris*.

13. *Boeotiaque*. Nomen Boeotia igitur a poeta ducitur a *bos*. Sed conf. Pausan. p. 711.

14. *vix bene descenderat*, non sequente

Incustoditam lente videt ire juvencam,
Nullum servitii signum cervice gerentem.
Subsequitur pressoque legit vestigia gressu,
Auctoremque viae Phoebum taciturnus adorat.
Jam vada Cephisi Panopesque evaserat arva:
Bos stetit et, tollens spatiosam cornibus altis
Ad coelum frontem, mugitibus impulit auras,
Atque ita, respiciens comites sua terga sequentes,
Procubuit teneraque latus submisit in herba.
Cadmus agit grates, peregrinaeque oscula terrae
Figit et ignotos montes agrosque salutat.
Sacra Jovi facturus erat: jubet ire ministros
Et petere e vivis libandas fontibus undas.
Silva vetus stabat, nulla violata securi,
Et specus in medio, virgis ac vimine densus,
Efficiens humilem lapidum compagibus arcum,
Uberibus fecundus aquis: ubi conditus antro
Martius anguis erat, cristis praesignis et auro;
Igne micant oculi, corpus tumet omne veneno,
Tresque micant linguae, triplici stant ordine dentes.
Quem postquam Tyria lucum de gente profecti
Infausto tetigere gradu demissaque in undas
Urna dedit sonitum, longo caput extulit antro
Caeruleus serpens horrendaque sibila misit.

quum vid. II, 47. V, 67. VIII, 142. — *Descenderat* a monte Parnasso, in quo antrum, unde oracula edebantur, quod antrum Ovidius *Castalium* vocat a fonte vicino Castalia, qui Apollini ac Musis sacer erat. – 17. *presso gressu* est tardo, qualis est acute indagantis.

19. *Cephisi.* I, 369. *Panope* oppidum Phocidis. Vid. Steph. Byz.

20. *spatiosam cornibus.* Tacit. Agr. c. 40. *cultu modicus, sermone facilis.* Conf. not. ad v. 29. et XI, 753. Scripturam *spatiosam* tuentur Berol., Dresd., IV Pal., Par. 1. 2., multi Heins. et ed. pr. — Reliqui *speciosam* q. e. *distinctam.* Difficile est affirmare, utra scriptura vera sit; sed *spatiosam* mihi exquisitius videtur.

21. *impulit.* Lucan. I, 152. *aether impulsus sonitu.* Ad rem conf. IX, 584.

22. *Atque ita.* Conf. I, 377.

23. Vid. v. 12. Goth. 2. et nonnulli Heins. *teneras — in herbas.* Cf. VII, 191. — 25. Vulg. *montesque.* Codd. (?) Heins., cod. Bersm., Berol., Dresd., Gal., Goth. 1., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et vett. edd. *que* omittunt.

27. *e vivis — undas.* Liv. I. c. 45. *quin tu ante vivo perfunderis flumine.* Conf. Met. I, 371.

29. *et specus.* Verbum ex *illo stabat* repetendum ex noto zeugmate. — Priscian. VI, 14, 76., cod. Bersm., Dresd., Gal., Par. 1., Rhen., nonnulli Heins. *est specus.* Vulg. *et specus*, quod non mutandum est. Priscianus scripsit *est*, ut plena esset sententia, prorsus de more veterum scriptorum. — *virgis densus.* Fast. VI, 9. *nemus arboribus densum.* Ib. v. 411. *lucus juncis et arundine densus.* Lips. 2. et nonnulli Heins. *densis.* — 31. Neap. *hoc conditus*, quod temere edidit Heinsius. — 32. *cristis — et auro* pro cristis aureis, *ἓν διὰ δυοῖν.* Virg. G. II, 192. *pateris libamus et auro.* Aen. I, 61. *molemque et montes insuper altos imposuit.* Conf. XV, 669. — *Martius*, Marti sacer. Eurip. Phoen. v. 615. *φόνιος δράκων Ἄρεος, ὠμόφρων φύλαξ.*

34. *tres. Lingua serpentis duplicem habet cuspidem* (IV, 587. IX, 65.), *sed vibrata triplex, trisulca, esse videtur.* Plin. H. N. XI. c. 37. Virg. G. III, 439. *linguis micat ore trisulcis.* Conf. Aen. II, 211. et 475. — Berol. et Rhen. *vibrant*, quod vellem ab Nasone esset, cum v. 33. *micant* praecesserit.

35. *Tyria de gente*, h. e. de Phoeniciis. II, 840. Intelligendi autem Cadmi socii.

37. Leid. et Par. 1. longum.

38. *sibila misit.* Cf. XV, 670. 684.

Effluxere urnae manibus, sanguisque reliquit
Corpus et attonitos subitus tremor occupat artus.
Ille volubilibus squamosos nexibus orbes
Torquet, et immensos saltu sinuatur in arcus,
Ac media plus parte leves erectus in auras
Despicit omne nemus, tantoque est corpore, quantò,
Si totum spectes, geminas qui separat arctos.
Nec mora; Phoenicas, sive illi tela parabant
Sive fugam, sive ipse timor prohibebat utrumque,
Occupat: hos morsu, longis amplexibus illos,
Hos necat afflati funesta tabe veneni.
Fecerat exiguas jam sol altissimus umbras;
Quae mora sit sociis, miratur Agenore natus,
Vestigatque viros. Tegimen direpta leoni
Pellis erat, telum splendenti lancea ferro
Et jaculum, teloque animus praestantior omni.
Ut nemus intravit, letataque corpora vidit,
Victoremque supra spatiosi corporis hostem
Tristia sanguinea lambentem vulnera lingua;
„Aut ultor vestrae, fidissima corpora, mortis
Aut comes“ inquit „ero.“ Dixit, dextraque molarem
Sustulit, et magnum magno conamine misit.
Illius impulsu cum turribus ardua celsis
Moenia mota forent; serpens sine vulnere mansit,
Loricaeque modo squamis defensus et atrae
Duritia pellis, validos cute repulit ictus.

39. *urnae*. Sic optime unus Gron., unus Medic. pro v. l., Goth. 2. et pro v. l. Neap. Reliqui vett. libri tuentur *undae*, quae varietas ex illo *effluxere* nata videtur; sed *effluere* h. l. est *excidere* — Dresd., Gal., Goth. 1. 2., Long., Pal. 2., Par. 1. 2., Lips. 1. 2., Vrat. et vett. edd. *reliquit*. Heinsius tacite edidit *relinquit*, quod etiam est in Berol. et Rhen. — 42. *immensos*. Sic Flor., unus Medic., Rhen., Vat. 1., Vrat., Zulich., nonnulli Heins. et ed. pr. Vulg. *immenso;* sed poeta premit notionem *arcus*. Cod. Bersm., Abb., Dresd., unus Maff., unus Vat. Ciof., Vrat. et ed. pr. *in orbes*, ex IX, 64.

44. *„quanto is est, qui . .“*

45. *geminas arctos*. Vid. ad II, 401. 507. 172. — *qui separat*, qui medius inter ursas sinuatur. Dicit autem sidus, de quo vid. II, 138.

48. *amplexibus*. Ita Berol,, Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 1. 2., Vrat., plurimi Heins. et ed. pr. Reliqui *complexibus*. eodem redit. Cic. de Div. I, 36.

49. *afflati fun. tabe veneni*. Ita Franc., Gal., Pal. 2., Par. 2., Lips. 2. et III Heins. — Unus Medic. *afflatos funesta t. v.* et unus Heins. *afflatus funesta t. v.* Unde conflata Heinsii scriptura: *afflatos funesti t. veneni*. Alii *afflatu, funesta t. v.* Multi *afflatu, hos funesta t. v.* Optimi Ciof. et reliqui: *afflatu, funesta hos t. v.*

50. Cf. v. 144. XIV, 54.

51. *Agenore natus*. Vid. v. 8.

52. *direpta*. Praestantiores (?) Heins. *derepta*. Cod. Raph. Reg., Berol., Lips. 2., Bersm. et reliqui *direpta*, bene, sed Heinsius plus XX locis hoc verbum expulit. XV, 304. Virg. A. I, 211. *tergora diripiunt costis*. Nam *di* in his locis rem cum vi a suo loco removere declarat.

55. *letare* legitur etiam in Ib. v. 505. et apud Cic. de Legg. III. c. 9.

58. *corpora* h. l. apte repetit illud *corpora* v. 55., atque ita consensu veteres libri omnes. Conjectura est *pectora*.

60. *magnum magno* cum vi juxta posita sunt. Lucret. I, 742.

Et graviter magni magno cecidere ibi casu.

Conf. v. 95. Virg. Aen. V, 447. Georg. II, 327. Met. XII, 236. Berol. et XII Heins. *et magnum conamine misit in hostem*. — 61. *turribus*, ut VIII, 358.

At non duritia jaculum quoque vicit eadem;
Quod medio lentae spinae curvamine fixum
Constitit, et totum descendit in ilia ferrum.
Ille, dolore ferox, caput in sua terga retorsit
Vulneraque adspexit, fixumque hastile momordit,
Idque, ubi vi multa partem labefecit in omnem,
Vix tergo eripuit; ferrum tamen ossibus haesit.
Tum vero, postquam solitas accessit ad iras
Causa recens, plenis tumuerunt guttura venis,
Spumaque pestiferos circumfluit albida rictus,
Terraque rasa sonat squamis, quique halitus exit
Ore niger Stygio, vitiatas inficit herbas.
Ipse modo immensum spiris facientibus orbem
Cingitur; interdum longa trabe rectior exstat;
Impete nunc vasto, ceu concitus imbribus amnis,
Fertur et obstantes proturbat pectore silvas.
Cedit Agenorides paullum, spolioque leonis
Sustinet incursus, instantiaque ora retardat
Cuspide praetenta. Furit ille, et inania duro
Vulnera dat ferro, figitque in acumine dentes.
Jamque venenifero sanguis manare palato
Coeperat, et virides adspergine tinxerat herbas;
Sed leve vulnus erat, quia se retrahebat ab ictu
Laesaque colla dabat retro, plagamque sedere
Cedendo arcebat nec longius ire sinebat:
Donec Agenorides conjectum in gutture ferrum

65. Rhen., Bas. 1. 2. et meliores (?) Heins. *vincit*. Sed *vicit* perfectum h. l. est inter perfecta, et majorem quoque habet auctoritatem vetustatis. Idem Heinsius v. 66. tacite edidit: *medio lentae f. curvamine spinae*, quod nulli libri veteres confirmant. *curvamine spinae*, curve dorso. Conf. v. 672.

67. *totum ferrum*. Bona Const. Fanensis exempla, Langerm. et Urb. *toto ferro*, quod idem cupidius induxit Heinsius. — 71. *haesit*. Conf. VI, 236. Rhen., Vrat. et praestantiores (?) Heins. cum ed. pr. *haeret*. Vid. not. ad v. 65.

73. *causa recens*. Unus Leid. et unus Heins. *plaga*, ex interpretamento. — *plenis*, sc. veneno. Conf. I, 460.

75. *terraque rasa*. Conf. X, 701.

76. *Stygio*, infernali. I, 139. Conf. II, 784. Sil. VI, 219. *Stygios aestus fumanti exsibilat ore*. — *vitiatas inficit* copiosius dictum quam simplex *inficit*. Vid. not. ad IX, 593. — Pauci Heins. codd. *auras*, ex VII, 548. — Stat. Th. V, 527. *percussae calidis afflatibus herbae Qua tulit* (serpens) *ora cadunt*.

78. *cingitur*, se convolvit. — *exstat*, erigitur. Conf. v. 43. Cod. Thys. et Urb. *exit*. Codd. Cief. duobus exceptis omnes, plerique Heins., Dresd., Goth. 1., Pal. 2., Rhen., Lips. 1., Ups. et vett. edd. *exstat*. Cod. Bersm., Abb., unus Sulm., Par. 1. 2. et reliqui *adstat*, q. e. *stat*, quod genuinum videtur. Conf. v. 187. — *trabe*, arbore, ut passim.

79. *impete*, impetu. Conf. VIII, 359. et vid. indices Lucret. Citat hunc locum Priscian. VI. c. 10. §. 55.

80. *proturbat*, sternit; sed gravius est quam sternit, dejicit. Vid. VIII, 340. Atque eam scripturam confirmant Dresd., Gal., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et optimi Heinsii. Vulg. *perturbat*. — Liv. XXI. c. 22. *serpens in quiete Hannibali oblatus cum ingenti arborum et virgultorum strage ferebatur*.

81. *spolioque leonis*. Vid. v. 52.

83. *inania vulnera*, morsus nullum dentis vestigium in ferro relinquentes. Virg. A. XII, 755. *morsus inanis*.

84. Heinsius ex uno Pal. 2. temere edidit *frangitque*.

88. *arcebat sedere*, arcebat quo minus sederet, haereret, altius penetraret. Conf. XV, 162. Lucan. I, 32. *alta sedent vulnera*.

90. *in gutture*. Ita II Bersm., Goth. 1., fragm. Klein., Par. 1., Rhen., Lips.

Usque sequens pressit, dum retro quercus eunti
Obstitit, et fixa est pariter cum robore cervix.
Pondere serpentis curvata est arbor, et imae
Parte flagellari gemuit sua robora caudae.
Dum spatium victor victi considerat hostis,
Vox subito audita est: neque erat cognoscere promtum,
Unde; sed audita est: „Quid, Agenore nate, peremtum
„Serpentem spectas? Et tu spectabere serpens.“
Ille, diu pavidus, pariter cum mente colorem
Perdiderat, gelidoque comae terrore rigebant.
Ecce, viri fautrix, superas delapsa per auras
Pallas adest, motaeque jubet supponere terrae
Vipereos dentes, populi incrementa futuri.
Paret et, ut presso sulcum patefecit aratro,
Spargit humi jussos, mortalia semina, dentes.
Inde, fide majus, glebae coepere moveri,
Primaque de sulcis acies apparuit hastae,
Tegmina mox capitum picto nutantia cono,
Mox humeri pectusque onerataque brachia telis
Existunt, crescitque seges clypeata virorum.
Sic, ubi tolluntur festis aulaea theatris,
Surgere signa solent, primumque ostendere vultus,
Cetera paullatim; placidoque educta tenore
Tota patent, imoque pedes in margine ponunt.
Territus hoste novo Cadmus capere arma parabat:

1. 2., Vrat., omnes fere Heins. et vett. edd. — Singuli *in pectore, viscere, inguine*. Stat. Theb. XI, 542. *alte ensem germani in corpore pressit*, h. e. cum jam in corpore esset. Vulg. *in guttura*. *Conjicere* hoc sensu etiam XV, 735.

92. *robore*, ligno.

93. *„et gemuit* (arbor), *parte imae caudae robora sua flagellari*. Nimius iterum est Ovidius.

95. *spatium*, enormitas.

96. *neque erat cognoscere promtum, unde*. Sed *Martius erat anguis*. Vid. v. 32. Ac Mars postero tempore Cadmum cum uxore in serpentes mutavit. Vid. IV, 563 sqq.

99. *cum mente*. Ita cod. Bersm., Bas. 1., Berol., Gal., Goth. 1., Joan., Par. 1. 2., Lips. 1., III Ciof. et potiores Heinsii. Reliqui cum vett. edd. *cum voce*. Conf. II, 312.

100. *gelido*. Vid. II, 200.

101. *ecce etc.* Conf. II, 496. Pallas partem dentium seri jubebat; alteram enim partem detulit ad Aeeten, Colchorum regem. Apollod. I. c. 9. Met. VII, 121., quem locum cum hoc conferas. *Gierig*. — 102. *motae* universe dictum pro *aratae*. Virg. G. II, 264. Conf. Met. V, 341. — *supponere*. Conf. XV, 370.

103. *futuri*. Vid. v. 13.

104. *et ut presso*. Ita exhibent cod. Bersm., Berol., fragm. Klein., Par. 1., Rhen., Lips. 2. et castigatiores Heins. — Par. 2. et reliqui cum vett. edd. *et impresso*, quo structura turbatur. Vid. XI, 31. Tib. IV, 1, 161.

105. *mortalia*, unde mortales s. homines nascerentur. De illo *jussos* conf. I, 399. — 107. *prima* respondet illi *mox* v. 108. — 108. *galeae conus*, apex galeae, super quem cristae (XII, 88.) ponebantur. — 110. *existunt*. Conf. XIII, 893. II, 264. — 111. *aulaea* in theatris non, ut apud nos, sursum trahebantur, sed humi erant affixa, unde in altum trahebantur sive *educebantur* ad claudendam scenam, ita ut superiores picturarum in iis figurarum partes primum viderentur. Hor. Epist. II, 1, 189.

Quatuor aut plures aulaea premuntur in horas.

112. *signa*, figurae in ipsis aulaeis pictae. Vid. Virg. Georg. III, 24. ibique J. H. Voss. — Medic. 2., Neap. et ed. pr. *vultum*. — 113. *placido tenore*, leni atque continuo ductu sive tractu.

114. *in margine*, in imo aulaeorum limbo.

115. *hoste novo*. I, 554.

„Ne cape“ de populo, quem terra creaverat, unus
Exclamat, „nec te civilibus insere bellis!“,
Atque ita terrigenis rigido de fratribus unum
Comiuus ense ferit; jaculo cadit eminus ipse.
Hic quoque, qui dederat leto, non longius illo
Vivit, et exspirat, modo quas acceperat, auras;
Exemploque pari furit omnis turba, suoque
Marte cadunt subiti per mutua vulnera fratres.
Jamque brevis vitae spatium sortita juventus
Sanguineam trepido plangebant pectore matrem,
Quinque superstitibus, quorum fuit unus Echion.
Is sua jecit humi monitu Tritonidis arma,
Fraternaeque fidem pacis petiitque deditque.
Hos operis comites habuit Sidonius hospes,
Cum posuit jussam Phoebeïs sortibus urbem.
Jam stabant Thebae; poteras jam, Cadme, videri
Exsilio felix: soceri tibi Marsque Venusque
Contigerant; huc adde genus de conjuge tanta,
Tot natos natasque et, pignora cara, nepotes;
Hos quoque jam juvenes. Sed scilicet ultima semper
Exspectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.
Prima nepos inter tot res tibi, Cadme, secundas
Causa fuit luctus, alienaque cornua fronti
Addita, vosque canes satiati sanguine herili.

117. *civilibus*, inter fratres. VII, 142. *Nec*, non *neu* posuit, quia etiam imperativi cum *non* ponuntur.

118. *rigido*, duro. V, 673.

119. *ipse*, qui dixerat et modo ferierat.

120. *dederat leto*. Berol., Gal., Goth. 1., Lips. 2. et ed. pr. *leto dederat*, quod tacite edidit Heinsius.

122. *suo Marte*, pugna inter se.

123. *subiti*, modo nati. Cf. v. 121.

124. II Bersm., Dresd., Goth. 2. et Rhen. *spatium vitae*, quod tacite edidit Heinsius. — 125. *sang. matrem*, terram. Vid. 104 sqq. — *trepido*. Conf. IV, 133. De illo *plang*. vid. ad XII, 118. — *trepido* exhibent Rhen., Urb., X Heins. — Gal., Par. 1. 2. et reliqui *tepido*.

127. *Tritonidis*. II, 783.

128. *fidem*, promissum. — 129. *Sidon. hospes*, Cadmus. II, 840. — 130. *Phoebeis sortibus*. Vid. v. 8. et I, 368.

131. *Actaeon, f. Aristaei et Autonoae Cadmi filiae, quum Dianam in fonte lavantem nudam vidisset, in cervum mutatus a canibus suis dilaceratus est*. Apollod. III. c. 4. Hyg. F. 180. 181. Pausan. IX. p. 714. 787.

132. *exsilio*, Vid. ad v. 1. — *soceri*, socer et socrus. Sic *nati* de filio et filia VI, 338. Cadmus duxerat Harmoniam, Martis et Veneris filiam. Apollod. d. l. Hesiod. Theog. v. 936. 974.

134. *tot natos*. In vetere fabula nonnisi unus Cadmi filius, Polydorus, memoratur, sed quatuor filiae, Autonoë, Ino, Semele, Agave, de quibus infra agetur, uti etiam de nepotibus, in quibus Bacchus, Melicertes, Pentheus, Actaeon.

135. *scilicet* particula est assentiendi et confirmandi, qua sententiae universales et similitudines ad confirmandum illud, de quo nunc agitur, cum vi inferuntur. Vid. not. ad Trist. II, 107. et conf. ad Met. II, 471. Est autem clarissimum illud dictum Solonis, de quo vid. Herod. I. c. 32. — Lips. 2. *hominum est*. Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 2., Lips. 1., Vrat. et vett. edd. *homini est*. A cod. Bersm., Par. 1. et Rhen. *est* abest, quod Heinsius tacite omisit.

138. Codd. Ciof. et ed. Ven. 2. *inter res tot*. Heinsius de suis tacet. Reliqui omnes *inter tot res*.

139. *alienaque etc.* Significat Actaeonem Cadmi nepotem in cervum mutatum et a canibus suis laceratum. — *aliena*, sc. humanae naturae.

140. *satiati*. Berol., Erf. 1., Medic. 2., Neap., Pal. 2., Rhen., Lips. 1., Vat.

At bene si quaeras, fortunae crimen in illo,
Non scelus invenies: quod enim scelus error habebat?
Mons erat infectus variarum caede ferarum,
Jamque dies medius rerum contraxerat umbras,
Et sol ex aequo meta distabat utraque;
Cum juvenis placido per devia lustra vagantes
Participes operum compellat Hyantius ore:
„Lina madent, comites, ferrumque cruore ferarum,
Fortunamque dies habuit satis: altera lucem
Cum croceis invecta rotis Aurora reducet,
Propositum repetemus opus. Nunc Phoebus utraque
Distat idem terra finditque vaporibus arva:
Sistite opus praesens nodosaque tollite lina.“
Jussa viri faciunt intermittuntque laborem.
Vallis erat piceis et acuta densa cupressu,
Nomine Gargaphie, succinctae sacra Dianae,
Cujus in extremo est antrum nemorale recessu,
Arte laboratum nulla: simulaverat artem
Ingenio natura suo: nam pumice vivo

1. et III Heinsii *satiatae*. Lips. 2. *satiataeque*. Et confirmant ad h. l. editores, veteres plerumque canibus venaticis usos esse generis feminini. Alia igitur juxta Ovidium quidem consuetudo fuit Actaeonis. Vid. v. 206 sqq. 225. 230., et imprimis v. 248.

143. *mons*. Cithaeron. Apoll. I. l. Conf. v. 155. I, 568. IV, 432.

144. Art. A. III, 723.

Jamque dies medius tenues contraxerat umbras.

Pal. 2. *medias rerum*. Rhen. *rerum medias*, quod tacite edidit Heinsius. Reliqui omnes *medius rerum*. Vid. Oudendorp. ad Lucan. I, 16.

145. *meta — utraque*. Conf. II, 142.

147. *juvenis Hyantius*, Actaeon, ab Hyantibus, antiqua Boeotiae gente. Conf. X, 589. VIII, 310. Pausan. IX, c. 5. — *participes operum*, laboris. IV, 5.

149. *fortunam*. Construe: et dies fortunam, successum, abunde s. satis habuit. Scripturam *fortunam* tuentur cod. Raph. Regii, II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Joan., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., omnes fere Heins. et vett. edd. Reliqui *fortunae*. Cic. ad Att. XII, 50. *satis consilium*. Senec. Her. Oet. v. 1830. *erunt satis praesidia*.

150. *invecta*. Unus Leid., unus Sulm., II Heins. et vett. edd. *evecta*. Reliqui *invecta*. Virg. Aen. XII, 76.

— — *Quum primum crastina coelo*
Punicea invecta rotis Aurora rubescit.

Quamquam ibi additum est coelo. Sed conf. I, 263.

151. *repetemus*. Lips. 1., nonnulli Heins. et margo Bersm. *repetamus*. Nulla h. l. admonitio est, sed simpliciter Actaeon enuntiat, quid facturi sint.

152. *vaporibus*, aestibus, effectus pro causa. II, 811. Lucret. I, 492. *dissiliunt vapore saxa*.

153. *nodosaque — lina*, ut *nodosae plagae* Fast. VI, 110. Conf. Met. II, 499.

155. *acuta*. I, 699.

156. *Gargaphie* vallis cum fonte ejusdem nominis prope Plataeas. Herod. IX. c. 25. et 38. Hyg. F. 181. De illo *densa* conf. v. 29. — *succincta*, ut venatrix, quo expeditior esset itio. VIII, 662. X, 536. I, 695. Virg. Aen. 319.

venatrix —
Nuda genu nodoque sinus collecta fluentes.

II Bersm., omnes Ciof., plerique Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Lips. 1. 2., Vrat. et ed. pr. *sacra*. Nonnulli Heinsii et edd. Venn. *cura*.

157. *recessu*. Conf. I, 177.

159. *pumice vivo*. Conf. VIII, 562. X, 692. Fast. II, 315. Plin. H. N. XXXVI. c. 21. *Non praetermittenda est et pumicum natura. Appellantur quidem ita et erosa saxa in aedificiis, quae musea vocant, dependentia, ad imaginem specus arte reddendam. — nativum*, a natura factum.

Et levibus tophis nativum duxerat arcum.
Fons sonat a dextra, tenui pellucidus unda,
Margine gramineo patulos incinctus hiatus.
Hic dea silvarum, venatu fessa, solebat
Virgineos artus liquido perfundere rore.
Quo postquam subiit, nympharum tradidit uni
Armigerae jaculum pharetramque arcusque retentos;
Altera depositae subjecit brachia pallae;
Vincla duae pedibus demunt: nam doctior illis
Ismenis Crocale sparsos per colla capillos
Colligit in nodum, quamvis erat ipsa solutis;
Excipiunt laticem Nepheleque Hyaleque Rhanisque
Et Psecas et Phiale funduntque capacibus urnis.
Dumque ibi perluitur solita Titania lympha,
Ecce, nepos Cadmi, dilata parte laborum
Per nemus ignotum non certis passibus errans,
Pervenit in lucum: sic illum fata ferebant.
Qui simul intravit rorantia fontibus antra,
Sicut erant, nudae viso sua pectora nymphae
Percussere viro subitisque ululatibus omne
Implevere nemus, circumfusaeque Dianam
Corporibus texere suis; tamen altior illis
Ipsa dea est, colloque tenus supereminet omnes.
Qui color infectis adversi solis ab ictu

161. *tenui*, liquida, pura. De *rore* conf. I, 371. — 162. *patulos hiatus*, accus. Graec. Vid. ad I, 332. — *incinctus*, coronatus, circumdatus. Conf. VII, 242. Atque id exhibent II Bersm., Berol., omnes Ciof., Dresd., Rhen., Lips. 1., Vrat., meliores Heins. et ed. pr. — Vulg. *succinctus*.

163. *venatu fessa*. Conf. v. 413. Gron. et unus Thu. *venatus*.

164. *virgineos artus*. Vid. I, 476. II, 579. — 165. *subiit*. Conf. XI, 142.

168. *vincla*. Virg. A. IV, 518. *unum exuta pedem vinclis*. — *doctus* de unoquovis alicujus artis perito. Vid. V, 55.

169. *Ismenis*, Thebana. Vid. v. 733.

170. *colligit in nodum*. Conf. VIII, 319. II, 413. Amor. I, 11.

Colligere incertos et in ordine ponere crines
Docta neque ancillae inter habenda Nape.

171. *excipiunt*, hauriunt. — Goth. 2., Berol., Lips. 1. 2. et multi vetustiores Heinsii *Nepheleque*. Vulgo *Nipheque*, quod etiam Raph. Regius in exemplis suis invenit et ed. Ven. 1486. exhibet. Ed. pr. et pauci codd. *nympheque*, manifesta corruptela.

173. *Titania*, Diana. Vid. not. ad I, 10.

174. *nepos Cadmi*. Vid. ad v. 131. — *dilata parte laborum*. Vid. v. 149. 150. — 175. *non certis*, vagis. Her. XXI, 96. *vago pede errare*. Valet hoc ad Actaeonis innocentiam declarandam.

176. *lucus*, interior et occultior pars nemoris. Conf. V, 265.

178. *sicut erant*. Vid. ad II, 272. — Heinsius tacite edidit *viso nudae*, quod etiam cod. Rhen. et ed. pr. tenent. Berol., Goth. 1. 2., Lips. 1. 2., Vrat. et reliqui cum edd. Venn. *sicut erant nudae, viso*, qui ordo verborum mihi verus esse videtur. Certe in omnibus fere exemplis orationis illius adjectivum statim post aut ante *sicut erat* positum est.

181. *tamen altior etc.*, adumbratum ut videtur e Virg. A. I, 499.

— — — *quam* (Dianam) *mille secutae*
Hinc atque hinc glomerantur Oreades. Illa pharetram
Fert humero gradiensque deas supereminet omnes.

183. *solis ab ictu*. Lucan. X, 612. *radiorum ictus* et v. 486. *verbera solis*. — *adversi*, qui est e regione, oppositi. Virg. A. IV, 702.

Mille trahens (Iris) *varios adverso sole colores.*

Conf. Met. VI, 48.

Nubibus esse solet aut purpureae Aurorae,
Is fuit in vultu visae sine veste Dianae.
Quae quanquam comitum turba stipata suarum,
In latus obliquum tamen adstitit, oraque retro
Flexit et, ut vellet promtas habuisse sagittas,
Quas habuit, sic hausit aquas, vultumque virilem
Perfudit, spargensque comas ultricibus undis
Addidit haec cladis praenuntia verba futurae:
„Nunc tibi me posito visam velamine narres,
Si poteris narrare, licet.“ Nec plura minata
Dat sparso capiti vivacis cornua cervi,
Dat spatium collo, summasque cacuminat aures,
Cum pedibusque manus, cum longis brachia mutat
Cruribus, et velat maculoso vellere corpus.
Additus et pavor est. Fugit Autonoëius heros,
Et se tam celerem cursu miratur in ipso.
Ut vero vultus et cornua vidit in unda,
„Me miserum!“ dicturus erat: vox nulla secuta est.
Ingemuit: vox illa fuit, lacrimaeque per ora
Non sua fluxerunt; mens tantum pristina mansit.
Quid faciat? Repetatne domum et regalia tecta,
An lateat silvis? Pudor hoc, timor impedit illud.
Dum dubitat, videre canes, primusque Melampus
Ichnobatesque sagax latratu signa dedere,
Gnosius Ichnobates, Spartana gente Melampus.
Inde ruunt alii rapida velocius aura,
Pamphagus et Dorceus et Oribasus, Arcades omnes,

184. *solet*, posteriori syllaba producta. Vid. ad I, 114. — De hiatu illo *purpureae Aurorae* ante nomen proprium vid. II, 244. VIII, 310. V, 409. 625. 312. XI, 93. Conf. XI, 17. IV, 535. — De spondeo in quinto pede vid. not. ad I, 62.

186. *quanquam*. Berol., Leid., unus Sulm. *quamvis*. Multae edd. *turba est*; sed veteres libri illud *est* non habent, quod etiam commode omittitur. — „*stipata* ac sic tecta.“ — 189. „*sic hausit, quas* (promtas s. in promtu) *habuit aquas*.“ Conf. V, 453. 454.

193. Goth. 2., Lips. 2., unus Vat. Ciof., nonnulli Heinsii et ed. pr. *locuta*.

194. *vivacis*. Vid. ad VII. 273.

198. *Autonoëius*, a matre Autonoë. *heros*, quia e sanguine deorum. Vid. ad v. 132.

200. Unus Leid.:

Ut vero solitis sua cornua vidit in undis —

quod temere edidit Heinsius.

202. *ingemuit*, ut cervi faciunt.

203. *non sua*, non nativa, sed nova et cervi. Her. XIV, 90. Virg. Georg. II, 82.

Miraturque novas frondes et non sua poma.

De illis: *mens tantum pristina mansit*, conf. II, 485.

204. *quid faciat?* Conf. v. 464. I, 617. — Arond., Berol., Mor. 1., Lips. 2. et IV Heins. *et* omittunt, quos male secutus est Heinsius, qui etiam similem locum Trist. IV, 2, 55. simili modo corrupit. Conf. not. ad Met. IV, 757. et ad Trist. l. l. — 205. Berol., Goth. 1., unus Maff., Rhen. et unus Vat. Ciof. *timor hoc, pudor*, quod primus edidit Heinsius. Reliqui cum vett. edd. *pudor hoc, timor*. Heinsius de suis codd. tacet, sed plurimos receptam scripturam habuisse certum est.

207. *dedere*. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 1. 2., Vrat. et edd. Venn., et sine dubitatione multi quoque Heinsii (nam Heinsius de suis tacet) *dederunt*.

208. *Gnosius*, Cretensis, a Gnoso Cretae oppido. Vid. VIII, 40. De repetitione illa vid. not. ad I, 639.

Nebrophonosque valens et trux cum Laelape Theron,
Et pedibus Pterelas et naribus utilis Agre,
Hylaeusque ferox, nuper percussus ab apro,
Deque lupo concepta Nape, pecudesque secuta
Poemenis, et natis comitata Harpyia duobus,
Et substricta gerens Sicyonius ilia Ladon,
Et Dromas et Canace Sticteque et Tigris et Alce,
Et niveis Leucon et villis Asbolus atris,
Praevalidusque Lacon et cursu fortis Aëllo,
Et Thous et Cyprio velox cum fratre Lycisce,
Et nigram medio frontem distinctus ab albo
Harpalos et Melaneus, hirsutaque corpore Lachne,
Et patre Dictaeo sed matre Laconide nati
Labros et Agriodos, et acutae vocis Hylactor,
Quosque referre mora est. Ea turba cupidine praedae
Per rupes scopulosque adituque carentia saxa,
Quaque est difficilis quaque est via nulla, sequuntur.
Ille fugit, per quae fuerat loca saepe secutus, —
Heu famulos fugit ipse suos! Clamare libebat
„Actaeon ego sum, dominum cognoscite vestrum!“;
Verba animo desunt: resonat latratibus aether.
Prima Melanchaetes in tergo vulnera fecit,
Proxima Theridamas; Oresitrophos haesit in armo.
Tardius exierant, sed per compendia montis
Praecipitata via est. Dominum retinentibus illis,
Cetera turba coit confertque in corpore dentes.

213. *ferox*. Heinsius de suo: *fero*.

214. *deque lupo conc*. Aristot. Hist. Anim. VIII. c. 28. *ἐν Κυρήνῃ μίσγονται οἱ λύκοι τοῖς κυσίν*.

216. *substricta*, arcta, pressa, non pendentia aut promineatia. Quint. Inst. Or. VIII. c. 3. §. 10. *decentior est equus, cujus adstricta sunt ilia, sed idem velocior*. Colum. VI. c. 20. *taurus ventre paullo substrictiore*. Conf. Met. XI, 752. et Stern. ad Grat. Cyneg. v. 271.

221. *nigram frontem*. Accus. Graec. I, 332. — *album* h. l. pro substantivo est. Conf. XI, 48.

223. *Dictaeo*. Vid. v. 2.

225. *quosque*. Enumeratis tot canibus et plerisque masculini generis recte sequitur *quosque*. Atque ita exhibent omnes codd. praeter unum nescio quem, cujus scripturam *quasque* sequendam putavit Heinsius. — *praeda*, fera capta. *Gier*.

227. *quaque est diff*. — *sequuntur*. Berol. et Pal. 2. *qua via difficilis*. Duo Heins. *feruntur*. Apparet Heinsianam scripturam:

Qua via difficilis quaque est via
nulla, feruntur,

etsi elegantia commendetur, e variis scripturis diversorum codicum esse conflatam, qua nihil potest esse incertius.

229. *famulos suos*, canes suos. — *ipse suos* exhibent cod. Bersm., Berol., Goth. 2., III Pal. Gebhardi, Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et meliores Heins. Recte quod ad sententiam, et sic loqui amat Ovidius. Cf. v. 388. II, 382. III, 388. 440. VI, 493. IX, 156. 473. X, 111. 170. 215. 217. XII, 301. XIII, 809. 815. et vid. not. ad Trist. II, 2. Vulg. *ille suos*.

231. *animo*, voluntati. respondet enim illi *libebat* v. 229.

233. *Oresitrophos*. Codd. plerique omnes cum vett. edd. formam Latinam exhibent *Oresitrophus*.

234. *per compendia*. Plin. Paneg. c. 95. *Quum viderem, quae ad honores compendia paterent, longius iter malui*. — Cod. Bas., Goth. 1., Medic., Par. 1. 2. et unus Heins. *exierat*. Deinde cod. Bas. 1., Berol., Flor., Goth. 2., Medic. 2., Stat., Viv. et IV Heins. *anticipata*. Pal. 2., Ups., Par. 1. 2. et reliqui cum vett. edd. *praecipitata*, quae genuina videtur. nam *praecipitare viam* declarat *praecipiti cursu viam conficere*. XI, 575.

236. Bas. 3. et Jun. *conduntque*.

Jam loca vulneribus desunt. Gemit ille, sonumque
Etsi non hominis, quem non tamen edere possit
Cervus, habet maestisque replet juga nota querelis,
Et genibus pronis supplex similisque roganti
Circumfert tacitos, tanquam sua brachia, vultus.
At comites rapidum solitis hortatibus agmen
Ignari instigant oculisque Actaeona quaerunt,
Et velut absentem certatim Actaeona clamant, –
Ad nomen caput ille refert, – et abesse queruntur
Nec capere oblatae segnem spectacula praedae.
Vellet abesse quidem, sed adest; velletque videre,
Non etiam sentire canum fera facta suorum.
Undique circumstant, mersisque in corpore rostris
Dilacerant falsi dominum sub imagine cervi;
Nec nisi finita per plurima vulnera vita
Ira pharetratae fertur satiata Dianae.
Rumor in ambiguo est: aliis violentior aequo
Visa dea est, alii laudant dignamque severa
Virginitate vocant: pars invenit utraque causas.
Sola Jovis conjux non tam culpetne probetne
Eloquitur, quam clade domus ab Agenore ductae
Gaudet, et a Tyria collectum pellice transfert
In generis socios odium. Subit, ecce, priori
Causa recens, gravidamque dolet de semine magni
Esse Jovis Semelen; tum linguam ad jurgia solvit:
„Profeci quid enim toties per jurgia?“ dixit:
„Ipsa petenda mihi est; ipsam, si maxima Juno

238. *etsi non etc.* Conf. II, 667. 268.
239. *nota,* in quibus venari consueverat. Conf. I, 370.
240. *genibus pronis* (q. e. flexis) *supplex.* Haec est optima scriptura omnium prope codicum. Heinsius tamen conjecturam suam dedit *supplex pronis*, et alii ex Rhen. et v. l. unius Bonon. *supplex positis.* Unus Medic. et Six. *supplex flexis.* III Heinsii *genibus fusis supplex.* — 242. *comites.* Vid. v. 142. II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Par. 1. 2., Lips. 1. 2., Sulm. 1. 2., unus Vat. Ciof., Vrat., plurimi vetustiores (?) Heins. et ed. pr. *latratibus.* Dom., Goth. 1. et nonnulli Heins. *clamoribus.* — Vulg. *hortatibus.* Conf. X, 537. — 243. *oculis – quaerunt.* IV, 129.
245. *ad nomen.* Conf. IV, 145. et V, 509. — *refert,* reflectit. Heinsius iterum conjecturam pro optima scriptura codicum dedit et scripsit: *clamant. Ad n. c. i. refert, ut abesse etc.* — 250. *falsi.* II, 871. IX, 75. Vid. ad V, 326.
251. *finita — vita.* Vid. ad XI, 378.

253. *Semele Cadmi filia gravida de Jove, monente quae anili habitu eam adierat Junone, deum rogat, ut eadem qua apud Junonem specie ac majestate apud se intraret. Quo cum fulmine ac tonitru intrante illa fulmine periit. Infans* (fuit autem Bacchus) *a Jove matris alvo ereptus primum sorori ejus, deinde nymphis Nysaeis educandus traditur.* Apollod. III. c. 4. Hyg. F. 169. 179. Eurip. Bacch. v. 1. 89. et 286.

253. *rumor,* sc. hujus facti s. Actaeonis poenae. — 255. *virginitate.* Vid. v. 164. — 258. *a Tyria pellice,* Europa Phoenissa, Cadmi sorore, ab Jove rapta. Vid. ad v. 1. 35. et II, 836—875. — *collectum,* conceptum, ut alibi dicit. Conf. I, 234. — 259. *„subit, ecce, priori causae dolendi . . .“ — Tum linguam ad jurgia solvit,* jurgare incipit. (Sed mox, quorsum haec? inquit;) *Quid enim toties per jurgia profeci?* De elliptica illa oratione vid. Heind. ad Hor. Sat. II, 3, 124. et Kühner ad Cic. Tusc. I. c. 6. De soliloquio illo conf. II, 471. IV, 421.
263. *ipsa,* Semele. De illis *si sum*

Rite vocor, perdam, si me gemmantia dextra
Sceptra tenere decet, si sum regina Jovisque
Et soror et conjux, certe soror. — At, puto, furto est
Contenta, et thalami brevis est injuria nostri. —
Concipit; id deerat; manifestaque crimina pleno
Fert utero, et mater, quod vix mihi contigit uni,
De Jove vult fieri; — tanta est fiducia formae.
Fallat eam faxo; nec sum Saturnia, si non
Ab Jove mersa suo Stygias penetrarit ad undas."
Surgit ab his solio, fulvaque recondita nube
Limen adit Semeles, nec nubes ante removit,
Quam simulavit anum; posuitque ad tempora canos,
Sulcavitque cutem rugis et curva trementi
Membra tulit passu, vocem quoque fecit anilem:
Ipsaque erat Beroë, Semeles Epidauria nutrix.
Ergo ubi captato sermone diuque loquendo
Ad nomen venere Jovis, suspirat et „Opto
„Jupiter ut sit" ait; „metuo tamen omnia: multi
Nomine divorum thalamos iniere pudicos.
Nec tamen esse Jovem satis est: det pignus amoris,
Si modo verus is est; quantusque et qualis ab alta
Junone excipitur, tantus talisque rogato

regina etc. conf. Virg. I, 46. — 266. *certe soror*, quando conjugis jure tantum non privata sum a viro s. Jove adultero. Cum acerbitate adjecta verba. — *at puto*. Conf. I, 566. — Berol., Goth. 2., Pal. 2. et multi e melioribus Heins. *est* omittunt. Reliqui *furto est*. De *furto* I, 606. — 268. *concipit*, aptum praesens in hoc affectu, quasi res adhuc duret. — *id deerat*. Conf. II, 471.

269. *uni*. Sic vett. libri consensu omnes, nisi quod Flor. *uno* - *De Jove*. Ac vera mihi ista scriptura videtur: *et quod mihi uni ac vix quidem* (concepto Vulcano) *contigit, mater de Jove vult fieri*. Nimirum dissimulat Juno in hac ira et in hoc affectu, permultas ante de Jove matres esse factas.

271. *nec sum*. Ita II Bersm., Berol., Cael. 1. 2., Capr., Dresd., Goth. 2., Joan., unus Maff., Lips. 1., Sulm. 1. 2., Vrat., plerique Heins. et edd. Venn. — Reliqui *nec sim*. Utrumque dici potest. Sed *nec sum* confidentius loquentis, quae oratio huic loco aptior est. Vid. not. ad II, 514. — *Saturnia*. Vid. I, 612.

272. *Stygias - ad undas*. Vid. ad I, 139. — Codd. Ciof., Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Ups., Vrat. et meliores Heinsii *ab Jove*. Dresd., a corr. Goth. 2. et vett. edd. *a Jove*. Reliqui *de Jove*, quod vix ferendum; nam efficere vult irata Juno ut pellex ab ipso Jove amante s. per ipsum Jovem amantem pereat. Porro Par. 1., Lips. 1. et plerique praestantiores (?) Heins. *in undas*. Scripturam *penetrarit* servarunt Par. 2., Cant., III Heins. et ed. Ven. 1486. Reliqui omnes *penetrabit*.

273. *ab his*, post haec. Vid. IV, 329. VIII, 613.

273. *Juno figuram anus sumit*.

274. *nec nubes ante removit quam*. Conf. IV, 317. 318. VI, 26 seqq.

276. *trementi passu*. Conf. XIII, 533. *passu* exhibent cod. Bersm., mss. Ciof., Berol., Goth. 1., Lips. 2., plerique Heins. et ed. pr. — Vulg. *gressu*.

278. „*et erat ipsa vera ac viva Beroë*." Unus Medic., Dresd., Rhen. et ed. pr. *ipsaque fit*. — *Epidaurus* oppidum Argolidis in Peloponneso. — Nutrices in vetere fabula ubique finguntur fidelissimae amicae alumnarum suarum. Conf. IX, 707. X, 382. Quare Juno Semelen in fraudem inductura Beroës, ejus nutricis, potissimum formam induit.

280. *opto*. Unus Medic. et ed. pr. *optem*. — 282. Franc. et V Heinsii *subiere*. Reliqui omnes cum vett. edd. *iniere*. — 283. *esse Jovem*. Unus Ambr., Medic. 1. et Rhen. *esse Jovis*. male. Sensus enim est: *nec tamen satis est pro explorato habere, vere Jovem esse: det* (etiam) *pignus etc.*

284. *si modo*. Vid. ad II, 330. — *alta*. Pont. II, 3, 63. *Caesar altus*.

Det tibi complexus, suaque ante insignia sumat.“
Talibus ignaram Juno Cadmeïda dictis
Formarat. Rogat illa Jovem sine nomine munus.
Cui deus „Elige“ ait: nullam patiere repulsam;
„Quoque magis credas, Stygii quoque conscia sunto
Numina torrentis, timor et deus ille deorum.“
Laeta malo nimiumque potens perituraque amantis
Obsequio Semele „Qualem Saturnia“ dixit
„Te solet amplecti, veneris cum foedus initis,
Da mihi te talem.“ Voluit deus ora loquentis
Opprimere; exierat jam vox properata sub auras.
Ingemuit: neque enim non haec optasse, neque ille
Non jurasse potest. Ergo maestissimus altum
Aethera conscendit, vultuque sequentia traxit
Nubila, quîs nimbos immixtaque fulgura ventis
Addidit et tonitrus et inevitabile fulmen.
Qua tamen usque potest, vires sibi demere tentat,
Nec, quo centimanum dejecerat igne Typhoea,
Nunc armatur eo: nimium feritatis in illo est.
Est aliud levius fulmen, cui dextra Cyclopum
Saevitiae flammaeque minus, minus addidit irae –
Tela secunda vocant superi –: capit illa domumque
Intrat Agenoream. Corpus mortale tumultus
Non tulit aetherios, donisque jugalibus arsit.
Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo
Eripitur, patrioque tener – si credere dignum est –
Insuitur femori maternaque tempora complet.
Furtim illum primis Ino matertera cunis

286. *insignia*, fulmina.

288. *formarat*, instituerat. — *sine nomine*, nomine muneris non addito.

289. Conf. II, 44—46.

290. *Stygii*. Conf. I, 139. II, 45.

291. Goth. 1. et Lips. 2. *timor est deus*. Dresd., Pal. 2., Lips. 1., Vrat. et edd. Venn. *deorum est*. Reliqui omnes *est* omittunt. Heinsius tacet.

292. *laeta malo*, ob malum. Conf. IV, 288. — *nimiumque potens*, nim. valens precibus. — 295. *dare se* h. l. de amplexibus. — 296. Rhen., Lips. 2., Ups., plurimi Heins. et ed. pr. *per auras*.

299. *vultuque*. Fragm. Theat. *nutuque*, ex interpretatione. Conf. I, 179.— Cod. Bersm., Rhen., Lips. 1., multi e praestantioribus Heins. et ed. pr. et Ven. 1492. *vultuque*. Nonnulli Heinsii *vultusque*. Pal. 2., Par. 1. 2., Ups. et reliqui *vultumque*, quod declararet nubila semper ejus vultum sequi.

300. *fulgura*. Senec. Quaest. Nat. II. c. 12. *fulguratio ostendit ignem, fulminatio emittit.*

303. *Typhoea*, h. l. trisyllabum per synizesin. Vid. ad V, 321. et 346 seqq.

304. *in illo est*. Rhen. *est* omittit, quod Heinsius tacite omisit.

305. De Cyclopibus fulminum fabricatoribus vid. ad I, 259.

307. *secunda*, secundi ordinis.

308. *Agenoream*, Cadmi, cujus pater Agenor. Vid. 1. 81. — 309. *aetherios tumultus*. Hor. Od. I, 16, 12.

Nec saevus ignis, nec tremendo
Jupiter ipse ruens tumultu.

jugalibus, conjugis. Conf. v. 288.

311. *patrio*, Jovis. Rhen. *est* omittit ut v. 304., quod Heins. tacite delevit.

312. *materna tempora*, sunt quae infans adhuc in matris alvo exigere debebat. — *complet*, transigit. Conf. IX, 338.

313. *Furtim illum primis Ino etc.* Illustrat hunc locum Apollod. l. l. ὁ δὲ κομίζει πρὸς Ἰνὼ καὶ Ἀθάμαντα, καὶ πείθει τρέφειν ὡς κόρην. Mox iis Junonis ira in furorem versis λαβὼν αὐτὸν Ἑρμῆς πρὸς νύμφας ἐκόμισεν ἐν Νύσῃ τῆς Ἀσίας κατοικούσας, ἃς ὕστερον Ζεὺς καταστερίσας ὠνόμασεν Ὑάδας. — *primis cunis*. Conf. IX, 67.

Educat; inde datum nymphae Nyseïdes antris
Occuluere suis, lactisque alimenta dedere.
Dumque ea per terras fatali lege geruntur,
Tutaque bis geniti sunt incunabula Bacchi;
Forte Jovem memorant, diffusum nectare, curas
Seposuisse graves, vacuaque agitasse remissos
Cum Junone jocos et „Major vestra profecto est,
„Quam quae contingit maribus," dixisse „voluptas."
Illa negat; placuit, quae sit sententia docti,
Quaerere, Tiresiae; venus huic erat utraque nota.
Nam duo magnorum viridi coëuntia silva
Corpora serpentum baculi violaverat ictu,
Deque viro factus - mirabile! - femina septem
Egerat autumnos; octavo rursus eosdem
Vidit, et „Est vestrae si tanta potentia plagae,"
Dixit „ut auctoris sortem in contraria mutet:
„Nunc quoque vos feriam." Percussis anguibus îsdem
Forma prior rediit genitivaque venit imago.
Arbiter hic igitur sumtus de lite jocosa
Dicta Jovis firmat. Gravius Saturnia justo
Nec pro materia fertur doluisse, suique
Judicis aeterna damnavit lumina nocte.
At pater omnipotens - neque enim licet irrita cuiquam
Facta dei fecisse deo - pro lumine ademto
Scire futura dedit, poenamque levavit honore.
Ille per Aonias fama celeberrimus urbes
Irreprehensa dabat populo responsa petenti.
Prima fide vocisque ratae tentamina sumsit

314. *Nyseïdes.* Nysa mons Indiae, nymphae ejus *Nyseïdes.* Bacchus quoque *Nyseus* IV, 13. Homer. H. Bacch. Serv. ad Virg. Ecl. VI, 15.

316. *Tiresias in jocosa Jovis et Junonis lite arbiter sumtus, quum sententiam Jovis probasset, a Junone visu privatus, a Jove vaticinandi artem adipiscitur.* Apollod. III. c. 6. Hyg. F. 75.

316. *fatali lege,* ex fato; namque ipso Jove invito malum acciderat.

318. *diffusum,* exhilaratum. Conf. IV, 766. Stat. Silv. IV, 3, 54. *sacros diffusus nectare vultus Rex superûm.*

319. *vacua,* otiosa. — *remissos,* qui sunt remissorum, non tristes. Abb.,Dom., Goth. 2., Lips. 1. et unus Sulm.: *depositisse.* Virg. A. I, 562. *seoludite curas.*

321. *quam quae contingit,* quam illa, quae contingit, contingere solet. Rhen. et V Heins. *contingat.* Ups., IX Heins. et ed. pr. *contigerit,* h. e. sorte obvenerit.

322. *docti,* harum deliciarum gnari.

323. *venus utraque,* et viri et feminae voluptas venerea. — 324. *coëuntia,* sc. concubitu. — 327. *eosdem,* sc. serpentes. — 329. *sortem,* sexum. VI, 680. IX, 676. — 331. III Heins. *gen. rursus imago,* quod temere edidit Heinsius. — *genitiva,* nativa, quam habuerat, cum nasceretur. Augustus habebat *genitivas notas.* Suet. Oct. c. 80.

334. *pro materia,* pro materiae levitate. X, 133. IV, 412.

335. *aeterna nocte,* caecitate.

336. *neque enim licet etc.* Vid. II, 677.

338. *honore,* arte honesta.

339. *Narcissus Cephisi amnis et Liriopes nymphae filius, quum omnem feminarum amorem, etiam Echus quae amore ejus tabescens in Echo mutata est, sprevisset, sui ipsius amore exarsit et in florem ejusdem nominis mutatus est.* Pausan. IX. c. 31. Hyg. F. 271.

339. *Aonias,* Boeotias. I, 313.

340. *responsa,* vaticinia, vel *sortes,* ut est I, 368. — *irreprehensa,* sc. ob certum eventum. — 341. *fide* h. e. fidei. *Fide* exhibent nonnulli (?) Heins., II Bersm., Pal. 1. 2., Rhen., Twisd. 1. 2. et Vrat.

Caerula Liriope, quam quondam flumine curvo
Implicuit clausaeque suis Cephisos in undis
Vim tulit. Enixa est utero pulcherrima pleno
Infantem nymphe, jam tunc qui posset amari,
Narcissumque vocat. De quo consultus an esset
Tempora maturae visurus longa senectae,
Fatidicus vates, „Si se non viderit“ inquit.
Vana diu visa est vox auguris; exitus illam
Resque probat letique genus novitasque furoris.
Namque ter ad quinos unum Cephisius annos
Addiderat, poteratque puer juvenisque videri.
Multi illum juvenes, multae cupiere puellae;
Sed — fuit in tenera tam dura superbia forma —
Nulli illum juvenes, nullae tetigere puellae.
Adspicit hunc trepidos agitantem in retia cervos
Vocalis nymphe, quae nec reticere loquenti
Nec prior ipsa loqui didicit, resonabilis Echo.
Corpus adhuc Echo, non vox erat, et tamen usum
Garrula non alium, quam nunc habet, oris habebat,
Reddere de multis ut verba novissima posset.

Dresd. pro v. l. et Lips. 1. *fidei*. Reliqui *fidem*. Conf. VI, 506. VII, 728. et 737. Priscian. VII. c. 19. §. 93. *Veteres tamen frequentissime inveniuntur similem ablativo protulisse in hac declinatione tam genitivum quam dativum. Salustius in historiarum I. Dubitavit acie pars pro aciei. Et Virgilius in I. Georgicon* (v. 208.). *Libra die somnique pares ubi fecerit horas, die pro diei. Ovidius quoque in III. Metamorphoscon fide pro fidei posuit: Prima fide vocisque ratae temptamina sumpsit. Idem in VI* (v. 506.). *Utque fide pignus dextras utriusque poposcit.* Scripturam *ratae* confirmant Priscian. l. l. et nonnulli Heinsii. Reliqui *datae*. *Ratae vocis* exponit illud *fidei*. — 342. *Liriope* nympha fontana aut fluvialis; inde *caerula*. Vid. II, 8.

343. *Cephisos*. Ita Berol., Rhen., Lips. 2., Vrat. et castigatiores Heinsii. Vulg. *Cephisus*.

344. *tulit*, intulit. — 345. *nymphe*. Flor., II Medic., Rhen. et Viv. *nymphis*. Flor., II Medic., Lips. 2. et Viv. *jam tum*. Dresd., Gron., Par. 1. et 2., Rhen. et ed. Ven. 1. *jam nunc*. Berol. *qui jam nunc*. Videmus quantam auctoritatem habeat Burmanniana scriptura *infantem, nymphis jam nunc*.

348. *fatid. vates*, Tiresias. — *Viderit* respondet illi *visurus esset*, atque eam scripturam exhibent Par. 2., Berol., Cant., Dresd. et multi Heinsii. Reliqui *noverit*. — 350. *furoris*, insani amoris.

351. „*Namque ad ter quinos annos unum addiderat Cephisius.*“ Vid. 343. Conf. V, 50. — Cod. unus Cael., Goth. 2., Lips. 2., Sulm. 1., Urs., Vat. Ciof. et plurimi Heins. *namque ter*. — Berol., Rhen. et alter Twisd. *jamque ter*, constanti fere permutatione. Pal. 2., Ups. et reliqui *nam quater*. Inepte. Berol. et Rhen. *annum*, quod Heinsius iterum maluit, quam optimam scripturam prope omnium librorum *annos*.

353. *cupiere*. Ita II Bersm., Abb., Briant., Cael. 1. 2., Dresd., Ern., Goth. 1. 2., Joan., Maff. 1. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vat. Ciof., Vrat., meliores Heins. et edd. Venn., quod etiam elegantius est quam vulgata *petiere*: nam adire ac *petere* vix audebant propter diram ejus superbiam.

354. *dira*. Ita Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., codd. Ciof., multi Heins. et ed. pr. Reliqui *dura*. Recte. *dura* ac *tenera* sibi respondent. De constructione conf. V, 400. 401. VII, 572. 573.

355. *tetigere*, movere. IV, 164. Expressus locus est e Catull. Carm. Nupt. v. 58.

Multi illum pueri, multae optavere puellae.
Idem cum tenui captus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullae optavere puellae.

357. *vocalis nymphe*. Conf. XI, 8.

361. *reddere*, repetere. Plin. N. H.

Fecerat hoc Juno, quia, cum deprendere posset
Sub Jove saepe suo nymphas in monte jacentes,
Illa deam longo prudens sermone tenebat,
Dum fugerent nymphae. Postquam Saturnia sensit;
„Hujus“ ait „linguae, qua sum delusa, potestas
„Parva tibi dabitur vocisque brevissimus usus“,
Reque minas firmat. Tamen haec in fine loquendi
Ingeminat voces, auditaque verba reportat.
Ergo ubi Narcissum per devia rura vagantem
Vidit et incaluit, sequitur vestigia furtim,
Quoque magis sequitur, flamma propiore calescit
Non aliter, quam cum summis circumlita taedis
Admotam rapiunt vivacia sulfura flammam.
O quoties voluit blandis accedere dictis,
Et molles adhibere preces; natura repugnat
Nec sinit incipiat; sed, quod sinit, illa parata est
Exspectare sonos, ad quos sua verba remittat.
Forte puer, comitum seductus ab agmine fido,
Dixerat „Ecquis adest?“, et „Adest“ responderat Echo.
Hic stupet, utque aciem partes dimisit in omnes,
Voce „Veni!“ clamat magna. Vocat illa vocantem.
Respicit, et rursus nullo veniente „Quid“ inquit
„Me fugis?“, et totidem, quot dixit, verba recepit.
Perstat, et alternae deceptus imagine vocis
„Huc coëamus!“ ait; nullique libentius unquam
Responsura sono „Coëamus!“ retulit Echo,

X. c. 42. *Humanas voces reddunt psittaci.* Hor. Ep. I, 18, 14. *dictata reddere.* — 363. *sub Jove suo.* Berol., Goth. 2. et V Heinsii *cum*, castius sane; sed ortum videtur a librariis, qui has Nasonis delicias ignorarent aut improbarent. — 364. *prudens*, consulto vel consilio. — 365. Vulg. *postquam haec.* Sed *haec* a Berol., Dresd., melioribus Heins. et edd. Venn. abest. — Pal. 2., Rhen., Lips. 1. 2. et Vrat. *postq. hoc.*

366. Cod. Bersm., unus Cael., Dom., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Sulm. 1., Vat. Ciof., Vrat., multi Heins. et ed. pr. *decepta.* Reliqui *delusa.*

368. *tamen* concedit.

370. *per devia rura.* Unus Medic. et Mor. 1. *lustra*, quod temere edidit Heinsius. — 372. *propiore* pro: *eo propiore.* Conf. IV, 64. X, 460.

373. Construe: *Non aliter, quam cum viv. sulfura summis taedis circuml. admotam flammam rapiunt.* De illo *rapere* conf. XV, 350. — 374. Singularem tuentur II Bersm., Goth. 1., Pal. 2., Rhen., Vrat., meliores Heins. et ed. pr. — Reliqui *admotas flammas.*

376. *molles preces.* Tib. III, 4, 75.

Ergo ne dubita blandas adhibere querelas;
Vincuntur molli pectora dura prece.

377. *nec sinit excipiat.* Conf. IV, 111.

379. *puer*, Narcissus. — *ab agmine fido:* nam in venatione erat. V. 356. — *seductus*, non sensu passivo sed quem vocant reflexivo: *quum secessisset.* Conf. v. 440. — 380. Heinsius tacite edidit: *ecquis*, quod in Rhen., Vrat. et ed. pr. legitur. Lips. 2. *hec quis.* Unus Maff., Lips. 1., unus Sulm. et Vat. Ciof. *et quis.* Goth. 2. *heu quis.* Reliqui Ciof. codd., Berol., Dresd., Goth. 1. et edd. Venn. *hic quis.* Vid. ad v. 442.

381. *utque.* Ita tacite edidit Heinsius, confirmat Goth. 2. Reliqui Codd. et vett. edd. *atque.* Male. Unus Medic. *divisit.* Edd. Venn. *demisit.* Codd. Heinsii et reliqui *demisit* vel *dimittit.* Vid. Met. VIII, 188. — 382. Berol., Lips. 2. et vett. edd. *magna clamat.*

383. Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 1., Vrat. et vett. edd. *rursus nullo.* Lips. 2. *nullo rursus*, quod tacite edidit Heinsius.

385. *alternae — imagine vocis*, periphrasis echus. Conf. Hor. Od. I, 20, 8.

Et verbis favet ipsa suis, egressaque silva
Ibat, ut injiceret sperato brachia collo.
Ille fugit, fugiensque manus complexibus aufert;
„Ante“ ait „emoriar, quam sit tibi copia nostri.“
Retulit illa nihil nisi „Sit tibi copia nostri.“
Spreta latet silvis, pudibundaque frondibus ora
Protegit, et solis ex illo vivit in antris;
Sed tamen haeret amor, crescitque dolore repulsae,
Et tenuant vigiles corpus miserabile curae,
Adducitque cutem macies et in aëra sucus
Corporis omnis abit, vox tantum atque ossa supersunt:
Vox manet, ossa ferunt lapidis traxisse figuram.
Inde latet silvis, nulloque in monte videtur;
Omnibus auditur: sonus est, qui vivit in illa.
Sic hanc, sic alias undis aut montibus ortas
Luserat hic nymphas, sic coetus ante viriles.
Inde manus aliquis despectus ad aethera tollens
„Sic amet ipse licet, sic non potiatur amato!“
Dixerat; assensit precibus Rhamnusia justis.
Fons erat illimis, nitidis argenteus undis,
Quem neque pastores neque pastae monte capellae
Contigerant aliudve pecus, quem nulla volucris
Nec fera turbarat nec lapsus ab arbore ramus;
Gramen erat circa, quod proximus humor alebat,
Silvaque sole locum passura tepescere nullo.
Hic puer, et studio venandi lassus et aestu,
Procubuit, faciemque loci fontemque secutus;
Dumque sitim sedare cupit, sitis altera crevit;
Dumque bibit, visae correptus imagine formae,

388. *silva*. Dresd. a 1. m., Medic. 2., Neap., nonnulli Heins. et ed. pr., *silvis*. Reliqui *silva*, quod genuinum videtur. De illo *ipsa suis* vid. 440. et ad v. 229. *favet*, obsecundat, obsequitur.

390. Heinsius loco optimae scripturae veterum librorum praeproperam suam conjecturam dedit:

Ille fugit, fugiensque, Manus complexibus aufer, —

Berol., Goth. 2. et Lips. 2. *amplexibus*. Vid. v. 286. — 394. *in antris*. Illustrat Claudian. XXVIII, 33. *aditis* (antris) *effunditur Echo clarior*. De illo *solis* conf. II, 489. — 396. Multi Heinsii et ed. pr. *attenuant*. Reliqui: *et tenuant*, quod mihi genuinum videtur. Conf. tamen v. 489. — *vigiles curae*. Conf. II, 779. — 397. *adducit*, contrahit sucis deficientibus. Virg. Georg. III, 483. *sitis miseros adduxerat artus*.

399. *traxisse*, paullatim sumsisse. I, 412. — *lapidis*, quia echo auditur locis saxosis. — 401. *in illa*, i. q. illius, sc. Echus. — 403. *luserat*, ludibrio habuerat. Tibull. I, 8, 71.

Marathus quondam miseros ludebat amantes.

404. *despectus*, ut *spretus* v. 393.

405. *sic a. ipse*, sc. sicut ego despectus amavi. Berol. et meliores (?) Heinsii *iste* perperam. — 406. *Rhamnusia*. Nemesis, dea scelerum imprimis superbiae ultrix, nomen Rhamnusia habet a Rhamnunte Atticae pago, ubi celeberrimum ejus fanum fuit. Plin. N. H. XXXVI. c. 5. Conf. Met. XIV, 694.

407. Fons ille erat in Thespiensium finibus, Pausaniae adhuc aetate Narcissi nomen gerens. — 408. *pastae monte*. Vulgata *pastae in monte*. Sed codd. et vett. edd. *in* omittunt.

412. *locum*. Unus Bas. *lacum*, quod recepit Heinsius. (!) Conf. 414. „*et silva, non passura, locum ullo sole tepescere.*“ — 413. *puer*. Conf. v. 379.

414. *faciem*, amoenitatem.

415. *sitis altera*, ille amor sui. Conf. v. 346—348.

Spem sine corpore amat: corpus putat esse, quod umbra est;
Ac stupet ipse sibi, vultuque immotus eodem
Haeret, ut e Pario formatum marmore signum;
Spectat humi positus geminum ceu lumina sidus,
Et dignos Baccho, dignos et Apolline crines,
Impubesque genas et eburnea colla decusque
Oris et in niveo mixtum candore ruborem;
Cunctaque miratur, quibus est mirabilis ipse.
Se cupit imprudens, et, qui probat, ipse probatur;
Dumque petit, petitur, pariterque incendit et ardet.
Irrita fallaci quoties dedit oscula fonti!
In medias quoties, visum captantia collum,
Brachia mersit aquas, nec se deprendit in illis!
Quid videat nescit; sed, quod videt, uritur illo,
Atque oculos idem, qui decipit, incitat error.
Credule, quid frustra simulacra fugacia captas?
Quod petis, est nusquam; quod amas, avertere, perdes.
Ista repercussae, quam cernis, imaginis umbra est:
Nil habet ista sui; tecum venitque manetque,

417. *spem sine corpore.* Thys., unus Arg. et unus Medic. *rem sine corpore. Spem* intellige rem speratam.

418. *ac stupet.* II Bersm., Berol., Goth. 2., Vrat. et ed. pr. *adstupet,* quo verbo Naso nusquam alias usus est. De Heinsii et Ciof. codd. nihil liquet. — Dresd., Rhen., Lips. 1. 2. et reliqui cum vett. edd. *ac stupet.* Conf. not. ad v. 396.

419. *e Pario. Marmor Parium,* sive Pari insulae maris Aegaei, imprimis clarum. VII, 465. Virg. Aen. VI, 470.

Nec magis incepto vultum sermone (regina) *movetur,*
Quam si dura silex aut stet Marpesia (in Paro) *cautes.*

420. *geminum ceu lumina sidus.* Cod. Bersm., nonnulli Heins., Goth. 1., Par. 1., Lips. 2. *geminum, sua lumina, sidus.* Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Par. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., plurimi Heins. et vett. edd. *geminum ceu lumina sidus,* quae scriptura revocanda est; nam *geminum sidus* appositionem, *lumina* vero quod vocant objectum esse apparet ex verborum vi. Ac sensus est: *spectat lumina ceu geminum sidus.* De positione illius *ceu* cf. Virg. Aen. II, 355. *lupi ceu raptores.* — 421. *Et dignos Baccho, dignos et.* Ita Arond., Berol., Cael. 1. 2., Dresd., Erf. 1. 2., Flor., Goth. 2., Neap., Pal. 1., Rhen., Sulm. 1. 2., Thu., Vat. 1., Viv., Vrat. et III Heins. Reliqui inepte: *et digitos B. dignos et* vel *et dignos B. digitos et Ap.* Solent poetae eandem capillorum pulcritudinem tribuere Baccho et Apollini. Amor. I, 14, 31.

Formosae periere comae, quas vellet Apollo,
Quas vellet capiti Bacchus inesse suo.

Tib. I, 4, 37.

Solis aeterna est Phoebo Bacchoque juventas;
Nam decet intonsus crinis utrumque deum.

422. *impubes,* lanugine obductas, vel laeves. — 423. *in niveo mixtum.* Vid. ad V, 555. — 424. Heinsius primus distinxit: *quibus est mirabilis: ipse Se o.*

425. *ipse.* Par. 1. et Rhen. *ille.* — *probare,* amabilem judicare. XII, 224.

426. *incendit.* Ita II Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Sulm. 1. 2. et plerique Heins. — Reliqui *accendit.* — 428. *in medias — aquas.* Ita II Bersm., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. a 1. m., Sulm. 1. 2., nonnulli Ciof., plerique Heins. et ed. Ven. 2. — Reliqui *in mediis — aquis.* Utrumque cum omnino a Latinis tum a Nasone dicitur. Vid. indices. Sola igitur codicum auctoritate, utra scriptura ab Ovidio sit, probabiliter judicari poterit.

435. *tecum venitque manetque.* Berol., Goth. 2., Gron. et Rhen. *tecumque venitque.* Sed perfectum *venit* huic loco satis convenit: tria enim tempora tangit: praeteritum *venit,* praesens *manet,* et futurum *discedet.* Namque male versu 436. Berol. et unus Heinsii habent *disce-*

Tecum discedet, si tu discedere possis.
Non illum Cereris, non illum cura quietis
Abstrahere inde potest; sed opaca fusus in herba
Spectat inexpleto mendacem lumine formam,
Perque oculos perit ipse suos, paullumque levatus,
Ad circumstantes tendens sua brachia silvas
„Ecquis, io silvae, crudelius“ inquit „amavit?
„Scitis enim, et multis latebra opportuna fuistis.
Ecquem, cum vestrae tot agantur saecula vitae,
Qui sic tabuerit, longo meministis in aevo?
Et placet et video, sed quod videoque placetque,
Non tamen invenio: tantus tenet error amantem.
Quoque magis doleam, nec nos mare separat ingens,
Nec via nec montes nec clausis moenia portis;
Exigua prohibemur aqua. Cupit ipse teneri:
Nam quoties liquidis porreximus oscula lymphis,
Hic toties ad me resupino nititur ore.
Posse putes tangi: minimum est, quod amantibus obstat.
Quisquis es, huc exi: quid me, puer unice, fallis,
Quove petitus abis? Certe nec forma nec aetas
Est mea, quam fugias; et amarunt me quoque nymphae.
Spem mihi nescio quam vultu promittis amico,
Cumque ego porrexi tibi brachia, porrigis ultro;
Cum risi, arrides, lacrimas quoque saepe notavi
Me lacrimante tuas; nutu quoque signa remittis;
Et, quantum motu formosi suspicor oris,
Verba refers aures non pervenientia nostras. —
Ille ego sum: sensi, nec me mea fallit imago.
Uror amore mei! flammas moveoque feroque! —
Quid faciam? Roger, anne rogem? Quid deinde rogabo?
Quod cupio mecum est: inopem me copia fecit.
O utinam nostro secedere corpore possem!
Votum in amante novum! Vellem, quod amamus, abesset.

dat: discedet enim pro certo enuntiatum est, conditione: *si tu discedere possis*, adjuncta. — *nil habet sui*, non constat per se, nil habet proprium ac corporeum.

437. *Cereris*. *Ceres* pro re, cui praeest quamque hominibus dedit. V, 341 seqq. et 646 seqq. Conf. VIII, 292. et VII, 104. et not. ad IV, 33.

438. *opaca*. Conf. v. 412. Bersm., Lips. 1. et plurimi Heins. *opacas in herbas*. — 440. *levatus*. Vid. ad 379. II, 159. 428. XI, 621.

442. *ecquis*. V Gifanii, Goth. 1., Leid. 3., II Par. et Lips. 2. *et quis;* constanti prope varietate. Vid. ad v. 380.

448. Lips. 1. et vett. edd. *non nos*.

449. *nec via*, nec longum iter terrestre. Vid. not. ad Trist. V, 4, 2.

450. *teneri*. Conf. VII, 66. 143.

456. *nymphae*. Vid. 402.

460. *nutu*. Jun. *nictu*. Conf. IV, 63.

462. *aures pervenientia*. Sic verba movendi saepe cum accus. sine praepositione construuntur. Virg. Aen. I, 2. II, 781. Conf. Met. IV, 80.

463. „*ille* (quem cupio) *ego sum*.“ Medic. 1. *in te ego sum*. Unus Bersm., Dresd., Goth. 2., Lips. 2., codd. Ciof. et nonnulli Heinsii *ipse ego sum*. II Bersm., Berol., Goth. 1., Pal. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et vett. edd. *iste ego sum*. Non male. Reliqui *ille ego sum*. — 468. *novum*. Vulg. *novum est*. Sed *est* omittunt cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., optimi Heins. et vett. edd.

Jamque dolor vires adimit, nec tempora vitae
Longa meae superant, primoque exstinguor in aevo.
Nec mihi mors gravis est posituro morte dolores;
Hic, qui diligitur, vellem diuturnior esset:
Nunc duo concordes anima moriemur in una.“
Dixit, et ad faciem rediit male sanus eandem,
Et lacrimis turbavit aquas, obscuraque moto
Reddita forma lacu est. Quam cum vidisset abire,
„Quo refugis? Remane nec me, crudelis, amantem
Desere!“ clamavit: „liceat, quod tangere non est,
Adspicere, et misero praebere alimenta furori.“
Dumque dolet, summa vestem deduxit ab ora,
Nudaque marmoreis percussit pectora palmis.
Pectora traxerunt tenuem percussa ruborem
Non aliter, quam poma solent, quae, candida parte,
Parte rubent, aut ut variis solet uva racemis
Ducere purpureum nondum matura colorem.
Quae simul adspexit liquefacta rursus in unda,
Non tulit ulterius, sed, ut intabescere flavae
Igne levi cerae matutinaeque pruinae
Sole tepente solent: sic attenuatus amore
Liquitur, et caeco paullatim carpitur igni;
Et neque jam color est mixto candore rubori,
Nec vigor et vires et quae modo visa placebant,
Nec corpus remanet, quondam quod amaverat Echo.
Quae tamen ut vidit, quamvis irata memorque,
Indoluit, quotiesque puer miserabilis „Eheu!“
Dixerat, haec resonis iterabat vocibus „Eheu!“;
Cumque suos manibus percusserat ille lacertos,

470. *superant*, supersunt.

473. *anima — in una*, dum unus animam exhalat. De sententia vid. not. ad XII, 229. et IV, 108.

474. *male sanus*, insanus.

477. Unus Voss. *Quo fugis? o remane.* — IV Heinsii *quo fugis, remane.* Pal. 1. *quove fugis remane.* Reliqui omnes cum vett. edd. *quo refugis? remane.* Parum sane eleganter propter duplex illud *re;* nisi post illud *refugis* orationem paullisper subsistere intelligas.

478. *non est*, non licet.

479. *furori*, amori.

480. *summa deduxit ab ora.* Mire variant libri veteres, qui fere omnes *summo ab ore* et multi etiam *diduxit. Summa ab ora* exhibet Goth. 2. et *summa deduxit ab ora* tuentur Gron. et IV Heinsii. *Summa ab ora*, a collo ubi ora vestis. *diduxit* non satis convenit illis *summa ab ora.* Conf. V, 398.

481. *marmoreis*, candidis. Conf. XIII, 746. — 482. *trahere* i. q. *ducere* v. 485. Conf. v. 399. VIII, 763. et Virg. Ecl. IX, 49. — 486. *liquefacta rursus*, h. e. rursus liquida, perlucida facta, quam ante lacrimis suis turbarat. V. 475. Insolentiori Naso h. l. verbum hoc significatione posuit. Conf. not. ad I, 23. et vid. Voss. ad Virg. Georg. I, 404.

488. Heinsius de suo tacite edidit *matutinaeve.* — 490. *carpitur.* Conf. II, 781. — *caeco* exhibent Medic. 3., V Heins., Dresd. a corr., VI Heins. pro v. l. et ed. pr. Dresd. a 1. m., Pal. 2., Par. 1. 2. et reliqui *tecto*, quod genuinum videtur. Berol., Dresd., Lips. 2., Vrat. et ed. pr. *igne.* — Formula *caeco carpitur igni* legitur etiam Virg. Aen. IV, 2.

492. *nec vigor et vires — placebant.* Negatio ad totum versum refertur. X, 92.

494. „*quae tamen* (Echo) *ut vidit* (miseram Narcissi sortem), *quamvis irata memorque, indoluit, et, quoties . . ., haec etc.*

495. *ehcu.* Sic tacite Heinsius edidit, quod Berol., Goth. 2., Rhen., Vrat. et vett. edd. tuentur. Multi *heuheu.*

Haec quoque reddebat sonitum plangoris eundem.
Ultima vox solitam fuit haec spectantis in undam:
„Heu frustra dilecte puer!“ totidemque remisit
Verba locus, dictoque vale, vale inquit et Echo.
Ille caput viridi fessum submisit in herba:
Lumina mors clausit, domini mirantia formam.
Tum quoque se, postquam est inferna sede receptus,
In Stygia spectabat aqua. Planxere sorores
Naïdes, et sectos fratri imposuere capillos;
Planxerunt Dryades: plangentibus assonat Echo.
Jamque rogum quassasque faces feretrumque parabant;
Nusquam corpus erat: croceum pro corpore florem
Inveniunt, foliis medium cingentibus albis.
Cognita res vatis meritam per Achaïdas urbes
Attulerat famam nomenque erat auguris ingens;
Spernit Echionides tamen hunc, ex omnibus unus
Contemtor superûm, Pentheus, praesagaque ridet
Verba senis, tenebrasque et cladem lucis ademtae
Objicit. Ille movens albentia tempora canis
„Quam felix esses, si tu quoque luminis hujus

501. *dictoque valē, valĕ, inquit.* Eodem modo Virg. Ecl. III, 79.

— — *formose vale, vale, inquit, Iola*

De neglecta elisione conf. IV, 535.

502. *submisit in herba.* Conf. v. 23. et 438. — 503. *lumina mors clausit.* Bas. 2. pro v. l. et unus Thu. pro v. l. *nox.* Iidem codd. et reliqui omnes cum vett. edd. *mors.* Idem Bas., Thu., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 2., meliores Heins. et ed. pr. *claudit.* Exspectanda accuratior collatio codicum est. — De illo *domini* conf. VI, 560.

505. *in Stygia — aqua.* I, 139.

506. *sorores, Naïdes.* nam Narcissus filius Cephisi fluvii. V. 339. Mos veterum mortuis capillos ferendi atque imponendi etiam XIII, 427. tangitur. — Conf. Hom. Il. XXIII, 144. et Kirchmann de Re fun. Rom. Il. c. 15. Goth. 1. 2. et vett. edd. *Najades,* quod male edidit Heinsius. Idem praepropere novavit *posuere,* quod exhibent Gron. 1., Erf., Rhen. et II Heins.

507. *Dryades,* nymphae silvestres. VIII, 749. — *planxerunt ἀσυνδέτως* cum vi repetitur. Heinsius tamen conjecturam suam *planxere et* praetulit. (!)

508. *quatere, quassare, percutere faces* obvium. IV, 758. *Jactabantur* enim inter eundum. *Gierig.*

510. *„foliis albis medium croceum cingentibus.“* De narcisso flore vid. Voss. ad Virg. Georg. IV, 122. et Ecl. II, 48.

511. *Pentheus Echionis et Agaves filius* (v. 134.) *et Cadmi nepos licet monitus a Tiresia vate* (313 — 337.) *nova Bacchi sacra spernit ipsumque deum in vincula conjicit, qui subito liberatus Agaven ejusque sorores furore concitas ad dilaniandum Penthea impellit.* Inserta est huic fabulae (v. 577 — 691.) altera de nautis Tyrrhenis a Baccho ob perfidiam in delphines mutatis. Apollod. III. c. 5. Hyg. F. 184.

511. *Achaïdas,* Graecas, ab Achaia, quae est regio Peloponnesi. *Vati,* Tiresiae. — Heinsius e scriptis (?) edidit *vati.* Idem tacite *meritam* ante *vati* sive *vatis* posuit, quod II Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Berol., Pal. 2. et ed. pr. confirmant. Sed dativus ille neque codd. neque veteribus edd. confirmatur et rectus ad sensum est genitivus. Quare eum revocandum censui. Scripturam *per Achaïdas* exhibent cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., praestantiores Heins., ed. pr. et Venn. Vulg. *per Achaeïdas.*

515. *cladem lucis ademtae.* Vid. v. 333 — 338. — Scripturam *tenebrasque* confirmant et sensus et cod. Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., praestantissimi Heins. et vett. edd. — Vulg. *tenebras,* omisso *que.*

517. *luminis h. orbus.* Conf. XIV, 189. et XIII, 595.

Orbus „ait“ fieres nec Bacchica sacra videres!
Namque dies aderit, quam non procul auguror esse,
Qua novus huc veniet, proles Semeleïa, Liber.
Quem nisi templorum fueris dignatus honore,
Mille lacer spargere locis et sanguine silvas
Foedabis matremque tuam matrisque sorores.
Eveniet: neque enim dignabere numen honore,
Meque sub his tenebris nimium vidisse quereris.“
Talia dicentem proturbat Echione natus.
Dicta fides sequitur, responsaque vatis aguntur.
Liber adest, festisque fremunt ululatibus agri;
Turba ruit, mixtaeque viris matresque nurusque
Et vulgus proceresque ignota ad sacra feruntur.
„Quis furor, anguigenae, proles Mavortia, vestras
Attonuit mentes?“ Pentheus ait. „Aerane tantum

518. Heinsius tacite delicias suas in hac ratione sententiae dedit, sc.: *ne, quod* exhibent cod. Bersm., Berol., Lips. 1. et ed. pr. Vid. not. ad II, 44. — Cant., Erf. 1., Lips. 2., Medic. 1. 2., Pal. 2., Par. 1., Rhen., Vat. 1. et plurimi Heinsii *Bacchia*. Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1., Vrat., Par. 2. et a corr. 1. et reliqui *Bacchica*, constanti prope varietate. Vid. not. ad Trist. I, 7, 2., ad Her. I, 28. et ad Met. XII, 70.

519. *namque*. Dresd., Pal. 2., Rhen. et vetustiores (?) Heinsii: *jamque dies*. — Deinde Pal. 2. et vulg. *quam non procul*. Vetustiores Heinsii: *quam jam haud procul* vel *quam jam procul*. Prius etiam Par. 1. 2. et Lips. 2. Lips. 1. *quem jam haut pr*. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1., Rhen., Vrat. et quidem Heins.: *quam haud pr*. Alii Heinsii: *jam haud pr*. Heinsii conjectura est: *jamque haud pr*. Tutissimum erit in hac varietate optimam vulgatam: *quam non procul*, revocare.

520. *veniet*. Et h. l. novator conjunctivi Heinsius edidit *veniat*, e melioribus, ut certe falso ait, codd. Futurum h. l. vati de certo eventu unice convenit. Conf. not. ad v. 602. et ad Trist. III, 3, 6. — Berol. tamen et Goth. 2. etiam *veniat*. — *proles Semeleïa*, Bacchus: cujus mater Semele. Vid. v. 253—315. — *novus*, cujus sacra adhuc ignota, ut sequitur v. 530. - *Liber*, Bacchi cognomen, *quia liberat servitio curarum animum et asserit vegetatque et audaciorem in omnes conatus facit*. Senec. de Tranquil. c. 15. Graece Λύαιος, Lyaeus, a verbo λύειν.

524. *eveniet*. Ita cod. Bersm. et plurimi Heinsii. Pal. 2. et veteres Ciofani et reliqui cum vett. edd. *et veniet*, quod genuinum videtur; quanquam prior scriptura magis perspicua et simplicior est. Heinsii conjectura inutilis est *evenient*.

525. *sub his tenebris*. Vid. v. 515.

526. Goth. 1. 2., Lips. 2. et edd. Venn. *perturbat*. — 527. *dicta fides sequitur*. Conf. IV, 550. — *aguntur*, perficiuntur. *responsa*, vaticinium. v. 340.

528. *adest*, sc. e Lydia. Eurip. Bacch. v. 234. Conf. v. 314. — *Ululare* de furibundo Baccharum clamore proprie dicitur. Conf. Met. 643. XI, 17. — „*Ululabant* autem voces has: Εὐοῖ Βάκχε, ὦ Ἴακχε, Ἰὼ Βάκχε, Εὐοῖ σαβοῖ, unde εὐάζειν τὰ ὄργια, quod Virg. A. VI, 517. reddit *evare orgia*.“ *Gierig*.

529. *ruit*. Nonnulli Heinsii codd. pluraliter *ruunt*, quod cupidius edidit Heinsius. Vid. not. ad I, 92. et conf. XV, 730.

530. *et vulgus proc*. Heinsius tacite edidit: *vulgusque proceresque*, ut *que* in arsi producatur, ut I, 193., atque ita etiam vetus liber Giofanii, unus Cael., Rhen. et Sulm. exhibent. — Berol., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 1. 2. et vett. edd. *vulgusque et proceres*. Par. 1. 2. et reliqui *et vulgus proceresque*. — *feruntur*, ut *ruunt* recte de furibundo cursu.

531. *quis furor*. Conf. VI, 170. — *anguigenae*, ut *serpentigenae*, *draconigenae* (Vid. ad IV, 173. VII, 212.) pro Taebanis, propter Echionem qui ortus erat ex dentibus serpentis (V. 126.), qui Martis, vel Martis adeo filius, esse ferebatur. V. 32. Inde *Mavortia proles*.

532. *attonuit*. Ita libri (qui?) Naugerii, exc. Cal., Medic. 2., Neap., Urs., margo Bas. et Bersm. et schol. Stat. ad Theb. VII, 164. Pal. 4. Gebhardi *attingit*. Reliqui omnes cum vett. edd. *attollit*. *attonuit* proprium in hac re ver-

Aere repulsa valent et adunco tibia cornu
Et magicae fraudes, ut, quos non bellicus ensis,
Non tuba terruerit, non strictis agmina telis,
Femineae voces et mota insania vino
Obscoenique greges et inania tympana vincant?
Vosne, senes, mirer, qui longa per aequora vecti
Hac Tyron, hac profugos posuistis sede Penates,
Nunc sinitis sine Marte capi? Vosne, acrior aetas,
O juvenes, propiorque meae, quos arma tenere,
Non thyrsos, galeaque tegi, non fronde decebat?
Este, precor, memores, qua sitis stirpe creati;
Illiusque animos, qui multos perdidit unus,
Sumite serpentis! Pro fontibus ille lacuque
Interiit; at vos pro fama vincite vestra!
Ille dedit leto fortes; vos pellite molles,
Et patrium retinete decus! Si fata vetabant
Stare diu Thebas; utinam tormenta virique
Moenia diruerent, ferrumque ignisque sonarent:
Essemus miseri sine crimine, sorsque querenda,
Non celanda foret, lacrimaeque pudore carerent.
At nunc a puero Thebae capientur inermi,
Quem neque bella juvant nec tela nec usus equorum,

bum. — *aerane*. Bacchae aerea cymbala pulsabant. IV, 29. — *tibia adunco cornu* h. e. tibia aduncum cornu habens: quae erat tibia Phrygia; nam reliquae tibiae rectae erant. Virg. A. XI, 737. *ubi curva choros indixit tibia Bacchi.*

534. *bellicus*. Gron. 1. pro v. l. *belliger*. — 535. De *tuba* vid. I, 98. — III Bersm., Berol., Rhen. et multi ex melioribus Heinsii *terruerint*.

536. *femineae voces*. V. 528.

537. *obscoeni greges*, comitatus Bacchi, imprimis Silenus et Satyri. Vid. I, 93. XI, 89. IV, 25. De obscoenitate conf. I, 692. XIV, 637 sqq. - *tympana* orbes intenti corio, qui pulsabantur manibus et raucum edebant sonum.

538. *qui longa per aequora etc.*, sc. cum Cadmo. Vid. v. 6. et sqq.

539. *Tyros* urbs Phoeniciae maritima purpurae praestantia nobilis. Conf. II, 840. Virg. A. I, 68.

Ilium in Italiam portans victosque Penates
Fast. IV, 251.
Quum Trojam Aeneas Italos portaret in agros.

542. *thyrsus* baculus vel hasta revincta hedera aut pampinis, quam gestabant Bacchantes et ipse Bacchus. Conf. v. 667. IV, 6 seqq. IX, 641. — *frons*, corona pampinea vel hederacea. V. 555. IV, 7. VI, 592.

545. *serpentis*. Vid. v. 37. 531.

546. *interiit*, ultima producta. Conf. I, 114. II, 567.

547. *pellite molles*. Ita cod. Bersm., Berol., Dresd., Lips. 2., optimi Heins. et ed. pr. — Vulg. *vincite*, e versu praecedenti. nam nulla pugna ac victoria opus erat: molles cum essent, pellendi erant.

548. *retinete*, servate. Gron. 1. pro v. l. et unus Pal. *revocate*. Scriptura veterum librorum etiam elegantior est. Scripturam autem *vetabant* Heinsius tacite induxit, quam cod. Constantii Fan., III Bersm., Berol., Goth. 2., Pal. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat. et ed. pr. confirmant. Goth. 1. *vetarent*, ex interpretamento. Gron. 1. pro v. l. *negabant*. Reliqui *vetabunt*. Minus recte. nam constructio est: *si vetabant; viri . . dirue re debebant.*

549. *utinam—sonarent: essemus etc.* De sententiae forma conf. not. ad XIII, 43.

550. Cod. Bersm. 3., Goth. 2., Lips. 1. 2. et edd. Venn. *ignis ferrumque*. Reliqui ut videtur omnes cum ed. pr. *ferrumque ignisque*. — Deinde cod. Bersm. 3., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et ed. pr. *sonarent*. Vulg. *sonaret*. De Ciofani et Heinsii codd. nihil liquet. *Jahn*. — 553. *a puero*. Bacchus semper juvenis. Vid. IV, 17 sqq.

Sed madidus myrrha crinis mollesque coronae,
Purpuraque et pictis intextum vestibus aurum.
Quem quidem ego actutum - modo vos absistite! - cogam
Assumtumque patrem commentaque sacra fateri.
An satis Acrisio est animi contemnere vanum
Numen et Argolicas venienti claudere portas,
Penthea terrebit cum totis advena Thebis?
Ite citi," - famulis hoc imperat - „ite ducemque
Attrahite huc vinctum! Jussis mora segnis abesto!"
Hunc avus, hunc Athamas, hunc cetera turba suorum
Corripiunt dictis, frustraque inhibere laborant;
Acrior admonitu est irritaturque retenta
Et crescit rabies, moderaminaque ipsa nocebant.
Sic ego torrentem, qua nil obstabat eunti,
Lenius et modico strepitu decurrere vidi;
At quacumque trabes obstructaque saxa tenebant,
Spumeus et fervens et ab objice saevior ibat.
Ecce, cruentati redeunt et, Bacchus ubi esset,
Quaerenti domino Bacchum vidisse negarunt;
„Hunc" dixere „tamen comitem famulumque sacrorum
Cepimus -" et tradunt manibus post terga ligatis
Sacra dei quondam Tyrrhena gente secutum.
Adspicit hunc oculis Pentheus, quos ira tremendos
Fecerat, et, quanquam poenae vix tempora differt,
„O periture tuaque aliis documenta dature

555. *crinis.* Vid. v. 441. *myrrha,* oleo myrrheo (X, 500.), quo veteres unguebantur. Conf. IV, 393. Singularem omnes codd. et vett. edd. tuentur. Vulg. *madidi crines.* Hor. Od. II, 19, 15. de Baccho:

Quanquam choreis aptior et jocis
Ludoque dictus, non sat idoneus
Pugnae ferebaris; sed idem
Pacis eras mediusque belli.

556. *pictis* eo ipso, quod aurum intextum. II, 734. — 557. Dresd., Lips. 2. et plurimi Heins. *assistite.*

558. *assumtum* i. e. quem mentitur, falso sibi arrogat, sc. Jovem. Vid. 520.

559. *Acrisius* fuit rex Argorum in Argolide (unde *Argolicas portas*) contemtor Bacchi. IV, 607 sqq.

561. *Penthea,* cum vi pro *me.* XIII, 17.

562. *ducemque;* venerat enim Bacchus cum comitatu. Vid. 537.

564. *avus,* Cadmus. Vid. ad v. 511. — *Athamas* maritus Inonis, filiae Cadmi (v. 313.), itaque Penthei avunculus.

566. *acrior,* ferocior, iracundior.

567. *moderaminaque.* Recte. moderamina illa modo indicata sunt. Bas. 1., Goth. 2., Medic. chart., Par. 1., Rhen., Lips. 2., nonnulli Heins., pro v. l. Flor., Erf. et Hamb. *remoraminaque.* Cod. Bersm. et unus Baron. *revocaminaque.* III Heins. *retinaculaque.* II Heins. *hortaminaque.* Omnes hae variantes videntur esse glossae et interpretamenta verbi *moderaminaque.*

570. *tenebant.* Ita III Bersm., omnes Heins. et Ciof., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 4. Gebhardi, Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et vett. edd. — Vulg. *jacebant.*

571. *ab objice,* i. e. per objicem. — *ab objice sacrior* oratio apud Nasonem valde frequens. Exempla attuli ad Trist. IV, 10, 16.

574. *hunc — comitem.* Nimirum Bacchus figuram Tyrrheni nautae acceperat. — 575. *ligatis.* Multi Heins., nonnulli Ciof., Vrat. et ed. pr. *revinctis,* ex Virg. A. II, 57. ut videtur.

576. Gierig poetam censet de Baccho non ita loqui potuisse. Mihi vero hic versus lepidus et elegans esse videtur, et poeta, quam figuram Bacchus sumserit, callide adjecisse. — Jam Bacchus sub aliena specie latens minanti Pentheo et vitam et admiranda facta sua narrat. Hom. Hymn. Bacch. Hyg. F. 134. Apollod. III. c. 5. — 577. Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat. et vett. edd. *Pentheus oculis.*

Morte," ait „ede tuum nomen nomenque parentum
Et patriam, morisque novi cur sacra frequentes."
Ille metu vacuus „Nomen mihi" dixit „Acoetes,
„Patria Maeonia est, humili de plebe parentes.
Non mihi, quae duri colerent, pater, arva juvenci,
Lanigerosve greges, non ulla armenta reliquit:
Pauper et ipse fuit, linoque solebat et hamis
Decipere et calamo salientes ducere pisces;
Ars illi sua census erat. Cum traderet artem,
„Accipe quas habeo, studii successor et heres,"
Dixit „opes," moriensque mihi nihil ille reliquit
Praeter aquas: unum hoc possum appellare paternum.
Mox ego, ne scopulis haererem semper in isdem,
Addidici regimen dextra moderante carinae
Flectere, et Oleniae sidus pluviale capellae
Taygetenque Hyadasque oculis Arctonque notavi,
Ventorumque domos et portus puppibus aptos.
Forte petens Delon Chiae telluris ad oras
Applicor, et dextris adducor litora remis,
Doque leves saltus udaeque immittor arenae.
Nox ubi consumta est - aurora rubescere primum
Coeperat -; exsurgo laticesque inferre recentes
Admoneo, monstroque viam quae ducit ad undas.
Ipse, quid aura mihi tumulo promittat ab alto,
Prospicio, comitesque voco repetoque carinam.
„Adsumus en!" inquit sociorum primus Opheltes,

581. *morisque novi.* Conf. v. 530.

583. *Moeonia* pro Tyrrhenia sive Etruria (XV, 452.) sive Tuscia, ut quo Moeoniam sive Lydiam (II, 252.) coloniam antiquitus deductam esse veteres tradiderunt, unde Etrusci a Virgilio *Moeonia juventus* dicuntur. Et Tusci rei navalis imprimis studiosi erant. Vid. Heyn. Excurs. III. ad Virg. A. VIII.

585. Cod. Bersm., Lips. 1. 2. et edd. Venn. *lanigerosque.*

586. *lino*, reti. Cod. Bersm., VII Heins. et ed. pr. *hamo.*

588. *census*, opes, divitiae; nam census etiam res dicebatur, quae in censum veniret. — 589. *studium*, vitae conditio, h. l. de piscatura, ut v. 694. de venatione. — 590. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 2., Lips. 1. et vett. edd. *nil.*

593. *addidici.* Conf. II, 639. — *regimen*, gubernaculum.

594. *Olenia capella*, Amalthea, cujus lacte Jupiter nutritus erat, a quo inter sidera relata locum tenet in humero sinistro Aurigae. Hyg. P. A. II. c. 13. — *Olenia* ab Oleno oppido Aetoliae, ubi illud factum erat.

595. *Taygete*, una ex Pleïadibus pro toto sidere. 1,670. *Hyades* septem stellae in capite Tauri, a Graeco *ὑεῖν*, *pluere.* Vid. Gell. Noct. Att. XIII. c. 9. — *Arctos.* Vid. II, 132.

596. *ventorum domus* sunt regiones unde spirant, de quibus vid. I, 61 seqq.

597. *Delos* insula maris Aegaei. *Chios* notissima insula maris Aegaei inter Lesbum et Samum. Plin. H. N. IV. c. 12. Abstem., Langerm. et margo Bersm.: *Diae* q. e. Naxi.

598. *adducor litora*, ut *advertor oras* V, 499. Vulg. *et ducor dextris ad lit.* Dresd., cod. Bersm., omnes Ciof., vetus cod. Gifanii, plurimi Heins., Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat. et vett. edd. *et dextris adducor lit.* Exspectanda erit accuratior collatio codicum. — 599. *immittor ar.*, mittor, me mitto, salio in arenam. Franc., Rhen., I Voss. et pro v. l. Zul. *innitor*, ex Trist. IV, 1, 7. ubi tamen plane diversa sententia est.

600. *primum.* Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2. et vett. edd. *primo*, quod genuinum videtur. Ciof. et Heinsius tacent. Vulg. *primum.* — 602. *ducit.* Berol., Rhen. et meliores (?) Heins. *ducat*, quod edidit Heinsius. Vid. ad v. 520. — *admoneo inferre.* Cf. VIII, 215.

Utque putat, praedam deserto nactus in agro,
Virginea puerum ducit per litora forma.
Ille, mero somnoque gravis, titubare videtur
Vixque sequi. Specto cultum faciemque gradumque:
Nil ibi, quod credi posset mortale, videbam.
Et sensi et dixi sociis: „Quod numen in isto
„Corpore sit, dubito; sed corpore numen in isto est.
Quisquis es, o faveas nostrisque laboribus adsis;
His quoque des veniam!“ — „Pro nobis mitte precari!“
Dictys ait, quo non alius conscendere summas
Ocior antennas prensoque rudente relabi.
Hoc Libys, hoc flavus, prorae tutela, Melanthus,
Hoc probat Alcimedon et, qui requiemque modumque
Voce dabat remis, animorum hortator Epopeus,
Hoc omnes alii. Praedae tam caeca cupido est.
„Non tamen hanc sacro violari pondere pinum
Perpetiar“ dixi: „pars hic mihi maxima juris“,
Inque aditu obsisto. Furit audacissimus omni
De numero Lycabas, qui Tusca pulsus ab urbe
Exsilium dira poenam pro caede luebat.
Is mihi, dum resto, juvenili guttura pugno
Rupit; et excussum misisset in aequora, si non
Haesissem, quamvis amens, in fune retentus.
Impia turba probat factum. Tum denique Bacchus -
Bacchus enim fuerat -, veluti clamore solutus
Sit sopor aque mero redeant in pectora sensus,
„Quid facitis? Quis clamor?“ ait, „Qua, dicite, nautae,

607. *virginea — forma.* Eurip. Bacch. v. 353. *θηλύμορφος ξένος.* Conf. Met. IV, 18 seqq. — 610. *credi posset.* Ita Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat. et vett. edd. — Vulgo *posset credi*, quod edidit Heinsius.

614. *his quoque*, sc. qui captum te huc duxerunt.

616. *ocior conscendere* et *relabi.* Vid. not. ad V, 75. — *antennae*, ligna illa transversa in malo, quibus suspendantur et dimittuntur vela.

617. *prorae tutela*, proreta. — Vrat. et plurimi Heins.: *Melampus.* Hyginus *Melan* appellat.

618. *qui requiemque — remis*, qui voce significabat, utrum lentius an acrius remigandum esset. Sil. VI, 361. de hortatore:

Qui voce alternos nautarum temperat ictus.

Erat igitur Epopeus hortator sive rector remigum. Vid. Gronov. Obs. IV. c. 26. et Drakenb. ad Sil. VI, 366.

620. *caeca cupido.* Lucret. III, 59. *Denique avaritiei et honorum caeca cupido.*

621. *violari*, pollui. Navis violatur *dei pondere*, quia res impia est, deum vi abductum in ea captum retinere.

622. *hic*, in pinu, in navi.

624. *Tusca* i. q. Tyrrhena. Vid. v. 575. — 626. *resto*, resisto.

627. *juvenili*, forti. Conf. X, 675. — *rupit* cum exaggeratione pro *graviter pressit.* — *excussum*, navi sc. Conf. XV, 524. — 629. Bas. (?) *probant*, quod induxit Heinsius. Vid. ad I, 92.

631. *a mero*, ab ebrietate. Conf. v. 608. Scripturam *aque mero* tuentur Rhen., nonnulli Heins. et margo Bas. Cod. Bersm. *absque mero.* Unus Bas. et II Heins. *eque.* Reliqui *atque mero.* Dicitur quidem *redire aliquo loco*, ut Fast. VI, 785.

Ecce, suburbana rediens male sobrius aede —

Sed h. l. *aque mero* praeferendum propter ambiguitatem, quam simplex ablativus habet.

„Huc ope perveni? Quo me deferre paratis?“
„Pone metum,“ Proreus „et quos contingere portus
„Ede velis“ dixit: „terra sistere petita.“
„Naxon“ ait Liber „cursus advertite vestros:
„Illa mihi domus est; vobis erit hospita tellus.“
Per mare fallaces perque omnia numina jurant,
Sic fore, meque jubent pictae dare vela carinae.
Dextra Naxos erat: dextra mihi lintea danti
„Quid facis, o demens? Quis te furor . . . ?“ inquit Opheltes,
„Pro se quisque timet: laevam pete!“ Maxima nutu
Pars mihi significat, pars, quid velit, aure susurrat.
Obstupui „Capiatque aliquis moderamina!“ dixi,
Meque ministerio scelerisque artisque removi.
Increpor a cunctis, totumque immurmurat agmen;
E quibus Aethalion „Te scilicet omnis in uno
Nostra salus posita est!“ ait, et subit ipse meumque
Explet opus, Naxoque petit diversa relicta.
Tum deus illudens, tanquam modo denique fraudem
Senserit, e puppi pontum prospectat adunca,
Et flenti similis „Non haec mihi litora, nautae,
„Promisistis“ ait; „non haec mihi terra rogata est.
Quo merui poenam facto? Quae gloria vestra est,
Si puerum juvenes, si multi fallitis unum?“
Jamdudum flebam; lacrimas manus impia nostras
Ridet, et impellit properantibus aequora remis.
Per tibi nunc ipsum - neque enim praesentior illo

636. *Naxos* una e Cycladibus, ubi Bacchus praecipue colebatur.

637. *hospita tellus*. I, 208. *inhospita tecta*. — 639. *pictae*. In externa prorae parte *pingebatur* aut deus navis tutelaris aut aliud quoddam insigne. Vid. not. ad Trist. I, 10, 2. — 640. *lintea dare*, i. q. *vela dare*. — Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1., Lips. 1. 2., Vrat., Viv. et edd. Venn. *dextra Naxos*. Vulg. *dextera N.* Sed *dextra* in abl. etiam concinnius est, quia alterum *dextra* in abl. sequitur. — 641. Heinsius edidit: *Quis te furor, inquit, Acoete, Pro se quisque, tenet? laevam pete*. Quam scripturam corruptam esse apparet. Nam aliquem haec verba aut partem eorum alta voce locutum esse, declarat loci ratio: *maxima pars mutu . . pars*. Jahn. edidit: *Quis te furor . . ? inquit Opheltes. Pro te quisque tenet, laevam pete“!* in qua scriptura non satis perspicio quid valeat illud *tenet;* nec nisi duo codd. parvae auctoritatis: unus Mor. et Vrat., eam scripturam exhibent. Itaque retinui vulgatam, quae satis aptum sensum habet.

644. *aliquis*, alius quis. Ita veteres libri omnes, nisi quod Goth. 1. et 2. exhibent *capiatque alius*, quod tacite recepit Heinsius, et Bersm. *capiat alius*. De *aliquid* pro *aliud quid* vid. Ruhnken. ad Terent. Heaut. I, 1, 17. Bach. affert ex Tacit. Annal. *aliquid quam eram*.

645. *artis*, fraudis. Virg. A. II, 106. *Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgae*.

647. *scilicet*. Ironice.

649. *diversa*, contraria Naxo.

653. *mihi*, a me, quod h. l. consilio posuit poeta: respondet enim illi *mihi promisistis*. Conf. IV, 92.

655. *pucrum*. Vid. v. 607. — *juvenes* sunt nautae.

658. *praesentior*, ad auxilium paratior, potentior. Sed h. l. ambigue dictum. Dicit enim haec deus ipse praesens, sub nautae Tyrrheni figura latens. — *Neque enim* exhibent Dresd., Goth. 1., Lips. 1. 1., Vrat. et vett. edd. et haud dubie multi quoque Heins. — Heinsius tacite edidit *nec enim*, quod etiam II Bersm., Berol., Goth. 2. et Rhen. exhibent.

Est deus - adjuro, tam me tibi vera referre,
Quam veri majora fide: stetit aequore puppis
Haud aliter, quam si siccum navale teneret.
Illi admirantes remorum in verbere perstant
Velaque deducunt, geminaque ope currere tentant:
Impediunt hederae remos, nexuque recurvo
Serpunt et gravidis distringunt vela corymbis.
Ipse, racemiferis frontem circumdatus uvis,
Pampineis agitat velatam frondibus hastam;
Quem circa tigres simulacraque inania lyncum
Pictarumque jacent fera corpora pantherarum.
Exsiluere viri, sive hoc insania fecit
Sive timor; primusque Medon nigrescere pinnis
Corpore depresso, et spinae curvamine flecti
Incipit. Huic Lycabas „In quae miracula" dixit
„Verteris?"; et lati rictus et panda loquenti
Naris erat, squamamque cutis durata trahebat.
At Libys, obstantes dum vult obvertere remos,
In spatium resilire manus breve vidit, et illas
Jam non esse manus, jam pinnas posse vocari.
Alter, ad intortos cupiens dare brachia funes,

660. *veri majora fide.* Her. XVI, 60. *veri vix habitura fidem.* — *stetit aequore.* Vid. ad XI, 746.

661. Vid. ad XI, 455.

663. *deducunt* ex antennis, quibus ligata pendebant, expandunt. Vid. VI, 233.

664. *impediunt*, ut II, 868. Catull. LXI, 34. *ut tenax hedera huc et huc arborem implicat errans.* — *nexuque.* VI, 128. *nexiles hederae.*

665. *distringunt*, occupant. Ita Par. 1., Lips. 2., Bas. 2. sed cum glossa *variant*, Vrat. et multi Heinsii. — Goth. 2. *distendunt*, ex glossa. Vulg. *distinguunt*, q. e. variant, varia reddunt. Plin. Epist. V, 6. *Xystus distinctus buxo.* Sed prius aptius et elegantius mihi videtur. — 666. Vid. v. 541 seqq.

667. *agitat*, jactat.

668. *tigres* et *pantherae* a Baccho in India devictae ac domitae erant ac currui ejus jungebantur, uti etiam *lynces*. Conf. IV, 404. et 24. Hinc deus ad terrendum vanis harum ferarum speciebus circumdatur. Nam *inania* sunt i. q. *falsa*. IV, 404. *falsa saevarum simulacra ferarum.* Cod. Bersm., Arg., Gron. et pro v. l. Par. 2. *immania*, Bas. 1. et Lips. 1., *imania*. Reliqui *inania*.

669. *pictarum*, maculosarum, variarum. De spondeo in quinto versus pede vid. not. ad I, 62.

670. *insania*, sc. a deo illis immissa. — Dresd., Lips. 1., Vrat. et vett. edd. *exiliere*. Vid. VI, 658. — 671. *nigrescere pinnis*. Ita Heinsius edidit ex uno Menagiano. Reliqui codd. et vett. edd. omnes *nigrescere coepit*, quod vix ferendum est propter illud *incipit* v. 673.

672. *corp. depresso*, prono, cum antea, ut homo, erecto (I, 88.) fuisset. Scripturam *corpore depresso et spinae* tuentur Goth. 1. 2., Par. 1., Vrat. et edd. Venn. — Medic. 2., Briant., alter Maff., Neap., Lips. 2., Urs., II Vat. et multi Heins. *corpore depresso, spinae.* Sed conjunctio commode abesse haud potest. Mor. 1., Pal. 1., Par. 2., Rhen., Lips. 1., Vat. 1., multi Heins. et ed. pr. *corpore sed presso.* Alii singuli fere codd. *suppresso, et presso, dum presso, et impresso*, al. Deinde Berol., Goth. 2., unus Medic., Rhen., Vrat. et ed. pr. *curvamina*, accus. Graec. Vid. ad I, 332. Vulg. *curvamine*, quod mihi etiam propter concinnitatem praeferendum videtur, ut illi ablativo *corpore depresso* respondeat. Flexus autem est spinae curvamine, quia delphinis repandum corpus. Ad rem conf. II, 820 seqq. III, 66 seqq.

673. *in quae miracula*, in quae *monstra* (IV, 591.), in quam miram et horrendam formam, Virg. G. IV, 441.

Omnia transformat sese in miracula rerum.

675. *trahebat.* Vid. ad v. 399.

676. *obstantes*, non jam lentos sed immotos ac duros. — *obvertere* undis, ad commovendam navem.

679. *dare*, extendere.

Brachia non habuit, truncoque repandus in undas
Corpore desiluit; falcata novissima cauda est,
Qualia dimidiae sinuantur cornua lunae.
Undique dant saltus, multaque adspergine rorant,
Emerguntque iterum redeuntque sub aequora rursus,
Inque chori ludunt speciem lascivaque jactant
Corpora, et acceptum patulis mare naribus efflant.
De modo viginti - tot enim ratis illa ferebat -
Restabam solus. Pavidum gelidumque trementi
Corpore vixque meum firmat deus, „Excute“ dicens
„Corde metum, Diamque tene!“ Delatus in illam
Accessi sacris Baccheaque festa frequento.
„Praebuimus longis“ Pentheus „ambagibus aures“
Inquit, „ut ira mora vires absumere posset.
Praecipitem famuli rapite hunc, cruciataque diris
Corpora tormentis Stygiae demittite nocti!“
Protinus abstractus solidis Tyrrhenus Acoetes
Clauditur in tectis, et dum crudelia jussae
Instrumenta necis, ferrumque ignisque, parantur,
Sponte sua patuisse fores, lapsasque lacertis
Sponte sua fama est nullo solvente catenas.
Perstat Echionides, nec jam jubet ire, sed ipse
Vadit, ubi festus facienda ad sacra Cithaeron

680. *trunco* sc. brachiis et manibus.

681. *novissima*, in extrema parte. Conf. XIII, 963. — 682. Exc. Herc. et ed. pr. *dividuae*, quod cupide arripuit Heinsius. — 683. *rorant*, stillant.

685. *lasciva*, propter motum molliorem.

688. Vulg.: *rest. solus, pavidus gelidusque tr. corpore, vixque metum firmat deus:* in qua scriptura illud *metum firmat* suspectum est. Par. 2., Dresd., unus Medic. et unus Mor. *pavidum gelidumque tr. corpore.* III Bersm., Par. 2., Berol., Briant., unus Maff., unus Medic., unus Mor., Rhen., Vrat., vetustiores Heins. et vett. edd. *vixque meum*, q. e. vix mentis compotem, paene exanimem. VIII, 35. Ceterum amant delphini non solum saltus altissimos super aquam, verum etiam ejusmodi lusus quales hic describuntur. Plin. Epist. 33, 9.

690. *Diamque.* Ita exc. Hercul., unus Medic. et edd. Venn. — Berol. *Chiumque.* Reliqui *Chiamque. Diam*, quod est vetus nomen Naxi (Plin. H. N. IV. c. 12.), rectum est. Vid. v. 636. — *tenere* i. q. *cursum tenere.* Virg. A. I, 400. *portum tenere.* Fast. IV, 290. *Ausoniamque tenet.*

691. Receptam scripturam vett. libri fere omnes tuentur. Berol., Lips. 2. et II Heinsii *accedo sacris Bacchcaque sacra frequento.* — Rhen. *accensi sacris Baccheia sacra frequento.* Cant., Pal. 1. et V Heins. *accensis aris Baccheia sacra frrequento.* — Ego cum paucissimis illis codd. totum locum mutare non sum ausus.

692. *longis.* Vid. 577 sqq. Sine nexa grammatico, e natura irae, convertitur ad famulos. *Gier.* — 694. *praec.* cum vi et celeriter. — *diris* cod. Bersm., Dresd., Lips. 1. et praestantiores Heinsii, quae scriptura loci naturae aptior est quam vulg. *duris.* Mendose autem eadem vulgata v. 695. *morti* pro *nocti*, quod unus Bersm, Berol., Lips. 1., praestantiores Heins. et pro v. l. Vrat. servarunt. Sil. V, 241.: damnare Stygiae *nocti.* De illo *Stygiae* vid. ad I, 139. — *demittere nocti* pro vulgari constructione *in noctem* vid. ad I, 766. et Virg. A. IX, 527. et X, 662. — 696. *solidis*, bene munitis. IV, 645. — *Tyrrhenus Acoctes*, qui erat Bacchus. Vid. v. 582. 630.

698. *ignisque.* Ita Dresd., Goth. 2., Lips. 2., praestantiores Heinsii et ed. pr. — Reliqui *ignesque;* non male, quia h. l. faces intelliguntur. Vid. Prop. I, 1, 27.

701. *Echionides.* Vid. ad v. 511.

702. *Cithaeron.* II, 223. — Margo Bersm. et pauci Heinsii: *ubi electus*, quod sine justa causa edidit Heinsius. Par. 2. et II Heins. *ubi natus*, e II, 223. Berol., Dresd., Goth. 1., Pal. 2., Par. 1., Rhen.,

Cantibus et clara bacchantum voce sonabat.
Ut fremit acer equus, cum bellicus aere canoro
Signa dedit tubicen, pugnaeque assumit amorem:
Penthea sic ictus longis ululatibus aether
Movit, et audito clamore recanduit ira.
Monte fere medio est, cingentibus ultima silvis,
Purus ab arboribus, spectabilis undique campus.
Hic oculis illum cernentem sacra profanis
Prima videt, prima est insano concita motu,
Prima suum misso violavit Penthea thyrso
Mater et „o geminae“ clamavit „adeste sorores:
„Ille aper, in nostris errat qui maximus agris,
Ille mihi feriendus aper.“ Ruit omnis in unum
Turba furens; cunctae coëunt trepidumque sequuntur,
Jam trepidum, jam verba minus violenta loquentem,
Jam se damnantem, jam se peccasse fatentem,
Saucius ille tamen „Fer opem, matertera“ dixit
„Autonoë: moveant animos Actaeonis umbrae!“
Illa, quid Actaeon, nescit, dextramque precantis
Abstulit; Inoo lacerata est altera raptu.
Non habet infelix quae matri brachia tendat,
Trunca sed ostendens disjectis corpora membris
„Adspice, mater!“ ait. Visis ululavit Agave,
Collaque jactavit crinemque per aëra movit;

Lips. 1. 2., Vrat. 1., plerique Heins. et vett. edd. *ubi festus*. Conf. II, 712. Goth. 2. *laetus*. — 706. *longis*, uno tenore, diu continuatis. De ululatibus Bacchantium vid. ad v. 528. — *ictus aether* dicitur ut *aër pulsari vocibus*. Conf. v. 21. et IX, 584. — 707. *clamore*. Par. 2. et Pal. 1. *clangore*. Sed inconditae multitudinis *clamor* est, non *clangor*.

710. *profanis*, Bacchi sacra contemnentibus. — 711. *insano — motu*, furore. Scripturam *motu*, exhibent Berol., Dresd., Goth. 1., Vat. 2. et V alii Heinsiani. Pal. 2., Goth. 1. pro v. l., Par. 1. 2. et reliqui *cursu*.

712. *thyrso*. Vid. v. 542.

713. *sorores*, Autonoë et Ino. Vid. ad v. 511. — Cod. Bersm., Berol., Goth. 2., Par. 2., Rhen., Lips. 2., multi praestantiorum Heins. et ed. pr.: *io geminae*. Lips. 1. et quidam Heins. *et io geminae*. Pal. 2., Par. 1. et reliqui *et o gem.*, quae scriptura mihi genuina et elegantior videtur.

716. *trepidumque sequuntur*. Aptissima omniumque paene veterum librorum auctoritate confirmata scriptura, quam etiam versus qui sequitur confirmat. Scilicet cum inexspectatum illud *trepidum* de Pentheo, qui ante tam ferox ac superbus fuisset, dixisset, cum vi repetit et pergit: *jam trepidum, jam verba etc.* De sententiae forma conf. VI, 639. IX, 207. — Alter Patav. *cunctaeque*, quo nihil potest esse languidius, quod tamen Heinsius edidit.

720. *Actaconis umbrae*, qui et ipse in lupum conversus in silvis misere dilaceratus est. Vid. v. 138 sqq.

721. *precantis*. Berol., Neap. et unus Heins. *precanti*, quod temere recepit Heinsius, ut similia multis aliis locis. Vid. ad v. 511. IV, 69. VI, 82. XIV, 371. XI, 8. — 722. *altera*, sc. manus. — *Inoo*, Inus. Post hunc v. addunt vetustum exemplum Regii, Viv., Langerm., unus Medic., Urb. et ed. Vinc. *Ille etiam matri cum brachia tendere vellet* vel *vellet — matri*, ex I, 635. Desunt haec in Par. 1. 2. et reliquis. *Jahn*.

723. Conf. I, 635.

724. *disjectis*. Sic nonnulli Heins. Vulg. *dejectis*, quod etiam alibi memini me legere pro amputatis, abscisis; sed *disjectis* gravius est. Scripturam *corpora* nonnisi unus Jun. exhibet. Sed, quod reliqui exhibent, *trunca vulnera* a Nasone scriptum esse parum probabile est.

725. *ululavit — movit*. Signa furoris. Conf. IV, 6. — 726. Heinsius tacite edidit: *movitque per a. crinem*, quod etiam cod. Bersm., Berol., Lips. 2.,

Avulsumque caput digitis complexa cruentis
Clamat „Io comites, opus haec victoria nostrum est!“
Non citius frondes autumni frigore tactas
Jamque male haerentes alta rapit arbore ventus,
Quam sunt membra viri manibus direpta nefandis.
Talibus exemplis monitae nova sacra frequentant,
Turaque dant sanctasque colunt Ismenides aras.

Vrat. et ed. pr. exhibent. — 728. *opus haec vict. nostrum est.* Ita Goth. 2., Par. 1., Rhen. et meliores Heins. Vulg. *opus hoc v. nostra est.*

729. *auctumni.* III Bersm., Erf. 1., Gron. membr., Pal. Gebh., Rhen., Lips. 2. et VIII Heins. *auctumno*, quae scriptura etiam propter ambiguitatem, utrum ablativus nominis sit, an quod Heinsius contendit adjectivi, scripturae *auctumni*, cedit. — 730. *male*, parum firmiter. Conf. IV, 26.

731. Mulieres id effecere non robore suo, sed deo εὐμάρειαν addente earum manibus. Eurip. Bacch. 1126. *Gierig.*

732. Unus Mor. et Nor. *motae.* Nonnulli Heins. *matres.* Lips. 2., Goth. 2. et nonnulli Heins. *mites.*

733. *Ismenides*, Thebanae, ab Ismeno fluvio prope Thebas.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER QUARTUS.

At non Alcithoë Minyeïas orgia censet
Accipienda dei, sed adhuc temeraria Bacchum
Progeniem negat esse Jovis, sociasque sorores
Impietatis habet. Festum celebrare sacerdos
Immunes operum famulas dominasque suorum,
Pectora pelle tegi, crinales solvere vittas,
Serta comis, manibus frondentes sumere thyrsos
Jusserat, et saevam laesi fore numinis iram
Vaticinatus erat. Parent matresque nurusque,
Telasque et calathos infectaque pensa reponunt,
Turaque dant, Bacchumque vocant Bromiumque Lyaeumque

1. *Minyeïades sive Minyeïdes filiae Orchomeni Boeotiorum regis, et ipsae* (III, 513.) *Bacchi sacra spernentes per sacrorum celebritatem lanificio operam dant fabulisque ac transformationibus narrandis tempus consumunt. Repente intervenit deus, textaque earum in hederas et vites, ipsae in vespertiliones mutantur.* Ael. V. H. III. c. 42. Ant. Liberal. c. 10.

1. *Minyeïas* i. q. *Minyeïs* v. 32. — Dresd., Par. 1. 2., Lips. 2., Vrat., omnes Ciof., plurimi Heins. et vett. edd. *Mineïas*, et v. 32. omnes libri vett. *Mineïdes*. Ceterum Minyeïades quae fuerint, non satis exploratum est. Alii enim, ut modo dictum est, Minyae filias faciunt (Paus. Boeot. p. 783.), alii Minyas gentem. Ael. l. l. — 2. *accipienda*. Vid. III, 520. — 4. *sacerdos*, Tiresias. III, 511. — 5. *immunes operum*. Conf. III, 11. — Vulg. *immunesque*. Sed *que* abest a cod. Bersm., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., optimis Ciof., permultis Heins. et edd. Venn. Heinsius tacite edidit *dominas famulasque*, quod Bersm. et Rhen. exhibent. Sed famulae priori loco appellantur, cum ad has imprimis opera pertineant. *Jahn.*

6. *pectora*. Vid. ad I, 332. Bacchantes pellibus cervorum ac damarum tegi solebant. VI, 592. — *solvere vittas*: sparsis enim capillis bacchabantur. III, 725. Virg. A. VII, 403.

Solvite crinales vittas, capite orgia mecum.

7. *comis*. Cod. Bersm., Bas. 2., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1. et meliores Heins. *coma*. Sed causam mutandi non video, quamvis non assentiar iis, qui propter ingratum sonum: *serta coma manibus* hanc scripturam Ovidianam esse negant. — De sertis ac thyrsis vid. not. ad III, 542. — 8. *laesi*, spreti.

10. *telasque et calathos*. Maff., Rhen., et margo Bersm. *telasque calathosque*, quod tacite sine omni causa edidit Heinsius. Goth. 1. *telas et calathosque*. Reliqui omnes ut dedimus. — In *calathis* pensa reponebant lanificae. — *infecta*, non facta i.e. imperfecta. Conf. VI, 202. — 11. *Bromius*, nomen Bacchi a Graeco βρέμειν, *fremere*, quod pertinet

Ignigenamque satumque iterum solumque bimatrem;
Additur his Nyseus indetonsusque Thyoneus,
Et cum Lenaeo genialis consitor uvae,
Nycteliusque Eleleusque parens et Iacchus et Evan,
Et quae praeterea per Grajas plurima gentes
Nomina, Liber, habes. Tibi enim inconsumta juventas;
Tu puer aeternus, tu formosissimus alto
Conspiceris coelo; tibi, cum sine cornibus adstas,
Virgineum caput est; Oriens tibi victus adusque
Decolor extremo qua tingitur India Gange;
Penthea tu, venerande, bipenniferumque Lycurgum
Sacrilegos mactas, Tyrrhenaque mittis in aequor

ad orgia. *Lyaeus* a Graeco λύειν, quod idem est atque Latinum *Liber*. Vid. III, 520. — De *Lyaeumque* hypermetro, versu sequente a vocali ordiente, conf. v. 780. et VI, 507. Ceterum cum hac Bacchi laude conf. Fast. III, 713. et Hor. Od. III, 25.

12. *Ignigenamque.* Fast. III, 503.

— ortus in igne
Diceris, et patria raptus ab igne manu.

bimatrem, ut *satum iterum* dicit, quia matris alvo exemtus a Jove in femur est insertus, unde justo tempore natus est. Vid. not. ad III, 307 seqq. et 253.

13. *Nyseus*, a Nysa Indiae monte et urbe, ubi Bacchus educatus fuit (III, 314.), et magnas res gessit. Diod. IV. c. 3. Curt. VIII. c. 35. Pausan. p. 869. Virg. A. VI, 806. — *Thyoneus* cognomen B. dicunt esse ἀπὸ τοῦ θύειν, quia Bacchus s. vinum furorem immittit. — *indetonsus* a Nasone novatum. II, 605. Tib. 1, 4, 38.

Solis acterna est Phoebo Bacchoque juventas:
Nam decet intonsus crinis utrumque deum.

14. *Lenaeus* a Graeco ληνη, torcular. — *genialis*. X, 95.

15. *Nyctelius*, a Graeco νυκτελεῖν, noctu agere, quia orgia noctu celebrabantur. Hinc Virg. Georg. IV, 521. *nocturnus Bacchus*. — *Eleleus, Iacchus* et *Evan*, a clamore Bacchantium. Conf. v. 523. Hunc versum citat Priscian. VI. c. 6. §. 29. — 17. *juventas*. Ita unus Bas., unus Heins., Spir., unus Voss. et exc. Jur. — II Bersm., Dresd., Par. 2. et nonnulli Heins. *juventus*. Reliqui *juventa est*, quae mihi vera scriptura videtur. Nam *juventas* insuetum Nasoni.

19. *conspiceris coelo:* nam Bacchus post magnas res in terris gestas in coelum sublatus sive vectus est. Cic. Tusc. I. Sed poeta eum hoc loco sidus esse fingit: nam mysteria recentiorum antiqua numina ruris Liberum et Liberam s. Cererem cum Sole et Luna confuderunt. Voss. ad Virg. Georg. I, 7.

Vos o clarissima mundi
Lumina, labentem coelo quae ducitis annum,
Liber et alma Ceres. —

cum sine cornibus. Etiam parva cornua Baccho tribuuntur, pro signo potestatis. Ceterum exc. Langerm., Cantabr., Goth. 2., Urb. et plurimi Heinsii *tibi cum confinibus astris*. — De *virgineo capite* conf. III, 607.

20. *Oriens tibi victus*, ubi educatus fuerat. Vid. ad v. 13. Fast. III, 465.

Interea Liber decpexus crinibus Indos
Vincit et Eoo dives ab orbe venit. —

ad usque qua, ad eam partem usque qua.

21. *decolor India*. Nonnulli Heins. *discolor*. Male. *Decolor* h. l. de colore vitiato ac deformi recte dicitur. Vid. not. ad Trist. V, 3, 24. Tib. II, 3, 55.

Illi sint comites fusci, quos India torret,
Solis et admotis inficit ignis equis.

Bas. 1. 2., Berol. et V Heins. *tingitur*. Reliqui *cingitur*. Genuinum videtur *tingitur*, (non enim ab Gange cingebatur India) et varietas orta esse e similitudine literarum *c* et *t* in vett. libris. *Ganges* Indiae sive, ut veteres quidem putabant, extremi Orientis fluvius. Curt. VIII. c. 30.

22. *bipennif. Lycurgum*. Lycurgus Edonum in Thracia rex, qui cum Bacchum e finibus suis ejecisset cultumque ejus turbasset, a deo pantheris objectus est, postquam insania correptus pro vitibus, quas rescindere putabat, uxorem et filium securi (hinc *bipennifer*. Trist. V, 3, 39.) interfecerat. Diodor. III. c. 64. Hyg. F. 182. Apollod. III. c. 5. — De *Pentheo* et *Tyrrhenis* vid. III, 510 seqq.

Corpora. Tu bijugum pictis insignia frenis
Colla premis lyncum; Bacchae Satyrique sequuntur,
Quique senex ferula titubantes ebrius artus
Sustinet et pando non fortiter haeret asello.
Quacumque ingrederis, clamor juvenilis et una
Femineae voces impulsaque tympana palmis
Concavaque aera sonant longoque foramine buxus.
„Placatus mitisque“ rogant Ismenides „adsis!“
Jussaque sacra colunt. Solae Minyeïdes intus,
Intempestiva turbantes festa Minerva,
Aut ducunt lanas aut stamina pollice versant
Aut haerent telae, famulasque laboribus urgent.
E quibus una levi deducens pollice filum,
„Dum cessant aliae commentaque sacra frequentant,
Nos quoque, quas Pallas, melior dea, detinet,“ inquit
„Utile opus manuum vario sermone levemus,
Perque vices aliquid, quod tempora longa videri
Non sinat, in medium vacuas referamus ad aures.“
Dicta probant, primamque jubent narrare sorores.
Illa, quid e multis referat, - nam plurima norat -
Cogitat et dubia est, de te, Babylonia, narret,
Derceti, quam versa squamis velantibus artus

24. *bijugum lyncum.* Bacchus, ut domitor ferarum (III, 668.), curru vehebatur lyncibus juncto. — *pictis*, auro argentoque distinctis. — *premis*, sc. jugo. Vid. ad II, 109. — 25. *Bacchae* et *Satyri* perpetuus Bacchi comitatus. Conf. III, 537. I, 193. XI, 89.

26. *quique senex etc.*, est Bacchi educator et comes Silenus, qui plerumque ebrius senex asello insidens fingitur. XI, 89 seqq. Art. Am. I, 543.

Ebrius ecce senex pando Silenus asello
Vix sedet —

Quo loco etiam illud *non fortiter haeret* explicatur. — 27. *Haerere* construitur cum dativo et cum ablativo sine et cum praepositione *in*. Conf. v. 35. Male Goth. 1., Medic. 3. 4., Pal. 1. 2., Urb., Vrat. et nonnulli castigatiores Heins. *aut pando*. Hoc dicit: *et qui ebrius esse solet senex*, idque exponit, qui ebrius s. titubans incedit et titubans ac vix (si vehitur) asello sedet. — Unus Bas. et Langerm. *pavido*. Fast. III, 749.

Utque piger pandi tergo residebat aselli.

29. *tympana*. Vid. ad III, 532.

30. *concava aera*, cymbala. III, 532. — *longo for. buxus*, tibia. XII, 158. Fast. VI, 697. Vid. Bartholin. de tibiis I. c. 6. — 31. *placatus* recte de diis, quos votis ac sacrificiis adoramus. Unus Medic. et Rhen. *pacatus*, quod novavit Heinsius. Fast. III, 789.

Mite, Pater, caput hoc placataque cornua vertas —

ubi nulla varietas, quanquam audacius dictum est. — *Ismenides*. III, 732.

32. *jussa*. Vid. 4 — 8.

33. *Minerva*, dea artium, itaque etiam pro ipso artificio, ut Mars pro bello, Vulcanus pro igne. Vid. not. ad Trist. IV, 5, 4. Conf. III, 437. VII, 104. Virg. Aen. VIII, 409.: *femina*,

Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
Impositum. —

intempestiva, ut quae alieno tempore lanificio operam darent. — *turbantes*, profanantes. Vid. v. 390.

34. *ducunt lanam*, carminant, purgant. II, 411. Claudian. XX, 385.

Vellera per tenues ferri producere rimas.

Stamina — versant. Conf. v. 221. et VI, 21. — 35. *haerent*, quasi affixae sunt. Sic *haerere in libris*, *in jure* Cicero. — 36. *deducens*. Conf. I, 4. — *levi pollice*. Conf. VI, 22. Contra Her. IX, 77. lanificio operam dans Hercules: *crassa robusto deducit pollice fila*.

37. *commenta*. III, 558.

38. *detinet*, occupatas retinet.

40. *per vices*, alternis. — *quod tempora l. v. n. sinat*. Conf. VIII, 653.

41. *vacuas*. Conf. III, 319. XII, 56.

45. *Derceti*, dea Syrorum. Huic

Stagna Palaestini credunt celebrasse figura;
An magis, ut sumtis illius filia pennis
Extremos altis in turribus egerit annos;
Naïs an ut cantu nimiumque potentibus herbis
Verterit in tacitos juvenilia corpora pisces,
Donec idem passa est; an, quae poma alba ferebat,
Ut nunc nigra ferat contactu sanguinis arbor.
Haec placet, hanc, quoniam vulgaris fabula non est,
Talibus orsa modis, lana sua fila sequente:
„Pyramus et Thisbe, juvenum pulcherrimus alter,
Altera, quas Oriens habuit, praelata puellis,
Contiguas tenuere domos, ubi dicitur altam
Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.
Notitiam primosque gradus vicinia fecit,
Tempore crevit amor: taedae quoque jure coissent,
Sed vetuere patres. Quod non potuere vetare,
Ex aequo captis ardebant mentibus ambo.
Conscius omnis abest; nutu signisque loquuntur,
Quoque magis tegitur, tectus magis aestuat ignis.

Venus laesa amorem juvenis cujusdam inspiravit, ex quo Semiramin enixa prae pudore se in lacum misit, et in piscem mutata a Syris divino honore culta est. Plin. N. H. V. c. 32. Hyg. Poet. Astron. II. c. 30. Vulg. *Dirce.* Mendose. — *Verti, mutari* cum ablativo, ut v. 397. X, 157. XI, 404. — 46. *celebrasse.* Ita alter Bersm., Capran., Dresd., Ern., Joan., Par. 1. et pro v. l. 2., Rhen., Lips. 2., Stat., unus Vat., Vrat. et meliores Heinsii. Reliqui *coluisse, habitasse,* e glossis. Cod. Bersm., Abb., nonnulli Ciof., Par. 2., Lips. 1., quidam Heins. et vett. edd. *mutasse.* Perperam. Conf. v. 444. X, 703. XIV, 558. VII, 372. — *Palaestini,* Syri: nam Palaestina Syriae pars.

47. *illius filia.* Semiramin dicit, quae cum exposita a matre esset, a columbis nutrita, et in senectute et ipsa in columbam mutata esse traditur. — *sumere pennas* pro *in avem mutari* passim. V, 288. XI, 789. — 48. *altis.* Heinsius singularia ubique cupide arripiens e Flor. et Rottend. dedit *albis.*

49. *Naïs.* De hac fabula praeter hunc locum nihil constat. — *nimium potentibus.* Cantu et herbis utebantur veneficae. VII, 98. et passim. Conf. I, 522.

51. *Inter fabulas, quas Minyades* (v. l.) *invicem narrant, erat quoque tristissimum fatum Pyrami et Thisbes, duorum amantium Babyloniorum, qui fatali errore ambo miserrimum exitum habuerunt; fructus autem arboris mori, sub qua horrendum facinus factum erat, ex albo in nigrum mutatus est.*

53. Vulg. *haec placet, haec quon.* Cod. Bersm., Berol., Erf. 2., Dresd., Goth. 2., Rhen. et Spir. *hanc quoniam.* Rectius. Unus Voss. *hinc.* Nonnulli Heins. *hoc quon.* Deinde cod. Bersm., Berol., Goth. 2. pro v. l., Pal. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Spir., Vrat. et nonnulli Heinsii *hoc placet.*

57. *contiguas.* Goth. 2., Par. 1. 2., Lips. 1. et plurimi Heins. *continuas.* — *Contiguas* nunc praestat, quia v. 66. demum monetur has domos communem parietem habuisse. *Gier.* — Flor., Hamb. 1., Medic., Neap., Nor., Par. 2., Spir., Vat. 1. et VI meliores Heinsii *tenuere.* Reliqui: *habuere,* quod parum probabile est a librariis in *tenuere* esse mutatum.

58. Justin. I. c. 2. *Haec* (Semiramis) *Babyloniam condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit, arenae vice bitumine interstrato.* Vid. Curt. V, 1, 24. Hic murus in miraculis mundi numeratus est. — *coctiles,* de latere coctili. Curt. V, 1, 24 sqq. — 59. *primos gradus,* sc. amoris. — 60. *taeda,* sc. conjugalis. Vid. ad I, 483. V, 758. IX, 721.

61. *quod non potuere vetare.* Quid illud sit statim sequitur: *ex aequo etc.* Similis sententiae figura est Trist. III, 8, 21.

Quod minus interea est, instar mihi muneris ampli:
Ex his me jubeat quolibet ire locis.

Conf. Virg. Aen. II, 180. — 62. *ex aequo,* aequo modo. Conf. IX, 720.

64. *tectus magis.* III Bersm., Berol.,

Fissus erat tenui rima, quam duxerat olim,
Cum fieret, paries domui communis utrique.
Id vitium nulli per saecula longa notatum -
Quid non sentit amor? - primi vidistis amantes
Et vocis fecistis iter, tutaeque per illud
Murmure blanditiae minimo transire solebant.
Saepe, ut constiterant hinc Thisbe, Pyramus illinc,
Inque vices fuerat captatus anhelitus oris,
„Invide" dicebant „paries, quid amantibus obstas?
„Quantum erat, ut sineres toto nos corpore jungi;
Aut hoc si nimium est, vel ad oscula danda pateres!
Nec sumus ingrati: tibi nos debere fatemur,
Quod datus est verbis ad amicas transitus aures."
Talia diversa nequicquam sede locuti,
Sub noctem dixere vale, partique dedere
Oscula quisque suae, non pervenientia contra.
Postera nocturnos Aurora removerat ignes,
Solque pruinosas radiis siccaverat herbas;
Ad solitum coïere locum. Tum murmure parvo
Multa prius questi, statuunt, ut nocte silenti
Fallere custodes foribusque excedere tentent,
Cumque domo exierint, urbis quoque tecta relinquant;
Neve sit errandum lato spatiantibus arvo,
Conveniant ad busta Nini, lateantque sub umbra
Arboris: arbor ibi, niveis uberrima pomis,
Ardua morus erat, gelido contermina fonti.

plerique Ciof. et Heins., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., unus Twisd., Vrat. et vett. edd. *lectus magis*. Reliqui: *tanto magis*, quae scriptura nata a librariis videtur, qui *tanto* v. *eo* abesse non posse putarent ac Nasonis illam orationem ac consuetudinem *tegitur, tectus* ignorarent, de qua vid. ad I, 33. De omisso illo *tanto* vid. ad III, 372. — 65. *duxerat*. Conf. II, 211. X, 512. Prop. II, 13, 72. *per rimosas mittere verba fores*.

68. *vidistis*. Fragm. Theat., Pal., Gebh., Lips. 2. et V Heins. *sensistis*. Reliqui omnes recte *vidistis*, quod respondet illi *notatum*.

69. *vocis*. Bersm., Fragm. Theat., Urb. et III Heins. *voci*, quod sine omni causa novavit Heinsius. Nam qui de jucundiore sono loquuntur, non animadvertisse videntur, posteriorem *vocis* esse in arsi, et ultimam verbi *fecistis* in thesi. Conf. not. ad III, 721. et ad VI, 82.

71. *ut*. Bas. 1., Erf. 1., Goth. 1. 2., Gron., Par. 1., Rhen., Urb. et VI Heins. *ut*. Reliqui *ubi*, quod genuinum videtur.

72. *inque vices*. Berol. et meliores (?) Heinsii *inque vicem*. — 74. *quantum erat*, quantillum, quam parum erat. IX, 561. XV, 468. — 75. *nimium est*. Sic vulg.; sed *est*, quod abest a cod. Bersm. et Rhen., Heinsius tacite delevit.

78. *sede*. Cod. Bersm., Abb. et deteriores Heinsii *parte*, ex interpretamento.

81. *nocturnos — ignes*, stellas.

83. *coïere*. Lips. 1., Sulm. 1. 2. et II Vat. Ciof. *rediere*; a nimium casto ut videtur librario.

84. *ut nocte*. Sic cod. Bersm., Berol., Goth. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., codd. Ciof., plurimi Heins. et vett. edd. — Quidam Heinsii *in nocte*. Alter Bersm. *de nocte*. Multi Heins. et vulg. *sub nocte*. Unus Gron. et III Heins. *statuerunt nocte*. En interpolatores!

85. *custodes*, janitores.

86. Construe: *et ut, cum d. e., urbis q. tecta relinquant, et, ne sit ... arvo, conveniant etc.* — Berol., unus Bon. et Dresd. *claustra*. *Urbis tecta* pro ipsa urbe. Planud. vertit: καὶ τὴν πόλιν αὐτὴν καταλίποιεν.

88. *busta*, monumentum. Ninus fuit rex Babyloniae. Vid. Justin. I. c. 2.

89. *uberrima pomis*. Trist. IV, 10, 3.

Sulmo mihi (Nasoni) *patria est, gelidis uberrimus undis.*

Pacta placent, et lux, tarde discedere visa,
Praecipitatur aquis, et aquis nox surgit ab īsdem.
Callida per tenebras versato cardine Thisbe
Egreditur fallitque suos, adopertaque vultum
Pervenit ad tumulum, dictaque sub arbore sedit:
Audacem faciebat amor. Venit ecce recenti
Caede leaena boum spumantes oblita rictus,
Depositura sitim vicini fontis in unda.
Quam procul ad lunae radios Babylonia Thisbe
Vidit, et obscurum timido pede fugit in antrum,
Dumque fugit, tergo velamina lapsa reliquit.
Ut lea saeva sitim multa compescuit unda;
Dum redit in silvas, inventos forte sine ipsa
Ore cruentato tenues laniavit amictus.
Serius egressus vestigia vidit in alto
Pulvere certa ferae totoque expalluit ore
Pyramus. Ut vero vestem quoque sanguine tinctam
Reperit: „Una duos“ inquit „nox perdet amantes:
„E quibus illa fuit longa dignissima vita;
Nostra nocens anima est: ego te, miseranda, peremi,
In loca plena metus qui jussi nocte venires
Nec prior huc veni. Nostrum divellite corpus,
Et scelerata fero consumite viscera morsu,
O quicumque sub hac habitatis rupe, leones!
Sed timidi est optare necem!“ — Velamina Thisbes
Tollit, et ad pactae secum fert arboris umbram;
Utque dedit notae lacrimas, dedit oscula, vesti,
„Accipe nunc“ inquit „nostri quoque sanguinis haustus!“
Quoque erat accinctus, demisit in ilia ferrum.
Nec mora, ferventi moriens e vulnere traxit,
Et jacuit resupinus humi: cruor emicat alte,
Non aliter quam cum vitiato fistula plumbo

91. *discedere.* Berol., Cantabr., Dresd., Medic. 3. et Rhen. *decedere.*

92. *praecipitatur aquis,* dictum ad speciem aut ad opinionem imperitae vetustatis, solem in mare descendere, e mari surgere. Cf. II, 67—69. *Praecipitare* cum dativo, ut Virg. Aen. II, 37.

Aut pelago Danaüm insidias suspectaque dona
Praecipitare jubent.

Vid. I, 766. ibique not. — III Bersm., Abb., alter Cael., Dresd., Goth. 1. 2., Joan., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Stat., Urs., Vrat., multi Heins. et ed. pr. *surgit.* Reliqui *exit.*

93. *versato cardine.* Conf. XI, 608. XIV, 782. Tib. I, 2, 9. *Janua, jam pateas . . . Neu furtim verso cardine aperta sones.* — 95. *dictaque.* Bersm. *pactaque,* e v. 116. Conf. XI, 214. Fast. III, 205

Conveniunt nuptae dictam Junonis in aedem.

97. *spum. rictus.* I, 332. — 98. *vicini fontis.* Cf. 90. — 100. Cant. *trepido.*

101. *reliquit.* Sic omnes fere codd. cum vett. edd. Paucissimi Heinsiani *relinquit.* — 108. Rhen. et Lips. 2. *nox inquit,* quod tacite edidit Heinsius.

111. *plena metus.* Bersm., Dresd., Goth. 2., Jun., Lips. 2., Voss. et IV Heins. *metu.* — *jussi venires.* III, 377. VI, 508. — 118. *haustus sanguinis* dictum, ut *haurire cruorem* VII, 333.

119. *demisit.* Male Heinsius e conjectura novavit *demittet.*

121. Bas. 1., Berol. et IV meliores Heins. *humi.* Vulg. *humo,* quod ponitur tum si adjunctum adjectivum habet, ut v. 261. Ruddim. II. p. 272.

122. *fistula,* tubus, per quem aqua fluit s. permeat.

Scinditur et tenui stridente foramine longas
Ejaculatur aquas, atque ictibus aëra rumpit.
Arborei fetus adspergine caedis in atram
Vertuntur faciem, madefactaque sanguine radix
Purpureo tingit pendentia mora colore.
Ecce metu nondum posito, ne fallat amantem,
Illa redit, juvenemque oculis animoque requirit,
Quantaque vitarit narrare pericula gestit;
Utque locum et visam cognoscit in arbore formam -
Sic facit incertam pomi color - haeret, an haec sit.
Dum dubitat, tremebunda videt pulsare cruentum
Membra solum, retroque pedem tulit, oraque buxo
Pallidiora gerens exhorruit aequoris instar,
Quod fremit exigua cum summum stringitur aura.
Sed postquam remorata suos cognovit amores,
Percutit indignos claro plangore lacertos,
Et, laniata comas amplexaque corpus amatum,
Vulnera supplevit lacrimis fletumque cruori
Miscuit, et gelidis in vultibus oscula figens
„Pyrame," clamavit „quis te mihi casus ademit?
Pyrame, respqnde: tua te carissima Thisbe
Nominat! Exaudi vultusque attolle jacentes!"
Ad nomen Thisbes oculos jam morte gravatos
Pyramus erexit, visaque recondidit illa.

123. *et tenui — longas.* Ita vett. edd. et codd. longe plurimi. Pauci Heins. et Ciofani *et tenues str. f. longe:* quod non video, cur recentiores editores in textum receperint. — 124. Conf. VI, 260.

125. *arborei fetus.* Vid. v. 89.

127. *purpureo.* Unus Sulm. et exc. Mor. *puniceo.* Par. 1. 2. *poenicco.* Reliqui *purpureo.* — Vat. et unus Medic. *poma,* ut v. 51. Sed eleganter poeta altero loco fructum vero nomine appellavit. — Goth. 2., Par. 2. et edd. Venn. *tinxit.* — 129. *illa redit.* V. 100. — *oculisque animoque.* Conf. III, 243. et XII, 529. — 131. *visam.* Arond., Berol., alter Cael., Dresd., unus Pal., Rhen. et VIII Heins. *versam.* Thisbe, juvenem in eo loco, quo ante fuerat, quaerens, agnoscit locum et formam arboris, quam ante *viderat* quaeque immutata manserat, sed incerta est mutato pomorum colore. — Porro Berol., Briant., Goth. 1., alter Sulm., Urs. et ed. pr.: *cognovit,* quod Heinsius tacite edidit.

133. *tremebunda etc.* Conf. III, 125. et not. ad XII, 118. — 134. *buxo pallidiora.* Conf. XI, 417.

135. *gerens.* Cod. Bersm. *ferens.* Vid. II, 585. III, 216. VI, 123. — *exhorruit.* Art. A. I, 553.

Horruit, ut steriles, agitat quas ventus, aristae:
Utque levis madida canna palude tremit.

136. *tremit.* Berol., Cant., Par. 1., Lips. 2. et IX Heins. *tremit,* quod mihi verum videtur quia poeta h. l. notionem tremendi urget. Reliqui codd. et vett. edd. *fremit.* Her. XI, 75.

Ut mare fit tremulum, tenui cum stringitur aura,
Ut quatitur tepido fraxina virga noto;
Sic mea vibrari pallentia membra videres.

137. II Pal. Gebh., Voss. et VII Heins. *memorata.* — 138. *indignos — lacertos.* Conf. I, 508. 631. — Cant., Par. 1. 2. et VI Heins. *perculit.* Conf. III, 481. 497. V, 473.

143. *tua te carissima Thisbe.* Ball., Goth. 1., Par. 2. et Rhen. *tua te, carissime, Thisbe,* quod recepit Heinsius. Sed non parum ad commovendum Pyramum confert, si de se ipsa dicat: *tua te carissima Thisbe,* scil. cui tu hoc certe denegare non potes. Atque ita fere omnes codd. cum vett. edd.

145. *jam morte.* Ita II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2.,

Quae postquam vestemque suam cognovit, et ense
Vidit ebur vacuum: „Tua te manus“ inquit „amorque
„Perdidit, infelix. Est et mihi fortis in unum
Hoc manus, est et amor; dabit hic in vulnera vires.
Persequar exstinctum, letique miserrima dicar
Causa comesque tui; quique a me morte revelli
Heu sola poteras, poteris nec morte revelli.
Hoc tamen amborum verbis estote rogati,
O multum miseri, meus illiusque, parentes,
Ut, quos certus amor, quos hora novissima junxit,
Componi tumulo non invideatis eodem.
At tu, quae ramis arbor miserabile corpus
Nunc tegis unius, mox es tectura duorum,
Signa tene caedis, pullosque et luctibus aptos
Semper habe fetus, gemini monumenta cruoris.“
Dixit, et aptato pectus mucrone sub imum
Incubuit ferro, quod adhuc a caede tepebat.
Vota tamen tetigere deos, tetigere parentes:
Nam color in pomo est, ubi permaturuit, ater;
Quodque rogis superest, una requiescit in urna.

Desierat, mediumque fuit breve tempus, et orsa est
Dicere Leuconoë; vocem tenuere sorores:
„Hunc quoque, siderea qui temperat omnia luce,
Cepit amor Solem: Solis referemus amores.
Primus adulterium Veneris cum Marte putatur
Hic vidisse deus: videt hic deus omnia primus.
Indoluit facto, Junonigenaeque marito

Sulm. 1. 2., Vrat., Viv., nonnulli Heins. et ed. pr. Vulg. *in morte*. Ad sententiam conf. III, 245. — *ad nomen*. Vid. ibid. — 147. *vestemque*. Vid. 101. 104. — 148. *ebur*, eburnea vagina. Conf. Virg. A. IX, 305.

149. *in unum hoc*. Ita Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Vat. 1. et V Heins. Reliqui *in unum haec manus*. Sensus est: *est et mihi in unum hoc*, quae in cetera ut mulieris imbellis est, *fortis manus*. De illo *in unum* conf. IX, 629.

151. *persequar*. Dresd. et Six. *proseq*.

152. „*et qui a me sola morte, heu! revelli poteras, ne morte quidem a me revelleris* s. *revelli poteris*,“ q. e. *sollst-koennen*. — 154. *hoc tamen*. Ita cod. Bersm., Berol., unus Cael., Goth. 2., Joan., Rhen., Lips. 1. 2., Sulm. 1., Vrat. et (multi) Heinsii. Nonnulli Heins. *haec tamen*. Vulg. *his tamen*.

155. *meus illiusque, parentes*. Sic cod. Bersm., Goth. 2., Rhen., Par. 2., Lips. 1., Vrat. et plerique vetustiores Heins. — Vulg.: *miserique mei illiusque parentes*. Sed patres in animo habet. V. 61. — 156. *certus*, firmus, fidus. Conf. IX, 630. Unus Mor. *serus*, quod huic l. non convenit.

157. *componi*, juxta poni.

164. *vota — deos*. Conf. v. 373.

167. *mediumque*. Conf. IX, 134.

168. *Leuconoë*, altera Minyas, exceptо sermone amores narrat Martis et Veneris. Hom. Od. VIII, 266 sqq. Conf. Hyg. F. 148. Tum de amore Solis, Hyperionis filii, et Leucothoae, quae e Sole gravida facta a patre viva in terram defossa in arborem turiferam mutata est. Denique de Clytie, quae quod Leucothoae sororis amorem prodidisset, in heliotropium mutata est.

169. *siderea luce*, quatenus Sol etiam sidus vocatur. IX, 286. VI, 341. De illo *temperat* conf. I, 670.

170. *referemus*. Pal. 2. a 1. m., Rhen., Lips. 1., Vrat. et meliores Heinsii *referemus*. Reliqui *referamus*. Utrumque huic loco satis convenit.

173. *Junonigena maritus*, Vulcanus Junonis filius, qui fuit Veneris maritus. De forma *Junonigena* conf. I, 747. III, 531. V, 250. VII, 212. Fast. III, 865. *draconigena*.

Furta tori furtique locum monstravit; at illi
Et mens et quod opus fabrilis dextra tenebat
Excidit. Extemplo graciles ex aere catenas
Retiaque et laqueos, quae lumina fallere possent,
Elimat, — non illud opus tenuissima vincant
Stamina, non summo quae pendet aranea tigno; —
Utque leves tactus momentaque parva sequantur,
Efficit, et lecto circumdata collocat apte.
Ut venere torum conjux et adulter in unum,
Arte viri vinclisque nova ratione paratis
In mediis ambo deprensi amplexibus haerent.
Lemnius extemplo valvas patefecit eburnas,
Admisitque deos. Illi jacuere ligati
Turpiter. Atque aliquis de dîs non tristibus optat
Sic fieri turpis. Superi risere, diuque
Haec fuit in toto notissima fabula coelo.
Exigit indicii memorem Cythereïa poenam
Inque vices illum, tectos qui laesit amores,
Laedit amore pari. Quid nunc, Hyperione nate,
Forma colorque tibi radiataque lumina prosunt?
Nempe tuis omnes qui terras ignibus uris,
Ureris igne novo, quique omnia cernere debes,
Leucothoën spectas et virgine figis in una,
Quos mundo debes, oculos. Modo surgis Eoo
Temperius coelo, modo serius incidis undis,

174. *furta.* I, 606. — 175. „*at illi et mens et opus, quod fabrilis* (II, 5.) *dextra tenebat, excidit.*“ Conf. 229. II, 601. VII, 347. — 177. *possent.* Berol., Dresd., Goth. 2. et Lips. 2. *possint,* quod Heinsius tacite edidit. — Goth. 2., multi Heinsii *qui.* Relativum *quae* ad omnia illa: *catenas, retia, laqueos,* refertur, et sequitur *circumdata.* — Art. A. II, 577.

Mulciber obscuros lectum circaque superque
Disponit laqueos: lumina fallit opus.

Vid. Met. VI, 66.

180. *momenta,* motus. — 181. *apte.* Berol., Goth. 1., Par. 2., Lips. 2. et plerique vetustiores Heinsii *arte.* Rectior et elegantior est scriptura vulgata.

183. *viri,* mariti Veneris, Vulcani.

185. *Lemnius,* Vulcanus. II, 757.

187. *turpiter,* turpissimo habitu. — *Atque aliquis.* Imitatur Hom. l. l. v. 328. ὥδε δέ τις etc. Conf. Her. I, 31. et II, 83. — *non tristibus,* non severis, sed hilaribus. — Unus Mor. et Vrat. *optet,* male: ob oculos enim, ut modo dixi, habet Homeri l. l., qui eleganter Mercurium vere illud optasse finxit.

188. *Superi risere.* Et hoc ex Hom. l. l. expressum:

ἄσβεστος δ' ἄρ' ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσι.

189. *fabula.* Trist. IV, 10, 67. Naso de se ipso:

Cum tamen hic essem minimoque accenderer igne,
Nomine sub nostro fabula nulla fuit.

190. *indicii.* Vid. 174. — *Cythereïa.* Vid. ad v. 288. — *memorem poenam.* Virg. A. I, 4. *saevae memorem Junonis ob iram.* XIV, 477.

191. *qui laesit amores,* sc. indicando.

192. *Hyperione nate.* VIII, 565. I, 10.

193. *colorque. Quid juvat te formosissimum deorum esse idque possidere propter quod ultro expetendi videntur homines deique, formam, colorem et radiata lumina* (solis)? (Conf. v. 197.). *Jam non expeteris, sed expetis et mortalem quidem, quae est Veneris ira, Leucothoën. Bothe.* Conf. v. 203. et 590. Lips. 2. *decorque,* ex glossa. Dresd., Medic. 1. et Nor. *calorque.* Conf. v. 203.

194 Lips. 1. ad *nempe* glossam habet: *vere non prosunt.* Vid. ad II, 474.

196. *figis in una.* XIII, 456.

198. *incidis undis.* Vid. ad v. 92. — Multi Heins. codd. et ed. Ven. 1. *temporius.* Vid. Manutius ad Cic. IX. Epist. 16.

Spectandique mora brumales porrigis horas,
Deficis interdum vitiumque in lumina mentis
Transit, et obscurus mortalia pectora terres.
Nec, tibi quod Lunae terris propioris imago
Obstiterit, palles; facit hunc amor iste colorem.
Diligis hanc unam, nec te Clymeneque Rhodosque,
Nec tenet Aeaeae genitrix pulcherrima Circes,
Quaeque tuos Clytie quamvis despecta petebat
Concubitus, ipsoque illo grave vulnus habebat
Tempore; Leucothoë multarum oblivia fecit,
Gentis odoriferae quam formosissima partu
Edidit Eurynome, sed postquam filia crevit,
Quam mater cunctas, tam matrem filia vicit.
Rexit Achaemenias urbes pater Orchamus, isque
Septimus a prisco numeratur origine Belo.
Axe sub Hesperio sunt pascua Solis equorum,
Ambrosiam pro gramine habent: ea fessa diurnis
Membra ministeriis nutrit reparatque labori.
Dumque ibi quadrupedes coelestia pabula carpunt,
Noxque vicem peragit; thalamos deus intrat amatos
Versus in Eurynomes faciem genitricis, et inter
Bis sex Leucothoën famulas ad lumina cernit
Levia versato ducentem stamina fuso.
Ergo ubi, ceu mater, carae dedit oscula natae;
„Res" ait „arcana est: famulae, discedite, neve
„Eripite arbitrium matri secreta loquendi!"

199. *porrigis*, extendis.

200. „*vitiumque mentis* (q. e. amor) *in lumina transit:* ut palleas, uti amantes solent (A. A. I, 729.) sive obscureris.

203. *obstiterit*, sive inter terram et te steterit, quae communis tibi deficiendi causa est. — *amor iste.* Ita Goth. 2., Rhen., Vrat. et meliores Heins. Vulg. *amor ipse.* — 204. Sequuntur priores Solis amores. De Clymene, ex qua Sol Phaëthonta procreavit, vid. ad I, 750. — *Rhodos* Neptuni filia, quae Soli VII Heliadas peperit. Pind. Ol. VII, 62 sqq. — Men. et Rhen.: *Clymeneve Rhodosve.*

205. *Aeaeae — Circes.* Perse Oceani filia Phoebo peperit Aeëten regem Colchorum, Persen, Circen, Hecaten et Pasiphaën. VII, 74. Apollod. I. c. 9. — *Aeaea* autem Circe appellatur ab *Aeaea* insula Italiam inter et Siciliam, ubi Circe habitabat. XIII, 968. Hom. Od. X, 135 seqq. — 206. „*et Clytie* (te non tenet), *quae etc.*" *Clytie* Oceani e Tethye filia, de qua infra uberius.

207. Erf. 1., Dresd., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et nonnulli Heins. *habebas.* Male. Refertur enim ad Clytien. — Erf. 1., Medic. 1., Nor., Pal. 1., Lips. 1., Vrat. et ed. Ven. 2. *ipsosque.* Dresd. *ipsoque illud.* Alter Twisd. *ipsoque nimis.*

208. *Leucothoë* Orchami Achaemeniorum s. Persarum (Herod. VII. c. 11.) regis ex Eurynome filia. — 211. *vicit.* Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2. et meliores (?) Heinsii *vincit.* De sententia conf. II, 722 sqq. — *quam — tam.* XV, 110.

212. *Achaemenias*, h. e. Persicas, ab Achaemene primo Persarum rege.

213. Belus quidam inter alios conditor Babyloniorum regni nominatur. De diversis Belis vid. Perizon. Origg. Babyl. — Pauci Heinsii *prisci — Beli.* Alii quidam Heinsii *a prisca n. o. Beli.* Par. 1. 2., Pal. 2. et reliqui cum vett. edd. *a prisco — Belo*, quae genuina scriptura videtur.

214. *axe sub Hesperio*, in occidente. II, 258. 325. Nam axis pro coelo passim.

215. *ambrosiam etc.* Conf. II, 120.

216. *reparatque labori.* Conf. XI, 625.

218. *amatos*, quos ipse amabat.

219. Conf. III, 273 seqq.

221. *levia*, laevia, glabra. Conf. v. 34. Dresd., Vrat. et plerique Heins. castigatiores (?) *lenia.* Gron. *mollia.*

224. *eripite.* Plurimi Heinsii *arripite* vel *abripite.* Prius Bersm., Goth. 1. et Vrat., alterum optimi Ciof. et Lips. 1.

Paruerant; thalamoque deus sine teste relicto
„Ille ego sum," dixit „qui longum metior annum,
„Omnia qui video, per quem videt omnia tellus,
Mundi oculus. Mihi, crede, places." Pavet illa metuque
Et colus et fusus digitis cecidere remissis.
Ipse timor decuit. Nec longius ille moratus
In veram rediit faciem solitumque nitorem.
At virgo, quamvis inopino territa visu,
Victa nitore dei, posita vim passa querela est.
Invidit Clytie, - neque enim moderatus in illa
Solis amor fuerat - stimulataque pellicis ira
Vulgat adulterium, diffamatumque parenti
Indicat. Ille ferox immansuetusque precantem
Tendentemque manus ad lumina Solis et „Ille
Vim tulit invitae" dicentem defodit alta
Crudus humo, tumulumque super gravis addit arenae.
Dissipat hunc radiis Hyperione natus, iterque
Dat tibi, quo possis defossos promere vultus.
Nec tu jam poteras enectum pondere terrae
Tollere, nympha, caput, corpusque exsangue jacebas.
Nil illo fertur volucrum moderator equorum
Post Phaëthonteos vidisse dolentius ignes.
Ille quidem gelidos radiorum viribus artus,
Si queat, in vivum tentat revocare calorem;
Sed quoniam tantis fatum conatibus obstat,
Nectare odorato sparsit corpusque locumque,
Multaque praequestus „Tanges tamen aethera" dixit.

confirmant. Reliqui: *eripite*. Deinde Flor., Goth. 1. et Urb. *loquenti*, quod uti etiam *arripite*, inscite induxit Heinsius. Vid. not. ad v. 69.

225. *paruerant*. Medic. 1. et Nor. *paruerunt*. Conf. v. 167. 271. V, 533. 600. III, 380. — Goth. 1., multi Heins. et edd. Venn. *relictus*.

226. *metior annum*; nam juxta solis cursum anni tempora constituuntur. Conf. VIII, 565. De tota sententia conf. I, 512 seqq. et 594 seqq. — 228. *mundi oculus*, per quem totus mundus cernit.

229. *digitis cecidere*. Cf. 221. 176.

230. *ipse timor decuit*. Conf. v. 330. VI, 18. VII, 733. VIII, 25 seqq. X, 590.

231. *faciem*. Ita Berol., Cael. 1. 2., Dresd., Lips. 1. et vetustiores Heinsii. — Pal. 2. et vulg. *speciem*, quod genuinum videtur. — Cod. Bersm. *vigorem*.

233. *posita — querela*, i. q. sine querela. Conf. X, 19. et vid. ad Trist. III, 11, 2. — 234. *Clytie*. Vid. 206. *moderatus in illa*. Sic III Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2. et plerique meliores Heins. cum ed. pr., quod mihi non ab librariis esse videtur. Vulg. *in illam*. Nimirum quaeri potest, *ubi* moderatus aliquis sit et *in quem*. Sic alibi *saevus in hoste*, *amicus in puero*, al. Vid. not. ad Trist. V, 2, 36. et conf. Met. VI, 490. VII, 21. VIII, 50. IX, 274.

235. *ira pellicis*, ira in pellicem. 272.

239. *defodit humo*. Supplicium, quo Romani etiam in virgines Vestales animadvertebant. Fast. VI, 458. Gier. ad Plin. IV. Epist. 11.

243. Nonnulli Heinsii codd.: *dejectum, evexum, evectum, innectum, attritum, depressum*. Vulgatam confirmat etiam Priscian. IX. c. 37. §. 36. — 245. *volucr*. Cf. II, 128. — 246. *post Phaëthonteos — ignes*; post *ignes* s. fulmen, quo Phaëthon necatus est. II, 396. *Gier*.

248. *tentat*, vere tentat. Heinsius ex uno Genev. dedit *tentet*. Conf. not. ad III, 520. — *si queat*, si forte queat. XI, 678. — 250. *sparsit*. Cod. Bersm., unus et alter Heins., Goth. 2. et Rhen. *spargit*. — 251. *tanges aethera*. Scilicet odore et fumo turis, in quod conversa ab eo est. — Cod. Bersm., Berol., Cant., Vrat. et X Heinsii *perquestus*.

Protinus imbutum coelesti nectare corpus
Delicuit, terramque suo madefecit odore;
Virgaque per glebas sensim radicibus actis
Turea surrexit, tumulumque cacumine rupit.
At Clytien, quamvis amor excusare dolorem
Indiciumque dolor poterat, non amplius auctor
Lucis adit, Venerisque modum sibi fecit in illa.
Tabuit ex illo dementer amoribus usa,
Nympharum impatiens, et sub Jove nocte dieque
Sedit humo nuda, nudis incomta capillis,
Perque novem luces expers undaeque cibique,
Rore mero lacrimisque suis jejunia pavit,
Nec se movit humo: tantum spectabat euntis
Ora dei, vultusque suos flectebat ad illum.
Membra ferunt haesisse solo, partemque coloris
Luridus exsangues pallor convertit in herbas,
Est in parte rubor violaeque simillimus ora
Flos tegit. Illa suum, quamvis radice tenetur,
Vertitur ad Solem, mutataque servat amorem.“
Dixerat, et factum mirabile ceperat aures.
Pars fieri potuisse negant, pars omnia veros
Posse deos memorant; sed non est Bacchus in illis.
Poscitur Alcithoë, postquam siluere sorores;
Quae radio stantis percurrens stamina telae
„Vulgatos taceo“ dixit „pastoris amores
„Daphnidis Idaei, quem nymphe pellicis ira
Contulit in saxum: tantus dolor urit amantes.
Nec loquor, ut quondam naturae jure novato

253. *odore*, odorato humore. — 254. *rad. actis*. Cf. II, 583. — 257. *indic.* Vid. 236.

259. *dement. am. usa*, fovens amorem usque ad dementiam, insano amore flagrans. Vid. 234. — 260. *nympharum impatiens*, h. e. Nympharum consuetudinem fugiens. Conf. I, 479. — *sub Jove*, sub coelo. — 261. *nudis*, vitta non ligatis. VII, 183. — 264. *cuntis*, sc. per coeli spatium. — 265. *vultus*, pluralis dignitatis. — 266. *haesisse solo*, sc. radicibus actis. Cf. I, 551. IX, 351.

267. *luridus*. Vid. ad I, 147.

270. *vertitur ad solem*, πρὸς ἥλιον τρέπεται, inde *heliotropium*.

271. Goth. 1. 2. pro v. l. et III Heins. *omnes*. — 273. *sed non est B. in illis*, sc. qui di habentur ac memorantur. — Rhen., meliores (?) Heins. et ed. pr. *sed non et Bacchus*.

274. *Alcithoë*, tertia soror, sua vice (Vid. 168.) plures breviter tangit metamorphoses; deinde copiosius narrat transformationem Salmacidis nymphae et Hermaphroditi. — De illo *poscitur* conf. V, 333.

275. *stantis*. Veteres in texendo stamina ad perpendiculum extendere solebant. Hinc stabant inter texendum. Inde etiam *stans* h. l. Her. I, 10. est *pendula*, ubi vid. not. Conf. Met. VI, 54 seqq. Fast. III, 819.

Illa etiam stantes radio percurrere telas
Erudit.

277. *Daphnis pastor Cretensis* (hinc *Idaeus* ab Ida Cretae monte) *quum Nomiae nymphae amorem sperneret aliamque amaret, in lapidem ab ea conversus esse fingitur*. Interpp. ad Virg. Ecl. V, 20. Diod. IV. c. 87. Ael. V. H. X. c. 18. Theocr. Id. I. VII.

278. *contulit*, convertit. II Bersm., Dom., Jun., Medic. 3., unus Sulm. *transtulit*. Conf. IX, 348. XII, 145.

279. *naturae jure*, naturae lege. De fabula hujus Sithonis praeter hunc locum nihil constat. De illo *ambiguus* conf. II, 9. — Scripturam *loquor* plurimi codd. et vett. edd. confirmant: nam vulgo legitur *loquar*. Male. „*Vulgatos taceo..; nec loquor..; te quoque praetereo...*“ — 280. II Bersm., Berol., Dresd.,

Ambiguus fuerit modo vir, modo femina, Sithon.
Te quoque, nunc adamas, quondam fidissime parvo,
Celme, Jovi, largoque satos Curetas ab imbre,
Et Crocon in parvos versum cum Smilace flores
Praetereo, dulcique animos novitate tenebo.
Unde sit infamis, quare male fortibus undis
Salmacis enervet tactosque remolliat artus,
Discite: causa latet; vis est notissima fontis.
Mercurio puerum diva Cythereïde natum
Naïdes Idaeis enutrivere sub antris;
Cujus erat facies, in qua materque paterque
Cognosci possent; nomen quoque traxit ab illis.
Is tria cum primum fecit quinquennia, montes
Deseruit patrios, Idaque altrice relicta
Ignotis errare locis, ignota videre
Flumina gaudebat, studio minuente laborem.
Ille etiam Lycias urbes Lyciaeque propinquos
Caras adit. Videt hic stagnum lucentis ad imum
Usque solum lymphae. Non illic canna palustris,
Nec steriles ulvae nec acuta cuspide junci;
Perspicuus liquor est: stagni tamen ultima vivo
Cespite cinguntur semperque virentibus herbis.
Nympha colit, sed nec venatibus apta, nec arcus
Flectere quae soleat nec quae contendere cursu,

Par. 1. 2. et Lips. 2. ***Sithon***, quod etiam Heinsius nisi in omnibus, certe in plurimis invenisse videtur. Vid. v. Lennep. ad Terent. Maur. p. 415. Omnes (?) Ciof. et Goth. 2. ***Siton***. Goth. 1. et Vrat. ***Sython***. Vulg. ***Scython***. Schol. cod. Lips. 2.: ***Siton fuit f. Precchei, cujus amore ut libere frueretur Apollo, mutavit eum in feminam.*** " ***Jahn.***

282. ***Celmus*** Cretensis, nutritius Jovis (hinc ***parvo Jovi***) eique dum parvus fuit gratus. Sed postea cum vulgasset, Jovem esse mortalem, in adamantem ab eo conversus est. — Heinsius ut videtur e conjectura edidit ***Celmi***. Vetus cod. Raph. Regii, Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Lips. 1. 2., Vrat. et vett. edd. ***Celme***. — II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1., Lips. 1. 2., plurimi Heins. et ed. pr. ***ab imbre***, quod genuinum videtur. Vid. not. ad Trist. IV, 10, 67.

283. ***Crocus*** cum Smilacem puellam amaret, ambo in sui nominis flores mutati sunt. Conf. Plin. N. H. XVI. c. 35.

284. ***novitate***, nova fabula, nondum vulgata. Hor. A. P. 223. ***grata novitate morari spectatores.***

285. ***Salmacis*** fons Cariae. Vid. Strab. XIV. — ***male fortibus***, mollibus, ut ***male sanus***, insanus, ***male pertinax.***

286. ***remolliat***, teneros reddat ut muliebres. Conf. v. 380—389. et XV, 319. — Leid. et VI Heins. ***emolliat***. De voce ***remolliat*** pro simplici ***molliat*** vid. interpp. ad Caes. B. G. IV. c. 2.

288. „***puerum*** (a) ***diva Cythereïde*** (cui?) ***Mercurio natum***, s. quem diva Cyth. Mercurio pepererat." Bersm. et marg. Bas. ***puerum et diva***, Lips. 2. ***divaque Cytheride.*** — ***diva Cythereïs*** est Venus, a Cytheris, maris Aegaei insula, ubi nutrita fingitur et templum habebat.

289. ***Idacis***. Vid. 277. — Dresd., Goth. 1., Par. 1., Vrat. et edd. Venn. ***Najades.*** — 291. ***ab illis***, a Mercurio et Venere, sive (vid. ad v. 537.) ἀπὸ Ἑρμοῦ καὶ Ἀφροδίτης; nam nomen ejus Ἑρμαφροδίτης. Hyg. F. 271. ***Atlantius filius Mercurii et Veneris, qui Hermaphroditus dictus est.*** Gron. ***agnosci.***

292. ***fecit***, confecit, explevit. Sen. ep. 66. ***quamvis paucissimos una fece rimus dies.*** Plaut. Merc. prol. v. 12. ***biennium jam factum, postquam abii domo.*** — 295. ***studium*** h. l. cupiditas visendi loca ignota. Conf. VI, 60.

297. ***lucentis ad im. u. s. lymphae.*** Cf. V, 588. — 299. Cod. Bersm., Goth. 1., Rhen. et Lips. 1. ***non steriles.***

303. ***contendere cursu***, ut venatrices. Plin. Pan. 81. ***certare cum fugacibus***

Solaque Naïadum celeri non nota Dianae.
Saepe suas illi fama est dixisse sorores:
„Salmaci, vel jaculum vel pictas sume pharetras,
Et tua cum duris venatibus otia misce!“
Nec jaculum sumit nec pictas illa pharetras,
Nec sua cum duris venatibus otia miscet:
Sed modo fonte suo formosos perluit artus;
Saepe Cytoriaco deducit pectine crines,
Et quid se deceat, spectatas consulit undas;
Nunc, perlucenti circumdata corpus amictu,
Mollibus aut foliis aut mollibus incubat herbis;
Saepe legit flores; — et tunc quoque forte legebat,
Cum puerum vidit, visumque optavit habere.
Nec tamen ante adiit, etsi properabat adire,
Quam se composuit, quam circumspexit amictus
Et finxit vultum, et meruit formosa videri.
Tunc sic orsa loqui: „Puer o dignissime credi
„Esse deus, seu tu deus es: potes esse Cupido,
Sive es mortalis: qui te genuere, beati,
Et frater felix, et fortunata profecto
Si qua tibi soror est, et, quae dedit ubera, nutrix;
Sed longe cunctis longeque beatior illa,
Si qua tibi sponsa est, si quam dignabere taeda.
Haec tibi sive aliqua est: mea sit furtiva voluptas;
Seu nulla est, ego sim, thalamumque ineamus eundem.“
Naïs ab his tacuit. Pueri rubor ora notavit:
Nescit quid sit amor; — sed et erubuisse decebat.

feris cursu. — 304. *Dianae*, deae venationis. I, 476. III, 163 seqq. II, 411 seqq. — Contrarii mores Daphnes I, 475.

307. *duris*, molestis, laboriosis.

308. *pictas*. Vid. II, 421.

310. *perluit*. Conf. III, 173. et Fast. IV, 778. ibique Gierig.

311. *Cytoriaco — pect.* h. e. pectine e buxo Cytori montis. VI, 132. Nam Cytorus qui est mons Paphlagoniae abundabat buxo praestantissima. Plin. N. H. XVI. c. 6. Virg. Georg. I, 481.

Et juvat undantem buxo spectare Cytorum.

E buxo etiam pectines esse confectos testatur Mart. Ep. XIV, 25. Eodem modo *Pelias hasta* XIII, 109. XII, 74. — Multi codd. et vett. edd.: *Cytheriaco.*

313. *circumdata corpus*. Vid. v. 546. et I, 332. — 316. *vidit visumque*. Vid. ad I, 33. — 317. *adiit*. De producta syllaba *it* in arsi vid. ad I, 114. Leid., Bas. 1. 3. *quamvis*. — 318. *ante-quam*. Conf. III, 274. 275. — *se composuit*. Conf. XIII, 767. Plin. Ep. IV, 12. *Postquam se composuit et circumspexit habitum suum*. Amor. II, 17, 9.

Scilicet a speculi sumuntur imagine fastus,
Nec nisi compositam se prius illa videt.

319. *finxit vultum*, sc. ut oculis blandiretur. *Gier.* — 320. *dignissime — credi*. II, 42. — Lips. 2. et ed. Bas. *tum sic.*

323. Unus Bas., Medic. 1., Neap. et Nor. *et frater*. Vulg. *et mater*. De parentibus jam dictum est versu 322.

324. *nutrix*. Vid. ad III, 278.

325. *longeque beatior illa est*. Ita Vulg., II Bersm., Pal. 2., Par. 1. 2. et vett. edd., nisi quod in II Bersm. *est* deest. Bas. 3. 4. 2., Domin., Erf. 1., Medic. 1., Rhen., unus Sulm. et multi Heins. *longeque potentior*. Prior I. concinnior est. Cod. Bosch. *cunctisque potentior illis*, unde Heinsius dedit *longe cunctis longeque potentior illis.*

326. Conf. VIII, 326. De *taeda* vid. v. 60. — 328. *sim*, fere ut *sit* v. 327.: *lass mich es seyn.*

329. *ab his*. post haec III, 273. VIII, 612. — *rubor ora notavit*. VI, 46.

330. *sed et erub. decebat*. Vid. ad v. 230. — Exc. Cal. *nescia quid sit*,

Hic color aprica pendentibus arbore pomis
Aut ebori tincto est, aut sub candore rubenti,
Cum frustra resonant aera auxiliaria, lunae.
Poscenti nymphae sine fine sororia saltem
Oscula jamque manus ad eburnea colla ferenti
„Desinis? aut fugio, tecumque“ ait „ista relinquo.“
Salmacis extimuit, „Locaque haec tibi libera trado,
Hospes,“ ait, simulatque gradu discedere verso,
Tum quoque respiciens, fruticumque recondita silva
Delituit flexumque genu submisit. At ille,
Ut puer, et vacuus et inobservatus in herbis,
Huc it et hinc illuc, et in alludentibus undis
Summa pedum taloque tenus vestigia tingit.
Nec mora; temperie blandarum captus aquarum,
Mollia de tenero velamina corpore ponit.
Tum vero obstupuit nudaeque cupidine formae
Salmacis exarsit, flagrant quoque lumina nymphes,
Non aliter quam cum puro nitidissimus orbe
Opposita speculi referitur imagine Phoebus;
Vixque moram patitur, vix jam sua gaudia differt,

quod Heinsius edidit. — Cant., Dresd., Flor., Medic. 2., Neap., Par. 1., Thu., Vat. 1. et multi Heins. *nescit enim quid amor.* Pal. 2., Par. 1. 2. et reliqui cum vett. edd. *nescit quid sit amor.* Dedimus eam scripturam de duabus, quae majorem habet auctoritatem vetustatis.

331. *pomis.* Heinsius tacite edidit *pomis*, quod codd. Ciof., Berol., Par. 1. et edd. Venn. confirmant. Reliqui *malis*. Conf. III, 483. — 332. *aut ebori tincto.* Virg. A. XII, 67.

Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur.

333. *cum frustra etc.* Opinabantur labores lunae veneficis et magorum artificiis, qui eam deducerent (XII, 263.), gigni, sed laboranti posse homines auxiliari strepitu aeris, h. e. tubarum, cornuum et tintinnabulorum aëneorum. Liv. XXVI. c. 5. Inde *aera auxiliaria.* Tib. I, 8, 21.

Cantus et e curru lunam deducere tentat,
Et faccret, si non aera repulsa sonent.

Ceterum luna, cum candida sit, tempore defectus *rubescit*, qui lunae rubor etiam Amor. II, 5, 37. comparationi inservit. *Gier.* — 334. *sororia oscula*, moderata, ut II, 431. Conf. IX, 538.

336. *desinis?* Interrogatio pro imperativo est. Germanice: *willst du mich lassen? oder ich fliehe, sonst fliehe ich.* Pauci codd.: Flor., Neap., Vat. 1. et V alii Heins. et edd. Venn.: *desinis? an fugio?* Quod mirari licet praetulisse Heinsium elegantissimae sane scripturae omnium prope codd. et ed. pr.

337. „*extimuit, et ait: loca etc.*“

340. *genu submisit.* III, 23. — Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Joan., Par. 1. 2., plerique Heins., et edd. Venn. *flexoque.* Mendose. — 341. *ut puer et vacuus et.* Ita Ald. et multi Heinsii codices, optimo sensu. Sed mira varietas hujus loci. IV Heinsiani: *at puer et vacuus et inob.* Berol.: *at puer ut vacuus et inob.* Rhen. et Spir.: *at puer ut vacuis et inob.* Medic. 1., Pal. 2., Par. 1. 2. et IV Heins. *ut puer ut vacuis et inob.* Lips. 1. et ed. pr. *scilicet ut vacuis et i. i. h.* Codd. Ciof., II Bersm., Goth. 1. 2., Lips. 1. 2., Vrat., aliquot Heins. et ed. pr. et Venn.: *scilicet ut vacuus* (Lips. 1. et ed. pr. *vacuis*) *et.* Alii aliter. Heinsii scriptura nullam habet auctoritatem vetustatis. — Ceterum *ut* rationem reddit sic: *ut qui puer esset neque ullas insidias metueret.*

343. *vestigia*, pedes ut saepius in his carminibus. Vid. not. ad I, 536. VIII, 571. — 347. *nymphes.* Ita Berol. a 1. m., Goth. 2., Par. 2., Bas. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et multi Heins. Reliqui *nymphae.* Sed Graeca forma non librariorum esse videtur. VIII, 607. IX, 347. XIV, 333. — 348. „*non aliter quam cum Phoebus* (I, 10.) *puro orbe nitidissimus opposita speculi imagine referitur.*“ — *referitur*, ut *repercutitur* II, 110. — 350. *vix — differt.* Conf. II, 863.

Jam cupit amplecti, jam se male continet amens.
Ille cavis velox applauso corpore palmis
Desilit in latices, alternaque brachia ducens
In liquidis translucet aquis, ut eburnea si quis
Signa tegat claro vel candida lilia vitro.
„Vicimus et meus est!“ exclamat Naïs, et omni
Veste procul jacta mediis immittitur undis,
Pugnantemque tenet luctantiaque oscula carpit,
Subjectatque manus invitaque pectora tangit,
Et nunc hac juveni, nunc circumfunditur illac.
Denique nitentem contra elabique volentem
Implicat, ut serpens, quam regia sustinet ales
Sublimemque rapit: pendens caput illa pedesque
Alligat, et cauda spatiantes implicat alas;
Utve solent hederae longos intexere truncos,
Utque sub aequoribus deprensum polypus hostem
Continet ex omni demissis parte flagellis.
Perstat Atlantiades speratague gaudia nymphae
Denegat; illa premit, commissaque corpore toto

351. De illo *male* vid. ad v. 285. VII, 228. — 352. *ille cavis etc.* Alacritatis signum. Virg. A. XII, 85.: *aurigae manibus lacessunt pectora* (equorum) *plausa cavis.*

353. *ducens.* Ita Bersm., Berol., unus Maff., Par. 1. 2. et plurimi Heins. — Multi Heins. et vulg. *jactans.* Sed scriptura *ducens* loci rationi et illi simili aptior est: qua lenior motus significatur.

355. Cod. Bersm., Bas. 1. 3., Capr., Dresd., Goth. 1., Pal. 1., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., unus Sulm., Urs., nonnulli Heins. et ed. pr. *puro.* Vulg. *claro.*

356. *vicimus.* Cod. Bersm., Berol., Cantabr. et VII Heins. *vincimus,* quod etiam aliis locis poetae male obtrusit Heinsius. Vid. not. ad Trist. III, 9, 23. Conf. Met. VI, 513. X, 443. Scripturam *en meus,* quam idem h. l. ut multis aliis perperam novavit Heinsius, nonnisi Arond. et Leid. exhibent.

358. Zulich. *pugnacemque,* quod inscite induxit Heinsius: nam de ipso actu h. l. agitur, non de more, et sequitur *luctantia.* Conf. I, 91. et not. ad V, 669.

360. *circumfunditur.* XIV, 586. Par. 2., Mor. 1. et IV alii Heins. *circumflectitur.* — 361. Gron., Jun., Mor. 1. et II Heinsiani: *luctantem.* Cod. Pal. 2. a v. 362. ad 667. mutilus est.

362. *regia — ales,* aquila, *Jovis ales.* VI, 517. Virg. Aen. XI, 751.

Utque volans alte raptum quum fulva draconem
Fert aquila implicuitque pedes atque unguibus haesit,
Saucius at serpens sinuosa volumina versat
Arrectisque horret squamis et sibilat ore
Arduus insurgens —

Vid. Met. IV, 714. Plin. H. N. X. c. 4. *Acrior est aquilae cum dracone pugna. Eum rapit ubicumque visum. Ille multiplici nexu ligat, ita se implicans, ut simul decidat.* — Lips. 1. 2. *sustulit.*

364. *spatiantes,* spatiosas, sive late effusas. XIV, 629.

365. *truncos.* II Bersm., Berol., Dresd., Dom., Leid., Lips. 2. et unus Sulm. *ramos.* Catull. LXI, 34.

Ut tenax hedera huc et huc
Arborem implicat errans.

Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et ed. pr. *utve,* quod tacite edidit Heinsius.

366. *polypus* primam habet longam duplicata in pronuntiando liquida. Vid. Heind. ad Hor. Sat. I, 3, 40. Ovid. Halieut. v. 30. - Est autem polypus piscis voracissimus, de cujus mira natura multa scripsit Plin. H. N. IX. c. 12 — 29. et aliis locis. — *flagella* sunt brachia, ab aliis cirri, crines dicta. Octona eum habere tradit Plinius.

367. *demissis.* Recte; demittit flagella et sic premit ac continet. Atque ea scriptura confirmatur ab omnibus libris, qui v. 369. exhibent *demissaque.* — Nonnulli Heins., Berol., Rhen., Lips. 1. 2. *dimissis,* et ipsum ad sententiam aptum.

369. *commissa,* conjuncta, implicata. Conf. v. 579. XII, 315. 478. Hanc ve-

Sicut inhaerebat, „Pugnes licet, improbe,“ dixit
„Non tamen effugies: ita dî jubeatis, et istum
Nulla dies a me, nec me deducat ab isto!“
Vota suos habuere deos: nam mixta duorum
Corpora junguntur, faciesque inducitur illis
Una; velut, si quis conducat cortice ramos,
Crescendo jungi pariterque adolescere cernit.
Sic ubi complexu coïerunt membra tenaci;
Nec duo sunt, sed forma duplex, nec femina dici
Nec puer ut possit; neutrumque et utrumque videtur.
Ergo ubi se liquidas, quo vir descenderat, undas
Semimarem fecisse videt mollitaque in illis
Membra, manus tendens, sed jam non voce virili,
Hermaphroditus ait: „Nato date munera vestro,
„Et pater et genitrix, amborum nomen habenti:
Quisquis in hos fontes vir venerit, exeat inde
Semivir, et tactis subito mollescat in undis!“
Motus uterque parens nati rata verba biformis
Fecit, et incerto fontem medicamine tinxit.
Finis erat dictis, et adhuc Minyeïa proles
Urget opus spernitque deum festumque profanat;
Tympana cum subito non apparentia raucis
Obstrepuere sonis, et adunco tibia cornu
Tinnulaque aera sonant. Redolent myrrhaeque crocique;
Resque fide major, coepere virescere telae,

issimam scripturam exhibent unus Arg., pro v. l. Gron. 1., unus Medic. et Vat. 1. — Cod. Bersm., Par. 2., Lips. 1. et ed. pr. *dimissaque*. Par. 1. et reliqui *demissaque*.

372. *diducat*, q. e. divellat, recte in duobus implicatis dicitur et toto corpore commissis; et sic exhibent Par. 1., Rhen., unus Sulm., quidam alii Heins., Bas. 3. et ed. Ven. 2. — Cod. Bersm. 3., Dom., Lips. 2. et quidam Heins. *seducat*. Reliqui *deducat*, minus recte; unus qui inhaeret *deducitur*, duo qui cohaerent *diducuntur*. Prop. I, 13, 19.

Non ego complexus potui diducere vestros.

Conf. Prop. II, 7, 3.

373. *suos* i. e. propitios. XIII, 195. XV, 821. Cf. supra IV, 163. — Quidam codd. *tetigere*, e v. 164.

374. *inducitur*. Cf. VII, 642.

375. *conducat* de insitione accipiendum. Heinsii haud necessaria conjectura erat *conducta*. — Unus Medic. *conducto*. Medic. 1., Nor. et Erf. 1. *conducit*. — 376. *cernit*. VI Heins. *cernat*.

378. *sed*. Par. 2., Bon. et Lips. 1. *et forma*. Perperam. Sensus est: *Sic neque Salmacis et Hermaphroditus postquam membra coïerunt, duo sunt, sed forma eorum duplex et ea, ut neque femina neque puer dici possit; etenim neutrumque et utrumque esse videtur. Jahn.* Apparet etiam Heinsii conjecturam *possint* falsam esse, falsam quoque unius Flor. et ed. pr. scripturam *videntur*, quam idem novavit Heinsius. De Hermaphrodito vid. Plin. XXXIV. c. 19.

381. *mollita*, tenera facta ut muliebria. — 384. *et pater et genitrix*. Vid. 288. 291. — 387. *verba*. Goth. 2., Bersm. et V Heins. *vota*. Conf. XIV, 815.

388. *incerto*, quod genus ambiguum, incertum reddit.

389. Heinsius e vestigiis vetustiorum codd. scripsit *Minyeïa*, quod Berol., Goth. 1. et Rhen. confirmant. Vulg. *Mineïa*. Vid. ad v. 1.

390. *opus*, lanificium. — *adhue*. Vid. 34. — 391. Signa quae hic commemorantur propria sunt Baccho. Vid. III, 664 seqq. — *tympana*. Vid. 29. 30. III, 533. — 393. *myrrhae*, quarum oleo et unguento Bacchi crines delibuti erant. III, 555. — *tinnula*, nam cymbala sonos referunt acutos et excitatos, contra tympana gravissimos et obtusos vel *raucos*.

394. *fide major*. Conf. III, 666.

Inque hederae faciem pendens frondescere vestis.
Pars abit in vites, et quae modo fila fuerunt,
Palmite mutantur, de stamine pampinus exit,
Purpura fulgorem pictis accommodat uvis.
Jamque dies exactus erat tempusque subibat,
Quod tu nec tenebras nec posses dicere lucem,
Sed cum luce tamen dubiae confinia noctis.
Tecta repente quati, pinguesque ardere videntur
Lampades et rutilis collucere ignibus aedes,
Falsaque saevarum simulacra ululare ferarum.
Fumida jamdudum latitant per tecta sorores
Diversaeque locis ignes ac lumina vitant;
Dumque petunt tenebras, parvos membrana per artus
Porrigitur, tenuesque includunt brachia pennae.
Nec, qua perdiderint veterem ratione figuram,
Scire sinunt tenebrae. Non illas pluma levavit;
Sustinuere tamen se perlucentibus alis.
Conataeque loqui minimam pro corpore vocem
Emittunt, peraguntque levi stridore querelas.
Tectaque, non silvas celebrant, lucemque perosae
Nocte volant, seroque tenent a vespere nomen.

395. *vestis*, textum, opus textile. Vid. ad v. 275. — 397. *palmite*. Dicitur mutari aliqua re et in aliquid. VI, 115. IX, 81. XI, 742.

398. „*purpura*, i. e. purpureus texti color, *fulgorem* suum *accommodat pictis*, i. e. coloratis, *uvis*." Conf. XIII, 814.

400. *posses*. Il Bersm., omnes fere Heins., Dresd., Goth. 1., Rhen., Lips. 2. et a corr. 1. *possis*, ut de re quae etiam nunc maneat. Sed scriptura reliquorum codd. et veterum edd. *posses* mihi praeferenda videtur, certe ea oratio apud Nasonem frequentissima est. Conf. VII, 85. VIII, 323. IX, 285. XI, 126. 570. Huc pertinent etiam loci quales sunt VII, 790. VIII, 808. IX, 209. XIV, 650. — De illa crepusculi descriptione conf. XI, 596. et VII, 706. Varr. de L. L. p. 44. *Crepusculum significat dubium. Ab eo res dubiae creperae dictae. Quod crepusculum dies etiamnum sit, an jam nox, multis dubium.*

401. „*sed tamen confinia dubiae noctis cum luce*."

402. *pingues*, multo oleo satiatae.

403. Libri vett. omnes *colluxent*, exceptis Thu., Urb. et margine Bersm., qui habent *collucere*, quam scripturam postulat versus qui subsequitur; nisi forte illud *ululare* accipere pro praeterito velis, quod tamen abhorret a Nasonis elegantia. — 404. *falsaque*. Idem Bacchi comitatus tangitur III, 668.

405. *jamdudum*, illico, statim. XI, 482. II, 843. — *per tecta*, in variis aedium partibus.

406. *diversae locis*. I, 40. 173.

407. *tenebras*. Langerm. et Par. 1. *latebras*. Sed poeta sua verbositate repetit et exponit notionem versus praecedentis. Atque scripturam *tenebras* tuentur, praeter illos duos, omnes vett. libri.

408. Berol., Dresd. a 1. m., Flor., Medic. 2., Neap., Vat. 1. et II Heins. *tenuique penna*. Unde Heinsius conjecit *tenuique inducit br. penna*, vix proba sententia, ne de conjectura loquar. — Par. 2. *tenui includit br. penna*. — *includunt*, tegunt, operiunt. — Unus Leid. et unus Medic. *inducunt*.

411. *sustinuere se*, sustulere se. Conf. VIII, 149. XI, 341.

412. „*minimam pro novi corporis magnitudine vocem*." De illo *pro* conf. III, 334. — 413. Codd. Ciof., Berol., Dresd., Goth. 1., Rhen., Lips. 1., Vrat., multi Heins. et vett. edd. *leves*. Vulg. *levi*. Cum tantum minimam vocem retinuerint, *leves* etiam querelas omittunt; verum ne has quidem, uti par fuit, loquentes sed stridentes. *Jahn*.

414. Unus Medic., Goth. 2. et Bas. 1. *tectaque pro silvis*.

415. *a vespere nomen*, sc. vespertiliones. — Unus Ian. *trahunt*. Male. Conf. X, 297.

Tum vero totis Bacchi memorabile Thebis
Numen erat, magnasque novi matertera vires
Narrat ubique dei, de totque sororibus expers
Una doloris erat, nisi quem fecere sorores.
Adspicit hanc, natis thalamoque Athamantis habentem
Sublimes animos et alumni numine, Juno,
Nec tulit et secum: „Potuit de pellice natus
„Vertere Maeonios pelagoque immergere nautas,
Et laceranda suae nati dare viscera matri,
Et triplices operire novis Minyeïdas alis:
Nil poterit Juno nisi inultos flere dolores?
Idque mihi satis est? Haec una potentia nostra est?
Ipse docet quid agam - fas est et ab hoste doceri -,
Quidque furor valeat, Penthea caede satisque
Ac super ostendit. Cur non stimuletur eatque
Per cognata suis exempla furoribus Ino?“
Est via declivis funesta nubila taxo,
Ducit ad infernas per muta silentia sedes;
Styx nebulas exhalat iners, umbraeque recentes
Descendunt illac simulacraque functa sepulcris.

416. *Athamas, Aeoli filius rex Boeotiae, et Ino ejus uxor, soror Semeles et Agaves, Junonis ira insania correpti sunt, in qua Athamas Learchum filium occidit, Ino cum altero filio, Melicerta, in mare sese praecipitavit. Veneris autem precibus Ino et Melicertes in deos mutati, materque Leucothoë, filius Palaemon dictus est. Inus comites aliae in lapides, aliae in aves conversae.* Hyg. F. 1 — 4. Apollod. I. c. 9. III. c. 4. Hom. Odyss. V, 333 sqq. Pausan. Att. p. 108.

416. *Tum*, sc. cum sic omnes novorum sacrorum osores puniti essent.

417. *matertera novi dei* est Ino, Semeles, matris Bacchi, soror (III, 313.), quae Bacchum nutrierat, indeque Junonis iram meruerat. — 418. *de tot sororibus*, Cadmi filiabus (III, 253.) quae erant Semele, Agave, Autonoë, al.

418 sq. *expers una doloris erat*: nam reliquae omnes calamitatibus notabiles.

420. *natis*, Learcho et Melicerta.

421. *et alumni numine*, i. e. et quod Bacchus, quem nutrierat, numen esset. III, 313. — Flor., Rhen et Vat. 1. a 1. m.: *alumno*. — Cod. Bersm., Lips. 1. et XVI Heins.: *sublimes oculos*.

422. *de pellice natus*, Bacchus, quem Semele, Junonis pellex, e Jove peperat. III, 261.

423. *Maeonios — nautas vertere*, sc. in delphinas. Res narratur III, 577 — 691 *Maeonios*, Tyrrhenos. Vid. ad III, 583.

424. De re vid. III, 708 — 731.

425. Vid. v. 407 — 415. — Codd. et vett. edd. prope omnes *Mineidas*.

426. *dolores*, quibus Semele et Ino eam affecerant. Conf. III, 259 seqq.

427. Post v. 427. parva mora cogitanda est. — 428. *ipse*, sc. Bacchus. *quid agam*, sc. inimicam meam in insaniam adigere, ut ipse Pentheum. Ut statim sequitur.

430. *ire per exempla*, subire exempla, imitari. Art. Am. III, 87.

Ite per exemplum, genus o mortale, deorum.

Vid. not. ad Trist. II, 168. et ad V, 3, 27.

431. *cognata*, sororum. Vid. v. 418. — *furoribus* exhibent II Bersm., Dresd., Goth. 1., Rhen., Lips. 2., Vrat., plurimi Heins. et vett. edd. — Vulg. *sororibus*.

432. *Est via*. Epicum initium. Conf. I, 168. — *funesta*, quia funerea facit: nam foetus taxi venenati habebantur (Virg. Georg. II, 357. *taxi nocentes*); unde etiam viam inferorum cingit. Vid. Plin. VI. c. 20. Dioscor. IV. c. 75. Caes. B. G. VI. c. 31. ibique Herzog. — *via nubila*. Conf. XIV, 514.

433. *ducit*, ubi etiam *quae ducit* dici poterat. Conf. I, 169.

434. *Styx*. Vid. I, 139. — *iners*: nam limo ac turbidus fluit, paludique similis est; unde Pont. IV, 10, 17. *pigra palus*. Hor. Od. II, 14, 17. *flumine languido Cocytus errans*. — *recentes*, quae modo corporibus excesserunt. Conf. VIII, 488. — 435. Veterum persuasione

Pallor hiemsque tenent late loca senta; novique,
Qua sit iter, manes, Stygiam quod ducat ad urbem,
Ignorant, ubi sit nigri fera regia Ditis.
Mille capax aditus et apertas undique portas
Urbs habet; utque fretum de tota flumina terra,
Sic omnes animas locus accipit ille, nec ulli
Exiguus populo est turbamve accedere sentit.
Errant exsangues sine corpore et ossibus umbrae,
Parsque forum celebrant, pars imi tecta tyranni,
Pars alias artes, antiquae imitamina vitae,
Exercent, aliam partem sua poena coërcet.
Sustinet ire illuc coelesti sede relicta -
Tantum odiis iraeque dabat - Saturnia Juno.
Quo simul intravit sacroque a corpore pressum
Ingemuit limen, tria Cerberus extulit ora
Et tres latratus simul edidit. Illa sorores
Nocte vocat genitas, grave et implacabile numen.
Carceris ante fores clausas adamante sedebant,

superstitionis inhumatis non licebat Stygem transire et ad inferos intrare, sed donec sepulti essent, animae errare cogebantur. X, 14. Virg. A. VI, 327.

Nec ripas datur (Charo) *horrendas et rauca fluenta*
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.

simulucra. Conf. v. 443. — *functa sepulcris,* sepulturam adepta.

436. *tenent.* Cod. Bersm., Goth. 2., Rhen., Lips. 1. 2. et Vrat. *tenet.* Heinsius tacet. — 437. *Stygiam urbem.* Conf. v. 444. — *ducat,* ut a verbo *ignorant* pendeat oratio. Atque ita plurimi codd. et vett. edd. - Berol., Cant., Erf. 1. 2., Goth. 2., Lips. 1., Thu., Vrat. et multi Heins. *ducit,* ad sensum quoque recta scriptura, ut colon hoc merum sit adjectivum. — 438. *Dis* cognomen Plutonis. — 442. *exiguus,* ubi etiam *nimis exiguus* dici poterat. Cic. Parad. VI. c. 3. *non modo ad sumtum ille est fructus sed etiam ad foenus exiguus.* Vid. Met. VIII, 702. Eodem modo *parum* usurpatur. Vid. V, 666. et Kühner ad Cic. Tusc. IV. c. 17. Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2. et XIII. Heins. *turbamque.* — 443. *sine corpore.* Vid. ad VII, 291. — 444. Poeta institutiones et mores Romanos ad inferos transfert. Trist. IV, 10, 88.

Et sunt in Stygio crimina nostra foro.

Conf. Virg. A. VI, 651 seqq.

445. *artes,* ut *studium* III, 589. Quod quum librarii non intelligerent, locum corruperunt. Nam quod scimus, nonnisi Bas. 1., Gron. 1. et Rottend. *alias.* Par. 1. 2. et reliqui *aliquas* habent.

446. Hunc versum, qui in Goth. 1. 2., Bas. 2. 3., nonnullis Pal., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., optimis Heins. et ed. pr. deest e textu ejecerunt Heinsius et alii. Verbis a sermone Ovidiano non discrepat; ex codicum auctoritate suspectus est, sed ad absolvendam umbrarum descriptionem necessarius esse videtur. *Jahn.* Et v. *exercent* necessarium est ad illud *artes.*

447. *sustinet,* audet, ut Graecum τλῆναι. — 448. *dabat,* concedebat, tribuebat. Hor. Sat. II, 2, 94. *das aliquid famae.* — *Saturnia.* I, 113.

450. „*ingemuit* s. crepuit *limen,* tantum erat deae pondus.“ Cui scripturae et sententiae aptissimum quoque illud *pressum.* Conf. II, 162. Virg. A. VI, 413. de *ingenti* Aenea: *gemuit sub pondere cymba.* Ac scripturam optimam *ingemuit* tuentur Abb., Berol., unus Cael., Dresd., Franc., Men., Par. 2., optimi Heins. et ed. pr. — Cod. Bersm., I Sulm. et multi Heins. *contremuit.* Reliqui *intremuit,* ut I, 284. — *Cerberus* triceps canis infernalis et portae custos. VII, 413. IX, 185. Virg. A. VI, 416.

Cerberus haec ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro.

451. *sorores nocte genitae* sunt Furiae, sive Graeco nomine Eumenides vel *Erinnyes,* deae poenarum ac vindictae, filiae noctis. Erant autem III, Alecto, Tisiphone et Megaera. Conf. I, 725. VIII, 481. — 453. *carceris.* Qui carcer

Deque suis atros pectebant crinibus angues.
Quam simul agnorunt inter caliginis umbras,
Surrexere deae. Sedes scelerata vocatur:
Viscera praebebat Tityos lanianda, novemque
Jugeribus distentus erat; tibi, Tantale, nullae
Deprenduntur aquae, quaeque imminet, effugit arbor;
Aut petis aut urges ruiturum, Sisyphe, saxum;
Volvitur Ixion, et se sequiturque fugitque;
Molirique suis letum patruelibus ausae
Assidue repetunt, quas perdant, Belides undas.
Quos omnes acie postquam Saturnia torva
Vidit et ante omnes Ixiona, rursus ab illo
Sisyphon adspiciens „Cur hic e fratribus“ inquit

in Tartaro sit, v. 456. sequitur. — *Adamas* saepe pro ferro vel durissimo metallo, exemplo Homeri. VII, 412. IX, 615. Fast. III, 805. *ex adamante securis.*

454. Foeda sane imago. Conf. Virg. G. IV, 482. — 456. *surrexere*, sc. honorantes advenientem deam.

456. Tib. I, 3, 67.

At scelerata jacet sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra sonant.

457. *Tityos*, filius terrae, qui Latonae vim inferre conatus in Tartara detrusus hanc accepit poenam, ut a vulture jecur ejus semper renascens depasceretur. Graecam formam *Tityos* exhibent Par. 2., Erf. 1., Flor., Rhen., III Heins. et ed. pr. — Vulg. *Tityus.*

458. *distractus*, porrectus. Arond., Medic. 1. et II alii Heins. *distentus*, quod hac auctoritate Heinsius non debebat in textum recipere. Virg. A. VI, 595.

Nec non et Tityon, Terrae omniparentis alumnum,
Cernere erat, per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur.

Tibi, a te. *Tantalus*, filius Jovis, pater Pelopis et Niobes (Vid. III.) rex Phrygiae, cum deorum epulis admissus eorum arcana hominibus aperuisset, vel ut alii fabulantur, cum ut deorum divinitatem exploraret Pelopis filii membra coeta iis apposuisset, pro poena apud inferos ad collum usque in aqua stabat sitiens, quae, quotiens bibere vellet, a labris aufugiebat. Eodem modo rami arboris supra caput pendentis, si esuriens poma decerpere vellet, recedebant. Conf. IX, 761. Amor. II, 2, 43.

Quaerit aquas in aquis et poma fugacia captat
Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.

459. Berol., Cant., Erf. 1., Rhen., Thu. et II alii Heins. *arbos.* Nos secuti sumus longe majorem auctoritatem codicum. — 460. *Sisyphus*, Aeoli filius, rex Corinthi ob impietatem apud inferos saxum in montem volvebat semper recurrens. XIII, 26. — *Urgere* est contra niti. — *ruiturum*, quod ubi montis summitatem prope attigeris, relapsurum est. — Cod. Bersm., Goth. 1., Par. 2., Lips. 1., Vrat., multi Heins. et ed. pr.: *redituram*. Minus eleganter. *petis*, sc. lapsum.

461. *Ixion*, Lapitharum in Thessalia rex, Junoni vim inferre conatus erat, ob quod scelus in Tartarum dejectus, ad rotam alligatus assidue circumagebatur. De his poenis conf. Hom. Od. XI, 575 seqq. — *Se sequiturque fugitque* argute de eo qui assidue rota volvitur. Similiter Ib. 175. argute de Sisypho *saxum volvensque petensque.*

462. *Belides*, quinquaginta filiae Danai, neptes Beli, totidem filiis patrui Aegypti nupserunt primaque nocte omnes patris jussu maritos trucidarunt, excepta Hypermnestra quae Lynceum servavit. Ob quod facinus apud inferos dolium pertusum aqua implere frustra tentabant.

463. *repetere* h. l. *iterum iterumque petere* sive *haurire*. — Heinsius meliores codd. habere scribit *assiduae* (nam vulgo legitur *assidue*); quod parum vero simile est. Vetusti enim codd. *e* et *ae* non distinguunt, sed plerumque *e* exhibent. — Deinde codd. Ciof., Bersm., Berol., Goth. 2., Rhen., Vrat. et meliores Heins. *perdant.* Reliqui *perdunt.*

464. *acie.* Ita Dresd., meliores (?) Heins. et ed. pr. – Reliqui *facie.* Perperam. nam *acie torva* est pro *torvis* oculis. — 465. *ante omnes Ixiona.* Causa modo memorata est ad v. 461.

466. *Sisyphus* et *Athamas*, quos Juno oderat ac persequebatur fratres erant et filii Aeoli. 416.

„Perpetuas patitur poenas; Athamanta superbum
Regia dives habet, qui me cum conjuge semper
Sprevit?“ et exponit causas odiique viaeque,
Quidque velit. Quod vellet, erat, ne regia Cadmi
Staret, et in facinus traherent Athamanta sorores.
Imperium, promissa, preces confundit in unum,
Sollicitatque deas. Sic haec Junone locuta,
Tisiphone canos, ut erat, turbata capillos
Movit et obstantes rejecit ab ore colubras,
Atque ita „Non longis opus est ambagibus:“ inquit
„Facta puta quaecumque jubes; inamabile regnum
Desere, teque refer coeli melioris ad auras.“
Laeta redit Juno; quam coelum intrare parantem
Roratis lustravit aquis Thaumantias Iris.
Nec mora, Tisiphone madefactam sanguine sumit
Importuna facem, fluidoque cruore rubentem
Induitur pallam, tortoque incingitur angue,
Egrediturque domo. Luctus comitatur euntem,
Et Pavor et Terror trepidoque Insania vultu.
Limine constiterat: postes tremuisse feruntur
Aeolii, pallorque fores infecit acernas,
Solque locum fugit. Monstris est territa conjux,

470. *regia Cadmi:* nam Cadmus frater Inûs conditor Thebarum fuit. III, 1 seqq. — 471. „*et* (ut) *sorores A. in fac. traherent.*“ — Quaenam vero sorores intelligendae sint, ex illis *in fac. traherent* perspicuum est. Vid. ad v. 451. Ac scripturam *sorores* tuentur Goth. 2., Gron. 1., Menard., Rhen. et multi vetustiores Heinsii. Vulg. *furores*.

472. *confundit*, miscet.

474. *turbata:* nam modo pectendo occupata erat. Vid. 454. Unde etiam colubrae in os ejus dependebant.

475. *rejecit*, sc. in tergum. Foedissima imago. Imitatus est Claud. in Ruf. I, 42. *Alecto — obstantes in tergum repulit angues*. Conf. v. 492. 495. et 729.

475. De producta syllaba *re* conf. II, 582. De formula *ut erat* vid. ad III, 178. — Scripturam *colubras* confirmant II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Rhen., Par. 1. 2., Lips. 1., Vrat., plerique Heins. et veteres editiones et hoc loco et infra v. 492. 784. Goth. 1. et Lips. 2. *colubres*. Vulg. *colubros*.

476. *inquit*. Ita codd. omnes et vett. edd., nisi quod Pal. 2. exhibet *infit*, quod temere edidit Heinsius.

479. *redit*. Vid. v. 447.

480. *lustravit*, purgavit aquis ex Orco redeuntem et ibi quasi contaminatam. — De Iri vid. ad I, 270. *Thaumantias* Iris: nam erat filia Thaumantis et Electrae filiae Oceani. Apollod. I. c. 2. — *roratis*. Conf. I, 371. Fast. IV, 728.

Virgaque roratas laurea misit aquas.

481. *Tisiphone*. Vid. ad v. 451. Ad rem conf. Virg. A. VII, 341 seqq.

482 *importuna*, furibunda, saeva. Conf. XIV, 481.

483. Foedissima imago: *incingitur* sive *cingitur* (loco cinguli scilicet) *angue*. Catull. LXIV, 258.

Pars sese tortis serpentibus incingebant.

Berol., Vrat. et multi Heins. *accingitur*.

484. *comitatur*. Exc. Jur., Medic. 3., Pal. 2. et II Heins. *comitantur*, quod cupidius edidit Heinsius. Conf. not. ad I, 92. — 486. *limine const.* Conf. v. 450. — *limen*, sc. regiae Athamantis.

487. *Aeolii*, Athamantis Aeolidae. Vid. v. 464. — *acernae mensae*, quibus Plin. XVI. c. 15. primam post citreas laudem tribuit, in supellectile regum et beatorum hominum commemorantur. XII, 254. Hor. Sat. II, 8, 10. Fast. III, 359.

Prodit (Numa rex) *et in solio medius consedit acerno.*

488. *Solque locum fugit*. Conf. X, 448. — *monstris*, Tisiphone et comitatu ejus. — Alter Bersm. *fugit et monstris territa*. Leid. et Vrat. *monstrisque exterrita*. Arg., Par. 2. et nonnulli Heins. *monstris est territa*, in quo Nasonis ra-

Territus est Athamas, tectoque exire parabant.
Obstitit infelix aditumque obsedit Erinnys,
Nexaque vipereis distendens brachia nodis,
Caesariem excussit: motae sonuere colubrae,
Parsque jacent humeris, pars circum tempora lapsae
Sibila dant saniemque vomunt linguisque coruscant.
Inde duos mediis abrupit crinibus angues
Pestiferaque manu raptos immisit; at illi
Inoosque sinus Athamanteosque pererrant
Inspirantque graves animas, nec vulnera membris
Ulla ferunt: mens est, quae diros sentiat ictus.
Attulerat secum liquidi quoque monstra veneni,
Oris Cerberei spumas et virus Echidnae,
Erroresque vagos caecaeque oblivia mentis
Et scelus et lacrimas rabiemque et caedis amorem,
Omnia trita simul: quae sanguine tincta recenti
Coxerat aere cavo, viridi versata cicuta.
Dumque pavent illi, vertit furiale venenum
Pectus in amborum, praecordiaque intima movit;
Tum, face jactata per eundem saepius orbem,
Consequitur motis velociter ignibus ignes.

tionem agnoscere mihi videor. Vid. v. 638. II, 107. Vulg. *monstris exterrita.*

490. *Erinnys.* Vid. ad v. 451.

491. *vipereis — nodis*, viperis nimirum a capite de pendentibus. 475.

492. *caesariem excussit*, sc. ad terrendum, quo moverentur angues. Lucan. I, 573. *Erinnys — Excutiens stridentes comas.*

493. Gron. et edd. Venn. *jacens*, quod temere edidit Heinsius.

494. Charisius p. 61., cod. Bersm., Bas. 4., Berol., Medic. 1. 2. 3., Pal. 1., Rhen., Spir., Thu., Vat. 1. et nonnulli Heinsiani *linguasque.* Nonnulli Heins. *linguaeque*, alii *linguaque.* Reliqui cum vett. edd. *linguisque*, quod donec codices accuratius excussi fuerint retinendum puto. Virg. tamen A. XII, 431. quoque *hastamque coruscat*; quanquam ibi diversa est sententia. — De serpentum lingua vid. v. 586. et not. ad III, 34. — *Sanies* de omni tetro humore; inde etiam de serpentum veneno.

495. *mediis crinibus.* Conf. v. 475. et 454. Cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Vrat. et meliores (?) Heinsii *abrumpit.* Reliqui et vett. edd. *abrupit.*

498. *graves animas*, pestilentem spiritum. Virg. A. VII, 346.

Hinc dea (Alecto) *caeruleis unum de crinibus anguem*
Conjicit inque sinum praecordia ad intima subdit,
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille inter vestes et levia pectora lapsus
Volvitur attactu nullo fallitque furentem
Vipeream inspirans animam etc.

Cod. Bersm., Dresd., Erf. Zinzerl., Rhen., Lips. 2., Vrat., multi Heins. et ed. Ven. 1492. *animas.* Vulg. *animos.*

499. *diros.* Ipsae Furiae etiam saepe *Dirae* appellantur. II Bersm., Dresd., Lips. 1. 2. *duros.*

500. *monstra veneni*, horrendum venenum. — 501. *Cerberei.* Vid. v. 451. — *Echidna* Chrysaoris filia monstrum ex parte nympha ex parte serpens. Ea peperit Cerberum. VII, 408. X, 21.

504. *tincta.* Ita III Bersm., Berol., Goth. 1. et pro v. l. 2., Par. 1., Lips. 1. 2., alter Sulm., unus Vat. et nonnulli alii Ciof. et multi e melioribus Heinsii. Unus Sulm., unus Vat. Ciof. et vulg. *mixta*, quod cur majori auctoritati veterum librorum praeferam non intelligo. nam *tincta* est pro madefacta.

505. Similem locum vid. VII, 262 sqq.; versat autem monstra sua *viridi cicuta*, h. e. stipite viridis cicutae, quia cicuta praesentissimum venenum. — 508. Sensus est: *Tum, face saepius rotata, ignibus ita* (X, 7.) *excitatis ignes consequitur, i. e. furores amborum in pectore incendit.* Cod. Bersm., Dresd.,

Sic victrix jussique potens ad inania magni
Regna redit Ditis, sumtumque recingitur anguem.
Protinus Aeolides media furibundus in aula
Clamat „Io comites, his retia tendite silvis:
„Hic modo cum gemina visa est mihi prole leaena.“,
Utque ferae, sequitur vestigia conjugis amens,
Deque sinu matris ridentem et parva Learchum
Brachia tendentem rapit, et bis terque per auras
More rotat fundae rigidoque infantia saxo
Discutit ora ferox. Tum denique concita mater,
Seu dolor hoc fecit seu sparsi causa veneni,
Exululat, passisque fugit male sana capillis,
Teque ferens parvum nudis, Melicerta, lacertis
„Evoe, Bacche!“ sonat. Bacchi sub nomine Juno
Risit et „Hos usus praestet tibi“ dixit „alumnus!“
Imminet aequoribus scopulus: pars ima cavatur
Fluctibus et tectas defendit ab imbribus undas,
Summa riget frontemque in apertum porrigit aequor:
Occupat hunc - vires insania fecerat - Ino,
Seque super pontum, nullo tardata timore,
Mittit onusque suum. Percussa recanduit unda.
At Venus, immeritae neptis miserata labores,
Sic patruo blandita suo est: „O numen aquarum,
„Proxima cui coelo cessit, Neptune, potestas,
Magna quidem posco; sed tu miserere meorum,
Jactari quos cernis in Ionio immenso,
Et dîs adde tuis: aliqua et mihi gratia ponto est;

Lips. 1. 2., Vrat., plurimi Ciof. et nonnulli Heins. *motis*, quod, si nostra interpretatio recta est, postulat sententia. Vulg. *motos*.

510. *jussi potens*, postquam perfecerat, quod jussa erat. — *inania regna Ditis*. Virg. A. VI. 269.

Perque domos Ditis vacuas et inania regna.

Dictum est, ut *inanes animae* s. *umbrae* dicuntur. — 511. *recingitur* h. e. solvit post opus confectum anguem, quo se ante (v. 483.) incinxerat. De acc. *anguem* vid. ad I. 332. et XI, 203.

512. *Aeolides*. Vid. v. 416. Sequitur amentia et furor Athamantis et Inûs.

519. Berol., Cant. et Erf. 2. *ossa*, quod edidit Heinsius. — *concita*, in furorem acta. — 521. Plerique codd. et vulg. *sparsisque*. Flor., Goth. 2., Medic. 2., Neap., Rhen., Vat. 1. et nonnulli Heinsii *passisque*, quod edidi, quia *sparsus* alia notione versu 520. praecessit, etsi scriptura *sparsisque* furibundi naturae aptior est. Vid. not. ad Trist. I, 1.),

523. *sub nomine*, audito nomine vel *ad nomen*, ut supra v. 145. et III, 145. — De *Evoe* vid. v. 15.

524. *hos usus*, hos fructus, hoc pretium. — *alumnus*. Vid. III, 313. — Cod. Bersm., unus Heins., unus Leid. et unus Voss. *praestat*. *Praestet* devoventis est.

526. *defendit ab imbribus undas*. Argutatur poeta. Virg. A. I, 163. *scopuli quorum sub vertice late Aequora tuta silent*. — 528. *vires insania f.* Conf. VIII, 143. — 528. „*occupat hunc . . Ino et ab eo et se et onus suum . .*“ Conf. v. 522. IX, 339.

530. *recanduit*, sc. spuma. VII, 263. Plin. Epist. V, 6. *ex edito desiliens aqua albescit*. — 531. *neptis* ex Harmonia, filia Veneris, uxore Cadmi. III, 132.

532. *patruo*. Venus erat filia Jovis, igitur Neptunus, Jovis frater, ejus patruus. Vid. ad I, 113.

533. *coelo*, coeli potestati. Conf. Hor. Od. II, 14, 28. Ad rem vid. Met. VIII, 595. — 535. Ionium, ut *Hadria* non addito *mare*. De hiatu et spondaico versus exitu conf. II, 244. I, 62. III, 184.

536. *tuis*, tibi subjectis, h. e. marinis. — Dresd. *est* omittit.

Si tamen in medio quondam concreta profundo
Spuma fui Grajumque manet mihi nomen ab illa.
Annuit oranti Neptunus et abstulit illis,
Quod mortale fuit, majestatemque verendam
Imposuit, nomenque simul faciemque novavit,
Leucotheeque deum cum matre Palaemona dixit.
Sidoniae comites, quantum valuere, secutae
Signa pedum, primo videre novissima saxo;
Nec dubium de morte ratae, Cadmeïda palmis
Deplanxere domum, scissae cum veste capillos,
Utque parum justae nimiumque in pellice saevae
Invidiam fecere deae. Convicia Juno
Non tulit et „Faciam vos ipsas maxima“ dixit
„Saevitiae monumenta meae.“ Res dicta secuta est.
Nam quae praecipue fuerat pia, „Persequar“ inquit
„In freta reginam!“ saltumque datura moveri
Haud usquam potuit, scopuloque affixa cohaesit;
Altera dum solito tentat plangore ferire
Pectora, tentatos sensit riguisse lacertos;
Illa, manus ut forte tetenderat in maris undas,
Saxea facta manus in easdem porrigit undas;
Hujus, ut arreptum laniabat vertice crinem,
Duratos subito digitos in crine videres:
Quo quaeque in gestu deprensa est, haesit in illo.
Pars volucres factae, quae nunc quoque gurgite in illo

537. *Venus* juxta quosdam fabulae auctores ex concreta (condensata) maris spuma orta erat; inde Graecum sive *Grajum* nomen Ἀφροδίτη vel Ἀφρογένεια, ab ἄφρος q. e. spuma. Conf. v. 291. Hes. Theog. 188 seqq. Unus Flor. St. Marci: *si tamen in Dio*, quam scripturam nuperus editor divinam Heinsii emendationem appellat. (!) *Grajumque* confirmant cod. Bersm., cod. Constant. Fan., Bas. 1., Medic. 1. 2. 3., Vrat. et VI Heins. — Berol. et Dresd. *Graecumque*. Reliqui *gratumque*. Fast. IV, 62.

Sed Veneris mensem Grajo sermone notatum
Auguror: a spumis est dea dicta maris.

540. *majest. verendam*. Cf. IX, 268.

542. Fast. VI, 545.

Leucothee Grajis, Matuta vocabere nostris;
In portus nato jus erit omne tuo:
Quem non Portunum, sua lingua Palaemona dicet.

Vid. Hom. Odyss. V, 333 seqq. — *Leucotheeque* Heinsius e conjectura scripsit. — II Bersm., plurimi Heins., Lips. 1. 2. et edd. Venn. *Leucothoëque*. Vulg. *Leucotheaque*. — 543. *Sidoniae* i. q. *Cadmeïdes* v. 562. q. e. Thebanae, a Cadmo Phoenice s. Sidonio, Thebarum conditore. III. init. — 544. *primo — saxo*. Vid. v. 525. 733. II, 871.

545. *nec – ratae*, et ratae non dubium esse de morte Inus. — 546. *deplanxere*, deflevere. Tib. I, 7, 28. Mela II. c. 9. *mortuos plangant*. — *scissae capillos*, ut *circumdata corpora* v. 313. Vid. ad I, 332.

547. Construe: *et deae* (Junoni) *invidiam fecere* (moverunt, concitarunt), *ut parum justae nimiumque saevae in pellice*, sc. Semele. Vid. 422.

551. *pia*, in dominam. Dresd., Goth. 1., Thu. et VIII alii Heins. *prosequar*, quod genuinum videtur. — 552. *saltum datura* sc. de scopulo. hinc sequitur *scopulo affixa cohaesit*.

555. *tentatos*, quos tentaverat sc. in verbera. IX, 168. — *Sensit* cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2. et omnes fere Heins. — Vulgo *sentit*, quod ex antecedente *tentat* ortum est. *Jahn*.

556. De repetito *undas* conf. 575. 576. I, 325. 326.

560. *haesit in illo*, immota stetit in illo, sc. saxea facta. Unus Gron. *deprenditur illo*, quod temere edidit Heinsius.

Aequora destringunt summis Cadmeïdes alis.
Nescit Agenorides, natam parvumque nepotem
Aequoris esse deos; luctu serieque laborum
Victus et ostentis, quae plurima viderat, exit
Conditor urbe sua, tanquam fortuna locorum,
Non sua se premeret, longisque erroribus actus
Contigit Illyricos profuga cum conjuge fines.
Jamque malis annisque graves, dum prima retractant
Fata domus repetuntque suos sermone labores;
„Num sacer ille mea trajectus cuspide serpens“
Cadmus ait „fuerat, tunc cum Sidone profectus
„Vipereos sparsi per humum, nova semina, dentes?
Quem si cura deûm tam certa vindicat ira,
Ipse precor serpens in longam porrigar alvum.“
Dixit, et ut serpens in longam tenditur alvum,
Durataeque cuti squamas increscere sentit
Nigraque caeruleis variari corpora guttis,
In pectusque cadit pronus, commissaque in unum
Paullatim tereti tenuantur acumine crura.
Brachia jam restant: quae restant, brachia tendit,
Et lacrimis per adhuc humana fluentibus ora
„Accede, o conjux, accede, miserrima,“ dixit

562. *destringunt aequora*, i. e. summas aquas stringunt, s. superficiem radunt. Cui apte respondet illud *summis*; nam *sumtis*, quod induxit Heinsius, nonnisi II Bersm., Spir., Zul. et IV Heinsii exhibent. Conf. v. 136. XI, 733. Scripturam *destringunt* Flor., Neap. et nonnulli Heins. tuentur. Reliqui *distringunt*, *distingunt*, *diffingunt*. — Duo codd. *Ismenides*. Nonnulli Heins. *Menides*. Dresd., Lips. 2. et quidam Heins. *Meneides*. III Bersm., unus Cael., Goth. 1. 2., unus Maff., unus Sulm., II Vatt. Ciof., Vrat., Ups. plurimi Heins. et ed. pr. *Mineides*.

563. *Multis cladibus domus suae afflictati et metu novarum Cadmus et Harmonia* (III, 132.) *relictis Thebis in Illyriam abeunt, ubi ambo in serpentes mutantur*. Hyg. F. 6. Apollod. III. c. 5. Strab. VII. p. 503. Apollon. IV, 517.

563. *Agenorides*, Cadmus. III, 8.

564. *laborum*. Ita cod. Bersm., Dresd., Goth. 2. in marg., Par. 2., Lips. 2. et plurimi Heinsii. Reliqui *malorum*, ex glossa ut videtur. Conf. v. 570. *Labores* illi supra narrati sunt a v. 138.

566. *urbe sua*, Thebis. III, 1 – 131. *Locis* fortuna tribuitur, ut VII, 576. X, 335. — 567. *erroribus*. Cod. Bersm., Erf. 1., Goth. 1., Medic. 3., Neap., Pal. 1., Rhen. et XII Heins. *erratibus*. — Non idoneam video causam mutandi, quum praesertim illud vocabulum neque apud Nasonem neque apud alios illius aetatis scriptores reperiatur.

569. Conf. VIII, 713 seqq. De verbo *retractant* cf. VII, 714.

570. Heinsius tacite edidit *fata*, quod Goth. 1. 2., Rhen. et ed. pr. confirmant. Reliqui *facta*. Male. — Deinde II Bersm., Goth. 1., Rhen., Lips. 2., Sulm. 1. 2., omnes Ciof. et plurimi Heinsii *repetuntque*. Bas. et Ox. *relevantque*. Mor. *recoluntque*. Vulg. *releguntque*.

571. *num sacer — fuerat*. Fuerat sacer: nam erat Martis. III, 92. Hyg. F. 6. *Fuerat* autem recte habet: nam est interrogatio, quae dicitur recta. Medic. 3. et II Heinsii *fuerit*, quod novavit Heinsius suo more. Vid. ad v. 378. 248.

572. *tunc*. Cod. Bersm., Goth. 1. 2. et Vrat. *tunc*. Vulg. *tum*.

574. *certa*, inevitabili.

577. *duratae*. Conf. III, 675.

578. *guttis*, maculis. V, 461.

579. *commissaque*. Vid. ad v. 369. Plurimi codd. *commixtaque*.

580. „*et crura in un. comm. paull. ter. ac. tenuantur.*“ Cod. Bersm., Genev., Goth. 2., Joan., I Sulm., II Vat. Ciof., Vrat. et meliores Heinsii exhibent scripturam *sinuantur*; I Heinsii, Lips. 2. et alter Sulm. *curvantur*, ex inter-

„Dumque aliquid superest de me, me tange, manumque
Accipe, dum manus est, dum non totum occupat anguis.“
Ille quidem vult plura loqui, sed lingua repente
In partes est fissa duas, nec verba volenti
Sufficiunt, quotiesque aliquos parat edere questus,
Sibilat: hanc illi vocem natura reliquit.
Nuda manu feriens exclamat pectora conjux:
„Cadme, mane, teque, infelix, his exue monstris!
Cadme, quid hoc? Ubi pes, ubi sunt humerique manusque,
Et color et facies et, dum loquor, omnia? Cur non
Me quoque, coelestes, in eundem vertitis anguem?“
Dixerat. Ille suae lambebat conjugis ora,
Inque sinus caros, veluti cognosceret, ibat,
Et dabat amplexus assuetaque colla petebat.
Quisquis adest - aderant comites - terretur. At illa
Lubrica permulcet cristati colla draconis,
Et subito duo sunt, junctoque volumine serpunt,
Donec in appositi nemoris subiere latebras.
Nunc quoque nec fugiunt hominem nec vulnere laedunt,
Quidque prius fuerint, placidi meminere dracones.
Sed tamen ambobus versae solatia formae

Pretatione verbi *sinuantur*. Reliqui *tenuantur*, quod aptius est verbis *tereti acumine*.

584. *dumque etc.* Conf. IX, 386.

587. *lingua est fissa.* Vid. ad III, 34. „*vult loqui — volenti.*“ Scripturam *volenti* tuentur Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Vrat. et plurimi Heins. Reliqui *loquenti*. — *nec sufficiunt*, deficiunt.

588. *quotiesque.* Conf. I, 637.

589. *reliquit.* Berol., Rhen. et meliores (?) Heinsii *relinquit*, quod temere recepit Heinsius.

590. *nuda manu fer.*, sc. quod summi erat doloris. Conf. II, 584. XIII, 688.

591. Heinsius tacite edidit *his infelix*, quod cod. Rhen. et Lips. 2. et edd. Venn. exhibent. Reliqui omnes *infelix his*. Pro *exue* Cant., Goth. 2., Lips. 2., Vrat. et XIV Heins. *exime*. — *His monstris*, hac horrenda figura serpentis. Conf. II, 367. IX, 666. — 594. *eundem*. III Heins. et Medic. 1. *eandem*. Sed Naso nomen *anguis* plus viginti locis in his carminibus genere masculino ponit; et respiciendi sunt vett. libri. — *in eundem anguem*, pariter in anguem.

596. *inque sinus caros.* Conf. v. 497.

597. *assuetaque colla.* Conf. XIII, 491. — 598. *terretur.* Goth. 1., I Heins. et Medic. 2. *terrentur*, quod probat Heinsius. Vid. v. 484. I, 92. et conf. XV, 680. ubi idem temere mutavit.

599. *at illa — draconis.* Ita cod. Bersm., Dresd., Goth. 1., Par. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et vetustiores Heinsii, quo eleganter Harmoniae subita mutatio declaratur, quam describere non poterat poeta, ne modo dicta repeteret. Cod. Urb. *illas — permulcent.* Ups. et nonnulli Heinsiani *illi — perlucent.* Berol. *at illi* (*illi* in ras.) *L. permulcet.* Nonnulli Heinsiani, Goth. 2., Par. 1. et vett. edd. *at illis L. perlucent c. c. draconis.* Alter Hamb. et pro v. l. unus Gron. *dracones.* De Ciof. codd. non liquet.

600. „*et subito* (inter ipsas Harmoniae blanditias) *duo sunt* (dracones, sc. mutata quoque Harmonia). — *junctoque volumine.* Ut *conjunctis passibus* moventur Orpheus et Eurydice XI, 64., sic serpentes, qui se volvendo moventur, *juncto volumine serpunt.*

601. *in a. n. subiere latebras.* Plin. H. N. XXXI. c. 3. *in coelum subire.* — *appositi*, vicini. — Multi Heins., Berol., Goth. 1. et Vrat. *oppositi*, q. e. adversi; non male.

604. *Perseus Jovis et Danaës filius Acrisii Argivorum regis nepos multis rebus praeclare gestis Medusaei capi-*

Magna nepos dederat, quem debellata colebat
India, quem positis celebrabat Achaïa templis.
Solus Abantiades ab origine cretus eadem
Acrisius superest, qui moenibus arceat urbis
Argolicae, contraque deum ferat arma, genusque
Non putet esse deûm: neque enim Jovis esse putabat
Persea, quem pluvio Danaë conceperat auro.
Mox tamen Acrisium - tanta est praesentia veri -
Tam violasse deum, quam non agnosse nepotem
Poenitet: impositus jam coelo est alter, et alter,
Viperei referens spolium memorabile monstri,
Aëra carpebat tenerum stridentibus alis.
Cumque super Libycas victor penderet arenas,
Gorgonei capitis guttae cecidere cruentae;
Quas humus exceptas varios animavit in angues:
Unde frequens illa est infestaque terra colubris.
Inde per immensum ventis discordibus actus
Nunc huc, nunc illuc, exemplo nubis aquosae
Fertur, et ex alto seductas aethere longe
Despectat terras, totumque supervolat orbem.
Ter gelidas Arctos, ter Cancri brachia vidit;

tis ope Atlantem in montem convertit. Apollod. I. c. 2. II. c. 5. Hyg. F. 150.

605. *dederat.* Unus Voss. et fragm. Amstelod. *fuerat.* - *nepos* Bacchus, filius Semeles, quae fuit filia Cadmi. — *debellata India.* Vid. v. 13. 20. — *Achaïa.* III, 511. Cf. V, 577.

607. *origine eadem.* Acrisius rex Argorum filius fuit Abantis (inde *Abantiades*), Abas filius Lyncei et Hypermnestrae qui nati erant ex Danao et Aegypto (v. 462.), Danaus et Aegyptus filii Beli, Belus frater Agenoris, qui fuit pater Cadmi. III, 8. Cadmus fuit, ut ad 605. notavimus, avus Bacchi.

609. *genusque* (qui) *non putet esse deûm*. „*et qui omnino non putet esse* (existere) *filios deorum. nam etiam Persea nepotem suum negabat esse Jovis.*“ — Arond., Goth. 1. 2., exc. Mur., Rhen., I Sulm., II Vat. Ciof. et IV Heins. *esse Jovis.* Reliqui omnes cum vett. edd. *esse deûm.* — Fabula, Acrisium Danaën filiam turri inclusisse Jovemque specie pluviae aureae super eam venisse et ex ea Persea procreasse, saepius tangitur in hoc carmine. 698. VI, 113. Hyg. F. 63. — Ceterum similis transitio est XI, 217.

611. *pluvio auro,* auro quod pluerat sive pluvia aurea.

612. *praesentia,* vis, potestas, ut passim. — 613. *nepotem,* divinam nepotis originem. — 614. *impositus — alter.* XIV, 811. Bacchus, ubi matrem ex inferis reduxerat, cum ea abiit in coelum. Apollod. III. c. 5. — *poenitet;* nam Bacchus matribus Argivis furorem immisit, ut liberos suos in montibus devorarent. Apollod. l. l. — Heinsius tacite edidit *at alter*, quod etiam Rhen. et ed. Bas. exhibent. Reliqui codd. omnes cum vett. edd. *et alter. Alter — alis*, est Perseus.

615. *viperei spolium monstri*, caput Medusae vipereos capillos habentis. Vid. v. 771 seqq. — 616. *aëra carpebat — alis*, sc. quas a Mercurio acceperat. Vid. 665. — *tenerum*, liquidum. Vid. ad Trist. V, 2, 26.

617. *penderet.* II, 726. *Libycas — arenas*, propter siccitatem. II, 237. Gorgones, quarum una Medusa, sedem habebant in Libya. — 619. *animavit in angues*, breviter dictum pro formavit et animavit in angues. XIV, 566. Vid. not. ad Her. IV, 16. et ad Met. XI, 681.

620. *infestaque.* Pomp. Mel. III. c. 10. *Prima ejus Aethiopes tenent, media nulli; nam aut exusta sunt, aut arenis obducta, aut infesta serpentibus.* Salust. Jug. c. 89. *alia omnia vasta, inculta, egentia aquae, infesta serpentibus.* — 621. *per immensum,* per coelum, ut v. 718. *per inane.* Conf. v. 537. 788.

623. *seductas*, distantes, remotas. XIII, 902. Ad totum hunc locum conf. II, 708 – 721. — Pauci codd. *aequore.*

625. *Arctos*, sidus boreale. II, 131. et 496 seqq. — *Cancer*, sidus australe. II, 83. — Par. 1. 2. *geminas*, e III, 45.

Saepe sub occasus, saepe est ablatus in ortus;
Jamque cadente die veritus se credere nocti
Constitit Hesperio, regnis Atlantis, in orbe,
Exiguamque petit requiem, dum Lucifer ignes
Evocet Aurorae, cursus Aurora diurnos.
Hic, hominum cunctis ingenti corpore praestans,
Iapetionides Atlas fuit. Ultima tellus
Rege sub hoc et pontus erat, qui Solis anhelis
Aequora subdit equis et fessos excipit axes.
Mille greges illi totidemque armenta per herbas
Errabant, et humum vicinia nulla premebat;
Arboreae frondes auro radiante nitentes
Ex auro ramos, ex auro poma tegebant.
„Hospes," ait Perseus illi „seu gloria tangit
„Te generis magni, generis mihi Jupiter auctor,
Sive es mirator rerum, mirabere nostras:
Hospitium requiemque peto." Memor ille vestustae
Sortis erat: Themis hanc dederat Parnasia sortem:
„Tempus, Atla, veniet, tua quo spoliabitur auro
Arbor; et hunc praedae titulum Jove natus habebit."
Id metuens, solidis pomaria clauserat Atlas
Moenibus et vasto dederat servanda draconi,
Arcebatque suis externos finibus omnes.

627. *veritus se credere nocti*, noctu iter persequi. De constructione I, 745. — De *cadente die* conf. XI, 594.

628. *regnis Atlantis*, ubi Mauretania. Vid. Apollod. II. c. 5. Hyg. F. 150. — Pauci codd. *regis*.

629. *Lucifer*. II, 113. 144. Vid. ad XI, 295. et XI, 598.

530. *cursus — diurnos*, cursum diei. Par. 2., Goth. 1., Medic. 4. *currus*. De illo *evocet* conf. XI, 296. IV, 630. Tib. I, 9, 62.

Dum rota Luciferi provocet orta diem.

631. *cunctis*. Flor., Par. 2. et III Heinsii *cunctos*. Dativum vindicat et vetustatis auctoritas et usus Nasonis.

632. *Atlas* filius fuit *Iapeti* (I, 10.) Titanis. Goth. 2., II Leid., IV alii Heins. et ed. pr. *Japetioniades*. *Iāpetos* cum diaeresi etiam I, 82. Conf. Apoll. Rhod. III, 1087. — *ultima*. Veteres Atlantem in ultimis occidentis finibus ponebant.

634. *pontus aequora subdit*, i. e. pontus subdit se sive aquas suas, aquis suis excipit equos. — 635. *mille greges illi*. Virg. Georg. I, 15. *cui ter centum nivei tondent dumeta iuvenci.*

636. *premebat*, coërcebat, includebat. I, 48. XIV, 5. Berol., Erf. 1., Flor., 1 Heins., Lips. 1. et Vrat. *premebant*, quod edidit Heinsius. Vid. v. 598. et ad ad I, 92. — 637. *auro radiante nitentes*. Bonon. *vîrentes*. Aurea ista poma alii auctores Hesperidibus, Atlantis filiabus tribuunt. IX, 190 seqq. Heyn. ad Apollod. II. c. 5. §. 11. Vid. 638. — 638. Scripturam *tegebant* confirmant cod. Tortellii, Berol., Lips. 1., Vrat. et meliores Heinsii. Gron. membr. et nonnulli Heins. *gerebant*. Reliqui cum vulg. *ferebant*. — Repetitio illa *ex auro* vere Ovidiana. Conf. v. 488. II, 107.

640. *generis mihi J. auctor*. Cf. 610.

641. *rerum* gestarum. — 643. *Themis — Parnasia*. Vid. ad I, 316. 321. 379. — Themis autem cognata Atlanti; ambo enim genus ducebant a Titanibus. Ven. 2. et aliae vett. edd.: *dederat Themis hanc*. — 644. *Atla*, priore syllaba brevi, ut II, 704. sc. ante mutam et liquidam. VIII, 629. V, 130. VII, 464.

645. *Jove natus*, universe dictum. Quare Atlas merito quemvis Jove natum vitabat. Sors autem impleta est ab Hercule, a quo postea illa poma ablata sunt. IX, 190. — *titulum*, gloriam. X, 602.

647. *moenibus*. Ita fragm. Amstellod., Erf. 1. 2., Med. 3., Rhen., Lips. 2., unus Sulm. et VIII Heins. — Vulg. *montibus*. Minus recte. atque illud *solidis* aptius *moenibus* tribuitur quam *montibus*. Conf. III, 696.

Huic quoque „Vade procul, ne longe gloria rerum,
Quas mentiris," ait „longe tibi Jupiter absit!"
Vimque minis addit manibusque expellere tentat
Cunctantem et placidis miscentem fortia dictis.
Viribus inferior - quis enim par esset Atlantis
Viribus? - „At quoniam parvi tibi gratia nostra est,
Accipe munus!" ait, laevaque a parte Medusae
Ipse retroversus squalentia protulit ora.
Quantus erat, mons factus Atlas: nam barba comaeque
In silvas abeunt, juga sunt humerique manusque,
Quod caput ante fuit, summo est in monte cacumen,
Ossa lapis fiunt; tum partes auctus in omnes
Crevit in immensum, - sic dî statuistis - et omne
Cum tot sideribus coelum requievit in illo.
Clauserat Hippotades aeterno carcere ventos,
Admonitorque operum coelo clarissimus alto
Lucifer ortus erat: pennis ligat ille resumtis
Parte ab utraque pedes, teloque accingitur unco,
Et liquidum motis talaribus aëra findit.
Gentibus innumeris circumque infraque relictis,
Aethiopum populos Cepheaque conspicit arva.

649. *huic*, Perseo. — 650. *ne longe tibi absit*, ne tibi nil prosit. Simili modo Tib. I, 5, 2. *Fortis eram — At mihi nunc longe gloria fortis abest.* Vid. Virg. A. XII, 52. — 651. *manibusque.* Bonon. 1. et schedae Theat. *foribusque.*

652. *fortia*, animosa, minacia.

653. „*viribus inferior — Perseus ait.*" Scripturam *Atlanti* exhibent Rhen. et V Heinsiani. Reliqui omnes *Atlantis*, quod mihi genuinum videtur.

654. *gratia*, favor, amicitia. II Bersm., Dresd., Dom., Lips. 2. et nonnulli Heins. *gloria.* — 656. *ipse retroversus* sc. ne ipse quoque in lapidem converteretur. — *squalentia*, horrida propter serpentes. Senec. Med. v. 14. de Furiis: *Crinem solutis squalidae serpentibus.* Conf. I, 374. Fragm. Amstel. *prodidit.* Goth. 2. *retulit.* — 657. *nam.* IV Heinsiani *jam.* Conf. III, 351.

660. *auctus.* Ita Goth. 2., Bas. 3. 4. inter versus et nonnulli Heins. — II Bersm. et nonnulli Heins. *actus*, q. e. *auctus*, ut persaepe *auctor* in *actor* corruptum legitur. Unus Sulm.: *celsus.* Reliqui *altus.* — 662. Conf. IV, 175. — Par. 2., Dresd., Goth. 2. et VII Heins. *requiescit.*

663. *Perseus Medusae capite potitus ex Mauretania in Aethiopiam proficiscitur, ubi tum Andromeda Cephei regis et Cassiopae filia propter matris scelus scopulo affixa et belluae marinae exposita erat. Itaque cum parentibus pactus, ut si eam liberasset sibi in matrimonium daretur, occiso ope capitis Medusae ceto liberat eam uxoremque ducit. Plantae in quibus Medusae caput deposuit, in coralia mutatae.* Hyg. F. 64. P. A. II. c. 9 — 11. Apollod. II. c. 4.

663. *Aeolus*, rex ventorum filius vel nepos fuit Hippotae Trojani. Serv. ad Virg. A. I, 52. De re conf. XI, 431 sqq. — *aeterno carcere*, perpetua eorum sede, ad quam semper reverti coguntur. Conf. Virg. A. I, 52 – 63. Met. XI, 431.

665. *Lucifer.* Conf. v. 629. *admonitor operum.* Virg. G. IV, 186. *Vesper admonet decedere campis.* Aen. XI, 183. *Aurora referens opera atque labores. — pennis resumtis. Pennae* sunt talaria. nam talaria Perseus et galeam ad Medusam occidendam proficiscens a Mercurio mutuo acceperat. Vid. v. 616. Hyg. F. 64. Conf. Apollod. l. l. Inde etiam *motis talaribus.* De *talaribus* Mercurii alatis conf. I, 671.

666. *telo — adunco*, quod est harpe, falcatus ensis, quem etiam a Mercurio acceperat. Conf. v. 727. V, 69. et 80. I, 717. — 669. *Cepheaque arva*, arva Cephei regis. Nam *Cephea* a Cepheus, ut *Orphea* ab *Orpheus* X, 3. — Berol., Ox., Rhen., Thu., Vat. et II Heins. *Ce-*

Illic immeritam maternae pendere linguae
Andromeden poenas injustus jusserat Ammon.
Quam simul ad duras religatam brachia cautes
Vidit Abantiades; - nisi quod levis aura capillos
Moverat, et trepido manabant lumina fletu,
Marmoreum ratus esset opus - trahit inscius ignes
Et stupet, et visae correptus imagine formae
Paene suas quatere est oblitus in aëre pennas.
Ut stetit, „O“ dixit „non istis digna catenis,
„Sed quibus inter se cupidi junguntur amantes,
Pande requirenti nomen terraeque tuumque,
Et cur vincla geras.“ Primo silet illa, nec audet
Appellare virum virgo, manibusque modestos
Celasset vultus, si non religata fuisset.
Lumina, quod potuit, lacrimis implevit obortis.
Saepius instanti, sua ne delicta fateri
Nolle videretur, nomen terraeque suumque,
Quantaque maternae fuerit fiducia formae,
Indicat; et, nondum memoratis omnibus, unda
Insonuit, veniensque immenso bellua ponto
Eminet et latum sub pectore possidet aequor.
Conclamat virgo: genitor lugubris et una
Mater adest, ambo miseri, sed justius illa;

pheïa omisso *que*. Dresd., Goth. 1., Lips. 1. 2., Vrat. et vett. edd. *Cepheiaque*. Perperam.

670. *maternae*. Cassiope mater ejus se pulcriorem esse Nereïdibus jactaverat: quare Neptunus iratus terram ejus inundavit. Consulenti Cepheo Ammon, cujus templum Aethiopibus vicinum, respondet, tum cladis finem fore, si filiam ceto exposuisset. Apoll. et Hyg. d. l. — 671. Heinsius nescio unde edidit *Andromedan*, quod etiam Rhen. et Ven. 1486. exhibent. Goth. 1. 2., meliores Heins., Lips. 2., Vrat. et ed. Ven. 1. *Andromedam*. Goth. 2., Berol., ed. pr. et vulg. *Andromeden*, quod mutandi causam non videbam. — Berol., Graev. pro v. l., Rhen. et III Heins. *immitis*. *Ammon*, cognomen Jovis sub forma arietis prope Aethiopiam oracula edentis. V, 17. et 327. Vid. Curt. VII. c. 31. — 673. *Abantiades* h. l. nepos Abantis; supra v. 607. est filius. — *nisi quod*. Conf. XIII, 486.

674. *trepido*. Sic Erf., Medic. 2., Neap., Lips. 1. et multi Heins., atque aptum huic loco adjectivum, quod ad visum refertur. Reliqui libri veteres *tepido*. — 675. *trahit*, concipit. XI, 305. Virg. A. IV, 101.

Ardet amans Dido traxitque per ossa furorem.

676. *et stupet*. Conf. II, 708 — 730. Scripturam *et visae* confirmant III Bersm., Goth. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., nonnulli Heins. et vett. edd. Multi Heins. mendose *exiguae*. Reliqui *eximiae*, ex glossa. Conf. III, 416.

679. Heinsius conjecit *jungantur*. Sed conjectura non erat opus: „*non istis, sed aliis his, quibus junguntur v. jungi solent*.“ — 682. *appellare*, recte: nam etiam qui interroganti primum respondet, alloquitur s. appellat. — II Bersm., unus Cael., Pal. 1. 2., unus Sulm., Ups. et multi meliores Heins. *stupet illa*.

684. „*lumina, quod* (unum) *potuit, lacrimis . .*“

687. *quantaque etc.* Vid. v. 669. 670.

689. *bellua*. Plin. H. N. IX. c. 5. *Belluae, cui dicebatur exposita fuisse* Andromeda, *ossa Romae apportata ex oppido Judaeae Ioppe ostendit inter miracula in aedilitate M. Scaurus longitudine pedum XL, altitudine costarum Indicos elephantes excedente, spinae crassitudine sesquipedali.*

690. *eminet*. Sic II Bersm., Berol., Pal., Rhen., Vrat. pro v. l., meliores Heins. et edd. Venn. — Vulg. *imminet*. — *possidet*, premit, tenet.

691. Bas. 1. 4. et IV alii Heins. *amens*, quod edidit Heinsius.

692. *sed justius*, sed majori jure

Nec secum auxilium, sed dignos tempore fletus
Plangoremque ferunt, vinctoque in corpore adhaerent.
Cum sic hospes ait: „Lacrimarum longa manere
„Tempora vos poterunt; ad opem brevis hora ferendam est.
Hanc ego si peterem Perseus Jove natus et illa,
Quam clausam implevit fecundo Jupiter auro,
Gorgonis anguicomae Perseus superator, et alis
Aetherias ausus jactatis ire per auras;
Praeferrer cunctis certe gener: addere tantis
Dotibus et meritum - faveant modo numina - tento.
Ut mea sit, servata mea virtute, paciscor.“
Accipiunt legem, - quis enim dubitaret? - et orant
Promittuntque super regnum dotale parentes.
Ecce, velut navis praefixo concita rostro
Sulcat aquas, juvenum sudantibus acta lacertis,
Sic fera, dimotis impulsu pectoris undis,
Tantum aberat scopulis, quantum Balearica torto
Funda potest plumbo medii transmittere coeli;
Cum subito juvenis, pedibus tellure repulsa,
Arduus in nubes abiit. Ut in aequore summo
Umbra viri visa est, visam fera saevit in umbram.
Utque Jovis praepes, vacuo cum vidit in arvo
Praebentem Phoebo liventia terga draconem,
Occupat aversum, neu saeva retorquеat ora,
Squamigeris avidos figit cervicibus ungues:
Sic celeri missus praeceps per inane volatu
Terga ferae pressit, dextroque frementis in armo
Inachides ferrum curvo tenus abdidit hamo.

misera illa sc. mater, quippe calamitatis causa. — 694. *plangorem*. Conf. v. 546.

695. Codd. (?) Heins., alter Bersm., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1. 2. et Vrat. *cum sic*. Vulgo *tum sic*. Cf. II, 870.

698. *illa quam — auro*, i. e. Danaë. Vid. ad v. 610. — 699. *Gorgonis*. Vid. v. 615. — 700. Conf. v. 665 seqq. Vulg. *aetherias*.

702. *dos*, quidquid hominem aut rem commendat. Plin. Epist. I, 24. *praediolum quod commendatur his dotibus. Gierig*. — 703. *paciscor*. Fast. IV, 613.

— — — *pactus nisi Jupiter esset,*
Bis tribus ut coelo mensibus illa foret.

705. *dotale*, in dotem sive pro dote.

706. Plin. H. N. IX. c. 6. de balaena: *Eminebat dorso multum super aquas, carinae vice inversae.*

707. *juvenum*, remigum.

709. Construe: *quantum medii coeli Balearica f. transm. pot. — plumbum* pro glande plumbea. De *Balearica* vid. II, 727., ac de sententia conf. VIII, 697. — Codd. nonnulli Heinsii, II Bersm., Dresd., Lips. 1. 2. *Balearia*.

711. *tellure repulsa*. Conf. II, 786.

713. *visa — visam*. Vid. ad I, 33.

714. *Jovis praepes*, aquila, quae Jovi sacra erat et ejus fulmina ferebat. X, 157. 158. Virg. G. IV, 233. Vid. supra not. ad v. 362. — *vacuo*, aperto.

715. *Phoebo*, soli. I, 10. *liventia*. III, 38. *caeruleus serpens*.

718. *missus — pressit*, sese misit (supra v. 529. XI, 340. VIII, 251.) et pressit. — Receptam scripturam codd. Ciofani(?), plurimi Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 2., Lips. 2. et ed. pr. tuentur. — Lips. 1., multi meliores Heins. et edd. Venn. *celeri misso praeceps*, quibus parvo discrimine accedunt Par. 1., Vrat., Thu., Cant. — Cant., nonnulli Heins., alter Leid. et Gron. *praepes*. Virg. A. IV, 243. *praeceps se misit ad undas*. — *per inane* ut supra v. 621. *per immensum*. Conf. IX, 223.

720. *Inachides*. Perseus fuit Argivus,

Vulnere laesa gravi modo se sublimis in auras
Attollit, modo subdit aquis, modo more ferocis
Versat apri, quem turba canum circumsona terret.
Ille avidos morsus velocibus effugit alis,
Quaque patent, nunc terga cavis super obsita conchis,
Nunc laterum costas, nunc qua tenuissima cauda
Desinit in piscem, falcato vulnerat ense.
Bellua puniceo mixtos cum sanguine fluctus
Ore vomit. Maduere graves adspergine pennae;
Nec bibulis ultra Perseus talaribus ausus
Credere, conspexit scopulum, qui vertice summo
Stantibus exstat aquis, operitur ab aequore moto:
Nixus eo rupisque tenens juga prima sinistra,
Ter quater exegit repetita per ilia ferrum.
Litora cum plausu clamor superasque deorum
Implevere domos: gaudent generumque salutant,
Auxiliumque domus servatoremque fatentur
Cassiope Cepheusque pater. Resoluta catenis
Incedit virgo, pretiumque et causa laboris.
Ipse manus hausta victrices abluit unda;
Anguiferumque caput nuda ne laedat arena,
Mollit humum foliis natasque sub aequore virgas
Sternit, et imponit Phorcynidos ora Medusae.
Virga recens bibulaque etiamnum viva medulla
Vim rapuit monstri, tactuque induruit hujus,
Percepitque novum ramis et fronde rigorem.
At pelagi nymphae factum mirabile tentant
Pluribus in virgis, et idem contingere gaudent,
Seminaque ex illis iterant jactata per undas.

et Inachides appellatur ab Inacho Argi conditore. — De illo *abdidit* conf. X, 716. — 722. Thu. *mergit*. — 723. *versat*, sc. *se*: nam illud *se* v. 721. pertinet etiam ad *subdit* et ad *versat*.

725. *patent*, sc. *terga, costae, cauda. qua patent* sc. ictui, qua vulnerabilia sunt. — Multi meliores (?) Heins. et Goth. 1. *patet*. — 727. *falcato ense*. Vid. ad v. 666. — 728. *puniceo cum sanguine*. Cf. V, 83. Ber., Cant., Erf. 1., Franc., Medic. 2., Spir., Vrat. et IV Heins. *verberat*. — 730. *talaribus*. V, 665. — De illo *bibulis* cf. 744. et VI, 9. — 732. Berol. et Medic. *exit*. Conf. III, 78. — 734. *exegit*, penitus vel usque ad capulum egit. Her. IX, 15. - *repetita*, iteratis ictibus petita. V, 473. VIII, 772.

735. *clamor cum plausu implevere* per syllepsin. Cf. I, 319. Virg. A. I, 292. *Remo cum fratre Quirinus jura dabunt*. — 741. *anguifer*. Vid. ad v. 618. — Goth. 2., Hamb. 1., Medic. 2., Pal. 2., Neap., Lips. 2. et nonnulli Heins.: *nuda*. Vulgo *dura*, quod a librariis inventum videtur qui id melius illi *mollis* respondere itaque rectius esse putarent. At *nuda* quoque illis *mollit* ac *sternit* aptum est.

743. *Phorcynidos*. Gorgones filiae erant Phorci s. Phorcynis et Cetonis: ejusdem Phorci et Cetonis filiae erant *Graeae* s. *Phorcides* (775.), itaque Gorgonum sorores. Apollod. I. c. 2. II. c. 4. Hes. Theog. 270.

744. *etiamnum*. II Bersm., Dresd., Goth. 2., Lips. 1. 2. et edd. Venn. *etiam nunc*, perpetua varietate.

745. *rapuit*, celeriter v. raptim accepit. VII, 289. — *huius* pronomen demonstrat. in fine versiculi, ut *ejus* VIII, 16. Vid. not. ad. Trist. III, 4, 27.

748. *pluribus in virgis*, ad Medusae caput admotis. — 749. *iterant jactata*, jactant et iterant, iteratis vicibus jactant, serunt. Conf. III, 496. VIII, 172. *Iterant* tuentur plures vett. Mar. Accursii, Berol., Goth. 2., Rhen., Lips. 1. 2. Vrat. et multi Heins. — Vulg. *ut erant*.

Nunc quoque curaliis eadem natura remansit,
Duritiam tacto capiant ut ab aëre, quodque
Vimen in aequore erat, fiat super aequora saxum.
Dîs tribus ille focos totidem de cespite ponit,
Laevum Mercurio, dextrum tibi, bellica virgo,
Ara Jovis media est. Mactatur vacca Minervae,
Alipedi vitulus, taurus tibi, summe deorum.
Protinus Andromeden et tanti praemia facti
Indotata rapit: taedas Hymenaeus Amorque
Praecutiunt, largis satiantur odoribus ignes,
Sertaque dependent tectis, et ubique lyraeque
Tibiaque et cantus, animi felicia laeti
Argumenta, sonant; reseratis aurea valvis
Atria tota patent, pulchroque instructa paratu
Cephenum proceres ineunt convivia regis.
Postquam epulis functi generosi munere Bacchi
Diffudere animos, cultusque genusque locorum
Quaerit Abantiades: quaerenti protinus unus

750. *curaliis*. Sic Flor., Neap. et Rhen. Reliqui fere omnes *coraliis*, quod primam corripit. Vid. ad XV, 416 seqq. — 751. Heinsius tacite edidit *duritiem*. Codd. et vett. edd. *duritiam*.

753. *Perseus in nuptiis suis narrat, quomodo Medusa in monstrum transformata sit et qua arte ipse Medusae caput abstulerit*. Apollod. II. c. 4. Hesiod. Theog. 270 sqq. Hyg. P. A. II. c. 12. Apollon. IV, 1515. — 753. *Focos ponit* sc. propter victoriam. — *dis tribus*. Jovi patri Mercurio fratri qui harpen et alas ei dederat, et Minervae sorori quae dederat clypeum.

754. *bellica virgo*. II, 752. — 755. *vacca Minervae*. XII, 151. Cuique deo certae erant victimae et cavebatur ne *aliena hostia* quis placaretur. Plin. H. N. VIII. c. 15.

756. *alipedi*. 665. I, 671. — *taurus* victima Jovis. Virg, A. III, 20.

— — — superoque nitentem
Caelicolûm regi mactabam in litore taurum.

757. *et* h. l. exponit. Vid. ad I, 21. et ad Trist. III, 2, 25. Conf. Met. XV, 148. et III, 204. — Goth. 1. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et edd. Venn. *Andromedan*, quod Heinsius tacite edidit. Meliores (?) Heins. *Andromedam*. Reliqui *Andromeden*, ut supra.

758. *rapit*, i. e. celeriter ad se ut suam *rapit*. — *indotata*, regno illo dotali (765.) non exspectato. — Ceterum poeta h. l. in nuptiis Persei taedas quae vulgo a servis praeferebantur et quatiebantur (Vid. ad VII, 49.) ipsum Hymenaeum et Amorem, qui di facibus a pictoribus instruebantur, gessisse fingit, quemadmodum VI, 430. in tristibus nuptiis Eumenidas. Prop. III, 14, 16.

Ipse Amor accensas praecutit ante faces.

Scripturam *praecutiunt* cod. Flor. St. Marci. nam reliqui codd. et vett. edd. omnes *praecipiunt*, quod sensu caret.

760. Heinsius ex conjectura: *lotique* (q. e. tibiae ex loto) *lyraeque*, non respiciens, quod *tibia* statim memoretur. — Alii cum Bas. 2., Sulm. 1., Ups. et IV Heins. *cytharaeque lyraeque*. Lov. pro v. l. *lituique*. — *Sertis* autem domus in omni laetitia publica et privata apud veteres exornabantur.

763. *atria*. In atriis convivia habebantur. Vid. Serv. ad Virg. I, 138. et II. init.

764. *Cephenum*, Aethiopum, a Cepheo rege. Atque ita cod. Bersm., Goth. 2., Bas. 3. 4., Par. 1., Rhen., Lips. 1., Vrat. et multi Heins. — Pal. 2., Par. 2. et reliqui *Cepheni*, unde Burmannus conjecit *Cephenis* et conjungit cum *regis*. V, 1.

765. *generosi Bacchi*, ut *generosum vinum* Hor. Epist. I, 15, 18. — Cod. Bersm., Leid. et Ox. *generoso*.

766. *diffudere animos*. Conf. III, 318. — *cultusque genusque locorum*. Ita codd. Ciof., Berol., Dresd., Goth. 1., Pal. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Ups., Vrat. et vett. edd. — Burmannus ex conjectura edidit Virgilianum illud (Georg. I, 52.) *cultusque habitusque locorum*. — *genus* intelligendum hominum.

Narrat, Lyncides, moresque habitumque virorum.
Quae simul edocuit, „Nunc, o fortissime,“ dixit,
„Fare precor, Perseu, quanta virtute quibusque
Artibus abstuleris crinita draconibus ora.“
Narrat Agenorides, gelido sub Atlante jacentem
Esse locum, solidae tutum munimine molis,
Cujus in introitu geminas habitasse sorores
Phorcidas, unius sortitas luminis usum;
Id se solerti furtim, dum traditur, astu
Supposita cepisse manu, perque abdita longe
Deviaque et silvis horrentia saxa fragosis
Gorgoneas tetigisse domos, passimque per agros
Perque vias vidisse hominum simulacra ferarumque
In silicem ex ipsis visa conversa Medusa;
Se tamen horrendae clypei, quod laeva gerebat,
Aere repercusso formam adspexisse Medusae,
Dumque gravis somnus colubras ipsamque tenebat,

768. *moresque habitumque virorum.* Hanc scripturam, quae bene congruit versui 766., tuentur codd. Ciof., II Bersm., Dresd., Goth. 1., Medic. 3., Lips. 2., Vrat., plurimi Heins. et edd. Venn., nisi quod II Bersm., Dresd., Medic. 3. et multi Heinsiani *mores* exhibent omisso *que* et alter Bersm., unus Cael., Lips. 2. et unus Sulm. *habitusque*, et multi Heins. *animosque*. Nonnulli e vetustioribus Heinsii versum 767. omittunt, quem Vrat. in margine habet. Par. 1. 2., Berol., Goth. 2., Medic. 2. 3., Mor. 1., Rhen., Lips. 1., Spir., schedae Theat., II Heins. et ed. pr. versum 767. 768. in unum contraxerunt: *Quaerit Abantiades moresque habitusque virorum*, quae manifesta corruptio est. Singuli codices alias corruptiones minores exhibent, quas afferre non attinet. Omittimus etiam multas conjecturas virorum doctorum, quibus fraudi fuit scriptura *cultusque habitusque virorum* v. 766. cum qua v. 768. non congruere videbatur. Inde Abantiadae quaerenti *cultus locorum*, Lyncidem non recte exponere *mores virorum* dixerunt et de fide v. 788., qui ad sententiam necessarius est, male dubitaverunt. Haec recte disputavit *Jahn.* — *unus Lyncides*, unus ex iis (proceribus), sc. *Lyncides*.

771. *crinita dr. ora*, caput cujus crinibus immixti dracones s. angues. Conf. v. 792. — 772. *Agenorides*, a proavo Agenore. 607. 669. Hanc scripturam cod. Bersm., unus Cael., Dom., Goth. 2., alter Maff., Par. 1. 2., Rhen., Stat., unus Sulm., unus Vat. Ciof., Vrat., meliores Heins. et ed. pr. confirmant. Vulg. *Abantiades*, quod librariorum commentum videtur, qui *Abantiaden* et *Agenoriden* eundem esse et Nasonis varietatem et doctrinae studium non satis intelligerent. — *sub Atlante.* V. 631 — 662, Mela III. c. 9. — De quantitate ad v. 644.

775. *Phorcidas*, a Phorco patre. Vid. ad v. 743. Aesch. Prometh. v. 819. *αἱ Φορκίδες.* Conf. Pausan. II. c. 21. Apollod. I, 2, 6. II, 4, 2. Vulgo edunt *Phorcydas.* — *sortitas.* Berol., Goth. 2. pro v. l., alter Maff., Pal. D. Heins., unus Sulm., multi e melioribus Heins. *partitas.* Sed non satis emendate poni videtur praeteritum *partitus*, ubi participium praesens exspectes. Contra scriptura optimorum et plurimorum codd. et vett. edd. *sortitas*, quod est, quae sorte acceperant, recta et elegans est. Aesch. Prom. l. l. *Φορκίδες-κοινὸν ὄμμ' ἐκτημένα, μονόδοντες.*

779. *Gorg. tetigisse domos*, sc. ad quas nonnisi illius oculi usu perveniri poterat. Alii eam fabulam aliter narrant.

780. *ferarumque.* Vid. ad v. 11.

781. *ex ipsis*, i. e. ex hominibus ac feris sive e natura sua. Conf. I, 233. — *Visa Medusa*, aspectu Medusae.

782. *quod.* Plurimi Heins., Berol., Goth. 2., Pal. 2. a corr., Lips. 2. et vett. edd.: *quem*, quod genuinum videtur, quia Naso etiam alibi hoc verbum masculinum ponit. Reliqui codd. *quod.*

783. *aere repercusso.* Conf. v. 349.

784. *colubras.* V. 771. *tenebat.* Conf. VII, 329. — 784. *colubras.* Heinsius tacite edidit *colubrasque*, quod etiam Bersm. 3., Goth. 2., Rhen., Vrat. et ed. pr. *exhibent.* — II Bersm. *colubrosque.* Nonnulli Heinsiani *colubros.* Berol., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 1. 2. et edd. Venn. *colubras.* Utra vera scriptura sit:

Eripuisse caput collo; pennisque fugacem
Pegason et fratrem, matris de sanguine natos,
Addidit, et longi non falsa pericula cursus,
Quae freta, quas terras sub se vidisset ab alto,
Et quae jactatis tetigisset sidera pennis.
Ante exspectatum tacuit tamen. Excipit unus
E numero procerum, quaerens, cur sola sororum
Gesserit alternis immixtos crinibus angues.
Hospes ait: „Quoniam scitaris digna relatu,
„Accipe quaesiti causam. Clarissima forma
Multorumque fuit spes invidiosa procorum
Illa, nec in tota conspectior ulla capillis
Pars fuit. Inveni qui se vidisse referrent.
Hanc pelagi rector templo vitiasse Minervae
Dicitur. Aversa est et castos aegide vultus
Nata Jovis texit; neve hoc impune fuisset,
Gorgoneum crinem turpes mutavit in hydros.“
Nunc quoque, ut attonitos formidine terreat hostes,
Pectore in adverso, quos fecit, sustinet angues.

colubras an *colubrasque* nonnisi accuratiori codicum collatione constitui potest. Itaque vulgatam, quae etiam majorem habet auctoritatem vetustatis, retinuimus.

785. *eripuisse*, harpe abscidisse. V, 69. — 786. „*et addidit*, *Pegasum* (equum illum alatum) *et fratrem ejus* (Chrysaora) *e sanguinis guttis matris Medusae natos.*“ Apollod. II. c. 4. Codd. Ciof. excepto Urs. omnes, Bersm. 1., multi Heins., Dresd., Goth. 1. et pro v. l. 2., Lips. 1. 2., Vrat. et ed. pr. *fratres*. Reliqui *fratrem*. Fratres Pegasi praeter Chrysaora, quod sciam, nulli memorantur. — 787. *Cursus*, iter per aëra. V. 616. 665 sqq. — 788. *ab alto*. Vid. ad v. 621.

790. *excipit*. Conf. V, 260. — *ante exspect.*; nam convivae plura Persei monstra audire cupiebant. VIII, 5.

791. *e numero*. Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 1., Vrat. et vett. edd. *ex numero*. Iidem, multi Heins., vett. edd. (excepta princ.) et cod. Dresd. *una*. Vulg. *sola*.

795. *invidiosa*, quae multum invidiae habebat s. excitabat. IX, 10. Prop. II, 1, 83.

Maecenas nostrae spes invidiosa juventae.

796. *conspectior*, formosior. Trist. II, 114. *conspiciendus*, ubi vid. not.

797. Dresd. et IV Heins. *referret*. Pluralis etiam elegantior est, quia, si plures referrent, major auctoritas ac fides.

799. *aversa est*, sc. ne hanc turpitudinem videret. — *castos*, ut perpetua virgo. Vid. I, 476. II, 792. III, 164.

800. *nata Jovis*, Minerva Jovis filia, e cujus capite armata prosiluisse traditur. — *neve*. Cf. I, 151.

801. Heinsius tacite edidit *turpes crinem*. Codd. et vett. edd.: *crinem turpes*.

802. *nunc quoque*. Est hic locus ex iis quibus sui immemorem se prodit Ovidius. Tunc enim gestabat Gorgoneum caput Perseus eoque mox utitur contra hostes. *Baumgarten-Crusius*. Sed hi duo versiculi non sunt Persei narrantis, sed dicti sunt ex persona poetae, qui quid postea factum sit commode narrare potest. Minervae imagines ante oculos habebat. Conf. v. 602. 750. XI, 144. V, 328. — *pectore in adverso*, ante in pectore. Quod ad rem attinet et fabulam, Perseus Medusae caput Minervae dedit, illa vero in clypeo posuit auctore Homero Il. V, 741., in thorace auctore Apollodoro.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER QUINTUS.

Dumque ea Cephenum medio Danaëius heros
Agmine commemorat, fremitu regalia turbae
Atria complentur, nec, conjugialia festa
Qui canat, est clamor, sed qui fera nuntiet arma;
Inque repentinos convivia versa tumultus
Assimulare freto possis, quod saeva quietum
Ventorum rabies motis exasperat undis.
Primus in his Phineus, belli temerarius auctor,
Fraxineam quatiens aeratae cuspidis hastam,
„En," ait „en, adsum praereptae conjugis ultor,
„Nec mihi te pennae nec falsum versus in aurum
Jupiter eripiet." Conanti mittere Cepheus
„Quid facis?" exclamat. „Quae te, germane, furentem
„Mens agit in facinus? Meritisne haec gratia tantis
Redditur, hac vitam servatae dote rependis?

1. *Phineus, Cephei frater* (IV, 665.) *et avunculus Andromedae, indignatus, Andromedan, quae ipsi ante desponsata fuerat, a Perseo duci, cum sociis suis nuptias infestis armis subito turbat, magnaque utrimque facta caede ipse et reliqua de caede turba sociorum allato a Perseo Medusae capite in saxa mutantur.* Hyg. F. 64. Apollod. II. c. 4.

1. *Cephenum*, Aethiopum. Vid. IV, 764. — *Danaëius heros.* Perseus erat filius Jovis et Danaës. Vid. IV, 696 seqq. — *ea*, sc. quomodo capite Medusae sit potitus. IV, 772 seqq. — *medio agmine*, sc. *convivantium*. Vid. fin. libri IV.

3. *nec - clamor*. Conf. XII, 215. — Dresd., Erf. 1., Goth. 1. 2., Pal. 1., Rhen., Vat. 2. et VI Heins. *conjugialia*. Unus Bas., exc. Cal. et Pal. 3. *connubialia*. Vulg. *conjugalia*. Conf. XI, 743. De constructione *nec - qui canat, sed qui nuntiet* conf. v. 112. VII, 154.

6. *quietum*, dum quietum est. — 7. *exasperat*, proprie inaequale et horridum reddit. Hor. Od. I, 5, 7. *aspera nigris aequora ventis*. Amor. II, 11, 27.

Quid si concussas Triton exasperat undas.

9. *fraxineam*. X, 93. *fraxinus utilis hastis*. Plin. H. N. XVI. c. 13. — De genitivo *aeratae cuspidis* conf. VI, 78. VII, 131. — 11. *pennae*, talaria. Vid. IV, 729. et 665 seqq. 697. — *falsum versus in aurum*. Vid. IV, 610. 697. De illo *falsum* conf. I, 754. II, 871.

12. *eripiet*. Unus Gron. *eripient*, quod male edidit Heinsius. Vid. ad I, 142. VI, 220. — 14. *mens* pro animo, itaque etiam pro sede cupiditatum et ira. Hor. Od. I, 16, 22. *compesce mentem*. — 15. *dote*, praemio. Cf. ad IV, 702. — *servatae* exhibent codd. Bersm., Abb., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Joan.,

Quam tibi non Perseus, verum si quaeris, ademit;
Sed grave Nereïdum numen, sed corniger Ammon,
Sed quae visceribus veniebat bellua ponti
Exsaturanda meis. Illo tibi tempore rapta est,
Quo peritura fuit. Nisi si, crudelis, id ipsum
Exigis, ut pereat, luctuque levabere nostro.
Scilicet haud satis est, quod te spectante revincta est,
Et nullam quod opem patruus sponsusve tulisti:
Insuper, a quoquam quod sit servata, dolebis
Praemiaque eripies? Quae si tibi magna videntur,
Ex illis scopulis, ubi erant affixa, petisses.
Nunc sine, qui petiit, per quem haec non orba senectus,
Ferre quod et meritis et voce est pactus, eumque
Non tibi sed certae praelatum intellige morti."
Ille nihil contra, sed et hunc et Persea vultu
Alterno spectans, petat hunc ignorat an illum,
Cunctatusque brevi contortam viribus hastam,
Quantas ira dabat, nequicquam in Persea misit;
Et stetit illa toro. Stratis tum denique Perseus
Exsiluit, teloque ferox inimica remisso
Pectora rupisset, nisi post altaria Phineus
Isset, et - indignum! - scelerato profuit ara.
Fronte tamen Rhoeti non irrita cuspis adhaesit.
Qui postquam cecidit ferrumque ex osse revulsum est,
Calcitrat et positas adspergit sanguine mensas.
Tum vero indomitas ardescit vulgus in iras,
Telaque conjiciunt, et sunt qui Cephea dicant
Cum genero debere mori. Sed limine tecti

Rhen., Lips. 1., meliores Heins. et vett. edd. — Vulg. *servatam.* non male.

16. *verum si quaeris.* Cf. XI, 689.

17. *Nereïdum numen etc.* Vid. IV, 670 seqq. De illo *corniger* conf. infra v. 327. et vid. ad IV, 671. — *grave,* infestum, exitiosum. IV, 452. — 18. *visceribus meis,* filia mea. Vid. ad X, 465. et VI, 651. — Goth. 1., Bas. 3. 4. et plerique (?) Heins. *ponto.* Quinct. IX. c. 3. et reliqui codd. cum vett. edd. *ponti.* — *Sed* cum vi repetitur, cum sententiae coacervantur. Vid. Quinct. J. O. IX. c. 3. §. 48. Cf. I, 595.

20. *nisi si.* Conf. 615. — II Bersm., Pal. 2. et V alii Heins. *nisi tu.* — 21. *levabere,* te levabis, levationem s. solatium quaeres. — 22. *scilicet,* cum acerbitate confirmat. II, 471. — 23. *patruus sponsusve,* licet patruus sponsusve esses.

26. *petisses,* petere debuisses. Vid. ad Trist. II, 326. — Berol., Dresd. a corr., Goth. 1. 2., unus Medic., Lips. 1. et a corr. 2. *ubi erat.* — 27. *haec,* q. e. mea. Conf. v. 222. — Arond., Pal. 2., Lips. 2. et complures Heinsii *haec* male omittunt.

28. *voce.* Vid. IV, 703. *meritis,* sc. quod servavit eam. IV, 706 seqq. — 30. *ille nihil contra.* Conf. XII, 232. — 34. *et stetit.* Briant., quidam alii Ciof., Berol., Lips. 1. et nonnulli Heins. *ut stetit.* Alii *astitit, adstetit, at stetit, sed stetit. Et stetit* recte periculum, in quo Perseus fuerit, declarat. Itaque mutandi causa non aderat.

35. *exsiluit.* Ita Goth. 2., Rhen., Lips. 2. et meliores Heins. — Reliqui *exsilüit.* Conf. VI, 65. — 37. *indignum.* Amor. I, 6, 1.

Janitor - indignum - dura religate catena.

38. *Rhoeti,* unius e turba Phinei. — *fronte adhaesit.* Conf. IV, 694. — 40. *calcitrat.* Gloss. Dresd. *pedibus terram pulsat.* — Berol., Hamb. 2., Lov., exc. Mur., unus Sulm., Medic. 3., Thu. et Zulich. *palpitat.* Tenenda est scriptura, quam major auctoritas codicum tuetur, quia etiam reliquae orationi aptior est. Virg. A. X, 730.

Exierat Cepheus, testatus jusque fidemque
Hospitiique deos, ea se prohibente moveri.
Bellica Pallas adest, et protegit aegide fratrem
Datque animos. Erat Indus Athis, quem flumine Gange
Edita Limnate vitreis peperisse sub undis
Creditur, egregius forma, quam divite cultu
Augebat, bis adhuc octonis integer annis,
Indutus chlamydem Tyriam, quam limbus obibat
Aureus; ornabant aurata monilia collum,
Et madidos myrrha curvum crinale capillos.
Ille quidem jaculo quamvis distantia misso
Figere doctus erat, sed tendere doctior arcus.
Tum quoque lenta manu flectentem cornua Perseus
Stipite, qui media positus fumabat in ara,
Perculit et fractis confudit in ossibus ora.
Hunc ubi laudatos jactantem in sanguine vultus
Assyrius vidit Lycabas, junctissimus illi
Et comes et veri non dissimulator amoris;

Sternitur infelix Acron et calcibus atram
Tundit humum exspirans infractaque tela cruentat.

Conf. Met. IV, 133.

42. *dicant*. Dresd., Lips. 2., plurimi (?) Heins., ed. pr. et ed. Ven. 1. *dicunt*. Utrumque dicitur. Itaque *dicant* retinendum est. Cf. IV, 797. — 45. *se prohibente*, se improbante, invito.

46. *bellica Pallas*, Minerva dea belli. II, 765. IV, 802. — *fratrem*; nam erat Jovis filia, ut Perseus Jovis filius. IV, 610. — De aegide ejus vid. Hom. Il. II, 447 seqq. et V, 741. et not. ad Met. IV. 802.] — 47. Heinsius ex fide optimorum codicum suorum *Athis* edidit, et v. 63. et 72. *Athin*, quod confirmant etiam Lips. 1., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen. Vrat. et vett. edd. — Vulg. *Atys*.

48. *edita*, nata. Scripturam *Limnate* exhibent Caut., Neap., Rhen., Urb., Vat. 1. et nonnulli Heinsii. Nonnulli e vetustioribus Heinsii et Dresd. *Limate*. Lips. 2. *Lunate*. Ed. pr. *Lymnate*. — Berol. *Lemnicale*. Vrat. et schedae Theat. *Ligneis*. Goth. 2. *Limatis*. Flor. et Pal. *Limatie*. Medic. 1. et edd. Venn. *Limniate*. Goth. 1. *Liniace*. Vulg. *Limniace*. Praetulimus *Limnate*, quia nomen magis Graecum est quam alterum *Limniace*, et satis magnam habet auctoritatem veterum librorum. Heinsius conjecit *Limnatis*. Idem Heinsius temere novavit *sub antris*, quod exstat in Bas. 1., Pal. 2. et fragm. Zulich. Virg. Aen. VII, 759.

Te nemus Anguitiae, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus.

50. „*bis octonis annis adhuc integer*.“ Conf. III, 351.

51. *chlamydem Tyriam*. Cod. Bersm., codd. Ciof., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 1., Vrat. et edd. Venn. *Tyr. chlamydem*. Heinsius tacite edidit *chlam. Tyriam*, quod reliqui libri nostri tuentur. *Jahn*. — Tyrus ac Sidon Phoeniciae urbes propter purpuram clarae. Etiam Virg. A. IV, 137.

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

De accus. I, 332.

53. „*et curvum crin*. (ornabat) *capillos myrrha madidos*.“ De illo *madidos myrrha* conf. III, 555. Post. III, 3, 15.

Nec torquem collo nec habens crinale capillis.

Par. 2., Ox. et Thu. *m. myrrha cohibebat mithra capillos*. — 56. *lenta cornua*, sc. arcus sui. Vid. I, 455.

57. *in ara*. Unus Gron. et Jun. *in aula*. Conf. v. 36. et XII, 271. — 58. *confudit*, turbavit, deformavit. Conf. XII, 250. — *fractis in ossibus*, cum ossa fracta essent. Conf. v. 81. — Berol., Lips. 1. 2. et nonnulli Heins. *confundit*. Cant., Franc., unus Medic., Twisd. et Thu. *contundit*. XII, 251. in eadem re: *discutere ora*. Conf. Senec. Troad. v. 1115 seqq.

59. *laudatos*, formosos. Vid. v. 582. Respondet versui 49. Atque eam scripturam tuentur Flor., Medic. 2., Neap.,

Postquam exhalantem sub acerbo vulnere vitam
Deploravit Athin, quos ille tetenderat arcus
Arripit, et „Mecum tibi sint certamina," dixit,
„Nec longum pueri fato laetabere, quo plus
Invidiae quam laudis habes." Haec omnia nondum
Dixerat, emicuit nervo penetrabile telum,
Vitatumque tamen sinuosa veste pependit.
Vertit in hunc harpen spectatam caede Medusae
Acrisioniades adigitque in pectus; at ille,
Jam moriens, oculis sub nocte natantibus atra
Circumspexit Athin, seque acclinavit ad illum,
Et tulit ad manes junctae solatia mortis.
Ecce, Syenites, genitus Metione, Phorbas
Et Libys Amphimedon, avidi committere pugnam,
Sanguine, quo late tellus madefacta tepebat,
Conciderant lapsi: surgentibus obstitit ensis,
Alterius costis, jugulo Phorbantis adactus.
At non Actoriden Erithon, cui lata bipennis
Telum erat, admoto Perseus petit ense; sed altis
Exstantem signis multaeque in pondere massae
Ingentem manibus tollit cratera duabus
Infligitque viro: rutilum vomit ille cruorem,
Et resupinus humum moribundo vertice pulsat.
Inde Semiramio Polydaemona sanguine cretum
Caucasiumque Abarin Spercheïadenque Lycetum

Thu., Vat. 1. et III Heins. — Reliqui cum vett. edd. *foedatos*. Conf. II, 480.

62. *Sub* causam declarat, ut saepe. — 63. *Athin*. Berol. et Dresd. *Athim*. Lips. 1. et Vrat. *Athī* q. e. *Athim*.

65. *pueri*. V. 50. *longum*, longe, ut Virg. A. X, 740. *nec longum laetabere*. — 67. De constructione: *haec nondum dixerat, emicuit* conf. VI, 286. II, 47. III, 14. — *penetrabile* active, ut Virg. G. I, 93. A. X, 481. — 69. *harpen*. Vid. v. 80. et IV, 666.

70. *Acrisioniades*, a forma Ἀκρισίων pro Ἀκρίσιος. Conf. IV, 632. et not. ad IV, 608. seqq. Lips. 2., Goth. 2., Dresd. *Acrisionides*. — De verbo *adigere* conf. v. 78. et IV, 734.

71. *sub nocte nat*. Lucan. II, 26. *oculos in morte natantes*. Eleg. ad Liv. v. 93.

Lumina caerulea jam jamque natantia morte.

72. Par. 2. *in illum*. — Dresd., II Sulm. et nonnulli Heins. et Ciofani *inclinavit*. Reliqui omnes, ut edidimus.

73. Conf. v. 191. et VIII, 776. — 74. *Syenites*, ex oppido Syene prope Aethiopiam. Plin. H. N. II. c. 7. Ptol. IV. c. 5. — Codd. Ciof. et Heins. omnes, Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1. 2. et edd. Venn. *Suenites*. — 75. *Avidus* et *cupidus* cum infinitivo ut casa communi, loco gerundii apud poetas frequens oratio est. Conf. v. 146. III, 616. X, 121. XV, 120. — 76. Heinsius tacite edidit *tellus late*.

77. *ensis*, sc. Persei, ut apparet e v. 80. — 79. *Eriton* Gron. 1. Reliqui omnes *Eritum*. „In nominibus propriis varietas multa, quam memorare non attinet. *N. Heinsius*.

80. Lov. pro v. l. *hamato*. Vid. IV, 666. Sed veteres libri consensu omnes *admoto*, quod tam nulla auctoritate mutare non licet. — 81. *exstantem signis*, h. e. *asperum signis exstantibus*, ut est XII, 235. Conf. not. ad III, 29.

83. *infligit*. Heinsius ex uno Graev. temere novavit *infregit*. Arond., Franc. et ed. pr. *infringit*. Cod. Bersm., Goth. 1., Vrat. et nonnulli Ciof. *infigit*. Alii Ciof. *impingit*. Conf. v. 121. Virg. A. IX, 349. *purpuream vomit ille animam*. — 84. *pulsat*, tundit. Conf. not. ad XII, 118. et Virg. A. X, 731.

86. *Caucasius*. II, 224. Berol., Rhen., et meliores Heins. *Abarin*. Lips. 1. et Vrat. *Abarī*. Vulg. *Abarim*. — Heins. e deterioribus codd. *Sperchionidem*. Idem Rhen., Berol., margo Bersm.,

Intonsumque comas Helicen Phlegyanque Clytumque
Sternit et exstructos morientum calcat acervos.
Nec Phineus ausus concurrere cominus hosti
Intorquet jaculum, quod detulit error in Idan,
Expertem frustra belli et neutra arma secutum.
Ille tuens oculis immitem Phinea torvis
„Quandoquidem in partes“ ait „abstrahor; accipe, Phineu,
„Quem fecisti hostem pensaque hoc vulnere vulnus!“
Jamque remissurus tractum de corpore telum
Sanguine defectos cecidit collapsus in artus.
Hic quoque Cephenum post regem primus Odites
Ense jacet Clymeni, Protenora percutit Hypseus,
Hypsea Lyncides. Fuit et grandaevus in illis
Emathion, aequi cultor timidusque deorum,
Quem quoniam prohibent anni bellare, loquendo
Pugnat et incessit sceleratque devovet arma.
Huic Chromis amplexo tremulis altaria palmis
Decutit ense caput, quod protinus incidit arae,
Atque ibi semanimi verba exsecrantia lingua
Edidit et medios animam exspiravit in ignes.
Hinc gemini fratres, Proteasque et caestibus Ammon
Invicti, vinci si possent caestibus enses,
Phinea cecidere manu, Cererisque sacerdos
Amphicus, albenti velatus tempora vitta.

et Dresd. — Meliores Heins. *Spercheïadeque;* cod. Bersm., Bas. 2. 3., Goth. 1. 2., Lips. 1. et Vrat. *Spercheïademque.* Reliqui intoleranda exhibent. Est autem *Spercheïades* Spercheï fluvii Thessaliae (I, 579.) accola.

87. Lips. 1. et ed. Ven. 1. *Elicen.* Dresd. *Helicem.* Vrat. *Helicē.* Lips. 2. *Ilicen.* Vulg. *Elycen.* Deinde *Phlegyanque* meliores Heins. Vulg. *Phlegiamque.*

88. *exstructos.* Franc., Medic. et Thu. *adstructos.* Dresd. et multi Heins. *extinctos.*

90. *Idan.* Ita Rhen., Lips. 1., meliores Heins. et ed. pr. Vulg. *Idam.* Vrat. et Lips. 2. *Idā* q. e. *Idam.* Vid. not. ad v. 62.

91. *expertem belli.* Cf. XII, 320.

93. *abstrahor,* vi abripior. Berol., Dresd., Par. 1. 2., plurimi (?) e melioribus Heins. *attrahor.* parum eleganter sane.

95. *de corpore.* Abb., unus Maff., Sulm. 2. et Urs. *de pectore.* Inepte. Nonnulli Ciof. et Heins. cum ed. pr. *de vulnere;* post illa *„hoc vulnere vulnus“* parum eleganter. Reliqui cum melioribus Heins. et vett. edd. *de corpore.*

96. *defectos,* destitutos, vacuos. Cf. XIII, 477. — 97. *post regem primus,* qui post regem s. a rege Cephenum (Aeth.) primus erat. Goth. 1., deteriores Heins. et ed. pr. *tum.*

98. *percutit.* Berol. et V Heins. *perculit,* quod sine idonea causa novavit Heinsius. Goth. 1., Lips. 2. et Vrat. *Prothenora.* — 100. Conf. I, 323.

101. II Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Thu. et nonnulli Heins. *quem.* Reliqui et vett. edd. *qui.* Sed *quem* rectius est et elegantius.

102. *incessit,* increpat. — Par. 2., Flor., Medic. 1. 3., Neap., unus Sulm., Thu. et nonnulli Heins. *devocat.*

104. *decutit.* Dresd., Urb. pro v. l. et multi (?) alii Heins. *demetit,* ex glossa.

105. *atque - lingua.* Iterum lascivit poetae ingenium. Conf. VI, 558. XI, 50 seqq.

107. *Proteasque.* Heinsius tacite edidit *Broteasque,* quod Rhen. (?) confirmat. Codices parvo discrimine consentiunt in *Proteasque,* nisi quod Dresd. et Vrat. *Boreas* exhibent omisso *que.*

109. *Phinea,* ut *Orphea* infra, al. — Vulgaris forma est *Phineïa* ut legitur in Lips. 2. Vid. Fast. VI, 131. — 110. *albenti vitta,* de more sacerdotum. Vid. XIII, 643. XV, 676. Albus enim color laetitiae et sacrorum. — Pro *Amphicus*

Tu quoque Iapetide, non hos adhibendus ad usus,
Sed qui, pacis opus, citharam cum voce moveres,
Jussus eras celebrare dapes festumque canendo;
Quem procul adstantem plectrumque imbelle tenentem
Pettalus irridens „Stygiis cane cetera“ dixit
Manibus!“, et laevo mucronem tempore fixit.
Concidit et digitis morientibus ille retentat
Fila lyrae casuque canit miserabile carmen.
Nec sinit hunc impune ferox cecidisse Lycormas,
Raptaque de dextro robusta repagula poste
Ossibus illisit mediae cervicis; at ille
Procubuit terrae mactati more juvenci.
Demere tentabat laevi quoque robora postis
Cinyphius Pelates, tentanti dextera fixa est
Cuspide Marmaridae Corythi lignoque cohaesit.
Haerenti latus hausit Abas; nec corruit ille,
Sed retinente manu moriens de poste pependit.

Heinsius ex conjectura edidit *Ampycus*. Nomina praeter Cephei, Persei et Phinei a poeta sine dubio ficta, inde tanta diversitas codicum et magna difficultas in vera eorum scriptura constituenda.

111. *ad usus*. Lips. 2., Vrat. et vetustiores Heins. *in usus*, q. e. nostrum *für diesen Gebrauch*. Juven. S. XI, 118. *hos lignum stabat in usus*. Utrumque recte dicitur; itaque exspectanda accuratior collatio codicum. Conf. not. ad III, 272. — 112. *citharam - moveres*. Conf. X, 89. — 114. *adstantem*. Medic. 1., Par. 2. et VI Heins. *cui procul adstanti - tenenti*, quod non debebat novare Heinsius, cum praesertim Naso verbum *irridere* saepe in his carminibus accusativo iungat.

115. *Stygiis*, infernis. I, 139. De sententia conf. XII, 321. — Heinsius ex conjectura dedit, quod in deliciis habebat, *i ridens*. Vid. not. ad Her. IV, 127. et ad Trist. I, 1, 57. — 116. Dicitur *figere in aliquo loco* et cum solo ablativo. Heinsius ex conjectura edidit *figit*. — Ceterum *tempus* de parte capitis etiam alibi singulariter legitur. Virg. A. IX, 418. — 117. Similiter Ennius:

Cumque caput caderet, carmen tuba sola peregit,
Et pereunte viro raucum sonus aere cucurrit.

retentat, iterum tentat. — De illo *retentat* conf. v. 339. et X, 145.

118. *casu*, forte, ut Trist. III, 3, 1. ubi vid. not. — Cod. Bersm., Dresd. pro v. l., omnes Ciof., meliores Heins., Goth. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 1. et Vrat. *casuque canit*. Vulg. *fuit*. Nihil affirmari potest, donec codices accuratius excussi fuerint.

119. *nec sinit*. Ita meliores Heins., Dresd., Par. 2., Lips. 2. et vett. edd. Reliqui *non sinit*. Sola auctoritate veterum libb., utra scriptura vera sit, dijudicari potest. — 120. *posti*. Priscian. VII, 14, 70., meliores (?) Heins. et vetus cod. Cifanii *posti*. Reliqui omnes *poste*, quod verum videtur. Vid. ad I, 53. — *repagula*, ligna transversa, quibus claudebantur fores. — 121. *illisit*, supra v. 83. *infligit*. Heinsius tacite edidit *illidit*. — Cod. Bersm., Abb., Goth. 1., Pal., Par. 2., Rhen., Lips. 1. et pro v. l. 2., Sulm. 1. 2., Vat. Ciof. et Vrat.: *immisit*, ex glossa ut videtur.

122. *procubuit terrae*, ut notum illud *procumbit humi bos*. Stat. Theb. VII, 755. *sternuntur terrae*. Conf. v. 197. II, 347. VII, 578. — Lips. 2. et deteriores Heins. *terra*. — 123. *robora* i. q. repagula, sed universe dictum est.

124. *Cinyps* s. *Cinyphus* fluvius et regio Libyae in regione Syrtica. Conf. VII, 272. et XV, 755. Mela I. c. 7. Herodot. IV. c. 175. — Formam *Cinyphius* edidit Heinsius, quam exhibent Goth. 1., Rhen., Lips. 2. et ed. pr. — Reliqui *Cinypheus*. — Ad illa *tentanti fixa est* conf. XII, 331.

125. *Marmaridae*, ex Marmarica Africae regione inter Aegyptum et Cyrenen. Plin. H. N. V. c. 6. Pro *Corythi* omnes libb. veteres praeter ed. pr. *Coriti*.

127. *retinente manu*. Berol., Goth. 1. 2., Rhen., marge ed. Bas. et Bersm. *manum*. Atque ita nunc vulgo editur. Sed mihi *manum* posteriorem literam m

Sternitur et Menaleus, Perseïa castra secutus,
Et Nasamoniaci Dorilas ditissimus agri,
Dives agri Dorilas, quo non possederat alter
Latius aut totidem tollebat farris acervos.
Hujus in obliquo missum stetit inguine ferrum:
Letifer ille locus. Quem postquam vulneris auctor
Singultantem animam et versantem lumina vidit
Bactrius Halcyoneus; „Hoc quod premis“ inquit „habeto
„De tot agris terrae!“, corpusque exsangue reliquit.
Torquet in hunc hastam calido de vulnere raptam
Ultor Abantiades, media quae nare recepta
Cervice exacta est in partesque eminet ambas.
Dumque manum fortuna juvat, Clytiumque Claninque
Matre satos una diverso vulnere fudit:
Nam Clytii per utrumque gravi librata lacerto
Fraxinus acta femur, jaculum Clanis ore momordit.
Occidit et Celadon Mendesius; occidit Astreus,
Matre Palaestina, dubio genitore creatus;
Aethionque sagax quondam ventura videre,
Nunc ave deceptus falsa; regisque Thoactes
Armiger, et caeso genitore infamis Agyrtes.

a sequente *moriens* mutuasse videtur. *retinente manu* i. e. cum manus retineret. *Manu* Par. 1. 2. et reliqui omnes cum vett. edd. — Cod. Bersm., Goth. 1., Gron., Jun., Lov., Pal. 2., Lips. 1., Vrat., plurimi Heins. et edd. Venn. *de poste*. Alii *e poste*.

128. *Perseïa castra sequi* pro pugnare pro Perseo. XII, 286.

129. *Nasamones* Africae gens apud Cyrenaicam. Plin. H. N. V. c. 5. — 130. De correpta priori Syllaba in *agri* conf. IV, 644. — *Dorilas* per epanalepsin repetitum. Vid. ad XIV, 223. et XIII, 771. — 131. *tollebat*. Fast. IV, 560.

Et seret et culta praemia tollet humo.

133. *letifer ille locus*. VIII, 399. —

134. *singultare animam*, cum singultu emittere. Sic *vomere animam* Virg. A. IX, 349. Sic *huc et illuc frenare* Met. X, 125. Stat. Theb. V, 260. Conf. not. ad Her. IV, 16.

135. *Bactrius* a Bactris oppido Asiae, de quo vid. interpp. ad Curt. III. c. 25. — Scripturam *Bactrius* edidit Heinsius, quam exhibent Goth. 1., Rhen. et ed. pr. — Cod. Raph. Regii et ed. Ven. 2. *Bactreus*. Goth. 2. *Balthoeus*. Dresd. *Bacateus*. — *premere* in sedente, stante et jacente saepe dicitur. Vid. v. 317. II, 869. X, 557.

138. *Abantiades*, Perseus. Vid. IV, 673. — *nare recepta*. Dicitur etiam *in narem recipere*. X, 10. — 139. *exacta*. Vid. ad v. 70. — 140. *Claninque* edidit Heinsius, quod Rhen. et Berol. confirmare videntur, qui etiam v. 143. *Clanis* exhibent. Idem Lips. 1. — Vrat. *Caminque*. Reliquam varietatem afferre piget. — 142. *librata*, i. q. *contorta* v. 423. Virg. A. IX, 418. — 143. *frax* Vid. ad v. 9. — *jaculum momordit*, jaculum haesit in ore. Hom. Il. V, 75. ψυχρὸν δ' ἔλε χαλκὸν ὀδοῦσιν.

144. *Mendesius*. Mendes oppidum Aegypti ad ostia Nili. Plin. H. N. V. c. 9. Scripturam *Mendesius*, quam primus edidit Heinsius, exhibent Berol., Goth. 1., Rhen. et ed. pr. — Reliquorum codd. mira rursus varietas.

146. *sagax videre*. Vid. ad v. 75. Horatio imprimis consueta oratio. Heinsius scripsit *Aethionque*, quod cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Rhen. et ed. pr. tuentur. Confirmant Lips. 1. 2. et meliores Heinsii, qui *Ethion*. Vulg. *Echion*. — 147. *nunc ave deceptus falsa*, sc. ut interitum ipse suum non praevideret. Lips. 2., Vrat. et deteriores Heins. *tunc*: male. Aptius enim respondet *nunc* illi *quondam*. De re conf. Hom. Il. II, 859. et Virg. Aen. IX, 527. — *ave* de augurio intelligendum.

Plus tamen exhausto superest: namque omnibus unum
Opprimere est animus, conjurata undique pugnant
Agmina pro causa meritum impugnante fidemque.
Hac pro parte socer frustra pius et nova conjux
Cum genitrice favent, ululatuque atria complent;
Sed sonus armorum superat gemitusque cadentum,
Pollutosque simul multo Bellona penates
Sanguine perfundit renovataque praelia miscet.
Circuëunt unum Phineus et mille secuti
Phinea; tela volant hiberna grandine plura
Praeter utrumque latus praeterque et lumen et aures.
Applicat hic humeros ad magnae saxa columnae,
Tutaque terga gerens adversaque in agmina versus,
Sustinet instantes. Instabat parte sinistra
Choanius Molpeus, dextra Nabataeus Ethemon.
Tigris ut auditis diversa valle duorum
Exstimulata fame mugitibus armentorum
Nescit, utro potius ruat, et ruere ardet utroque:
Sic dubius Perseus, dextra laevane feratur,
Molpea trajecti submovit vulnere cruris,
Contentusque fuga est: neque enim dat tempus Ethemon,
Sed furit et, cupiens alto dare vulnera collo,
Non circumspectis exactum viribus ensem
Fregit, et extrema percussae parte columnae
Lamina dissiluit dominique in gutture fixa est.
Non tamen ad letum causas satis illa valentes
Plaga dedit; trepidum Perseus et inertia frustra
Brachia tendentem Cyllenide confodit harpe.

149. *exhausto*, quam exhaustum, perfectum erat. — *unum*, Persea.

150. *conjurata-agmina*. Conf. XII, 6. XV, 763. — *opprimere est animus*. Conf. v. 287. — 151. „*pro causa* (Phinei) *quae meritum fidemque impugnabat*“ Conf. IV, 702. V, 14. — 152. *socer*, Cepheus; *nova conjux*, Andromeda; *genitrix*, Cassiope. IV, 738. — Insolentior oratio *favere pro* respondet illi *pugnant pro*. Conf. III, 652. 653.

153. *ululatu*. Conf. XII, 226.

155. *Bellona*, dea belli et soror Martis. — Berol. et II Heins. *semel*.

158. *hiberna grand. plura*. Virg. A. X, 803. *Telaque conjiciunt.... Ac velut effusa si quando grandine nimbi Praecipitant etc.* Conf. Aen. IX, 668.

159. *praeter*, juxta, proxime. XIV, 359. XV, 701. — *lumen*, oculos.

160. *hic*. Arg., Medic. 2. et V Heins. *hinc*, et v. 162. Bas. 1., Berol., Dresd. et unus Medic. *instabant*, quod utrumque sine omni causa in textum recepit Heinsius. Vid. ad v. 12.

163. *Choanius*. Dresd., Lips. 2. et Leid. *Caonius* v. *Chaonius*. Sed recte observat *Baumgarten-Crusius*: „quae conjunctio Nabataei Arabis et Chaonii sive Epirotae?“ Nam Chaonii e gente Pelasga partem Epiri tenebant. *Choanii* populus Arabiae felicis, Nabataeis (I, 61.) finitimus. Plin. VI. c. 28.

165. De spondaico versus fine vid. not. ad I, 62. — 169. Flor. *fugae*.

171. *non circumspectis*, non ante ponderatis. — *exactum*, extractum. Val. Fl. IV, 390.

Et celerem mediis in cantibus exigit harpen.

175. *inertia*, nil ad defendendum parantia. Conf. XII, 361. — Abb., Par. 2., Berol., Erf. 1., Goth. 1. 2., Lips. a 1. m., I Sulm. et Vrat. *inermia*, quod ab interpolatore factum videtur. *Jahn*. Bas. 2. 4. et XII Heins. *inania*.

176. *Cyllenide-harpe*, Mercurii, sc. quam a *Cyllenio* i. e. Mercurio (I, 713.) una cum talaribus (IV, 730.) acceperat.

Verum ubi virtutem turbae succumbere vidit;
„Auxilium," Perseus „quoniam sic cogitis ipsi,"
Dixit „ab hoste petam. Vultus avertite vestros,
„Si quis amicus adest!", et Gorgonis extulit ora.
„Quaere alium, tua quem moveant miracula!" dixit
Thescelus, utque manu jaculum fatale parabat
Mittere, in hoc haesit signum de marmore gestu.
Proximus huic Ampyx animi plenissima magni
Pectora Lyncidae gladio petit, inque petendo
Dextera diriguit nec citra mota nec ultra est.
At Nileus, qui se genitum septemplice Nilo
Ementitus erat, clypeo quoque flumina septem
Argento partim, partim caelaverat auro,
„Adspice," ait „Perseu, nostrae primordia gentis,
„Magna feres tacitas solatia mortis ad umbras,
A tanto cecidisse viro." Pars ultima vocis
In medio suppressa sono est, adapertaque velle
Ora loqui credas, nec sunt ea pervia verbis.
„Increpat hos „Vitioque animi, non viribus" inquit
„Gorgoneis torpetis;" Eryx „incurrite mecum,
„Et prosternite humi juvenem magica arma moventem!"
Incursurus erat, tenuit vestigia tellus
Immotusque silex armataque mansit imago.
Hi tamen ex merito poenam subiere; sed unus
Miles erat Persei, pro quo dum pugnat, Aconteus,
Gorgone conspecta saxo concrevit oborto.
Quem ratus Astyages etiamnum vivere, longo
Ense ferit; sonuit tinnitibus ensis acutis.
Dum stupet Astyages, naturam traxit eandem,
Marmoreoque manet vultus mirantis in ore.
Nomina longa mora est media de plebe virorum
Dicere. Bis centum restabant corpora pugnae;
Gorgone bis centum riguerunt corpora visa.

179. *ab hoste* h. e. a Gorgone sive Medusa, quam olim Perseus occiderat. IV, 772 seqq. — 180. *extulit ora.* Conf. IV, 656. — 182. *fatale.* Ita alter Bersm., omnes Ciof., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., ed. pr. et haud dubie plurimi Heins. — Reliqui *letale.* Pro *Thescelus*, ut est in omnibus prope codd., Lips. 1. a corr. et vulg. *Thessalus.*

183. *„in hoc* (jaculum mittentis) *gestu." - haesit signum* pro factus est signum s. statua. — 184. *Ampyx.* Sic Pal. 1., Rhen. et Thu. — Vulg. *Ampix.*

185. *Lyncidae.* IV, 768. — 186. Heinsius *est* ex fide codicum suorum (?) delevit, et abest ab altero Bersm., Bas. 2., Goth. 1. 2., Rhen. et Lips. 2. *Jahn.*

187. *septemplice.* VII Nili ostia etiam II, 254 seqq. I, 422. et IX, 774. tanguntur. — 191. *solatia mortis*, a tanto cecidisse viro. Conf. v. 73. II, 281. III, 338. IX, 7. VIII, 776. XI, 604. XII, 80. — *cadere ab aliquo.* Conf. XIII, 597. — 193. Construe: *et credas* (in saxo) *adap. ora* (adhuc) *velle loqui, nec* (tamen) *sunt p. v.* — 195. *non viribus Gorgoneis* s. Medusae. Flor. et unus Medic. *cum crinibus.* Bon. *non crinibus*, quod temere recepit Heinsius. 198. *vestigia*, planta., pedes, ut passim.

199. *silex.* Ita cod. Bersm., Bas. 4., Goth. 2., nonnulli Heins. et ed. pr. inter versus. Reliqui *silet.* — 200. *poenas.* Berol., Vrat., Rhen. et meliores (?) Heins. *poenam.* — 202. Conf. X, 67.

203. Cod. Berol., Rhen., meliores (?) Heins. et ed. pr. *etiamnum.*

205. *traxit.* III, 399. II, 236. — 208. 209. De repetitione illa *bis centum*

Poenitet injusti nunc denique Phinea belli.
Sed quid agat? Simulacra videt diversa figuris
Agnoscitque suos, et nomine quemque vocatum
Poscit opem; credensque parum, sibi proxima tangit
Corpora: marmor erant. Avertitur, atque ita supplex
Confessasque manus obliquaque brachia tendens
„Vincis" ait „Perseu! remove tua monstra, tuaeque
„Saxificos vultus, quaecumque ea, tolle Medusae.
Tolle, precor: non nos odium regnive cupido
Compulit ad bellum; pro conjuge movimus arma.
Causa fuit meritis melior tua, tempore nostra.
Non cessisse piget. Nihil, o fortissime, praeter
Hanc animam concede mihi, tua cetera sunto!"
Talia dicenti neque eum quem voce rogabat
Respicere audenti „Quod," ait „timidissime Phineu,
„Et possum tribuisse et magnum est munus inerti,
Pone metum, tribuam: nullo violabere ferro.
Quin etiam mansura dabo monimenta per aevum,
Inque domo soceri semper spectabere nostri,
Ut mea se sponsi soletur imagine conjux."
Dixit et in partem Phorcynida transtulit illam,
Ad quam se trepido Phineus obverterat ore.
Tum quoque conanti sua flectere lumina cervix
Diriguit, saxoque oculorum induruit humor.
Sed tamen os timidum vultusque in marmore supplex
Submissaeque manus faciesque obnoxia mansit.
Victor Abantiades patrios cum conjuge muros
Intrat, et immeriti vindex ultorque parentis

conf. not. ad I, 325. — 210. *nunc.* Sic Goth. 2., Rhen., Vrat. et meliores Heins. — Reliqui cum vulg. *tunc.*

212. „*et quemque, nomine vocatum, poscit opem.*" Heinsius ex conjectura edidit *vocatos.* — VI Heinsii codd. *vocato.* — 215. *confessas.* Quod totius viri est, parti corporis tribuitur, qua potissimum se victum declarabat. — *obliqua:* facie enim a Perseo aversa ne Medusam conspiceret, brachia ad ipsum Persea tetendit.

216. *tua monstra.* Unus Mor., Bas. 3., Lips. 2. et unus Thu. *fera,* ex glossa.

217. *Saxificus,* in saxum convertens, vox ab Ovidio, ut videtur, novata ad formam *vulnificus.* — Lips. 1. 2., V Heins. et pro v. l. Vrat. *quaecumque est.*

218. Heinsius tacite edidit *regnive,* quod exhibent etiam Berol., Goth. 1. et Rhen. — Reliqui cum vett. edd. *regnique.* Ac poterant duo simul eum compellere. — 219. *pro conjuge.* Conf. v. 10. — 220. *meritis.* Conf. v. 14. — *tempore,* sc. quia Andromeda Phineo prius desponsata fuerat. — Cod. Bersm., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat. et edd. Venn. *melior meritis.* Reliqui *meritis melior.*

221. Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1., Vrat. et edd. Venn. *nil.* — *non cessisse* sc. tibi. — 223. *neque respic. audenti.* Conf. v. 215. — 225. *tribuisse* pro *tribuere,* frequens apud poetas oratio. Conf. Her. III, 110. IV, 88. IX, 76. Hor. A. P. *poteras dixisse.* — Heinsius tacite edidit *et magnum m. inerti est.*

228. 229., cum acerbitate dicta.

230. *Phorcynida,* Medusam h. e. caput Medusae. IV, 775.

235. *obnoxia,* culpam fatentis. Cf. 215.

236. *Perseus Argos redux Proetum, qui fugato Acrisio fratre, ipsius Persei avo, Argorum regnum sceleste occuparat, et Polydecten Seryphi insulae tyrannum ope capitis Medusae in lapides convertit.* Hyg. F. 64. 273. Apollod. II. c. 2. 4. I. c. 9. Pausan. II. p. 145.

236. *Abantiades,* Perseus. IV, 673. 767.

237. *immeriti,* qui illam sortem non

Aggreditur Proetum: nam fratre per arma fugato
Acrisioneas Proetus possederat arces.
Sed nec ope armorum nec, quam male ceperat, arce
Torva colubriferi superavit lumina monstri.
Te tamen, o parvae rector, Polydecta, Seriphi,
Nec juvenis virtus per tot spectata labores,
Nec mala mollierant; sed inexorabile durus
Exerces odium nec iniqua finis in ira est.
Detrectas etiam laudes fictamque Medusae
Arguis esse necem. „Dabimus tibi pignora veri:
„Parcite luminibus!“ Perseus ait, oraque regis
Ore Medusaeo silicem sine sanguine fecit.
Hactenus aurigenae comitem Tritonia fratri
Se dedit. Inde cava circumdata nube Seriphon
Deserit, a dextra Cythno Gyaroque relictis,
Quaque super pontum via visa brevissima, Thebas
Virgineumque Helicona petit: quo monte potita
Constitit et doctas sic est affata sorores:
„Fama novi fontis nostras pervenit ad aures,
Dura Medusaei quem praepetis ungula rupit:
Is mihi causa viae, volui mirabile factum
Cernere; vidi ipsum materno sanguine nasci.“

meruerat. Heinsius sine omni auctoritate veterum libb. edidit *immeritae*. Acrisius rex fuerat, atque ille, non Danaë filia, ut e v. 238. et 239. apparet, a Proeto e regno erat fugatus. Quod autem poeta Acrisium Persei parentem appellat, cum vere avus esset, constat parentem etiam pro quovis magnae cujusdam auctoritatis consanguineo poni. Virg. Aen. IX, 3. X, 619.

239. *Acris. arces*, arces Argorum ubi Acrisius rex fuit.

240. *arce* de arce urbis sensu proprio intelligendum.

241. *colubriferi monstri*, Medusae. IV, 801. — 242. *Polydecta* correxit Heinsius, quod Goth. 1. Rhen. et ed. pr. exhibent. — Reliqui codd. cum edd. Venn. *Polydecte*. quod postremam producit. Vid. ad Trist. I, 5, 22. et Leop. Schneider Gr. Lat. Vol. I. P. I. p. 33. — *Seryphus* una e Cycladibus in Aegeo. Mela II, c. 7.

244. *mala*, pericula ac miseriae. — Genev. et Medic. 3. *dirus*. Male. *durus* respondet illi *mollierant*.

246. *detrectas*. Plurimi Heins., Dread., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat. et vett. edd. *detractas*. Goth. 2. a corr. et reliqui *detrectas*. — Dresd., Franc., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., plurimi Heins. *laudes*. Vulg.: *laudem*.

248. *parcite lum.* i. q. *avertite vultus* v. 179.

250. *Minerva relicto Perseo fratre ad Helicona Musarum sedem pergit, ubi Musae ei varias transformationes narrant; in his Urania miram originem Hippocrenes fontis per pedis ictum Pegasi.*

250. *aurigena-frater*, Perseus. IV, 610. et 754.

251. *cava nube*. Conf. IX, 271.

252. *Cythnos et Gyaros* et ipsae e Cycladibus. Plin. VIII. c. 29. Conf. Met. II. c. 7. Codices et vett. edd. tantum non omnes *Cypro Gyar.*, quod non patitur harum insularum situs. Dresd. *ciro*.

254. *Helicon* Boeotiae mons Musis consecratus. II, 219. — *dostae sorores*, Musae. — 257. *Medusaeus praepes*, Pegasus, equus alatus, qui e sanguinis guttis Medusaei capitis natus erat. IV, 786. — Cod. Bersm., unus Sulm. et VII Heins. *fecit*.

258. *mir. factum*. Cant., Erf. 1., Goth. 2. pro v. l., Medic. 2. et IV Heins. *mir. monstrum*, ab interpolatore ut videtur, qui *monstrum* pro mira transformatione in his carmm. saepe dici meminisset. Hoc loco praeter majorem codd. auctoritatem scriptura *factum* etiam elegantior est. — Codd. Cioff., Goth. 1. et Vrat. *viae est*. Heinsius tacet.

259. „*nam alterum ejus miraculum quoque vidi*, sc. *ipsum materno s. nasci*:“ et viderat, nam Persei comes fuerat.

Excipit Uranie: „Quaecumque est causa videndi
„Has tibi, diva, domos, animo gratissima nostro est.
Vera tamen fama est, et Pegasus hujus origo
Fontis"; et ad latices deduxit Pallada sacros.
Quae, mirata diu factas pedis ictibus undas,
Silvarum lucos circumspicit antiquarum
Antraque et innumeris distinctas floribus herbas,
Felicesque vocat pariter studiique locique
Mnemonidas. Quam sic affata est una sororum:
„O nisi te virtus opera ad majora tulisset,
In partem ventura chori Tritonia nostri,
Vera refers meritoque probas artemque locumque,
Et gratam sortem – tutae modo simus – habemus.
Sed – vetitum est adeo sceleri nihil – omnia terrent
Virgineas mentes, dirusque ante ora Pyreneus
Vertitur, et nondum me tota mente recepi.
Daulia Threïcio Phoceaque milite rura
Ceperat ille ferox, injustaque regna tenebat.
Templa petebamus Parnasia: vidit euntes,
Nostraque fallaci veneratus numina vultu
„„Mnemonides," – cognorat enim – „consistite," dixit
„Nec dubitate, precor, tecto grave sidus et imbrem" –
Imber erat – „vitare meo: subiere minores

V. 250. — 261. *nostro est.* Ita omnes fere codd. Vulg. *animo est gr. nostro.* Berol. et edd. Venn. *est* omittunt. Heinsii conjectura est *nostro es.*

262. *origo*, auctor. I, 79.

263. *deduxit.* Dresd., Goth. 2. et nonnulli Heins. *deducit.*

265. *antiquarum.* Vid. ad v. 165. *lucos silvarum.* Vid. ad III, 176.

267. *felices studii.* Genitivus causae s. exeundi. Vid. ad II, 765. Hor. Sat. I, 9, 11. *felix cerebri.* — *studii*, i. q. *artium* v. 271. Vid. III, 588. 589. Conf. V, 129.

268. *Mnemonides*, IX Musae filiae erant Mnemosynes a Jove qui eam pastoris forma compresserat. VI, 114. Hes. Theog. v. 53 seqq. — Heinsius primus e conjectura dedit *Mnemonidas.* Vetustiores Heins. *Memnonidas.* Dresd., plerique veteres Heins. *Mennonidas.* Reliqui *Maeonidas.* Vid. v. 280. *Jahn.*

Alia Musa Minervae narrat, Pyreneum regem Daulidis prope Parnasum ipsis insidiatum nec nisi sumta avium figura evadere potuisse, quum autem ulterius persecutus esset, poenas sceleris sui dedisse mortemque invenisse.

269. *virtus*, sc. bellica. — *ad majora*, ad belli opera. — Lips. 2. Jun. et VI alii Heins. *vocasset.* — 270. *Tritonia.* II, 783. — *in partem*, ut pars esses, in societatem.

271. *artemque.* Rhen. et plerique (?) Heins. *artesque*, ab interpolatore qui, memor variis Musas artibus praeesse, emendare optimum poetam voluit. — 274. *dirus Pyr.*, ut *dirus Hannibal* apud Hor. Od. III.

275. *me tota mente recepi*, plane animum collegi, plane ad me redii. Contrarium est animum *auferre* Met. XIV, 177. — Alter Bersm., Berol., Bas. 4., Dresd., Goth. 1. 2., Vrat., V Ciof. et ed. pr. *tota me.*

276. *Daulia rura.* Daulis urbs et regio Phocidis et Helicon Musarum sedes Phocidi adjacens erat.

278. *templa Parnasia*, templa Apollinis, Musarum praesidis.

279. *fallaci vultu*, h. e. simulatam reverentiam praeferente. — Berol., Gracv., unus Heins. et unus Leid. *cultu.*

280. *Mnemonides.* Ita Flor. — Vetustiores Heins. et ed. pr. *Memnonides.* Berol., Dresd. et plerique vett. Heinsii *Mennonides.* Vulg. *Maeonides* Vid. v. 268. — 281. *grave sidus et imbrem.* Causa et effectus juxta positi: nam *grave sidus* est intelligendum *exitiosum*, tempestates et imbres ciens. Confirmant illa: *imber erat*, et *desierant imbres.* Conf. v. 489. — Multi Heins. *grave frigus.*

Saepe casas superi.““ „Dictis et tempore motae
Annuimusque viro primasque intravimus aedes.
Desierant imbres, victoque aquilonibus austro
Fusca repurgato fugiebant nubila coelo:
Impetus ire fuit; claudit sua tecta Pyreneus,
Vimque parat, quam nos sumtis effugimus alis.
Ipse secuturo similis stetit arduus arce
„„Quaque via est vobis, erit et mihi“ dixit „eadem.““,
Seque jacit vecors e summae culmine turris,
Et cadit in vultus, discussisque ossibus oris
Tundit humum moriens scelerato sanguine tinctam.“
Musa loquebatur; pennnae sonuere per auras,
Voxque salutantum ramis veniebat ab altis.
Suspicit et linguae quaerit tam certa loquentes
Unde sonent, hominemque putat Joye nata locutum.
Ales erat, numeroque novem, sua fata querentes,
Institerant ramis imitantes omnia picae.
Miranti sic orsa deae dea: „Nuper et istae
„Auxerunt volucrum victae certamine turbam.
Pieros has genuit, Pellaeis dives in arvis,
Paeonis Euippe mater fuit. Illa potentem

283. *tempore*, tempestate.

285. *„victoque austro pluvias et imbres ferente ab aquilonibus qui nubila pellunt.“* I, 66. 262 seqq. et 328. Hinc v. 286. codices plerique cum vett. edd. recte *repurgato*, pro quo uterque Bersm., Berol., II Ciof., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 1., Vrat. et multi Heins. *repercusso*.

287. *impetus ire fuit*. Conf. v. 150. II, 662. VI, 461. VIII, 39.

289. Medic., Lips. 2., Stroz. et II Heins. *petit arduus arcem*, ex II, 306.

291. *Summae culmine turris*. Ita Berol., Goth. 1., meliores Heins. et ed. pr. Reliqui *summo*, nisi quod Jun. et Thu. *e summi culmine tecti*, e Virg. Aen. IV, 186. Lips. 2. *summo-tecti*. Scriptura *summae* ποιητικωτέρα et elegantior est. Virg. Aen. IV, 186.

Luce sedet custos aut summi culmine tecti
Turribus aut altis.

turris sc. quae erat in regia.

292. *discussisque*. Unus Flor. *discussique*, quod non video cur editores optimae scripturae reliquorum codicum et vett. edd. praetulerint.

293. *tundit*. Vid. ad XII, 118.

294. *Alia Musa narrat Pierides, Pieri et Euippes filias, quum Musas ad certamen provocassent in eoque victi essent, in picas mutatas esse.* Anton. Liber. Metam. c. IX.

294. Alii post *loquebatur* punctum ponunt. Male. Conf. II, 47. et V, 66. v. 332. 333.

295. *salutantum*. Vocabant igitur picae illae *salve* v. Graecum χαῖρε. Nam poeta scite consuetudinem illam, picas *salve* loqui docendi, in usum suum convertit. Mart. XIV, 76.

Pica loquax certa dominum te voce saluto:
Si me non videas, esse negabis avem.

298. *ales erat*. Unus Arg. et II Medic. ex melioribus *alces erant*, quod temere edidit Heinsius. *„Hominem putat esse.. ales erat.“*

301. *victae certamine*, causam continet. — Heinsius e cod. Six. edidit *volucrem*. Vid. ad I, 541. II, 666. III, 729. — 302. *Pellaeis*, a *Pella* quod erat Macedoniae oppidum. Scripturam *Pieros* exhibent Berol., Goth. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et castigatiores Heinsii. Vulg. *Pierus*.

303. *Paeonis*, ex Paeonia, boreali Macedoniae regione, Plin. H. N. IV. c. 10. — *Euippe* legitur in Goth. 1., Rhen. et aliis et ed. pr. — Cod. Abb., Lips. 1., quidam Heins., Briant., Dresd. et Vrat. *Enippe*. Goth. 2., unus Sulm. et unus Vat. Ciof. *Anipe*. Unus Cael., alter Sulm. et nonnulli *Aniphe*. Alter Cael., Maff. 1. 2., Lips. 2., unus Vat. Ciof., nonnulli Heins. et edd. Venn. *Anippe*. Alii aliter. *Euippe* etiam Thraciae mu-

Lucinam novies, novies paritura, vocavit.
Intumuit numero stolidarum turba sororum,
Perque tot Haemonias et per tot Achaïdas urbes
Huc venit et tali committit proelia voce:
„„Desinite indoctum vana dulcedine vulgus
Fallere; nobiscum, si qua est fiducia vobis,
Thespiades certate deae: nec voce nec arte
Vincemur, totidemque sumus. Vel cedite victae
Fonte Medusaeo et Hyantea Aganippe;
Vel nos Emathiis ad Paeonas usque nivosos
Cedemus campis. Dirimant certamina nymphae.““
„Turpe quidem contendere erat, sed cedere visum
Turpius: electae jurant per flumina nymphae
Factaque de vivo pressere sedilia saxo.
Tunc, sine sorte prior quae se certare professa est,
Bella canit superûm, falsoque in honore Gigantas
Ponit et extenuat magnorum facta deorum,
Emissumque ima de sede Typhoëa terrae
Coelitibus fecisse metum, cunctosque dedisse
Terga fugae, donec fessos Aegyptia tellus
Ceperit et septem discretus in ostia Nilus.
Huc quoque terrigenam venisse Typhoëa narrat,
Et se mentitis superos celasse figuris;

lieri aptissimum nomen, quia Thraces equis insignes.

304. *Lucina* dea parturientium. IX, 294. — 305. *intumuit*, superba facta est. VIII, 495.

306. *Haemonias*, Thessalas. I, 568. *Achaïdas*. VII, 511.

307. *committit proelia*, contentionem movet. — Berol., Dresd. et II Heins. *committunt*.

309. Burmannus de suo male novavit *fiducia vocis*.

310. *Thespiades* dicuntur Musae a Thespiis Boeotiae urbe juxta Heliconem Musarum sedem.

312. *fonte Medusaeo*. vid. 256 seqq. — *Aganippe* alter fons Musis sacratus ad Heliconem. Plin H. N. IV. c. 7. — *Hyantea*. III, 147. De hiatu conf. v. 409. et vid. ad III. 184.

313. *Emathiis*, Macedoniis: nam Emathia antiquum nomen Macedoniae. Justin. VII. c. 1. — 314. *cedemus*. Dresd., Lips. 1., Berol., Goth. 1. et pro v. l. 2., Pal. 2., meliores Heinsii et ed. pr. *cedamus*. Reliqui *cedemus*, quod posterius paciscenti aptius est. — Scripturam *campis* exhibent Dresd., Lips. 1., meliores (?) Heins., unus Maff., II Vat. et Vrat. Reliqui omnes *silvis*, quod genuinum videtur.

316. *electae*. Judices *eligebantur*, *sedentes* cognoscebant et *jurati* sententiam dicebant. *Gierig*. Conf. VI, 72.

317. *facta de vivo*. Conf. IX, 743.

318. *sine sorte prior*, quo arrogantiam suam declarabat. — *se certare*, ubi etiam se certaturam esse poni poterat, sed non sine diversitate sententiae. Turpissimum autem diis carminis argumentum.

319. *Gigantas*. Ita Berol., Flor., Cant., Medic. 2., Neap. et Rhen. et haud dubie multi quoque Heinsiani. Reliqui *Gigantes*. Sed Naso in talibus formas Graecas amat. — *falsoque*. Igitur suspectam reddebat vel detrectabat de Gigantibus victoriam. Nam *ponere in vero honore* est laudi vertere.

321. „*emissumque canit*.“ — In vindictam, quod Gigantes a coelitibus caesi essent (I, 151.), Tellus procreavit Typhoea, qui cum et ipse deos infestaret jactisque cum sibilo et boatu candentibus saxis eos terreret, fulmine a Jove sub Aetnam montem conjectus est. Conf. v. 346 seqq. et III, 303. Sed Pieris totam fabulam maligne pervertit. Apollod. I. c. 6. Hyg. F. 152. 196. Hesiod. Theog. v. 820 sqq.

322. Bas. 4. et ed. Vinc. *victos*.

324. *septem in ostia*. Vid. 187. — *ceperit*, exceperit.

326. *mentitis*. Conf. 724. Eodem mo-

„„Duxque gregis“ dixit „fit Jupiter: unde recurvis
Nunc quoque formatus Libys est cum cornibus Ammon.
Delius in corvo, proles Semeleïa capro,
Fele soror Phoebi, nivea Saturnia vacca,
Pisce Venus latuit, Cyllenius ibidis alis.““
„Hactenus ad citharam vocalia moverat ora:
Poscimur Aonides. Sed forsitan otia non sunt,
Nec nostris praebere vacat tibi cantibus aures.“
„Ne dubita vestrumque mihi refer ordine carmen!“
Pallas ait, nemorisque levi consedit in umbra.
Musa refert: „Dedimus summam certaminis uni.
„Surgit et, immissos hedera collecta capillos,
Calliope querulas praetentat pollice chordas,
Atque haec percussis subjungit carmina nervis:
„„Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges alimentaque mitia terris,
Prima dedit leges, Cereris sunt omnia munus.

do III, 250. *falsus*. X, 439. *simulatus*, X, 159. *mendax*. Conf. VI, 110.

327. *dux gregis*, aries, unde *cornibus recurvis*. Sub eadem figura Jupiter Ammon oracula edebat. Conf. VII, 371. et vid. v. 17. et IV, 671.

328. Lips. 1., Vrat., Dresd. et edd. Venn. *Hammon*.

329. *Delius*, Apollo. I, 454. *corvo*, quia ea avis ei propter divinandi artem sacra. — *proles Semeleïa*, Bacchus. III, 261 seqq. et 520. — Baccho immolabatur caper. Fast. I, 359.

330. *soror Phoebi*, Diana. I, 10. — *Felis* Bubasti, deae Lunae apud Aegyptios (IX, 691.) sacra, quod poeta transfert ad Dianam. Herod. II, 137. 156. — — *Saturnia*. I, 612. — 331. *pisce*. Conf. Fast. II, 471., ubi *pisces* Venerem e periculo servant. — *Cyllenius*, Mercurius. I, 713, — 332. Conf. X, 40.

333. *moverat: poscimur*. Conf. not. ad v. 294. — *ad cith. mov.* Cf. X, 40. — *poscimur*. IV, 274. — *Aonides* Musae, quia in Helicone in Aonia i. e. Boeotia (I, 313.) sedem habebant. — Pal. 1., Urb. et V Heinsii *non sint - vacet*, posterius etiam Bas. 2. et Dresd. *Forsitan* cum utroque modo construitur. Itaque conjunctivum h. l. sine justa causa Heinsius recepit, ut multis aliis locis. Vid. IV, 679. et ad Trist. II, 19. et IV, 2.

334. Cod. Langerm. *aurem*.

335. *ordine*, totum ac plenum. IX, 5.

337. *uni*, sc. Calliopae. 339. — *summam certaminis* h. e. totum certamen.

338. *immissos*, neglectos. VI, 168. Fast. V, 79.

Tum sic, neglectos hedera redimita capillos,
Prima sui coepit Calliopea chori.

collecta capillos. I, 332. Fast. I, 407.

Illa super suras tunicam collecta ministrat.

hedera, Musis sacra. Hor. Od. I, 1, 29.

Doctarum hederae praemia frontium.

Multi codd. *immensos*. Alii *immistos*. Calliope autem prae ceteris Musis canit, ut praeses carminis epici et e Musarum praestantissima. Vid. 662.

339. *practentat* i. q. tentat X, 145. — *querulas*. Amor. II, 4, 27.

Haec querulas agili percurrit pollice chordas.

340. *percussis nervis*. X, 16. 145.

341. *Calliope canit, quomodo Pluto Proserpinam Cereris filiam rapuerit.* Apollod. I. c. 5. Hyg. F. 146.

341. *Prima Ceres*. Virg. G. I, 147.

Prima Ceres ferro mortales vertere glebas
Instituit.

Conf. Fast. IV, 401. — *glebam*. Lips. 2., I Sulm. et IV Heins. *terram*, e Virg. Georg. l. l. — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Vrat., Lips. 1., plurimi Heins. et vett. edd. *glebam*. Reliqui cum vulg. *glebas*.

342. *mitia*, cum ante fero victu et glandibus alerentur. Fast. IV, 401.

Prima Ceres homini, ad meliora alimenta vocato,
Mutavit glandes utiliore cibo.

343. *sunt*. Par. 2. et pro v. l. Hamb. *summus*, quod sine idonea causa, ut rari-

Illa canenda mihi est. Utinam modo dicere possem
Carmina digna dea! Certe est dea carmine digna.
Vasta Giganteis injecta est insula membris
Trinacris, et magnis subjectum molibus urget
Aetherias ausum sperare Typhoëa sedes.
Nititur ille quidem pugnatque resurgere saepe;
Dextra sed Ausonio manus est subjecta Peloro,
Laeva, Pachyne, tibi, Lilybaeo crura premuntur,
Degravat Aetna caput, sub qua resupinus arenas
Ejectat flammamque fero vomit ore Typhoeus.
Saepe remoliri luctatur pondera terrae,
Oppidaque et magnos devolvere corpore montes.
Inde tremit tellus, et rex pavet ipse silentum,
Ne pateat latoque solum retegatur hiatu,
Immissusque dies trepidantes terreat umbras.
Hanc metuens cladem tenebrosa sede tyrannus
Exierat, curruque atrorum vectus equorum
Ambibat Siculae cautus fundamina terrae.
Postquam exploratum satis est, loca nulla labare,
Depositique metus; videt hunc Erycina vagantem

ora ubique captans, induxit Heinsius, et fluxit e Pont. I, 1, 77. „*Ceres prima dedit fruges.., prima dedit leges*, (verbo) *omnia sunt Cereris munus.*“

344. Berol. et ed. pr. *possim*. I, 363.

345. *dea*. Lips. 1., Par. 2., Bersm., Bas. 3. 4., plurimi Heins. et ed. pr. *digna deae*. Reliqui cum vett. edd. *digna dea*, quod dummodo recte pronunties *dignă deā*, ingratum sonum, unde alii improbarunt, non habet et Nasoniani acuminis videtur *carmina digna dea*, *certe est dea carmine digna* — Porro Dresd., Rhen., Lips. 1. 2., meliores Heins. et ed. pr. *certe dea carmine digna est*. Reliqui *certe est dea*, quod mutandi causam non video.

346. *injecta*. Multi (?) Heins. et ed. pr. *ingesta*, naturae rei parum convenienter. XIV, 1. — *Giganteïs*, Typhoeï. Vid. ad v. 321. — 347. *Trinacria* vetus nomen Siciliae, a tribus promontoriis, Pachyno, Lilybaeo et Peloro. Vid. XIII, 724 sqq. — 348. Ad rem conf. I, 152. — Bas. 1. 2. 4., II Bersm., Goth. 2., Pal. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et multi Heins. *sidereas*.

349. *pugnatque resurgere*. Bas. 3. 4., Berol., Cael., Goth. 1. 2., Par. 2., Rhen., Lips. 1., Sulm. 1. 2., Urs., II Vat., Vrat., plurimi Heins. et vett. edd. *pugnatque*. Reliqui *tentatque*. Prius certe elegantius et gravius. Conf. v. 354. I, 685. II, 822. XV, 519.

350. *Ausonio*, quia illud promontorium Italiae proximum sive contra Italiam situm est. XIII, 727. Mela II. c. 7.

351. Unus Medic., Lips. 2. et Vat. *tenentur*. — 355. *devolvere* sc. superjacentem. Medic. 3. et II Heins. *evolvere*.

356. *silentum*, mortuorum. Cf. XIII, 25. XIV, 411. — *rex*, Pluto. Expressus hic locus ex Hom. Il. XX, 51.

Ἔδδεισεν δ' ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων Ἀϊδωνεύς,
— — — μή οἱ ὕπερθεν
Γαῖαν ἀναῤῥήξειε Ποσειδάων ἐνοσίχθων,
Οἰκία δὲ θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισι φανείη.

Conf. Virg. Aen. VIII, 243 seqq.

357. *latoque*. Ita tacite edidit Heins., quod cod. Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et vett. edd. confirmant. II Bersm., ed. Ven. 2. *lateque*.

360. *atrorum*. Atra omnia, quae pertinent ad inferos. V. 404. — Plurimi codd. Ciof. et quidam Heinsii *evectus*. I Vat. Ciof., I Cael., II Bersm., cum vulg. *vectus*.

361. *ambibat* Pluto fundamina Siciliae, ut Jupiter *moenia mundi* II, 401 seqq. — 363. *Erycina*, Venus, ab Eryce monte Siciliae (II, 221.) ubi nobile fanum habebat. Mela II. c. 7. — *vagantem*, huc illuc secure euntem. II, 409. — Berol. in lit., I Cael., Dresd., Maff. 1. 2., Pal. 2., Par. 2., II Vat. Ciof. cum vulg. *depositoque metu*, quae dura sane constructio est: *postquam .. satis est, depositoque metu*. Cod. Bersm. et aliquot Ciof. *deposuitque metum*. Lips. 1.,

Monte suo residens, natumque amplexa volucrem
„„Arma manusque meae, mea, nate, potentia," dixit
„Illa, quibus superas omnes, cape tela, Cupido,
Inque dei pectus celeres molire sagittas,
Cui triplicis cessit fortuna novissima regni.
Tu superos ipsumque Jovem, tu numina ponti
Victa domas ipsumque, regit qui numina ponti.
Tartara quid cessant? Cur non matrisque tuumque
Imperium profers? Agitur pars tertia mundi.
Et tamen in coelo, quae jam patientia nostra est,
Spernimur, ac mecum vires minuuntur Amoris.
Pallada nonne vides jaculatricemque Dianam
Abscessisse mihi? Cereris quoque filia virgo,
Si patiemur, erit: nam spes affectat easdem.
At tu, pro socio - si qua est ea gratia - regno,
Junge deam patruo." " „Dixit Venus: ille pharetram
Solvit et arbitrio matris de mille sagittis

et IV Heins. *depositusque metus*. Abb., Bas. 2. 3. 4., alter Bersm., Goth. 1. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 2., Sulm., Vrat. et praestantissimi Heins. *depositique metus*, sc. sunt. — *metus* pluraliter, ut *irae*, timores, al.

364. *natus volucris* est Amor alatus, Veneris filius. Pari modo Virg. A. I, 665.

Nate meae vires, mea magna potentia solus,
Nate patris summi qui tela Typhoia temnis.

366. *tela*. Vid. I, 454. seqq. — 367. *molire*, mitte, sed cum notione magnae contentionis. II, 135. Virg. G. 1, 329. de Jove: *fulmina molitur dextra*.

368. *triplicis regni*. Cum pulso Saturno (I, 113.) filii regnum triplex dividerent, fortuna sive sors *novissima cessit* (contigit) Plutoni. Vid. IV, 533. VIII, 596. — Alter Bersm., Berol., Dresd., Pal. 2., Lips. 1. et plurimi Heinsii *novissima mundi*. Goth. 2., Rhen. et Vrat. *mundi f. n. cessit*.

370. *numina ponti*. Ita exc. Cal., Twisd. 1. 2. et nonnulli (?) apud Naug. Reliqui omnes *n. terrae*. prave: nam ita rediret oratio ad Jovem, atque est ea vere Nasoniana repetitio.

372. Liv. I. c. 25. *quippe imperium agebatur*. Hor. Epist. I, 18, 84.

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

373. „*et tamen in coelo*, ubi proximum imperium nostrum est..." Scripturam *quae nostra patientia est* tuentur multi Heinsii et Ciof. et Rhen. Her. I, 75.

Haec ego dum stulte meditor, quae vestra libido est,
Esse peregrino captus amor potes. Her. XVII, 29.
Quae tua nequitia est, non his contenta fuisset.

Vid. Pont. I, 7, 59. Vat. 1. et II Heins. *quo jam:* parum eleganter. Pejor scriptura Berol., unius Cael., Dresd., Flor., Goth. 1., unius Maff., Lips. 1. 2., Sulm. 2., Vrat., plerorumque vett. Heins. et vett. edd. *quoque jam*. — *patientia* h. l. est nimia *tolerantia*, segnities.

374. Neap., Lov. et Jun. *tenuantur*.

375. Pallas ac Diana erant utraeque deae virgines. I, 487. Quaecunque autem virginitati studerent, has sibi abscedere dicit Venus.

377. *patiemur*. Medic., Rhen., Urb., Leid. et III alii Heins. *patiamur*, quod male novavit Heinsius. Vid. ad v. 333. et 530.

378. *Si qua est tibi gratia*. Ita Cant., Medic. 2., Neap. et multi Heins. Parum auctoritatis habet et minus recta ad sententiam est scriptura *si qua est mea gratia*, quam exhibent Goth. 2. a 1. m., unus Gron., Langerm. et unus Voss. — II Leid., unus Stroz. et unus Voss. *si qua est mihi gratia*. Vrat., II Bersm., Goth. 2. et reliqui cum vulg.: *si qua est ea* (q. e. *socii* regni) *gratia*, quae mihi germana Ovidii scriptura esse videtur. Tum scribendum: *At tu, pro socio — si qua est ea gratia — regno, junge* etc. Conf. v. 515. et VI, 440.

379. *patruo*. Ceres erat soror Plutonis (I, 113.), Pluto igitur patruus Proserpinae. Nam *dea* h. l. est Proserpina.

380. *solvit*, aperit detracto operculo, quo tegebatur pharetra. Amor. I, 1, 21. *Gierig*. —

Unam seposuit, sed qua nec acutior ulla
Nec minus incerta est, nec quae magis audiat arcum,
Oppositoque genu curvavit flexile cornu
Inque cor hamata percussit arundine Ditem.
Haud procul Hennaeis lacus est a moenibus altae,
Nomine Pergus, aquae. Non illo plura Caystros
Carmina cygnorum labentibus audit in undis,
Silva coronat aquas, cingens latus omne, suisque
Frondibus ut velo Phoebeos submovet ignes,
Frigora dant rami, varios humus humida flores;
Perpetuum ver est. Quo dum Proserpina luco
Ludit et aut violas aut candida lilia carpit,
Dumque puellari studio calathosque sinumque
Implet et aequales certat superare legendo;
Paene simul visa est dilectaque raptaque Diti:
Usque adeo est properatus amor. Dea territa maesto
Et matrem et comites, sed matrem saepius, ore
Clamat, et, ut summa vestem laniarat ab ora,
Collecti flores tunicis cecidere remissis,
Tantaque simplicitas puerilibus affuit annis,

382. Junge: *nec minus incerta est, nec est* (ulla) *quae magis audiat arcum.* Virg. G. I, 514. *neque audit currus habenas.* Ad totam sententiam conf. I, 66 sqq.

383. Cal. et Priscian. VI, 4, 20. *cornum.* — 384. *Ditem.* IV, 438.

385. *Henna* s. *Enna* oppidum mediae Siciliae, ubi nobilissimum Cereris fanum. Mela II. c. 7. Cic. Verr. IV. c. 48. 49. Liv. XXIV. c. 39. Scriptura *Hennaeis* praeter rem confirmant Par. 2., Flor., Rhen., Vat. 1., Sulm. 1. et nonnullis Heins. Vid. Fast. IV, 455. 462. Reliqui *Aetnaeis.* Conf. Hyg. F. 146. — De forma *Henn.* pro *Enn.* Vid. Schneid. Gramm. Lat. I. p. 194.

386. *nomine Pergus.* Claud. de raptu Proserp. II, 112.

Haud procul inde lacus, Pergum dixere Sicani,
Panditur.

Caystros, fl. Lydiae. Multa de cantu morientium cygnorum fabulati sunt veteres. Vid. not. ad II, 253. Cic. Tuscul. I. c. 30. ubi vid. Kühner. Her. VII, 1.

Sic ubi fata vocant udis abjectus in herbis
Ad vada Maeandri concinit albus olor.

389. *Phoebeos*, Phoebi. I, 10. Conf. III, 183. et VI, 49. - *ut velo*, sc. quo tegebatur theatrum contra injuriam coeli, solem, pluviam, al. Plin. H. N. XIX. c. 1. Juv. Sat. IV, 122. — Medic. 2., Neap. et unus Pal. *ictus*, quod sine causa induxit Heinsius.

390. *varios.* Flor., Medic. 2. et Neap. *Tyrios*, quod idem cupidius novavit Heinsius; mirumque quod non respexerit versum 391. et 392. Fast. IV, 429., ubi eandem rem narrat:

Tot fuerant illic quot habet natura colores,
Pictaque dissimili flore nitebat humus.

395. Fast. III, 21.

Mars videt hanc visamque cupit potiturque cupita.

Vid. not. ad I, 33.

396. Goth. 2., Lips. 1. et III Heins. *usque adeo properatur amor.* Reliqui omnes *usque adeo est properatus amor*, nisi quod II Bersm., Dresd., Pal. 2., Lips. 1. et multi Heins. *est* omittunt. Nec quicquam est, cur priorem scripturam huic optimae scripturae librorum praeferamus. — De illo *usque adeo* cf. VI, 67. 438. VII, 453.

398. *summa - ab ora.* Conf. III, 480. Berol., Briant., Cael. 1. 2., Lips. 1., Sulm. 1. 2. et II Vat. Ciof. *summo - ab ore.* mendose. Cod. Bersm., Goth. 1. 2., Rhen., Sulm. 1. 2., Lips. 2. et ed. pr. *laniabat.* Briant. et Dresd. *laniavit.* Vulg. *laniarat*, quod mutandi caussa non adest.

400. *puerilibus - annis.* Priscian. VI. c. 8. ubi docet, antiquos vocis *puer* femininum dixisse *puera*, laudato nostro loco adjicit: *quod derivatum* (puerili-

Haec quoque virgineum movit jactura dolorem.
Raptor agit currus et nomine quemque vocatos
Exhortatur equos, quorum per colla jubasque
Excutit obscura tinctas ferrugine habenas,
Perque lacus altos et olentia sulfure fertur
Stagna Palicorum, rupta ferventia terra,
Et qua Bacchiadae, bimari gens orta Corintho,
Inter inaequales posuerunt moenia portus.
Est medium Cyanes et Pisaeae Arethusae,
Quod coit angustis inclusum cornibus, aequor.
Hic fuit, a cujus stagnum quoque nomine dictum est,
Inter Sicelidas Cyane celeberrima nymphas;
Gurgite quae medio summa tenus exstitit alvo,
Agnovitque deam, „„Nec longius ibitis", inquit;
„Non potes invitae Cereris gener esse: roganda,
Non rapienda fuit. Quod si componere magnis
Parva mihi fas est: et me dilexit Anapis,
Exorata tamen, nec, ut haec, exterrita nupsi.""
„Dixit et in partes diversas brachia tendens
Obstitit. Haud ultra tenuit Saturnius iram,
Terribilesque hortatus equos, in gurgitis ima
Contortum valido sceptrum regale lacerto

bus) *non pertineret ad feminas nisi etiam puera esset dictum.* De v. *simplicitas* cf. 535. — 402. *nomine quemque.* Cf. II, 192. — Unus Voss. *vocatos.* Multi Heins. *vocatum* vel *vocato.* Prius cod. Bersm. et Vrat. confirmant. Pal. 2. et vulg. *vocando.* Conf. v. 212.

404. *tinctas ferrugine.* Vid. ad v. 360. Heinsius comparat Virg. A. VI, 303. *ferruginea cymba.* Codd. Ciof., II Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Pal. 2., Rhen., Vrat. et nonnulli Heins. *rubigine.*

405. *lacus altos*, ut v. 385. Diomed. p. 304. et Lips. 2. *lacus sacros.*

406. *Palici* erant fratres gemelli, filii Jovis ex Thalia nympha, unde oppidum Siciliae Palica, et lacus nomina habuisse feruntur. Apud illum lacum duo erant fontes calidi. Unde *ferventia.* Macrob. V. c. 19. Interpp. ad Virg. A. IX, 585. Diod. Sic. XI. c. 89.

407. *Bacchiadae* sunt Bacchidis Corinthi tyranni posteri qui Corintho profugi Syracusas condidisse feruntur. Ael. V. H. 1. c. 19. Pausan. Corinth. p. 120. Corinthus autem *bimaris* propter situm inter Aegaeum et Ionium. Conf. VI, 419. VII, 405. — 408. *inaequales.* Syracusae amplum habebant portum occidentem versus et angustiorem versus orientem. Thucyd. IV.

409. *Cyane nympha Najas cum Plutoni obsisteret, in fontis sui aquam ab eo mutatur.*

409. *Arethusa* fons Ortygiae insulae prope Syracusas sitae. Cic. Verr. IV. c. 53. Virg. A. III, 692. Unde *Pisaea* appelletur, explicatur v. 487 seqq. — *medius* cum genit. v. 644. VI, 409. VIII, 182. Hor. Od. II, 19, 28. *medius pacis et belli.* — De hiatu vid. v. 312.

411. Construe: *hic fuit Cyane a cujus nomine st. q. dictun est.*

412. *Sicelidas.* Ita vulg. — Alter Bersm., Goth. 1. et pro v. l. 2., Lips. 1., Rhen. et rimi Heinsii *Sicilides.*

413. *exstitit.* Dresd. *eminet*, ex glossa. Conf. II, 264. XIII, 893. — 414. Goth. 1., Vrat. et quidam Heins. *deum*, quod male edidit Heinsius. namque non quod Plutonem, sed quod raptam Proserpinam agnosceret, nympha ad talem orationem commota est. — De illo *nec* conf. v. 453. et vid. not. ad IX, 131.

415. „*roganda* (tibi Proserpina a Cerere matre), *non rapienda fuit.*"

417. *Anapis* fluvius qui in lacum Cyanen sese exonerat. Inde fabula de connubio. Pont. II, 10, 25.

Hennaeosque lacus et olentia stagna Palici,
Quaque suis Cyanen miscet Anapis aquis.

418. *exterrita* opponitur illi *exorata*, atque est pro *vi coacta.*

420. *tenuit*, compressit. — *Saturnius*, Pluto Saturni filius. I, 113. V, 368.

422. *contortum* i. q. *libratum* v. 142.

Condidit. Icta viam tellus in Tartara fecit
Et pronos currus medio cratere recepit.
At Cyane, raptamque deam contemtaque fontis
Jura sui maerens, inconsolabile vulnus
Mente gerit tacita, lacrimisque absumitur omnis,
Et, quarum fuerat magnum modo numen, in illas
Extenuatur aquas. Molliri membra videres,
Ossa pati flexus, ungues posuisse rigorem,
Primaque de tota tenuissima quaeque liquescunt,
Caerulei crines digitique et crura pedesque:
Nam brevis in gelidas membris exilibus undas
Transitus est. Post haec humeri tergumque latusque
Pectoraque in tenues abeunt evanida rivos;
Denique pro vivo vitiatas sanguine venas
Lympha subit, restatque nihil quod prendere possis.
Interea pavidae nequicquam filia matri
Omnibus est terris, omni quaesita profundo.
Illam non udis veniens Aurora capillis
Cessantem vidit, non Hesperus; illa duabus
Flammiferas pinus manibus succendit ab Aetna
Perque pruinosas tulit irrequieta tenebras;
Rursus, ubi alma dies hebetarat sidera, natam
Solis ad occasus solis quaerebat ab ortu.
Fessa labore sitim collegerat, oraque nulli
Colluerant fontes; cum tectam stramine vidit

424. *cratere*, sc. per ictum illum sceptri aperto.

429. *extenuatur*. Virg. G. IV, 410. *in aquas tenues dilapsus abibit.*

430. *pati flexus*, flexibilia fieri.

431. *tenuissima* i. q. v. 433. *exilia.*

432. *caerulei crines*. Vid. ad I, 275.

434. Rhen. (?) et ed. pr. *tergumque humerique latusque*, quod tacite edidit Heinsius. — 435. *abeunt*, transeunt, mutantur. — 437. Fragm. Klein., Dresd., Goth. 1. et ed. pr. *posses*. Conf. v. 344. VIII, 467. 323. XI, 570.

438. *Ceres filiam quaerens quum in casam agrestem intrasset, puerum ipsam illudentem in stellionem convertit.* Ant. Liberal. c. 24. Cf. Apollod. I. c. 5. Arnob. adv. Gentil. V. p. 174.

439. *profundo*. I, 331. II, 267. IV, 718. — 440. *udis*. Cod. Bersm., Bas. 2., Cant., Medic. 3., Thu., Vat. 1. et multi alii Heins. *rutilis*. Lips. 1. et quidam Heins. *nitidis*. Reliqui *udis*, quam scripturam non probabile est a librariis esse profectam. *Udi* vel madidi autem Aurorae capilli, quia ex oceano (Virg. A. IV, 129.) surgit.

442. *ab Aetna*, ab Aetnae ignibus. Unus Heins. et pro v. l. Goth. 2. *flammifera*. Fast. IV, 49.

Illic (in Aetna) *accendit geminas pro lampade pinus.*

444. *ubi*. Cod. Bersm., Bas. 1., Rhen. et VII Heinsii *ut*, quod mirum videretur cur induxisset Heinsius, nisi idem viginti aliis locis eandem scripturam poetae obtrusisset. Vid. not. ad Her. XV, 1.

445. Vulg. *ab occasu — ad ortus.* perperam: nam non de spatio, sed de tempore ac die h. l. agitur, et praecessit *ubi alma d. h. sidera.* — Berol., Dresd. Goth. 2. a 1. m., Pal. 2., Lips. 2., Vrat. et ed. pr. *ad occasus - ab ortu.* Franc. et XI alii Heins. *ad occasum - ab ortu.*

446. *collegerat*. Ita cod. Bersm., Abb., Berol., Cant., Erf. 1., Goth. 1. 2., Fragm. Klein., Pal. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Sulm. 1. 2., Vrat., plurimi Heins. et ed. pr. — Par. 1. 2. et reliqui *conceperat*. Vid. VI, 341. Virg. Georg. III, 327.

— ubi quarta sitim coeli collegerit hora.

447. *cum tectam*. Berol., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 2. et a corr. 1., Vrat., meliores Heins. et ed. pr. *cum tectam*. Par. 1. 2., Lips. 1. a 1. m. et

Forte casam parvasque fores pulsavit. At inde
Prodit anus, divamque videt, lymphamque roganti
Dulce dedit, tosta quod coxerat ante polenta.
Dum bibit illa datum, duri puer oris et audax
Constitit ante deam, risitque avidamque vocavit.
Offensa est, neque adhuc epota parte loquentem
Cum liquido mixta perfudit diva polenta.
Combibit os maculas, et, quae modo brachia gessit,
Crura gerit, cauda est mutatis addita membris,
Inque brevem formam, ne sit vis magna nocendi,
Contrahitur, parvaque minor mensura lacerta est.
Mirantem flentemque et tangere monstra parantem
Fugit anum latebramque petit, aptumque colori
Nomen habet, variis stellatus corpora guttis.
Quas dea per terras et quas erraverit undas,
Dicere longa mora est: quaerenti defuit orbis.
Sicaniam repetit, dumque omnia lustrat eundo,
Venit et ad Cyanen. Ea ni mutata fuisset,
Omnia narrasset; sed et os et lingua volenti
Dicere non aderant nec, quo loqueretur, habebat.
Signa tamen manifesta dedit notamque parenti,
Illo forte loco delapsam in gurgite sacro,

reliqui *contectam*. — Multi Heinsii *polluerant*. II Heins. *contigerant*.

450. *„dulce dedit ... Dum bibit illa datum.“* — *dulce, quod tosta polenta coxerat*, cinnum dicit, sive potionem confectam tosta polenta, melle, vino, floribus herbisque variis. — Scripturam *tosta* exhibent potiores Heins., Goth. 2., Vrat. pro v. l. et margo Bersm. Reliqui fere omnes *testa*. Vid. Forc. in v. *polenta*.

453. *neque adhuc*, et nondum. Vid. v. 414. — *cum liquido*, cum liquore.

454. Conf. III, 189 seqq.

455. *quae modo*. Berol., Dresd., Goth. 2., Rhen. et III Heins. *qua modo*, quae scriptura etsi simplicior est, *quae modo* tamen mihi ab Ovidio et Ovidiani acuminis esse videtur. *Die Glieder die er eben als Arme trug, traegt er jetzt als Beine.*

459. *parantem*. Ita Dresd., IX e praestantioribus Heinsii, Gron. 1. et Vat. 2. *volentem*. Reliqui cum vett. edd. et vulgata *paventem*, parum apte ad sensum. Contra elegantissime *parantem*: nam quod mater pararet tangere, proxima causa fugiendi.

460. *colori*, sc. maculoso, sive maculis distincto. — *nomen habet*. sc. stellio, inde cum acumine *stellatus*. — Scripturam *latebramque* exhibent Rhen., Vrat., iidem IX Heinsiani et ed. pr. — Reliqui *latebrasque*.

461. *guttis*. Ita Naso saepius pro maculis. Conf. IV, 578. et I, 664.

462. *Ceres cum ex Arethusa Proserpinam raptam cognovisset, supplex Jovem adit; qui ea lege repeti filiam posse respondet, si nullos adhuc gustasset cibos. Ascalaphus autem mali Punici grana eam comedisse indicat eamque ob causam in bubonem mutatur*. Hom. H. in Cerer. 305 seqq. Eurip. Hel. 1243 seqq.

463. *Quaerenti* (filiam) *defuit orbis*, nullus in terrarum orbe superfuit locus ubi quaereret. Cf. III, 237. Vellej. II. c. 53. *cui modo ad victoriam terra defuerat*. — 464. *Sicaniam repetit*, sc. unde erat egressa (v. 442.) et ubi Proserpina rapta erat. V. 385 seqq. — De *Sicania* altera syllaba correpta vid. ad XIII, 724. — *Sicania* Sicilia a Sicanis, qui ex Iberia pulsi in Siciliam transmigrarant. Herod. VII. c. 170. Thucyd. VI. c. 2.

467. *nec quo loq. habebat*. „nec instrumentum habebat, quo vocem emitteret.“ *Gierig*. — Iterum nimius est et lascivit poeta. Scripturam *quo* confirmant et sensus et codd. II Bersm., Abb., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1., Urs. et haud dubie multi Heins., qui eam tacite edidit pro vulg. *qua*.

469. Berol. et exc. Langerm. *illo f.*

Persephones zonam summis ostendit in undis.
Quam simul agnovit, tanquam tum denique raptam
Scisset, inornatos laniavit diva capillos,
Et repetita suis percussit pectora palmis.
Nescit adhuc, ubi sit, terras tamen increpat omnes
Ingratasque vocat nec frugum munere dignas,
Trinacriam ante alias, in qua vestigia damni
Reperit. Ergo illic saeva vertentia glebas
Fregit aratra manu, parilique irata colonos
Ruricolasque boves leto dedit, arvaque jussit
Fallere depositum, vitiataque semina fecit.
Fertilitas terrae, latum vulgata per orbem,
Cassa jacet: primis segetes moriuntur in herbis,
Et modo sol nimius, nimius modo corripit imber,
Sideraque ventique nocent, avidaeque volucres
Semina jacta legunt, lolium tribulique fatigant
Triticeas messes et inexpugnabile gramen.
Tum caput Eleïs Alpheïas extulit undis,
Rorantesque comas a fronte removit ad aures
Atque ait: „„O toto quaesitae virginis orbe
„„Et frugum genitrix, immensos siste labores,
Neve tibi fidae violenta irascere terrae:
Terra nihil meruit patuitque invita rapinae.
Nec sum pro patria supplex; huc hospita veni:

die. Heinsius *in* primum omisit. Sed codd. plerique omnes et vett. edd. addunt, nec obstat consuetudo dicendi. — 470. *summis.* Conf. II, 267. — 473. *repetita.* Cf. IV, 734. et VIII, 772.

474. Berol., Goth. 1., unus Medic., Pal. 1. et unus Voss. *nec scit.* — Reliqui *nescit*, quod genuinum videtur. — 475. *frugum munere.* Vid. v. 341. — 476. *Trinacriam.* Vid. ad v. 346. — 478. Berol., Lips. 1., Sulm. 1. 2. et nonnulli Ciof. *pariterque.* — 480. *depositum.* Semina bene dicuntur deponi in terra, quae si non respondet votis coloni *fallit depositum.* IX, 120. *Gierig.*

482. Maff. 1. 2., Sulm. 1., nonnulli e praestantioribus Heins., Goth. 2. pro v. et Lips. 1. in marg. *falsa*, c. gl. cod. Ambros. *i. e. fallens colonos.* Pal. 2., Par. 1. 2. et reliqui cum vett. edd. *sparsa;* nisi quod Barb. pro v. l. *strata* et Barb. *cassa* q. e. inanis, quod edidit Heinsius. Verum videtur *sparsa*, ut translate dictum sit pro *deleta est.*

484. Heinsius tacite edidit *sideraque ventique nocent*, quod alter Bersm., unus Cael., Goth. 1. 2., unus Maff., Par. 2., unus Sulm., Urs. et II Vat. Ciof. confirmant. Cod. Bersm., Dresd. et Vrat. *sidera quis ventique.* Rhen., Par. 1., Lips. 1. et ed. pr. *sidera cui ventique.* Berol., Lips. 2. et edd. Venn. cum vulg. *sideraque et venti nocent.* Varietas orta, quia librarii illud *que* in *sideraque* produci nollent vel nescirent. Vid. tamen I, 193. — 485. Virg. G. I, 152.

— — *intereunt segetes; subit aspera silva,*
Lappaeque tribulique, interque nitentia culta
Infelix lolium et steriles dominantur avenae.

487. *Eleïs* Arethusa vocatur, quia olim nympha Elidis in Graecia fuerat. *Alpheïas*, quia Alphëus fluvius Elidis (II, 250.) eam amarat, atque, quum subter mare in Siciliam illa fugeret, persecutus erat et ibi aquas suas cum ea miscuerat. Virg. A. III, 694.

— — *Alphëum fama est huc Elidis amnem*
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.

Vid. Sen. Q. N. III. c. 26. Strab. V, 270. Pausan. Eliac. p. 390.

488. *removet comas*, ut IV, 475. Tisiphone colubras. - *rorantes.* Conf. I, 339. — 491. *tibi fidae*, quae tibi fidelis est. — 492. *patuitque invita.* Conf. v. 419 seqq. — 493. *nec sum*

Pisa mihi patria est et ab Elide ducimus ortus,
Sicaniam peregrina colo; sed gratior omni
Haec mihi terra solo est: hos nunc Arethusa penates,
Hanc habeo sedem, quam tu, mitissima, serva.
Mota loco cur sim tantique per aequoris undas
Advehar Ortygiam, veniet narratibus hora
Tempestiva meis, cum tu curisque levata
Et vultus melioris eris. Mihi pervia tellus
Praebet iter, subterque imas ablata cavernas
Hic caput attollo desuetaque sidera cerno.
Ergo, dum Stygio sub terris gurgite labor,
Visa tua est oculis illic Proserpina nostris.
Illa quidem tristis nec adhuc interrita vultu,
Sed reginà tamen, sed opaci maxima mundi,
Sed tamen inferni pollens matrona tyranni.“ “
„Mater ad auditas stupuit, ceu saxea, voces,
Attonitaeque diu similis fuit. Utque dolore
Pulsa gravi gravis est amentia; curribus auras
Exit in aetherias. Ibi toto nubila vultu
Ante Jovem passis stetit invidiosa capillis,
„ „Proque meo veni supplex tibi, Jupiter,“ inquit
„„Sanguine proque tuo. Si nulla est gratia matris,
Nata patrem moveat, neu sit tibi cura, precamur,
Vilior illius, quod nostro est edita partu.
En! quaesita diu tandem mihi nata reperta est;
Si reperire vocas amittere certius, aut si
Scire ubi sit reperire vocas. Quod rapta, feremus,
Dummodo reddat eam: neque enim praedone marito

o patria etc. Ita sibi viam aperit ad rethusae fata narranda. — 494. *Pisa*, is Elidis ad Alphëum fluvium. — IV eins. et ed. pr. *ortum*. Conf. II, 43. **496.** *penates* ac *sedem* cum copia dium de eadem re. — 497. *mitissima* ires, quia fruges et mitia (656.) alimata pro feris dedit IX, 422. **498.** *loco*, patria. — 499. *Ortygia*. d. ad v. 409. — 500. *curisque*. Cant., ued., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., at. et vett. edd. *curaque*. Cod. Bas. Berol. *curasque*. Reliqui (?) *curisque*. *raque levata* aptius respondet illis *tus melioris*. — *tempestiva*. Hora mpestiva mox veniet, v. 573 seqq. **501.** *melioris*, laetioris. Vid. VIII, 677. **502.** *iter*, interiores canales. **503.** *desueta*, quae videre desuevi, ter mare fluens. VII, 646. - *hic*, in tygia. — 504. *Stygio*. Vid. I, 139. e autem loco translate dictum est pro lito gurgite ac profundo. — 507. *mundi* *regni*, ad augendum. XIV, 114. *erna Juno*. Virg. A. VI, 138. *Juno ærna*. — De illo *sed* cum vi repetito vid. ad v. 17. VII, 118. — 509. *ad*. Cf. III, 245. — 510. Trist. I, 3, 13.

Ut tamen hanc animi nubem dolor ipse removit
Et tandem sensus convaluere mei — ubi vid. not.

511. *gravi gravis*. I, 299.

512. *nubila*, moesta. Conf. Trist. V, 3, 14. — 513. *invidiosa*, invidia, odio in Plutonem plena. — Lips. 2., optimi Heins. et ed. pr. *passis*. Reliqui *sparsis*, quod etiam luctus vehementiae aptius est. — 514. *veni supplex*. Dresd. et multi Heins. *supp. veni*. Par. 2., Goth. 1. et VIII Heins. *venio suppl.* Heinsius pro cumulo conjecit *supplex venio*.

515. *proque tuo*. Proserpina erat filia Cereris et Jovis fratris. — 519. *amittere certius*; quia nunc certa erat, raptam eam esse a Plutone.

521. *Si jam mea filia non est*. Neap. et Medic. 2. *si jam mea filia digna est*; ad sensum bene; sed a librariis inventum, qui optimam scripturam librorum non satis perspicerent. Nam omnes vett. libri (praeter quod Goth. 2. et Vrat. *sed*

Filia digna tua est, si jam mea filia non est.““
„Jupiter excepit: „„Commune est pignus onusque
„„Nata mihi tecum; sed, si modo nomina rebus
Addere vera placet, non hoc injuria factum,
Verum amor est; neque erit nobis gener ille pudori.
Tu modo, diva, velis. Ut desint cetera: quantum est
Esse Jovis fratrem! Quid, quod non cetera desunt,
Nec cedit nisi sorte mihi? — Sed tanta cupido
Si tibi discidii est, repetet Proserpina coelum,
Lege tamen certa, si nullos contigit illic
Ore cibos: nam sic Parcarum foedere cautum est.““
„Dixerat. At Cereri certum est educere natam:
Non ita fata sinunt; quoniam jejunia virgo
Solverat et, cultis dum simplex errat in hortis,
Puniceum curva decerpserat arbore pomum,
Sumtaque pallenti septem de cortice grana
Presserat ore suo. Solusque ex omnibus illud
Ascalaphus vidit, quem quondam dicitur Orphne,
Inter Avernales haud ignotissima nymphas,
Ex Acheronte suo furvis peperisse sub antris;
Vidit et indicio reditum crudelis ademit.
Ingemuit regina Erebi, testemque profanum

jam exhibent) consentiunt in: *si jam mea filia non est.* Sensus est: *Si jam m e a filia non est* (digna) *praedone marito, multo minus t u a filia eo digna est;* ut recte locum interpretatus est *J a h n.*

525. *non hoc injuria factum.* Fast. IV, 597. de eadem re:

Jupiter hanc (Cererem) *lenit factumque excusat amore,*
Nec gener est nobis ille pudendus, ait.

Quae sententia repetita est ex Hom. H. in Cerer. v. 23 seqq. — De illo *addere nomina* conf. IX, 357.

527. *tu modo velis*, sc. eum esse nostrum generum. — *ut desint*, ponamus decesse.

528. Heinsius tacite edidit *nec cetera*, quod Berol., Dresd., Rhen. et Lips. 2. confirmant. Mihi nil mutandum videtur: omnis enim vis est in particula *non: ut cetera desint... Quid quod cetera n o n desunt, nec etc.*

529. *sorte.* Vid. ad v. 368. — *Si tanta cupido discidii.* Illustratur Fast. I. l. v. 601.

Sed si forte tibi non est mutabile pectus,
Statque semel juncti rumpere vincla tori.

530. *repetet.* Par. 1. *repetat*, quod edidit Heinsius. Sed futurum decernenti ac certo convenientius. Vid. ad v. 377. Vett. edd. *dissidii.* — 532. *Parcarum foedere.* Quod a Parcis constitutum erat, quasi pro fato erat nec di quidem ipsi mutare valebant.

533. „*At Cereri certum ac destinatum est.*“

535. *simplex*, nil fraudis suspicans. Conf. v. 400.

536. *Puniceum-pomum*, malum Punicum. — 539. Berol., Rhen., Leid. et III alii Heins. *viderat Ascalaphus.* Male. Constructio est: *Ascalaphus vidit quem...; v i d i t et .. a d e m i t.* De repetitione illa vid. XIII, 580. 427. et not. ad Trist. I, 3, 101. — De re conf. Fast. IV, 607. Hom. Od. XI, 372.

540. *Avernales*, infernales. Avernus proprie locus et lacus est Campaniae haud procul a Cumis, ubi aditum ad inferos esse fabulabatur antiquitas. Vid. XIV, 105. Inde *Avernus* pro ipso tartaro. X, 51. — 541. *Acheron* fluvius inferorum. — *furvis sub antris*, ut *furva Proserpina* Hor. Od. II, 13, 31. — 543. *regina Erebi.* Vid. ad 507. — *Erebus*, tartarus. — *testemque profanum.* Meliores (?) Heins. et ed. pr. *profanam*, ut jungatur *profanam avem*, q. e. avem mali ominis. VI, 431. Sed mihi auctoritas omnium codicum audienda videtur. *Testis profanus* est h. l. *testis improbus*, qui conscientia rei male abutitur. Nam scriptura *profanam* prave occupat

Fecit avem, sparsumque caput Phlegethontide lympha
In rostrum et plumas et grandia lumina vertit.
Ille sibi ablatus fulvis amicitur ab alis,
Inque caput crescit longosque reflectitur ungues,
Vixque movet natas per inertia brachia pennas,
Foedaque fit volucris, venturi nuntia luctus,
Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.
Hic tamen indicio poenam linguaque videri
Commeruisse potest; vobis, Acheloïdes, unde
Pluma pedesque avium, cum virginis ora geratis?
An quia, cum legeret vernos Proserpina flores,
In comitum numero mixtae, Sirenes, eratis?
Quam postquam toto frustra quaesistis in orbe;
Protinus, ut vestram sentirent aequora curam,
Posse super fluctus alarum insistere remis
Optastis, facilesque deos habuistis, et artus
Vidistis vestros subitis flavescere pennis.
Ne tamen ille canor, mulcendas natus ad aures,
Tantaque dos oris linguae deperderet usum,
Virginei vultus et vox humana remansit.
At medius fratrisque sui maestaeque sororis
Jupiter ex aequo volventem dividit annum.
Nunc dea, regnorum numen commune duorum,
Cum matre est totidem, totidem cum conjuge menses.
Vertitur extemplo facies et mentis et oris:
Nam, modo quae poterat Diti quoque maesta videri,

id, quo tota narratio infra apte et cum vi concluditur.

544. Phlegethon et ipse fluvius tartari. — *sparsum*. Conf. v. 454. III, 194. — 546. *sibi ablatus*, sua natura ac forma privatus. Conf. VI, 385.

546. Berol., Dresd., Pal. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Sulm. 1. 2., Urs., II Vat. Ciof., Vrat., plerique vett. Heins. et edd. Venn. *in alis*. Sed ego hanc constructionem nusquam reperio. Flor. *operitur ab alis*. Urb. *coperitur ab a*. Margo Bersm. et vulg. *ab alis*, quod Latinum esse non est dubium. VI, 654. *suspensus ab ansa*. Vid. Hand. Tursel. I. p. 27.

547. *in caput crescere*, ut apud Virg. *in ventrem*. — *longos ungues*. Vid. ad I, 332. — 548. *per-brachia*, pro abl. instrumenti, quod etiam ex illo *inertia* apparet. Conf. v. 675. — 550. *dirum omen*. Cf. VI, 431. Plin. H. N. X. c. 12.

551. *Sirenes Acheloi Aetoliae fluvii* (VIII, 549.) *filiae et Proserpinae comites in aves mutantur, servata canora voce et in superiori corporis parte figura virginea*. XIV, 88. Hyg. F. 141. 127. Claud. R. Pros. 254.

554. Heinsius tacite edidit: *vernos-flores*, quod Berol., Dresd., Rhen., Lips. 1. 2. et ed. pr. confirmant. Vulg. *flores-vernos*.

555. *in c. numero mixtae*. Rarior structura: nam vulgo dicitur *miscere alicui*, *aliquo* et *cum aliquo*. Vid. III, 423. Virg. A. V, 470. *mixtos in sanguine dentes*. — Deteriores codd. Heins. et ed. pr. *doctae Sirenes*.

559. *faciles*, placidos, qui vos audirent.

560. *subitis*. III, 12. — 561. *natus ad*. Vid. ad IX, 186.

562. *deperderet*. Cod. Bersm., Berol., Arg., II Leid., Lov. et multi Heins. *ne perderet*.

564. *Medius* cum gen. vid. 644. et VI, 409. — 565. *ex aequo*, aequaliter. Vid. ad Trist. V, 14, 42. — *volventem* Homericum περιπλόμενον: nam *volvere* h. l. sensu reciproco, ut saepe verba motum significantia. Vid. interpp. ad Virg. A. I, 104. et ad Lucret I, 787. et 1090.

568. *vertitur-facies et mentis et oris*. Idem fere de eadem re Fast. IV, 615.

Tum demum vultusque Ceres animumque recepit.

569. *Diti quoque* tristissimo, cujus

— — caput moestissima nubes.

Laeta deae frons est: ut sol, qui tectus aquosis
Nubibus ante fuit, victis ubi nubibus exit.
Exigit alma Ceres, nata secura recepta,
Quae tibi causa fugae? cur sis, Arethusa, sacer fons?
Conticuere undae: quarum dea sustulit alto
Fonte caput, viridesque manu siccata capillos
Fluminis Eleï veteres narravit amores.
„„Pars ego nympharum, quae sunt in Achaïde," dixit
„Una fui, nec me studiosius altera saltus
Legit, nec posuit studiosius altera casses.
Sed quamvis formae nunquam mihi fama petita est,
Quamvis fortis eram; formosae nomen habebam.
Nec mea me facies nimium laudata juvabat,
Quaque aliae gaudere solent, ego rustica dote
Corporis erubui crimenque placere putavi.
Lassa revertebar - memini - Stymphalide silva,
Aestus erat magnusque labor geminaverat aestum;
Invenio sine vortice aquas sine murmure euntes,
Perspicuas ad humum, per quas numerabilis alte

Asperat et dirae riget inclementia formae.
Claudian. R. P. I, 81.

570. *deae*, Proserpinae.

571. *ubi nubibus*. Ita plurimi Heins., Berol., Goth. 2., Rhen., Vrat. et ed. pr.; Ambr. *cum nub.* Goth. 1. et unus Leid. *nisi n.*, IV Heins. *modo n.*, Medic. *mox n.*, Lips. 1. *ex nub.* — Goth. 2. pro v. l. et vulg. *e nubibus*. Non male.

572. *Arethusa Cereri jam de filia securae* (vid. v. 499.) *narrat, quomodo ipsa in fontem conversa sit.* Pausan. V. c. 7. Plin. H. N. III. c. 8.

572. *recepta*. Cant., Erf. 1., Thu. et VII alii Heins. *reperta*. At recte habet *recepta*, cum impetrasset, ut cum ipsa per sex anni menses filia esset.

573. *fugae*. Cod. Bersm., Bas. 3. 4., Berol., Goth. 1., I Maff., Rhen., Lips. 1. 2., I Sulm., I Vat., Vrat. et meliores Heins. *viae*. Sed cum Arethusa ante (v. 493. et 494.) patriam se reliquisse dixisset vereque fugisset, mihi elegantior videtur scriptura reliquorum librorum *fugae*. — 574. *conticuere undae*, sc. nympha, illarum undarum dea, narratura.

575. *viridesque - capillos*. Conf. II, 12. De accusativo *capillos* vid. ad I, 332.

576. *Flum. Eleï*, Alpheï. Vid. v. 487. Scripturam *Eleï* tenent cod. Bersm., Berol., Cael., Rhen., Lips. 1., I Sulm., I Vat., Vrat. et meliores Heinsii. Item Dresd. et Lips. 2. qui *helei*. Reliqui *Alpheï*, ex interpretamento. — *Elëum* autem *flumen*, quia Eleorum fines alluit et supra Cyllenen, Eleorum navali in mare effunditur. Pausan. V. p. 389. s. 399. VIII. p. 709. Virg. A. III, 694.

Alphëum fama est huc (Ortygiam)
Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.

Vid. Stat. Silv. I, 3, 68.

577. *pars ego nymph.* — *una fui.* Conf. II, 498.

579. *legit*, elegit. II, 498. De repetitione illa vid. ad VI, 16.

580. De *quamvis* cum indic. vid. ad IX, 471. - *quamvis fortis eram* sc. quod cum pulcritudine raro conjunctum est. — 583. *rustica*, stulta sive qua eram simplicitate.

585. *Stymphalus* mons, fluvius et lacus Arcadiae. De re conf. II, 455. III, 161. IV, 297.

586. *magnusque*. Alii edunt *magnumque*, cum Rhen., Goth. 1. 2., II Bersm., Dresd., Lips. 1., Vrat., melioribus Heins. et ed. pr. Sed concinnior certe est oratio, si *aestus* simpliciter, non addito adjectivo repetitur. Aptissimum quoque *magnus labor* illi *geminaverat*.

588. *ad humum*. Sic plurimi codd. Est enim *ad humum* i. q. IV, 297. *ad imum solum*. Berol., Gron. 1., Medic. 2., Pal. 2., Vat. 1., nonnulli Heins. et ed. pr. *ad imum*, quae varietas nata videtur e vetere scriptura *ad umum*, quam exhibet Pal. 2. a correctore.

Calculus omnis erat, quas tu vix ire putares.
Cana salicta dabant nutritaque populus unda
Sponte sua natas ripis declivibus umbras.
Accessi, primumque pedis vestigia tinxi,
Poplite deinde tenus; neque eo contenta recingor
Molliaque impono salici velamina curvae,
Nudaque mergor aquis. Quas dum ferioque trahoque
Mille modis labens excussaque brachia jacto,
Nescio quod medio sensi sub gurgite murmur,
Territaque insisto propioris margine ripae.
„Quo properas, Arethusa?“ suis Alphëus ab undis,
„Quo properas?“ iterum rauco mihi dixerat ore.
Sicut eram fugio sine vestibus: altera vestes
Ripa meas habuit. Tanto magis instat et ardet,
Et, quia nuda fui, sum visa paratior illi.
Sic ego currebam, sic me ferus ille premebat:
Ut fugere accipitrem penna trepidante columbae,
Ut solet accipiter trepidas urgere columbas.
Usque sub Orchomenon Psophidaque Cyllenenque
Maenaliosque sinus gelidumque Erimanthon et Elin
Currere sustinui, nec me velocior ille.
Sed tolerare diu cursus ego, viribus impar,
Non poteram: longi patiens erat ille laboris.
Per tamen et campos et opertos arbore montes,

589. *putares*. Conf. VI, 23.

590. *cana*. Plenius Virg. G. II, 3. *glauca canentia fronde salicta*.

591. *sponte sua natas - umbras*. Ad umbras transfert, quod proprie arborum erat. — 592. *pedis vestigia*, plantas. II, 871. Ad sententiam conf. II, 457. et IV, 343.

594. *mollia*. Vid. XV, 118.

595. *trahoque*. trahit aquas dum brachia versus corpus retrahit. *Gierig*.

596. *excussaque br. jacto*. Her. XIX, 48.

Lentaque dimotis brachia jactat aquis.

598. *margine ripae*. Ita Bas. 1.-2., Berol., unus Maff., Lips. 2., Sulm. 1. 2., II Vat. Ciof. et meliores Heins. Vid. not. ad Her. V, 27. — Vulg. *margine fontis*. — 599. Cod. Bersm., Bas. 3., Cant., Vrat. et VIII Heins. *in undis*.

600. *rauco*, e natura rapidorum fluminum. XI, 783. Fast. V, 637.

Tibris arundiferum medio caput extulit alveo,
Raucaque dimovit talibus ora sonis.

Ad plusquamperf. illud conf. III, 380. IV, 225.

601. *sicut eram*. Cf. IV, 473. VI, 244.

603. *paratior*, sc. ad copiam mei faciendam. — 604. *premebat*, instabat, insequebatur.

605. Codd. Ciof., Dresd., Goth. 2., Pal. 2. et Rhen. inverso ordine: *ut solet accipiter, ut fugere accipitrem*. Ad rem conf. I, 506. *urgere* apte respondet illi *premebat* v. 604. Conf. XI, 774. — Cant., Bas. 1., unus Sulm., multi Heins. et quidam Ciof. *agitare*, e pravo interpretamento.

607. *Orchomenos*, *Psophis* et *Elis* sunt oppida Peloponnesi. *Cyllene*, *Maenalus* et *Erymanthus* montes Arcadiae. Mela II. c. 3. — De spondeo in quinto pede vid. ad I, 62. — Heinsius tacite edidit: *Psophidaque*, quod Berol., Rhen. et Lips. 2. confirmant. Plurimi cum ed. pr. et Venn. *Sophidaque*. — *Psophida* paenultimam producit quam alibi corripit, ut in peregrino nomine proprio. Vid. ad 619. ad VI, 11.

608. *sinus*, flexus quos montes faciunt. Plin. N. H. V. c. 31. *sinuosus flexibus Maeander*.

609. Unus Sulm. *velocior ibat*.

610. De re conf. I, 525 seqq.

612. *et opertos*. Berol., Dresd., Vrat., Rhen. et ed. pr. *per opertos*, quod tacite edidit Heinsius. Perperam, propter quod antecedit *et campos*.

Saxa quoque et rupes et qua via nulla cucurri.
Sol erat a tergo, vidi praecedere longam
Ante pedes umbram; nisi si timor illa videbat;
Sed certe sonituque pedum terrebar, et ingens
Crinales vittas afflabat anhelitus oris.
Fessa labore fugae „„Fer opem, deprendimur!“ inquam,
„„Armigerae, Diana, tuae, cui saepe dedisti
Ferre tuos arcus inclusaque tela pharetra.“ “
Mota dea est, spissisque ferens e nubibus unam
Me super injecit. Lustrat caligine tectam
Amnis et ignarus circum cava nubila quaerit,
Bisque locum, quo me dea texerat, inscius ambit,
Et bis „Io Arethusa! Io Arethusa!“ vocavit.
Quid mihi tunc animi miserae fuit? Anne quod agnae,
Si qua lupos audit circum stabula alta frementes,
Aut lepori, qui vepre latens hostilia cernit
Ora canum, nullosque audet dare corpore motus?
Non tamen abscedit; neque enim vestigia cernit
Longius ulla pedum: servat nubemque locumque.
Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus,
Caeruleaeque cadunt toto de corpore guttae,
Quaque pedem movi, manat lacus, eque capillis
Ros cadit, et citius, quam nunc tibi facta renarro,
In latices mutor. Sed enim cognoscit amatas
Amnis aquas, positoque viri, quod sumserat, ore

613. *saxa quoque et*. Hamb. alter et III Heins. *saxaque per rupes*. Barb. *saxa per et rupes*.

615. *umbram*, sc. insequentis Alpheï. — *nisi si*. Conf. v. 20.

616. *terrebar*. Multi Heinsii, Par. 2., Lips. 1. et ed. pr.: *sonitusque pedum terrebat*. Vulg. *sonituque pedum terrebat*. Receptam scripturam confirmant multi Heins., cod. Bersm., Berol., Dresd., Par. 1., Rhen., Lips. 2., Vrat. et edd. Venn.

617. *adflabat anhelitus*, ut I, 542.

619. *Dictynna*, (nam vulgo nunc sic editur) est Diana. II, 441. — Sed script. *Dictynna* nonnisi VIII Heinsii exhibent; reliqui omnes cum vett. edd. *Diana*, quod genuinum videtur: nam *Diana* primam etiam producit. Vid. VIII, 353. — *dedisti ferre*. Conf. v. 660. I, 307. 487. VII, 692.

621. *spissisque*. Ita Heinsius tacite edidit, quod Bas. 1. 3., Abb., Ern., 1 Maff., Lips. 2., 1 Sulm., II Vat. Ciof., pro v. l. Lips. 1. et Vrat. confirmant et apte respondet illi *caligine tectam* v. 622. Reliqui vett. libri *sparsisque*.

622. *lustrat*. Virg. A. XII, 466.

— — *solum densa in caligine Turnum*
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.

625. *Io Arethusa*. Hiatus post interjectionem et ante nomen proprium. Vid. C. Schneider Gramm. L. I. p. 140. Conf. Met. V, 409. 312. et not. ad III, 184.

626. Conf. VII, 582. et I, 358. Goth. 2., Rhen. et ed. pr. *agnae est*. „*anne* (id animi) *quod agnae* (est), *si qua* . .“

627. *alta*. Vid. ad VI, 521. — *si qua*, quae.

629. *dare motus*, ut *dare saltus* III, 599. IV, 552.

631. *servat*, non ex oculis dimittit, cupide spectat. — Nonnulli Heinsii *longius ire pedum*. Reliqui omnes cum vett. edd. *longius ulla*, quod etiam gravius est.

635. *facta*. Ita Berol., Dresd., Goth. 1., Par. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Sulm. 1. 2., Vrat., deteriores Heins. et ed. pr. — Meliores Heins. et reliqui cum vulg. *fata*. Mihi placet *facta*, q. e. totam rem ut accidit: *fata* magis ad eventum spectant, qui jam demum sequitur. — *renarro*, narrando repeto.

636. *in latices*. Rhen. *in laticem*, quod tacite edidit Heinsius.

Vertitur in proprias, ut se mihi misceat, undas.
Delia rupit humum. Caecis ego mersa cavernis
Advehor Ortygiam, quae me cognomine divae
Grata meae superas eduxit prima sub auras.“ “
„Hac Arethusa tenus. Geminos dea fertilis angues
Curribus admovit frenisque coërcuit ora,
Et medium coeli terraeque per aëra vecta est,
Atque levem currum Tritonida misit in urbem
Triptolemo, partimque rudi data semina jussit
Spargere humo, partim post tempora longa recultae.
Jam super Europen sublimis et Asida terram
Vectus erat juvenis; Scythicas advertitur oras.
Rex ibi Lyncus erat: regis subit ille penates;
Qua veniat, causamque viae nomenque rogatus
Et patriam „„Patria est clarae mihi“ dixit „Athenae,
„Triptolemus nomen, veni nec puppe per undas
Nec pede per terras: patuit mihi pervius aether;
Dona fero Cereris, latos quae sparsa per agros
Frugiferas messes alimentaque mitia reddant.“ “
„Barbarus invidit, tantique ut muneris auctor
Ipse sit, hospitio recipit, somnoque gravatum
Aggreditur ferro. Conantem figere pectus
Lynca Ceres fecit, rursusque per aëra jussit

638. *in proprias*, h. e. sui fluminis.

639. *Delia*, Diana, ut Apollo frater *Delius* I, 454. — *rupit*, perrupit, aperuit, sc. ut fugere possem. Cf. 257. — *caecis*, obscuris. XV, 299. — Heinsius sine omni causa et auctoritate codicum novavit *rumpit*. — Abb., Cael., Maff. 1. 2., Lips. 2., Sulm. 1. 2., Urs. et vett. edd. *caecisque ego*. Sed altera scriptura etiam elegantior videtur.

640. „*advehor* (ex Arcadia) *Ortygiam* (in Sicilia apud Syracusas).. “

641. *diva ejus* Diana est (v. 619.), quae et ipsa *Ortygia* vocatur. I, 694. Sed Abb., Cael., Dresd., Goth. 2., Lips. 1. 2., unus Sulm., II Vatt. Ciof., plurimi Heins. et edd. Venn.: *grata mihi*, quod genuinum videtur.

642. *Hac Arethusa tenus*. Virg. A. VI, 62. *Hac Trojana tenus*. De Cereris curru anguibus juncto VIII, 799. VII, 219. Fast. IV, 497. *frenatos curribus angues jungit*. Vid. Hyg. et Apollod. d. l. — *dea fertilis* Ceres, quia dea fertilitatis et frugum. Conf. not. ad v. 497.

642. *Ceres Triptolemo Celei Eleusinii regis filio ministro agri culturam turbatam restituit, et Lyncum regem, cum Triptolemo insidias strueret, in lyncem convertit*. Apollod. I. c. 5. Hyg. F. 147. et 259. 277. Poet. Astron. II. c. 14. Pausan. Attic. p. 34. Corinth. p. 143. Conf. Fast. IV, 507 seqq.

644. *per aëra medium coeli et terrae*. Vid. ad v. 409. — Gron. 1. *fertur*.

645. *Tritonida-in urbem*, in urbem Minervae, q. e. *Athenas*. II, 794. et 709. — Tres Heins. *in arcem*, quorum incertorum codicum non tanta est auctoritas, ut optimam vulgatam mutandam putem. Fluxisse videtur e II, 794.

646. *rudi*, cultus ac segetum frugumque adhuc experti. *recultae post tempora longa*, cultu sc. diu intermisso.

648. *Asida terram*, Asiam. Thu. *terras*, quam scripturam sine causa induxit Heinsius, contortam dico pro simplici et eleganti. Conf. IX, 447. — Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 1. et ed. pr. *Europam*.

649. *Scythicas*. Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. et meliores Heins. *que* omittunt. Recte. Reliqui *Scythicasque*. De *Scythia* I, 108. De constructione conf. v. 294. — De dictione *oras adverti* vid. III, 598. Virg. A. VII, 216. *urbem afferimur*.

651. *qua veniat*. His respondet quod sequitur: *veni nec puppe — aether*. Flor., unus Gron., Vat. et ed. pr. *quid*. prave. — 656. *mitia*. Conf. not. ad v. 497. — 660. *jussit*. Jun., unus Heins. et fragm. Voss. *misit*, ex pravo inter-

Mopsopium juvenem sacros agitare jugales.“ “
„Finierat doctos e nobis maxima cantus.
At nymphae, vicisse deas Helicona colentes,
Concordi dixere sono. Convicia victae
Cum jacerent, „„Quoniam“ dixit „certamine vobis
Supplicium meruisse parum est maledictaque culpae
Additis, et non est patientia libera nobis;
Ibimus in poenas et, quo vocat ira, sequemur.“ “
„Rident Euippides spernuntque minantia verba,
Conataeque loqui et magno clamore protervas
Intentare manus, pennas exire per ungues
Adspexere suos, operiri brachia plumis
Alteraque alterius rigido concrescere rostro
Ora videt, volucresque novas accedere silvis;
Dumque volunt plangi, per brachia mota levatae
Aëre pendebant, nemorum convicia, picae.“

pretamento: non enim is itineris finis, ut istos dracones agitaret, sed ut agriculturam per terras propagaret.

661. *Mopsopium juvenem*, Triptolemum. Vid. VI, 423. — *sacros*, quia erant Cereris. Vid. v. 645.

662. *Pierides a Musis in picas conversae.*

662. *E nobis maxima.* Vid. v. 337—339. Pro *doctos* Goth. 1., Medic. 1., Pal. 1. et X Heins. *dictos*, q. e. modo a me tibi recitatos. Lips. 1. *dictis*. Sed *doctos* et multo majorem habet auctoritatem codicum, et h. l. aptissimum est etiam propter sequentia: *at nymphae vicisse deas*. .

663. *nymphae.* Vid. v. 317. — *Deae Helicona colentes*, Musae. V. 254.

664. *convicia — jac.* Prop. III, 8, 11. *Quae mu'ier rabida jactat convicia lingua.*

665. *dixit.* Berol., Dresd., Goth. 1., Rhen., Lips. 1., praestantiores Heins. et ed. pr. *dixit.* Vulg. *dixi*, quod aliis genuinum videtur; dicere enim hoc minus decere maximam Musarum, Calliopen, ut quae ipsa cecinisset, quam eam Musam, quae totam fabulam narrasset. Sed pari momento opponi potest, consentaneum esse, quae offensa et laesa maxime esset ab convicia etiam jacientibus Pieridibus, hanc quoque vindictam sumere. Scripturam *cum jacerent* confirmant cod. Bersm., Bas. 1., Berol., Erf. 1., Flor., Medic. 2., Neap., Pal. 1., Par. 1., Rhen., Urb., Vrat. et X Heins. — Goth. 1. *dum jacerent*. Reliqui *cum facerent*.

667. „*non est pat. libera nobis*, sed suos fines habet.“

668. *quo.* Ita Goth. 2., Rhen., Lips. 1. et VH Heins. — Vulg. *qua*. Her. XII, 209. *quo feret ira, sequor.* — *ire in poenas*, accedere ad puniendum.

669. *Euippides. Emathides* Pierides dici possent, quia pater earum, Pierus, rex Emathiae fuit. Vid. 313. et 303. Sed haec scriptura non est codicum, sed conjectura Heinsii. Nam codices Sulm. 1. et Dresd. *Pierides*; IV prave *Thespiades*. Plerique *Euippides*, aut corruptas scripturas, ex hoc nomine natas, ut *Enippides, Aenipedes, Anipedes*, al. — *Euippides* a matre Pieridum, quae erat *Euippe*. Vid. v. 303. Pro *minantia* Par. 2., Flor., Neap., Berol. et Rhen. *minacia*, quod temere induxit Heinsius, uti etiam I, 91. IV, 358. al.

670. Par. 2., Flor., Medic. 1. et Neap. *magno et cl.* — II Bersm., Dresd., Goth. 1., Lips. 1., multi Heins. et ed. pr. *et* omittunt. — 672. Goth. 2. et edd. Venn. *operiri et br.* — Cod. Bersm., Berol., Goth. 2., Rhen. et Vrat. *pennis*.

673. *concrescere.* Lov. *occallescere*, ex XIV, 282.

674. *videt.* Erf. alter et Goth. 2. *vident*, quod temere edidit Heinsius. Vid. v. 162.

675. *plangi*, se plangere doloris sive luctus causa. VIII, 528. — Receptam scripturam *dumque volunt plangi* habent meliores Heinsii magno numero, Berol., Dresd., Goth. 2., Lips. 2., Vrat. et ed. pr. — Reliqui *plangere dumque volunt*; nisi quod Rhen. *dumque volunt plangere* et I Sulm. *plaudere dumque volunt*. Conf. XI, 75. — *per brachia.* Conf. v. 548.

676. *nemorum convicia* pro appositione accipienda: nimirum quia convicia

Nunc quoque in alitibus facundia prisca remansit,
Raucaque garrulitas studiumque immane loquendi.

per nemora reddunt sive maledicunt, ipsae *nemorum convicia* vocantur. Conf. v. 550. — De illo *pendebant* conf. VIII, 145. — 677. *facundia*, facultas loquendi. Conf. 254. — „*remansit* tempus praesens rei perfectae.“ *Gierig*. Cf. IV, 750. Ceterum versus 677. 678. non sunt Musae narrantis, sed poetae. Conf. IV, 802. 803. 750.

678. *rauca*, absona et obtusa, quales sunt soni picarum, quae verba eloqui dicerunt. — Abb., unus Sulm., unus Vat. Ciof. *inane*.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER SEXTUS.

Praebuerat dictis Tritonia talibus aures,
Carminaque Aonidum justamque probaverat iram.
Tum secum: „Laudare parum est: laudemur et ipsae,
„Numina nec sperni sine poena nostra sinamus.“
Maeoniaeque animum fatis intendit Arachnes,
Quam sibi lanificae non cedere laudibus artis
Audierat. Non illa loco nec origine gentis
Clara, sed arte fuit. Pater huic Colophonius Idmon
Phocaïco bibulas tingebat murice lanas.
Occiderat mater; sed et haec de plebe suoque
Aequa viro fuerat. Lydas tamen illa per urbes
Quaesierat studio nomen memorabile, quamvis

1. *Minerva Arachnen Lydiam lanificii arte superbienten ad texendi certamen provocat. Ergo utraque telam instituerunt, ac Minerva intexuit, ut olim, quum cum Neptuno de Athenis certaret, Neptunus tridentis ictu fretum, ipsa autem olivam protulerit ac vicerit; deinde intexuit Rhodopae et Haemonis in montes, Pygmaeae in gruem, Antigonae in ciconiam et Cinyrae filiarum in gradus templi transformationes. Arachne intexuit varia deorum furta atque transformationes: quae opere confecto in araneam a Minerva convertitur. —*

1. *Dictis talibus.* V, 334 — 678. — Heinsius ex uno Par. 2. temere edidit *aurem.* Sed vid. V, 334. Conf. III, 692. XV, 465. Pont. II, 9, 25. Art. A. II, 347. — *Tritonia.* II, 783.

2. *Aonidum.* V, 333. — *justamque iram.* V, 662 seqq.

3. Dura sane ad narrationem de Arachnes fato transitio. — *laudare* respondet illi *probaverat.* — *laudemur* oratio est excitantis et constituentis.

5. *Maeoniae* h. e. Lydiae: nam Maeonia vetus nomen Lydiae. II, 252. III, 583. — *intendit.* Unus Heins. *incendit.* Trist. IV, 1, 4.

Mens intenta suis ne foret usque malis.

Hor. Ep. I, 2, 36.

Intendes animum studiis et rebus honestis.

7. *loco.* Conf. v. 13.

8. *Idmon* h. e. ἴδμων, *peritus.* Colophon nobile Ioniae oppidum.

9. *murex* genus conchae, cujus e succo purpureum colorem conficiebant. — *Phocaïco*, quia apud Phocaeam, urbem Ioniae ad mare sitam, inveniebatur. Conf. XI, 166. V, 51. Liv. XXXVI. c. 31. — *bibulas.* Conf. IV, 730. 744.

11. *Lydas.* Ita Berol., Rhen., Par. 1. et nonnulli Heins. — Reliqui *Lydias.* Sed Naso primam vocis *Lydia* producit (VI, 146.), et *Lydus* quoque est XI, 98. Vid. Her. IX, 54. et Fast. II, 356. et not. ad Met. XIII, 692. et 724.

12. *studio*, sc. artis lanificae. — *quamvis* cum indic. Vid. not. ad IX, 471. et V, 580. — *quaesierat*, acquisiverat.

Orta domo parva parvis habitabat Hypaepis.
Hujus ut adspicerent opus admirabile, saepe
Deseruere sui nymphae vineta Tymoli,
Deseruere suas nymphae Pactolides undas.
Nec factas solum vestes spectare juvabat;
Tunc quoque, cum fierent; tantus decor affuit arti:
Sive rudem primos lanam glomerabat in orbes,
Seu digitis subigebat opus repetitaque longo
Vellera mollibat nebulas aequantia tractu,
Sive levi teretem versabat pollice fusum,
Seu pingebat acu: scires a Pallade doctam.
Quod tamen ipsa negat, tantaque offensa magistra
„Certet" ait „mecum; nihil est, quod victa recusem."
Pallas anum simulat, falsosque in tempora canos
Addit, et infirmos baculo quoque sustinet artus.
Tum sic orsa loqui: „Non omnia grandior aetas,
„Quae fugiamus, habet; seris venit usus ab annis.
Consilium ne sperne meum. Tibi fama petatur
Inter mortales faciendae maxima telae;
Cede deae, veniamque tuis, temeraria, dictis
Supplice voce roga: veniam dabit illa roganti."
Adspicit hanc torvis inceptaque fila relinquit,
Vixque manus retinens confessaque vultibus iram,

13. *Hypaepa*, parva urbs Lydiae ad Tmolum montem. XI, 152. Strab. XIII. c. 4. Poëtae autem dicunt etiam *Tymolus*. II, 217. Steph. Byz. *Τύμωλος, οὕτως ὁ Τμῶλος κατὰ ποιητικὸν σχηματισμόν.* Plin. N. H. V. c. 29. *Tmolus qui antea Tymolus appellabatur.* — *Vineta* Tmoli memorat poeta etiam XI, 86. et Fast. II, 313. Plin. H. N. XIV. c. 7. Virg. G. I, 92. — Multi Heins. *dumeta, spineta* vel *pineta*.

16. *Pactolus* fl. Lydiae aurifer, qui e Tmolo oriebatur. XI, 85. 87. Strab. XIII. c. 4. Ceterum hujusmodi repetitiones Naso in deliciis habet. Vid. I, 325. 326. VI, 419. 420. IX, 488. 489. V, 578. 579.

17. *nec*. Berol., Par. 1. 2. et multi Heins. *non*.

18. „*Nec solum factas s. perfectas vestes spectare* (eas) *juvabat;* (sed) *tunc quoque* (spectare juvabat), *cum fierent: tantus* (enim) *decor affuit arti.*" Conf. IV, 230. Jam artis partes enumerat. — Berol., Rhen. et Lips. 1. *tum*, quod tacite edidit Heinsius.

19. *orbes* sunt lanei globi.

20. *subigebat*, tractabat. Dicta sunt haec de carminando; quod ita fiebat, ut lanam per ferreum pectinem traheretur. Vid. ad IV, 34. — *repetita longo tractu* pro repetitis longis tractibus.

21. *mollire*, tenuia reddere.

22. Conf. IV, 34. 221. — *levi*, agili. *teretem:* nam fusus conficiebatur ex junco. Plin. H. N. XI. c. 23.

23. *scires*, ut I, 162. V, 589. — Verbis *scires — doctam* non modo laudatur ab arte, sed etiam impudentia ejus simul notatur in magistram. *Gierig.*

24. *tantaque offensa magistra*, i. e. offensa, quod a Pallade, etsi tanta esset magistra, didicisse artem putabatur.

26. *Pallas anum sim.* Conf. III, 274 seqq. — Par. 1. 2. et IX Heins. *ad tempora*. Sen. Thyest. v. 995. *noxque se in noctem addidit*, ubi vid. Gron.

28. *tum*. Ita Berol., Goth. 1. 2., Rhen. et Lips. 2., quod tacite edidit Heinsius. Conf. v. 43. Vulgo *tunc*. Nonnulli Heins. *cum*.

29. *usus*, experientia. Cic. de Senect. c. 19. *mens enim et ratio et consilium in senibus est.*

31. *telae*. Dresd., Goth. 1., Lips. 2., multi Heins. et ed. pr. *lanae*. Reliqui *telae*. Illud librarii posuerunt, qui scirent, omnem hanc artem *lanificium* dici. *Jahn.*

34. *torvis*, sc. oculis. V, 92. — Pauci codd.: Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 1. 2., Lips. 1. 2. et ed. Ven. 2. et Parm. *reliquit*, quod edidit Heinsius.

35. *manus*. Berol., Dresd., Rhen., Lips. 1. 2. et ed. pr. *manum*, quod tacite edidit Heinsius: sine omni causa.

Talibus obscuram resecuta est Pallada dictis:
„Mentis inops longaque venis confecta senecta,
Et nimium vixisse diu nocet! Audiat istas,
Si qua tibi nurus est, si qua est tibi filia, voces:
Consilii satis est in me mihi, neve monendo
Profecisse putes, eadem est sententia nobis.
Cur non ipsa venit? Cur haec certamina vitat?“
Tum dea „Venit!“ ait, formamque removit anilem
Palladaque exhibuit. Venerantur numina nymphae
Mygdonidesque nurus; sola est non territa virgo;
Sed tamen erubuit, subitusque invita notavit
Ora rubor rursusque evanuit; ut solet aër
Purpureus fieri, cum primum aurora movetur,
Et breve post tempus candescere solis ab ortu.
Perstat in incepto, stolidaeque cupidine palmae
In sua fata ruit: neque enim Jove nata recusat,
Nec monet ulterius, nec jam certamina differt.
Haud mora, consistunt diversis partibus ambae,
Et gracili geminas intendunt stamine telas.
Tela jugo juncta est, stamen secernit arundo,

Conf. IX, 576. — *Confiteri iram* pro *prodere*, ut Trist. II, 525.

— — *vultu fassus Telamonius iram.*

Trist. I, 4, 11.

Navita confessus gelidum pallore timorem.

Confiteri igitur etiam in eo dicitur, qui non sponte ac judicio prodit.

36. *obscuram*, sub forma anus latentem. — De *resecuta est*, q. e. respondit, conf. VIII, 866. XIII, 749.

37. Berol. et unus Mor. *defessa.*

38. *nocet*, explicatur versu praecedenti. – *audiat nurus, filia*, i. e. tu mone in domo tua nurus et filias, non me: nam *consilii satis est in me mihi.*

41. *eadem*, quae etiam ante fuit. V. 24. 25. A Dresd. et Rhen. *est* abest, quod Heinsius tacite omisit.

43. *vēnit* cum vi respondet illi *vĕnit* v. 42.: *sie ist* (schon) *gekommen.* — Cod. Bersm., Dresd., Goth. 2., Rhen. et edd. Venn. *tunc.*

44. *exhibuit*, exseruit, aperuit. XI, 264. Opponitur illi *obscuram* v. 36. Conf. XI, 264. XV, 611.

45. *Mygdonides* (II, 247.) e Mygdonia Macedoniae regione prope Thraciam, in Asiam transierant, et in Phrygiae parte prope Troadem consederant. Strab. VII. p. 295. XII. 575. Hinc recte *Mygdonides* pro *Maeonides*, nec audiendi sunt codd. Medic., Voss. et IV Heins., qui exhibent *Maeonides.* — *non territa* cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat., meliores Heins. et ed. pr. — Reliqui: *interrita.*

47. *notavit ora rubor.* Conf. IV, 329.

48. *movetur.* Cf. XIV, 228. IV, 718.

49. *solis ab ortu.* cod. Bersm., Bas. 4., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Gron. 1., Mor. 1., Pal. 1. 2., Par. 1., unus Sulm., Urb., Vat. 1. et plurimi Heins. *ab ictu.* Sed aurorae recte apponitur *quietus ortus solis*, et de ortu solis sermonem esse confirmant etiam illa: *et breve post tempus.* Varietas *solis ab ictu* orta videtur e III, 183. Nonnulli Heinsii etiam *candescit*; prave.

50. *stolida palma* vocatur, quia mulier eam stolide appetebat.

51. *neque enim.* Multi Heins. *nec jam*, e v. 52. *Jove nata*, Minerva. Vid. ad IV, 799. — 53. *consistunt;* nam veteres stantes texebant, non sedentes. Vid. ad IV, 275. et Salmas. ad Vopisc. Aurelian. c. 46. — Male nonnulli codd. Heins., Rhen. et ed. pr. *constituunt.*

54. *telas* h. l. proprie positum est et valet *vestes.* Sed v. 55. *tela* est series duplex staminum s. filorum in longum extensorum: *der Aufzug. jugum* baculus transversus, cui tela annectitur, *der Webebaum.*

55. *stamen secernit arundo*, ut radius transire possit: nam *radius* illud instrumentum ex utraque parte acutum est, cujus ope *subtemen* immittitur. — Par. 2., Berol., Dresd., Goth. 2., Neap. et Urb. *vincta est*, quod genuinum, certe gratius sono est.

Inseritur medium radiis subtemen acutis,
Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum
Percusso feriunt insecti pectine dentes.
Utraque festinant, cinctaeqne ad pectora vestes
Brachia docta movent, studio fallente laborem.
Illic et Tyrium quae purpura sensit aënum
Texitur, et tenues parvi discriminis umbrae;
Qualis ab imbre solet percussis solibus arcus
Inficere ingenti longum curvamine coelum,
In quo diversi niteant cum mille colores,
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit:
Usque adeo quod tangit idem est; tamen ultima distant.
Illic et lentum filis immittitur aurum,
Et vetus in tela deducitur argumentum.
Cecropia Pallas scopulum Mavortis in arce

56. *subtemen*. Ita Sulm. 1. et vulg. — Reliqui Ciof. codd., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Vrat. et edd. Venn. *subtegmen*.

57. *inter stamina*, inter duplicem seriem staminum ad jugum alligatam.

58. *insecti*. Sic Senec. Ep. 90., plurimi ex antiquis Heins. et vulg. — Berol., unus Cael., Goth. 1., Lips. 1. 2., unus Sulm. et reliqui Heinsii *inserti*, non male. Pro *insecti* afferunt quidem Plin. N. H. XVI. c. 24. *folia divisa platano, insecta pectinum modo piceae*. Sed Plinius aliud pectinum genus in animo habet. De veterum arte texendi vid. Salmas. ad Hist. Aug. I. p. 546. II. p. 565.

59. *festinant*. Ita Flor., Medic. 2., Neap., Rhen., Vat. 1., VIII. Heins. et ed. pr. Recte; nam sequitur pluralis. Pal. 2. et vulg. *festinat*.

60. *docta*, artis perita. — *fallente*. *Fallere* valet facere, ne sentiatur, elevare. VIII, 578. 653. XIV, 121. Fast. IV, 434.

Et non sentitur sedulitate labor.
Trist. IV, 1, 13.

Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis
Fallitur ancillae decipiturque labor.

ubi vid. not.

61. Construe: *illic et purpura, quae . . , texitur et tenues . . . — Tyrium*. Praestantissima purpura erat Tyria et Sidonia. — *aënum*, in quo succus purpureus sale et aqua mixtus per X dies ad lenem ignem coquebatur. Plin. N. H. IX. c. 38. Aristot. Hist. Anim. V. c. 15. — *parvi discriminis*. Alius color in alium ita transibat, ut commissura ac transitus vix animadverti posset.

63. „*qualis arcus solibus* (solis radiis) *ab imbre percussis* (per imbrem fractis) *inficere solet long. coel. ing. c.*“ Optimam scripturam *percussis solibus* exhibent Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat., castigatiores Heinsii et vett. edd. — Jun., Par. 1. 2. et IV Heins. *percussis nubibus*. Reliqui codd.; quos perpaucos esse puto, *percussus* vix sano sensu.

64. *inficere*, colorare. Conf. XV, 191. Tib. III, 4, 32. *virgo - inficitur teneras ore rubente genas. — longum coelum*, ut Virg. A. VII, 288. *ex aethere longo*. Hor. Od. III, 3, 37. *longus pontus*. Virg. Georg. III, 223. *longus Olympus. — ingenti curv*. Conf. XI, 590.

66. *fallit lumina*, oculis non cernitur. Conf. VIII, 578. IV, 177. Berol., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 1. et plurimi Heins. *transitus il'e*.

67. *distant*, differunt, diversa sunt. Conf. v. 200. De illo *usque adeo* cf. v. 438. — 68. *lentum*, flexibile. Vulgo: *immittitur*. II Bersm., Bas. 2. 3., Berol., Lips. 2. et plurimi Heins. *intexitur*, quod significantius est vulgata: sed ex glossa natum videtur, ut in cod. Dresd. vere pro glossa exstat. IV Heins. *innectitur*. — 69. *vetus — argumentum*, fabula. Conf. XIII, 684. De spondeo in quinto pede conf. v. 128. 247. et not. ad I, 62. Ceterum poeta rem ita instituit, ut Minerva pingeret exempla hominum ob maleficia a dis punitorum, Arachne autem flagitia superorum.

70. *Cecropia in arce*, in arce Athenarum, a Cecrope Athenarum conditore. Conf. II, 555. — *scopulus Mavortis* est Areopagus sive collis Martis in arce Athenarum. Vetus erat fabula, Martem et Minervam ibi, uter urbi novae nomen daret ac praesideret, inter se concertasse. Vid. Herod. VIII. c. 55. Apollod. III.

Pingit et antiquam de terrae nomine litem.
Bis sex coelestes medio Jove sedibus altis
Augusta gravitate sedent, sua quemque deorum
Inscribit facies. Jovis est regalis imago;
Stare deum pelagi longoque ferire tridente
Aspera saxa facit medioque e vulnere saxi
Exsiluisse fretum, quo pignore vindicet urbem;
At sibi dat clypeum, dat acutae cuspidis hastam,
Dat galeam capiti, defenditur aegide pectus,
Percussamque sua simulat de cuspide terram
Prodere cum baccis fetum canentis olivae,
Mirarique deos. Operis victoria finis.
Ut tamen exemplis intelligat aemula laudis,
Quod pretium speret pro tam furialibus ausis:
Quatuor in partes certamina quatuor addit
Clara colore suo, brevibus distincta sigillis.
Threïciam Rhodopen habet angulus unus et Haemon,
Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam,
Nomina summorum sibi qui tribuere deorum.
Altera Pygmaeae fatum miserabile matris

c. 14. Hyg. F. 164. Augustin. de Civit. Dei XVIII. c. 9.

72. *bis sex*, sunt dì majorum gentium. Hinc Apollod. l. l. *δικαζόντων τῶν δώδεκα θεῶν*. — *sedibus-sedent*. Conf. V, 316. 317. XIII, 1.

74. *inscribit*, declarat, designat, ut artis veritas sit pro nomine vel titulo inscripto. — *regalis imago*, sc. cum sceptro et habitu regio. — 75. *longoque — tridente*. Vid. I, 283. et 330.

75. Neptunus quippe unus concertantium recte *stans* expressus erat apud judices sedentes. *Gier.*

76. *vulnere*, hiatu. — De illo *ferire facit* conf. v. 108.

77. *fretum*. Codd. Ciof., II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Menard., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., plerique Heins. et edd. Venn. *ferum*, h. e. equum. — Lactantius in argum., nonnulli Naugerii libri, emendati codd. Constantii Fan. et ed. pr. *fretum*, quod mihi genuinum videtur, nec aliter fabulam tradiderunt Herod. VIII. c. 55. Apollod. III. c. 14. Varro apud August. de Civ. Dei XVIII. c. 9. Pausan. I. p. 48. Hyg. Fab. 164. Conf. Met. I, 283. et Stat. Theb. XII, 632 seqq. Scripturam *ferum*, quae per se obscura est, nata mihi videtur ex Virg. Georg. I, 13., sed Maro certam habebat causam, cur ibi potius eos sequeretur auctores, qui Neptunum in illo certamine equum procreasse tradiderant. Unus Pal. et Lips. 1. *exsiliisse*. Vid. ad v. 658.

78. *at sibi dat clyp. etc.* Nam Minerva dea belli. Vid. ad II, 752. — 755. *acutae cuspidis hastam*. V, 9.

79. *aegide*. Vid. ad II, 755. IV, 802. 803. — 80. *simulat*, pingendo exprimit, intexit. Hor. Epist. II, 1, 241. *aera fortis Alexandri vultum simulantia*.

81. *prodere*. Ita cod. opt. Gifanii, exc. Cal., Medic. 1., Par. 2., Rhen. et X Heins. Reliqui *edere*. — *Fetum olivae* intellige arborem. — Briant., Dom., Goth. 1., Rhen., unus Sulm. et permulti Heins. *candentis*.

82. *Victoria* igitur ipsi (Minervae) ab dìs adjudicata finem faciebat operis sive picturae in illa tela. Ceterum optimam scripturam *operis* Heinsius corrupit in *operi* auctoritate Medic. 3., Mor. 2., et tertii, quem non nominavit. Vid. ad v. 102. III, 721. IV, 69, et Praef. —

84. *quod pretium*, quam mercedem, poenam.

85. *certamina*, sc. hominum qui cum dìs infeliciter concertarant, ut sequitur. — *partes*, angulos, ut sequitur v. 87.

87. de Rhodope et Haemo montibus vid. ad II, 219 — 222. Rhodope et Haemus conjuges, cum sese Jovem ac Junonum vocassent, in montes conversi sunt. — Scripturam *Haemon* exhibent X Heinsii. Reliqui *Haemum*.

89. *qui* refertur ad *Rhodopen* et *Haemon* v. 87.

90. *Pygmaeae matris*. Pygmaeorum mater secundum alios auctores Gerane, secundum Antoninum Liberalem *Oenoë*.

Pars habet: hanc Juno victam certamine jussit
Esse gruem, populisque suis indicere bellum.
Pinxit et Antigonen, ausam contendere quondam
Cum magni consorte Jovis, quam regia Juno
In volucrem vertit; nec profuit Ilion illi
Laomedonve pater, sumtis quin candida pennis
Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro.
Qui superest solus Cinyran habet angulus orbum,
Isque gradus templi, natarum membra suarum,
Amplectens saxoque jacens lacrimare videtur.
Circuit extremas oleis pacalibus oras.
Is modus est, operisque sua facit arbore finem.
Maeonis elusam designat imagine tauri
Europen: verum taurum, freta vera putares.
Ipsa videbatur terras spectare relictas,
Et comites clamare suas, tactumque vereri
Assilientis aquae, timidasque reducere plantas.
Fecit et Asterien aquila luctante teneri,
Fecit olorinis Ledan recubare sub alis.
Addidit, ut Satyri celatus imagine pulchram
Jupiter implerit gemino Nycteïda foetu;

Pygmaei brevissimi homunculi, quos bella cum gruibus gerere finxit fabula. Convertebatur igitur Oenoë in avem genti suae infestam. Strab. I. p. 60. Athenae. IX. p. 393.

93. *Antigone* f. Laomedontis Trojanorum regis, quae quod se forma vel formosis capillis Junoni similem jactarat, in ciconiam mutata est. Serv. ad Virg. G. II, 320. — Ceterum crepitus ciconiae bene fabulae accommodatus. Nimirum *ipsa sibi plaudit* ut sibi placens propter formam. — Berol., Dresd., Lips. 2. et meliores (?) Heinsii *pingit*. Reliqui cum vett. edd. *pinxit*.

98. *Cinyras*, Assyriorum rex, cujus filias Juno ob superbiam in gradus templi sui mutavit. Vid. Lactant. in Argum. *Cinyran* tacite edidit Heinsius, quod marg. ed. Bersm. et ed. pr. confirmant. Reliqui libri vett. *Cynaran* vel *Cinaran* vel *Cinaram* vel *Cineran*.

101. *circuit*. Virg. A. X, 243. *oras ambüit auro* Vulcanus. — *pacalis*, pacifer, Nasoni propria vox, quae etiam XV, 591. et Fast. I, 719. legitur. „Sequuntur παρεργα h. e. ornamenta, quae addebantur tabulis. Plin. H. N. XXXV. c. 10." *Gier.*

102. *operisque* Heins. et h. l. cum Pal. 2. corrupit in *operique*, quod etiam Goth.; 1. habet. Vid. ad v. 12. — *sua arbore*. Vid. v. 81.

103. Sequuntur fabulae et transformationes quas Arachne telae suae intexuit, in quo malitia ejus et odium deorum declaratur. Initium fit a Jove. — *Maeonis*, Arachne Lydia. Vid. ad v. 5.

103. *designat*, pingendo exprimit. Conf. v. 74.

104. *Europen*. Graecam formam nonnisi duo codd. Heinsii confirmant. Europen ab Jove sub forma tauri raptam esse narratur II, 833 seqq.

107. *reducere*. Unus Medic., Bas. 1., Lips. 1. 2., Vat. 1., X Heins. et pro v. l. Arond., Neap. et Urb. *reducere*. Goth. 1., Par. 1. et multi ex vetustioribus Heins. *recludere*. Pal. 2., Par. 2. et vulg. *recondere*. Fast. V, 611.

Saepe puellares subducit ab aequore plantas,
Et metuit tactus assilientis aquae.

108. *fecit teneri*, finxit teneri, ut v. 76. — *Asterie* Coei Titanis e Phoebe sorore filia, quam Jupiter in aquilam mutatus comprimere voluit, sed quum tergiversaretur, in coturnicem mutavit. Hyg. F. 53. Apollod. I. c. 4. — *luctante*, sc. cum Asterie nollet ac repugnaret

109. *Ledan*. Jupiter Ledan, uxorem Tyndarei regis Lacedaemoniorum, sub forma oloris amplexus est. Scripturam *Ledan* nonnisi unus Cant. servavit. Vulg. *Ledam*. Vid. ad v. 104. et 98.

110. *celatus*. Conf. v. 326.

111. *Nycteïda*. Antiope, Nyctei regis

Amphitryon fuerit, cum te, Tirynthia, cepit,
Aureus ut Danaën, Asopida luserit igneus,
Mnemosynen pastor, varius Deoïda serpens.
Te quoque mutatum torvo, Neptune, juvenco
Virgine in Aeolia posuit. Tu visus Enipeus
Gignis Aloïdas, aries Bisaltida fallis,
Et te, flava comas, frugum mitissima mater,
Sensit equum, te sensit avem crinita colubris
Mater equi volucris, sensit delphina Melantho.
Omnibus his faciemque suam faciemque locorum
Reddidit. Est illic agrestis imagine Phoebus,
Utque modo accipitris pennas, modo terga leonis

in Boeotia filia Jovi, qui eam sub forma Satyri amplexus erat, peperit uno partu Zethum et Amphionem. V. 176. Hyg. F. 8. Apollod. III. c. 5. Apollon. Rh. IV, 1090.

112. „ (ut idem Jupiter) *Amphitryon fuerit, cum . . .*" Jupiter Alcmenam sub forma Amphitryonis mariti amplexus est et ex ea Herculem procreavit. Hyg. F. 29. *Tirynthia* Alcmena appellari dicitur, quia Hercules ejus filius Tirynthe in Argolide ab ea educatus est ibique habitavit, qui idem passim *Tirynthius* et *Tirynthius heros* vocatur. Vid. Apollod. p. 114 et conf. Met. VII, 104.

113. *Danaën.* Vid. ad IV, 609. *Asopida,* Aeginam Asopi filiam, quam Jupiter flammae specie amplexus est. Vid. ad VII, 615. Nonn. Dionys. VI, 212. Conf. Apollod. I. c. 9. — *Igneus* per synizesin, ut v. 635. et VII, 151. XII, 395. I, 423. Vid. not. ad Trist. I, 10, 9. Amor. I, 12.

Ipse deïs vatum palla spectabilis aurea.

Sed hanc scripturam, quam confirmat concinnitas, nonnisi Goth. 1., Medic. 2., Neap., Rhen., Lips. 1., Vrat. et pauci Heinsiani tuentur. Reliqui libri vett. *ignis,* quam librarii ad evitandam synizesin invenisse videntur.

114. *Mnemosynen pastor.* V, 268.— *Deoïda. Deoïs* a *Δηώ,* Graeco nomine Cereris: nam *Deoïs* est Proserpina filia Cereris. Conf. VIII, 761. — *varius,* pictus, maculis distinctus.

115. *mutatum — juvenco. Mutare* cum abl. vid. IV, 397. — 116. *Aeolia virgo* est Canace Aeoli filia, quam Neptunus sub forma juvenci adiit. Apollod. I. c. 7.

117. *Aloïdas.* Sub forma Enipei Thessaliae fluvii Neptunus ex Iphidamia, Aloei gigantis uxore, *Aloïdas,* Olum et Ephialten procreavit (Virg. A. VI, 117.); ac sub forma arietis amplexus est Theophanen, Bisaltae Thracis filiam. Hyg. F. 118. — Cod. Bersm., omnes Ciof., Dresd., Vrat., Lips. 1. 2. et vett. edd. *Enipeus.* Heinsius de suis tacet. — Lips. 1. et edd. Venn. *gignis et Aloidas.* Sed copulam vetustiores Raph. Regii codd. cum reliquis omittunt. Heinsius vero et Ciof. tacent.

118. *frugum m. mater,* Ceres. V, 340 seqq. et ad V, 497. Ceres Neptuni libidinem fugiens equae formam assumsit. Sed Neptunus tamen, in equum et ipse mutatus, eam amplexus est. Vid. interpp. ad Virg. Georg. III, 122.

119. *crinita c. m. e. v.* est Medusa (IV, 783 seqq.), quam Neptunus sub figura avis compressit, et ex ea Pegasum procreavit. Hes. Theog. v. 278. Alios auctores hujus fabulae sequitur poeta libro Met. V. — Vulgo *sensit equum, te sensit equum.* Goth. 1., Flor., Hamb., 1. et unus Heins. *sensit equum sensit volucrem.* Medic. 2., Neap. et Urb. *sensit equum, te sensit avem.* Lactantius in argumento, Neptunum mutatum *in equum, ut Cererem, in volucrem, ut Gorgonam Medusam stupraret,* tradit.

120. *Melantho* Deucalionis filia a Neptuno sub delphinis forma decepta et compressa est.

121. *faciemque suam,* formam eam, sub qua mulieres deceperant.

122. *reddidit.* Petron. XXIX. c. 4. *omnia diligenter curiosus pictor cum inscriptione reddiderat,* i. e. expresserat. Phoebus, quod Cyclopes occidisset, a Jove damnatus per aliquod tempus mortali servire, apud Admetum per IX annos armenta pavit (hinc *agrestis*), quo tempore hos amores habuit — Dresd. *reddit et est.* Lips. 2. *reddidit et est.*

124. *Isse,* Macari vel Macarei Lesbi regis filia, quae ab Apolline sub pasto-

Gesserit, ut pastor Macareïda luserit Issen;
Liber ut Erigonen falsa deceperit uva;
Ut Saturnus equo geminum Chirona crearit.
Ultima pars telae, tenui circumdata limbo,
Nexilibus flores hederis habet intertextos.
Non illud Pallas, non illud carpere livor
Possit opus. Doluit successu flava virago,
Et rupit pictas, coelestia crimina, vestes;
Utque Cytoriaco radium de monte tenebat,
Ter quater Idmoniae frontem percussit Arachnes.
Non tulit infelix, laqueoque animosa ligavit
Guttura. Pendentem Pallas miserata levavit,
Atque ita „Vive quidem, pende tamen, improba" dixit,
„Lexque eadem poenae, ne sis secura futuri,
Dicta tuo generi serisque nepotibus esto!"
Post ea discedens sucis Hecateïdos herbae
Sparsit, et extemplo tristi medicamine tactae
Defluxere comae, cum quîs et naris et aures,
Fitque caput minimum; toto quoque corpore parva est;
In latere exiles digiti pro cruribus haerent;
Cetera venter habet; de quo tamen illa remittit
Stamen, et antiquas exercet aranea telas.

ris forma compressa traditur. Diod. V. c. 82.

125. *Erigone*, Icarii s. Icari Atheniensis a Baccho in uvam mutato decepta est (Hyg. F. 130. Apollod. III. c. 14.), et *Philyra* nympha a Saturno sub forma equi, quae ei peperit Chirona. Hyg. F. 138.

126. *geminum*. Vid. ad II, 630.

128. De spondeo in quinto pede vid. ad I, 62.

129. *non illud carpere livor* p. o. X, 515.

130. *flava virago*. *Flava* constans fere Cereris epitheton est. Vid. 118. *Virgo* et *virago* poetae saepe de florentis aetatis mulieribus, etiamsi peperierint.

131. *pictas — vestes*, telam, in qua crimina coelestium intexta erant.

132. *Cytorus*, mons Paphlagoniae in Asia, buxo nobilis. IV, 311. — Cod. Bersm., Lips. 1. 2., Dresd., Goth. 1. 2., Vrat. et vett. edd. *Citheriaco*.

133. *Idmoniae*, ab Idmone patre. Vid. 8.

134. *ligavit*, constrinxit sibi. — *animosa*, audacia. Conf. v. 152.

137. *lexque eadem*, ratio eadem. Ne *sis secura futuri*, opinans nepotes tuos humanam formam recuperaturos. — *secura futuri*. Vid. 1, 623. et ad X, 616.

139. *Hecateïdos herbae*, h. e. herbae venenatae ac magicae, ut XIV, 44. *Hecateïa carmina:* nam Hecate veneficiorum et magicarum artium praeses. Conf. VII, 74. et 194 seqq. — Lips. 1. et Vrat. *sucis*. — Lips. 1. 2., Vrat. et edd. Venn. *postea*.

140. *sparsit*. Heinsius edidit *spargit*, quod exhibet cod. Bersm. — *medicamen* omnis sucus, quo inficitur aliquid.

141. De re conf. III, 673. 674. — Scripturam *auris* exhibent Priscian., Bas. 2., Berol., Lips. 2. et meliores Heins., et certe est ea concinnior. Abb., Briant., Dom., Sulm. 1. 2., Urs., Pal. 2. et reliqui cum vett. edd. *aures*. — III Heins. *cumque his*. Pal. 2., Abb., Briant., Dom., Sulm. 1. 2., Urs. et reliqui cum Priscian. VI. c. 6. *cum quîs*, nisi quod Lips. *cum quibus*. Heinsianam script. *cumque his* tam parva vel prope nulla auctoritate retinere non sum ausus.

142. *toto quoque corp. — est*. Sic vulg., nisi quod Bersm., Dresd., Pal. 2., Lips. 1. 2. et multi Heins. *est* omittunt. Tres Heins. *totoque in corp.* p. *est*, quod prave in textum recepit Heinsius. Nihil enim rectius ac simplicius recepta scriptura: *fitque caput minimum: toto quoque corpore parva est*.

144. „*de quo* (ventre) *tamen illa..*"

Lydia tota fremit, Phrygiaeque per oppida facti
Rumor it et magnum sermonibus occupat orbem.
Ante suos Niobe thalamos cognoverat illam,
Tunc cum Maeoniam virgo Sipylumque colebat;
Nec tamen admonita est poena popularis Arachnes,
Cedere coelitibus verbisque minoribus uti.
Multa dabant animos: sed enim nec conjugis artes
Nec genus amborum magnique potentia regni
Sic placuere illi, - quamvis ea cuncta placerent, -
Ut sua progenies. Et felicissima matrum
Dicta foret Niobe, si non sibi visa fuisset.
Nam sata Tiresia, venturi praescia, Manto
Per medias fuerat, divino concita motu,
Vaticinata vias: „Ismenides, ite frequentes,
„Et date Latonae Latonigenisque duobus
Cum prece tura pia, lauroque innectite crinem.
Ore meo Latona jubet.“ Paretur, et omnes
Thebaïdes jussis sua tempora frondibus ornant,
Turaque dant sanctis et verba precantia flammis.
Ecce, venit comitum Niobe celeberrima turba,

146. *Niobe, filia Tantali* (IV, 458.) *regis Argi et Lydiae, et Diones quae erat una Hyadum, uxor Amphionis Thebarum regis VII habuit filios et totidem filias. Quae quum prole sua superba Latonam, ut quae nonnisi geminorum* (Apollinis ac Dianae) *mater esset, contemneret, et Thebanas mulieres, quae Mantus, filiae Tiresiae, jussu deae sacra facerent, in illo cultu turbaret; Latona opem liberorum imploravit. Filiis filiabusque omnibus Apollinis et Dianae telis interemtis Niobe in lapidem mutatur, qui turbine venti in Sipylum Lydiae montem, ubi illa nata fuerat, raptus et fixus in cacumine montis liquitur et lacrimis etiamnum manat.* II. XXIV, 603. Apollod. III. c. 5. Hyg. F. 9—11. Diod. IV. c. 74.

146. *Lydia*, sc. ubi haec acciderant. — *fremit*, sc. de fama facti (Arachnes in araneam mutatae) pervagante. Vid. XII, 47. IX, 419. Phaedr. V, 2, 20. *rumor de tibicine fremit in theatro.*

149. *Maeoniam*, Lydiam. II, 252. — *Sipylus* mons et oppidum Lydiae. Strab. XII. c. 8. Plin. H. N. II. c. 91. et V. c. 29. Sed h. l. intelligendus mons. Vid. ad 311 seqq. — *Tunc* II Bersm., Dresd., Goth. 1., Lips. 1., Vrat. et vett. edd. Vulg. *tum*. Heinsius tacet.

151. *verbis minor. uti*, minus superbe loqui. V. 368. IX, 31. I, 751.

152. *animos*, animum superbum, superbiam. Cf. V, 184. et II, 482. — *conjugis artes*. Amphion conjux lyra excellebat, adeoque suaviter cecinisse dicitur, ut lapides moverentur et sua sponte in muros Thebarum coirent. V. 178. Plin. H. N. VII. c. 56. Hor. A. P. 394. ibique interpp. Prop. I, 9, 10. — *Artes* cod. Bersm., Twisd., Berol., Dresd., Flor., Gal., Goth. 2. pro v. l, Medic. 1. 2., Par. 2., Rhen., Lips., plures Heins. et ed. pr. Vulgo putide *arces*.

153. *genus amborum*. Nam pater ejus Tantalus ferebatur filius Jovis (IV, 458.), qui erat conviva deorum. V. 172. Amphion conjux item filius Jovis. Vid. ad v. 111.

154. Leid. et unus Mor. *placebant*. — Cod. Bersm., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 1., Vrat. et VII Heins. *haec cuncta*.

156. „si non sibi visa fuisset atque felicitatis illius sensu elata.“ *Gier.*

157. *Tiresias* clarissimus vates Thebanus. III, 323 sqq.

159. *Ismenides*, Thebanae. III, 733.

160. *Latonigenae*, Apollo et Diana.

161. *lauroque inn. crinem*. Virg. A. VIII, 660. *lactea colla auro innectuntur*. Ut in sacris Bacchi pampineae et hederaceae, in honorem Herculis populeae frondes *innectebantur crinibus; sic* in sacris Apollinis laurus. Vid. I, 558. — 163. *jussis*. I, 399. III, 105. IV, 32. XI, 635. Ac respondet *jussis* illi *jubet* v. 162. — De dictione *tura et verba dare* vid. ad VII, 248.

165. *celeberrima*, stipata. II, 218.

Vestibus intexto Phrygiis spectabilis auro,
Et, quantum ira sinit, formosa movensque decoro
Cum capite immissos humerum per utrumque capillos.
Constitit, utque oculos circumtulit alta superbos,
„Quis furor auditos“ inquit „praeponere visis
„Coelestes? aut cur colitur Latona per aras,
Numen adhuc sine ture meum est? Mihi Tantalus auctor,
Cui licuit soli superorum tangere mensas;
Pleïadum soror est genitrix mea; maximus Atlas
Est avus, aetherium qui fert cervicibus axem;
Jupiter alter avus; socero quoque glorior illo.
Me gentes metuunt Phrygiae, me regia Cadmi
Sub domina est, fidibusque mei commissa mariti
Moenia cum populis a meque viroque reguntur.
In quamcumque domus adverto lumina partem,
Immensae spectantur opes. Accedit eodem
Digna dea facies. Huc natas adjice septem
Et totidem juvenes, et mox generosque nurusque.
Quaerite nunc, habeat quam nostra superbia causam!
Quoque modo audetis genitam Titanida Coeo
Latonam praeferre mihi, cui maxima quondam
Exiguam sedem pariturae terra negavit?

Cf. I, 747. — Cod. Bersm., Gal., Rhen. et permulti Heins. *creberrima*.

166. *Phrygiae*. Vestes egregiis picturis ornatae auroque distinctae Phrygiae appellabantur, quod Phryges eas invenerant, teste Plin. VIII. c. 48.

167. *movens*, concutiens indignationis causa, ut Jupiter I, 179. *Gier*.

168. *immissos*. Cod. Bersm. et pauci Heins. *immensos*. Vid. V, 338.

169. *alta*, de superbo habitu. Conf. v. 275. Senec. Epist. 115. *omnium istorum, quos incedere altos vides*.

170. *quis furor?* Cf. III, 531.

171. *per aras*. Cf. I, 749.

173. *cui licuit — mensas*. Hor. I, 28, 7.

Occidit et Pelopis genitor (Tant.) *conviva deorum*.

174. Mater Niobes Dione una ex Hyadibus, quae et eaedem filiae Atlantis, itaque sorores Pleïadum. I, 670. Hyg. F. 192. 9. 82. 83. — Berol., Goth. 2. et Neap. *genitrix mihi*.

175. *aetherium — axem*. IV, 657 sqq.

176. *socero — illo*. Amphion erat filius Jovis et Antiopae. V. 111. Paus. Boeot. p. 720. Itaque Niobe Jovem et avum et socerum habebat.

177. *Me - Phrygiae etc*. Superbe sibi id tribuit, quod erat patris ac mariti. Vid. ad v. 146.

178. *fidibusque*. Vid. ad v. 152.

180. Cod. Bersm., Goth. 1. 2., multi Heins. et ed. pr. *adverto*.

182. Rhen. et multi (?) Heins. *deae*, quod cum Heinsio vulgo edunt, obsequentes, ut ajunt, auribus, quasi *deā* non sit in arsi et *dignă* in thesi, *deā* non longum, *dignă* non breve sit. Vid. V, 345.

184. Vid. v. 153.

185. Construe: *et quo modo audetis Tit. Lat., Coeo* (Titane) *genitam mihi praeferre?* Latona erat filia Titanis Coei. V. 366. — Scripturam *quoque modo audetis* Berol., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., codd. Ciof., plurimi Heins. et vett. edd. tuentur. Ab hac scriptura nonnulli codd. discedunt, qui primo pede *nescio* habent. Bersm. *nescio quo aud.*, Par. 2. *nescio quoque audete satam* (*satam* etiam VIII alii tuentur). Gal. *nescio quoque audetis satam*, sed superscr. *audete*. Flor. *nescio quoque audite satam*, Goth. 1. *nescio quoque*. Med. 3. *nescio quoque audete genatam*. Neap. in lit. *nescio quomodo aud. satam*. In Neap., Vat. 1. et nonnullis aliis Heins. vetus scriptura erasa. Heinsius ex hac var. novam l. conflavit *nescio quoque audete satam*, quae nunc pro vulgata est.

187. *negavit*; sc. cum Juno eam, quod a Jove concepisset, persequeretur. VI, 332 seqq.

Nec coelo nec humo nec aquis dea vestra recepta est.
Exul erat mundi, donec miserata vagantem,
„„Hospita tu terris erras, ego“ dixit „in undis!““
Instabilemque locum Delos dedit. Illa duorum
Facta parens, uteri pars haec est septima nostri.
Sum felix: quis enim neget hoc? felixque manebo.
Hoc quoque quis dubitet? Tutam me copia fecit.
Major sum, quam cui possit fortuna nocere;
Multaque ut eripiat, multo mihi plura relinquet.
Excessere metum mea jam bona. Fingite demi
Huic aliquid populo natorum posse meorum,
Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum.
Ite sacris, properate sacris, laurumque capillis
Ponite!“ Deponunt et sacra infecta relinquunt;
Quodque licet, tacito venerantur murmure numen.

189. *exsul mundi*, cum alii tantum sint *exules patriae*. *Gier.* IX, 409. *exsul mentisque domusque*.

190. *Delos* (III, 597.) ante illud tempus mobilis fuisse et in mari natasse dicitur. Hinc explicandum: *ego* (erro) *in undis* et *instabilem locum*. Vid. v. 333.

191. *duorum*. Vid. v. 160. Gron. *duobus*, quod temere edidit Heinsius.

192. *Niobe* VII habebat filios et totidem filias. — Cod. Bersm., Berol., Gal., Rhen. et ed. pr. *est haec*, quod tacite edidit Heinsius.

194. *dubitet*. Ita ex scriptis edidit Heinsius, quod postulat concinnitas et Berol., Dresd., Gal., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et ed. pr. confirmant. Vulg. *dubitat*. — 196. *ut*, fac, pro quo v. 197. *fingite*.

200. *ite sacris, properate sacris*. Gal., Goth. 1. 2., Pal. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. 1. 2. et ed. pr. *ite satis propere sacris*, *l. c.*, e quibus Lips. 1., Gal., Vrat. 1. 2. post *propere* distinguunt. — Lips. 2. *ite satis propere satis l. c.* Dresd. *ite satis propere laurum sacrisque capillis*. Berol. *ite satis properete sacris l. c.* — In Flor. et Neap. pro *propere* videbatur *properate* fuisse, ut est in Medic. 4., uno Gron. et uno Voss. — Unus Heins., Par. 1. 2. et edd. Venn. *ite sacris propere sacris l. l.* Cum paucis illis dedimus *properate sacris;* non quod eam scripturam veram putem: nam Nasonis manum in hac varietate inveniri posse, desperandum est, sed quod sensui aptissima et antiqua est. Jahnius eleganter conjecit: *ite sacris, propere ite sacris*. Baumgarten-Crusius: *ite sacris, procul a sacris*, minus eleganter. — *laurum*. Cf. v. 161. 163.

201. Heinsius temere ex conjectura edidit *infectaque sacra rel.*

202. *tacito — murmure*. Cf. v. 327. et IV, 684. — De illo *quodque licet* cf. v. 684. — Edd. Vinc., Col. et aliae: *venerantur murmure numen Latonae, turba quantum distabat ab orba; Tantum animosa sui furiis agitata doloris indignata dea est*. Atque versum *tantum anim.* praeterea nonnulli (?) Naugerii libri et margo ed. Bas. agnoscunt. In Sulm. 2. inverso ordine scriptum est: *Tantum anim. sui stimulis ag. doloris Latonae, quantum turba dist. ab orba*. Sed ad marginem prioris versus notatum est: *vacat;* quo significatum, versum in aliis deesse. Abest autem hic v. a cod. Bersm., Bas. 2. 4., Berol., Briant., Dresd., Gal., Goth. 1. 2., Maff. 1. 2., Menard., Pal. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Sulm. 1., Twisd. 1. 2., Urs., IV Vat. Ciof., Vrat., omnibus ut videtur Heins. et reliquis edd. veteribus. Spurius est etiam versus *Latonae turba etc.* Etenim praeter quod libri in eo magnopere variant, omnes tamen importunam voc. *turba* agnoscunt, versus sententiarum nexum mirifice turbat et in codd. incertam sedem habet. Etenim in uno Regio in margine scriptus est, in codd. Menard., Neap. et fragm. Voss. post v. 199. Atque in uno Stroz. vulgarem quidem locum tenet, sed signo notatum est, eum post v. 199. esse collocandum. Neque dubium est, quin alia νοθείας argumenta addi possent, si Heinsius non negligentissime codd. suorum lectiones reticuisset. — Nonnulli (?) Naugerii libri, meliores Heins., Dresd., Gal., Par. 2., Lips. 1. et margo Bas.: *Latonae, turba quae quan-*

[Latonae. Turba quae quantum distat ab orba?]
Indignata dea est, summoque in vertice Cynthi
Talibus est dictis gemina cum prole locuta:
„En ego, vestra parens, vobis animosa creatis,
Et nisi Junoni nulli cessura dearum,
An dea sim, dubitor, perque omnia saecula cultis
Arceor, o nati, nisi vos succurritis, aris.
Nec dolor hic solus: diro convicia facto
Tantalis adjecit, vosque est postponere natis
Ausa suis, et me, quod in ipsam recidat, orbam
Dixit et exhibuit linguam scelerata paternam."
Adjectura preces erat his Latona relatis;
„Desine," Phoebus ait; „poenae mora longa querela est."
Dixit idem Phoebe; celerique per aëra lapsu
Contigerant tecti Cadmeïda nubibus arcem.
Planus erat lateque patens prope moenia campus,
Assiduis pulsatus equis; ubi turba rotarum
Duraque mollierat subjectas ungula glebas.
Pars ibi de septem genitis Amphione fortes
Conscendunt in equos, Tyrioque rubentia suco

tum distat ab orba. Briant.: *Latonae turbae, quae quantum d. ab o.* — *Latonae turbae* etiam quidam Naug. libri et margo Bas.'— Maff. 1. 2., Sulm. 1., Urs. et II Vat. Ciof.: *Latonae turba quantum quae d. ab o.* Rhen. et Goth. 2. *L. turba quae tantum d. ab o.* — Ed. pr. *L. turba quae quantum distabat ab o.* — Nonnulli (?) Naug. libri, Vrat. 2. et edd. Venn. *turba quae quam distabat ab o.* — Vrat. 1. *Latonae. turba qua tum distabat*, sed superscriptum *quantum*. — Berol.: *Latonae. turba cum quantum distabat.* Cod. Bersm. et Par. 2. *turba quoque quantum distat.* Goth. 1., Pal. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 2. et ed. Ald.: *Latonae turba quantum distabat*, nisi quod in Pal. 2. post *turba* interpunctum est. Heinsius hunc v. post v. 199. collocavit et edidit: *spoliata duorum Latonae; turba quo quantum distat ab orba.* — — — — *Jahn.*

204. *Cynthus* mons Deli (II, 221.), ubi Latona Apollinem et Dianam pepererat, unde Apollo *Cynthius* et Diana *Cynthia* appellabatur. — 206. *animosa.* Vid. ad v. 152. — 208. Dicitur *dubito aliquid*, hinc etiam *dubitor, dubitatus, dubitandus.* II, 20. — Cod. Bersm., Dresd., Gal., Goth. 2., Lips. 2., Vrat. 1. 2. et plerique Heins. *dubito.* — Codd. Ciof., optimi Heins. et vett. edd. *dubitor.*

211. *Tantalis.* Vid. ad v. 146.

212. Scripturam *recidat* tuetur sensus, et cod. Gifan., Gal., Rhen., Vrat. 2., castigatiores Heins. et edd. Venn. confirmant. — Reliqui cum vulg. *decidat.* De syllaba *re* producta — quae varietatis caussa fuit — conf. X, 180. 18. XIII, 268. Prop. IV, 8, 44. — *recidere* in mala re solemne; nota est oratio: *in caput recidat.*

213. *linguam paternam exhib.* est lingua peccare, ut pater Tantalus.

215. Multi Heins. *est* omittunt. Heinsius corrupit locum et edidit:

Desine, Phoebus ait, (poenae mora longa) querelas. —

querela est Pal. 2., Par. 1. 2. et omnes, nisi quod Dresd. et Bas. 3. *querelae* exhibent.

216. *Phoebe.* Vid. ad I, 10. — *celeri lapsu.* Conf. I, 212. — 217. *Cadmeïda arcem*, a Cadmo exstructam. III. 3 seqq. IV, 545.

219. *pulsatus equis.* Conf. v. 487. — *assiduis* pro *assiduo.*

220. *mollierat.* II Bersm., Goth. 2., Rhen., Vrat. et nonnulli Heins. *mollierant*, quod edidit Heinsius. Sed valere in hac re debet major auctoritas vetustatis; nihil enim rationi sermonis Latini magis proprium est, quam verbum sequi numerum posterioris nominis. Vid. ad V, 12.

222. *Tyrio*, V, 51. VIII, 33. — Exc.

Terga premunt, auroque graves moderantur habenas,
E quibus Ismenos, qui matri sarcina quondam
Prima suae fuerat, dum certum flectit in orbem
Quadrupedis cursus spumantiaque ora coërcet,
„Hei mihi!“ conclamat, medioque in pectore fixa
Tela gerit, frenisque manu moriente remissis
In latus a dextro paullatim defluit armo.
Proximus, audito sonitu per inane pharetrae,
Frena dabat Sipylus, veluti cum praescius imbris
Nube fugit visa pendentiaque undique rector
Carbasa deducit, ne qua levis effluat aura.
Frena tamen dantem non evitabile telum
Consequitur, summaque tremens cervice sagitta
Haesit et exstabat nudum de gutture ferrum.
Ille, ut erat pronus, per colla admissa jubasque
Volvitur, et calido tellurem sanguine foedat.
Phaedimus infelix et aviti nominis heres
Tantalus, ut solito finem imposuere labori,

Jur., unus Heins., unus Medic. *fuco*. Goth. 1., Lips. 1. 2. et edd. Venn. *suco*. Vulg. *succo*.

223. *premunt*. V, 317. VIII, 34. — Scripturam: *auroque graves m. habenas*, tuentur quidam veteres Naug. et II Heins. Confirmant nonnulli Heinsii, qui exhibent *auroque graves m. habenis*. — Cod. Bersm., Par. 2., Lips. 2. et a corr. 1., V Ciof., multi Heins. et pro v. l. Dresd., Goth. 2. et Vrat. 1. *auro gravidas m. habenas*; Abb., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1. a 1. m., Vrat. 1. 2., Par. 1., V Ciof. et reliqui *auro gravidis m. habenis*, quae scripturae suspectae sunt tam propter illud *gravidus auro* quam propter asyndeton.

225. *certum — in orbem*, in gyrum, ut fieri solet in curriculo equestri. XII, 468. Her. IV, 79.

Sive ferocis equi luctantia colla recurvas,
Exiguo flexos miror in orbe pedes.

Vid. interpp. ad Virg. Georg. III, 191.

226. *quadrupedis*. IV Heins. putide *quadrupedes*, quod Heinsius praetulit optimae scripturae reliquorum codd. et vett. edd. omnium. Vid. ad I, 541. — *spum. ora coërcet*. Conf. V, 643. et VIII, 34.

227. Plurimi Heins., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 2. et Vrat. *fixus*. — Vulgo *fixa*. Utrumque ad sensum aptum, nisi quod *fixa* simplicius est.

229. *defluit* eleganter de lento lapsu deficientis, pro quo v. 238. *volvitur*. Multi Heins. *decidit*, ex interpretamento. Liv. II. c. 20.

230. *per inane*. IV, 718.

231. *imbris*. Ita Goth. 1. et Gron. 1. Reliqui cum vett. edd. *imbres*.

233. *deducit*, sc. ex antennis pendentia (III, 663.) s. astricta deducit, ut ea dare possit ventis portum petens. Cf. XI, 477. Prava est scriptura multorum Heins., Pal. 2. et Par. 1. *diducit*, quod esset: jam dimissa expandit. *Baumgarten-Crusius*.

234. *frena tamen dantem*, respondet illi *frena dabat* v. 231. Berol., Dresd., Goth. 1. 2. et multi ex vetustioribus Heins. *frena dabat, tamen hunc non e.*, parum eleganter. — Flor. et Hamb. 2. *frena tamen tandem*, ex *dantem* corrupto *tandem*. — Quinque Heins. et ed. pr. *frena tamen dantem hunc non*. Par. 1. 2., Pal. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. 1. 2. et reliqui: *frena tamen dantem*. Optime; nec profecto opus erat conjectura Heinsii *frena dabat, dantem n. e. t.*

237. *ut erat pronus*. Conf. v. 244. et II, 272. — *admissa*, admissi, incitati equi. Amor. II, 16, 49.

Ipsa per admissas concute lora jubas.

Vid. ad I, 532. XI, 512. et ad Her. I, 36. Scripturam indubitatam *per colla* exhibent Dresd., Gron. 1., VI Heins. et ed. pr. Reliqui cum vulg. *per crura*.

238. *volvitur*, ut *defluit* v. 229. — *per*, super, ut loco Amor. modo allato.

240. *subito*. Vid. v. 221. — II Heins. *posuere*.

Transierant ad opus nitidae juvenile palaestrae;
Et jam contulerant arcto luctantia nexu
Pectora pectoribus: cum tento concita nervo,
Sicut erant juncti, trajecit utrumque sagitta.
Ingemuere simul, simul incurvata dolore
Membra solo posuere, simul suprema jacentes
Lumina versarunt, animam simul exhalarunt.
Adspicit Alphenor laniataque pectora plangens
Advolat, ut gelidos complexibus allevet artus;
Inque pio cadit officio: nam Delius illi
Intima fatifero rupit praecordia ferro.
Quod simul eductum, pars est pulmonis in hamis
Eruta, cumque anima cruor est effusus in auras.
At non intonsum simplex Damasichthona vulnus
Afficit: ictus erat, qua crus esse incipit et qua
Mollia nodosus facit internodia poples;
Dumque manu tentat trahere exitiabile telum,
Altera per jugulum pennis tenus acta sagitta est.
Expulit hanc sanguis, seque ejaculatus in altum
Emicat et longe terebrata prosilit aura.
Ultimus Ilioneus non profectura precando

241. *nitidae*, splendentis ab oleo, quo luctantes unguebantur. Epist. XIX, 11. *uncta palaestra*. Vid ad X, 176.

242. *nexu*. Conf. IX, 50 seqq.

243. *nervo*. Bas. 1. a rec. m., Goth. 1. 2. et III Heins. *cornu*, quod sine justa caussa recepit Burmannus. Cod. Bersm., Dresd., Ern., Par. 1. 2., Lips. 1., Sulm. 1. 2. et alii Ciof., Twisd. 1. 2., nonnulli Heins. et vett. edd. *contento* parum eleganter juxta illud *concita*, et fluxisse videtur e v. 286. *Cum* in tali sententiae forma vid. v. 520. VII, 326. X, 273. XI, 97.. — X Heins. *contorto*. VIII Heins., Pal. Gebhd., Lips. 2. et Vrat. 1. 2. *cum torto*.

246. *suprema — lumina versarunt*. VII, 579.

Lassaque versantes supremo lumina motu.

suprema lumina, ut *assiduis equis* v. 219.

247. *lumina versarunt*. VII, 579. — De spondeo in quinto pede vid. ad v. 69. et I, 62.

248. *laniataque p. plang*. IV, 590. VIII, 528.

249. *advolat*. Ita Bas. 3. 4., Lips. 1., Sulm. 1. 2., Urs., Vrat. et vetustiores Heinsii. — Vulg. *evolat*. Sed non additum unde *volarit*.

250. *Delius*. Vid. v. 191. et ad v. 204. et I, 454.

251. *rupit*. Par. 1. et unus Medic. *rumpit*. — 252. Par. 1. 2. et Rhen. *est* omittunt, quod tacite delevit Heinsius. — Deinde multi Heins. *letifero*, et Par. 2. *telo* ex glossa; nam *ferrum* h. l. intelligendum *cuspis ferrea* sagittae.

253. *cumque anima cruor est effusus* dictum est ut Her. VII, 9. *cum foedere solvere naves*. Vid. Met. VII, 347.

254. *intonsus*, juvenilis. Cf. XII, 585. Virg. A. IX, 181.

Ora puer prima signans intonsa juventa.

non simplex. Virg. G. III, 482. *nec via mortis erat simplex*. — Vetustiores Heinsii *Damasicthona*, unde ille correxit *Damasichthona*. Dresd., Goth. 2., Lips. 2. et ed. Bas. *Damasithona*. Vulg. *Damasitona*.

256. *nodosus* exhibent plurimi Heins., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 1., Rhen., Vrat., edd. Venn. et margo ed. pr. — Vulg. *nervosus*, quod et ipsum ferri potest. Vid. VIII, 364. Hinc exspectanda accuratior collatio codicum.

258. *pennis*. Sagittae superius saepe instructae pennis erant, quo celerius volarent.

259. *expulit etc*. IV, 120 — 124. Berol. *quae se jacul*. Lips. 2. *seque jacul*.

260. *terebrare auram*, ut *ictibus aëra rumpere* IV, 124.

Brachia sustulerat, „Dîque o communiter omnes,“
Dixerat, ignarus non omnes esse rogandos,
„Parcite!“ Motus erat, cum jam revocabile telum
Non fuit, Arcitenens; minimo tamen occidit ille
Vulnere, non alte percusso corde sagitta.
Fama mali populique dolor lacrimaeque suorum
Tam subitae matrem certam fecere ruinae,
Mirantem potuisse, irascentemque quod ausi
Hoc essent superi, quod tantum juris haberent.
Nam pater Amphion ferro per pectus adacto
Finierat moriens pariter cum luce dolorem.
Heu, quantum haec Niobe Niobe distabat ab illa,
Quae modo Latoïs populum submoverat aris,
Et mediam tulerat gressus resupina per urbem,
Invidiosa suis! At nunc miseranda vel hosti
Corporibus gelidis incumbit, et ordine nullo
Oscula dispensat natos suprema per omnes.
A quibus ad coelum liventia brachia tendens
„Pascere, crudelis, nostro, Latona, dolore,
[Pascere“ ait, satiaque meo tua pectora luctu,]

265. *Arcitenens*, Apollo. I, 457. — Ludit poetae ingenium in hoc *minimo vulnere*.

266. Ox. *non alta*, quod edidit Heinsius.

268. *certam facere*, ut vulgo *certiorem facere*. XI, 415.

269. „*mirantem potuisse* (hoc superos) *et irascentem, quod . .*“

272. *cum luce*, cum vita.

273. *heu, quantum etc.* Virg. Aen. II, 274.

Hei mihi, qualis erat (Hector)*! quantum mutatus ab illo*
Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli.

274. *submov. aris.* Vid. v. 201. et 165 seqq.

275. *resupina.* Conf. v. 169. Senec. Epist. 80. *Ille, qui in scena elatus incedit et haec resupinus dicit: En impero Argis.* Conf. v. 169. — Illud *ferre gressus* et ipsum superbiam declarat.

276. Alii post *hosti* signum exclamandi ponunt et post *suis* distinctionem mediam.

278. *dispensat.* Hor. Od. I, 36, 6. *dividere oscula.*

279. „*liventia* (a plangendo) *brachia*“. Vid. 248. VIII, 535. V, 675. — Scripturam *tendens* exhibent Bersm., Abb., Berol., Dresd., Goth. 1., Vrat. et plurimi Heins. — Reliqui cum vett. edd. *tollens*. Prius etiam gravius est.

281. *Pascere, ait etc.* Cod. Bersm., Berol., Capr., Dom., Dresd., Goth. 2., Pal. 1. 2., Lips. 1. 2., Sulm. 1. 2., Twisd. 1. 2., Urs., Vatt. Ciof., Vrat., plurimi Heins. et ed. pr.

Pascere, ait, satiaque meo tua pectora luctu,
Corque ferum satia, dixit, per funera septem
Dum pars nostra jacet et dum per funera septem
Efferor etc.

nisi quod Bersm., Dom., Pal. 2., Lips. 1., Sulm. 1., Urs. et vetustum exemplum Raph. Regii *corque ferum satura* et nonnulli Heins. et ed. pr. *dum pars una jacet*, et Lips. 1. priore, Pal. 2. et nonnulli Heins. posteriore versu *per vulnera* exhibent. — Versus

Dum pars nostra jacet et dum per funera septem

abest a vetusto exemplari R. Regii, Abb., aliisque Ciof., Gal., Goth. 1., Rhen., Par. 1. 2., multis Heins. et vett. edd. excepta principe omnibus, et in Capr., Pal. 2. et Vrat. in margine tantum legitur. — In Pal. 1. hoc versu servato omissus est versus *Corque ferum etc.*, qui in Pal. 2. transverso calamo notatus et in Par. 2. in margine tantum scriptus est. — Delendus est versus: *Dum pars etc.* et codicum auctoritate et quod ad sensum ineptus est. Alii etiam v. 282.: *Corque ferum etc.* spurium censuerunt, qui praeter quod co-

Corque ferum satia!“ dixit. „Per funera septem
Efferor: exsulta victrixque inimica triumpha!
Cur autem victrix? Miserae mihi plura supersunt,
Quam tibi felici: post tot quoque funera vinco.“
Dixerat; et sonuit contento nervus ab arcu,
Qui praeter Nioben unam conterruit omnes.
Illa malo est audax. Stabant cum vestibus atris
Ante toros fratrum demisso crine sorores.
E quibus una, trahens haerentia viscere tela,
Imposito fratri moribunda relanguit ore.
Altera, solari miseram conata parentem,
Conticuit subito, duplicataque vulnere caeco est,
Oraque non pressit, sibi postquam spiritus exit.
Haec frustra fugiens collabitur, illa sorori
Immoritur; latet haec, illam trepidare videres.
Sexque datis leto diversaque vulnera passis,
Ultima restabat; quam toto corpore mater,
Tota veste tegens „Unam minimamque relinque!
„De multis minimam posco“ clamavit „et unam.“,
Dumque rogat, pro qua rogat, occidit. Orba resedit
Exanimes inter natos natasque virumque,
Diriguitque malis: nullos movet aura capillos;

dicum consensu confirmatur, mihi etiam ad sensum aptissimus esse videtur. Continet enim gradationem huic affectui satis aptam. Primum v. 280. dicit: *pascere - nostro - dolore*. Jam cum repetitione gravius illud exponit: *pascere, ait, satiaque meo tua pectora luctu*. Jam illa *satia tua pectora, ferum* ad augendum addens, repetit *corque ferum satia*. Atque ex eodem affectu repetitum est illud *dixit* post *ait*. Verum quidem est, ita quinquies fere idem dici atque urgeri. At quoties Ovidius nimius est! Conf. IX, 176. 177.

283. *efferor* de mortuo dicitur, qui ad sepulturam effertur, hinc pro *perii*.

284. *plura*, sc. adhuc VII filiae.

286. *dixerat; et sonuit*. Arond., Goth. 2., unus Patav. et Rhen. *dixerat, insonuit*, ad sensum quidem bene. Cf. V, 67. Sed non justa adest caussa mutandi. Conf. VII, 790. IX, 89., ubi Heinsius quoque, ut hoc loco, prave mutavit. Virg. A. III, 8.

— Vix prima inceperat aestas;
Et pater Anchises dare fatis vela jubebat.

Conf. Aen. VI, 499. Metam. X, 636. XI, 255. — *ab arcu*, sc. Dianae, quae filias occidit. Conf. 215.

289. *toros*, sc. ferales. IX, 503. — *demisso crine*. Her. X, 137.

Aspice demissos lugentis more capillos.

Cod. Bersm., Dresd. a corr., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 1. 2. et nonnulli apud Raph. Reg. *ante rogos*. Perperam. — Nonnulli Heins., Dresd., Gal., Goth. 2. et Vrat, *dimisso*.

293. *duplicata*, penitus incurvata. Virg. Aen. XII, 927.

— — incidit intus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus. —

Val. Max. V, 1. *duplicatum frigore corpus*. — *caeco*, abscondito. — Viv., Berol., Cant., Gal., Goth. 1., Rhen., Vrat. a corr., XI Heins. *vulnere tota est*, nisi quod Goth. 1. et Rhen. *est* omittunt. Vulg. *caeco est*.

294. *non pressit*, h. e. aperta tenuit, Vulg. *oraque compressit, nisi postquam spiritus ibat*. Sine sensu. — Bas. 3. 2. Medic. 1., Thu., Vat. 2. et IV Heins. *non pressit*. — Cod. Bersm., Berol., Dresd. in lit., Gal., Goth. 1., Lips. 2. et Vrat. *sibi postquam*. Alter Bersm. *sed postq.*, Goth. 2. *tunc postq.* Porro meliores Heins., Berol., Goth. 1., Bas. 1. et unus Maff. *exit*. — Pal. 2. cum reliquis *ibat*.

303. *diriguit* in saxum. Conf. V, 186 seqq.

In vultu color est sine sanguine; lumina maestis
Stant immota genis; nihil est in imagine vivum.
Ipsa quoque interius cum duro lingua palato
Congelat, et venae desistunt posse moveri;
Nec flecti cervix, nec brachia reddere gestus,
Nec pes ire potest, intra quoque viscera saxum est.
Flet tamen, et validi circumdata turbine venti
In patriam rapta est: ubi fixa cacumine montis
Liquitur, et lacrimas etiam nunc marmora manant.
Tum vero cuncti manifestam numinis iram
Femina virque timent, cultuque impensius omnes
Magna gemelliparae venerantur numina divae;
Utque fit, a facto propiore priora renarrant.
E quibus unus ait: „Lyciae quoque fertilis agris
„Non impune deam veteres sprevere coloni.
Res obscura quidem est ignobilitate virorum,
Mira tamen. Vidi praesens stagnumque locumque
Prodigio notum. Nam me jam grandior aevo
Impatiensque viae genitor deducere lectos
Jusserat inde boves, gentisque illius eunti
Ipse ducem dederat; cum quo dum pascua lustro,
Ecce, lacu medio sacrorum nigra favilla
Ara vetus stabat, tremulis circumdata cannis.

305. *nihil - vivum.* XIV, 396. — Urb. et pro v. l. alter Erf. *vivi.*

307. *congelat*, ut *diriguit* v. 303., de mutatione in saxum.

308. *reddere gestus.* Berol., Dresd., Gal. 1., Goth. 1., Lips. 1. 2., II Ciof. et multi Heins. *reddere motus.* Cod. Bersm. *tendere motus. Reddere gestus* post illa *posse moveri* copiosius est.

311. „*rapta est* (Thebis ubi res acciderat) *in patriam*, h. e. in Phrygiam.“ — *montis*, Sipyli. Vid. v. 149. — Berol., Gal., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 1. *ibi.*

312. *lacrimas.* Ita Bas. 1., Flor., Goth. 1. 2., Medic. 1. et Nor. — Reliqui *lacrimis.* Accusativus satis frequens est cum verbis *manare, stillare, pluere* et similibus. Sed h. l. scriptura *lacrimas* veteribus libris non satis confirmata videtur. Senec. Agam. v, 374. *Stat nunc Sipyli vertice summo flebile saxum, et adhuc lacrimas marmora fundunt antiqua novas.* Prop. II, 20, 7.

Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
Sollicito lacrimas depluit a Sipylo.

313. *Agrestes Lyciae, quia Latonam aqua prohibuerant, in ranas mutati.* Ant. Liberal. c. 35. Serv. ad Virg. G. I, 378.

313. *cuncti.* Unus Leid. *tanti.* Deinde Bersm., Berol., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 1. et ed. pr. *tum*, quod tacite edidit Heinsius. Rhen. *nunc.* Reliqui *tunc.* — *manifestam*, factis declaratam.

315. *gemelliparae*, Apollo et Diana. Vid. 160. 205.

316. „*a facto propiore* sive, quod nuper acciderat, deducuntur sermone ad priora et antiqua eaque renarrant.“ — Barb. et Gron. 3. *retractant.* Vid. V, 635.

317. *e quibus unus.* Conf. v. 382. — Lycia regio Asiae minoris.

318. *non impune.* Berol. et Rhen. *haud impune*, quod temere novavit Heinsius.

320. *locumque* sc. stagni h. e. quo loco ad stagnum res accidit, sive *prodigio notum.* — Cod. Bersm., Par. 2., Cant., Dresd., Goth. 1., Bas. 4., Medic. 3. 4., Vat. 1., nonnulli Naug. *stagn. lacumque*, intolerabili tautologia. Fast. VI, 423, *vidi templumque locumque.* Vid. Met. XI, 472. et not. ad Trist. IV, 3, 23. — De illo *praesens* conf. VIII, 624.

322. *impatiens viae*, qui molestias viae s. longinqui itineris ferre non poterat.

323. *inde*, ab illo Lyciae tractu.

325. *lacu.* Barb. *lacus*, quod temere recepit Heinsius.

326. *tremulae.* Conf. II, 875.

Restitit et pavido „Faveas mihi!“ murmure dixit
Dux meus, et simili „Faveas!“ ego murmure dixi.
Naïadum Faunine foret tamen ara rogabam
Indigenaeve dei, cum talia retulit hospes:
„Non hac, o juvenis, montanum numen in ara est;
Illa suam vocat hanc, cui quondam regia conjux
Orbem interdixit, quam vix erratica Delos
Errantem accepit tunc, cum levis insula nabat.
Illic incumbens cum Palladis arbore palmae
Edidit invita geminos Latona noverca.
Hinc quoque Junonem fugisse puerpera fertur,
Inque suo portasse sinu duo numina, natos.
Jamque Chimaeriferae cum sol gravis ureret arva
Finibus in Lyciae, longo dea fessa labore
Sidereo siccata sitim collegit ab aestu,
Uberaque ebiberant avidi lactantia nati.
Forte lacum mediocris aquae prospexit in imis
Vallibus; agrestes illic fruticosa legebant

327. *pavido*. Ita cod. Bersm., Berol., Dresd., Lips. 1. 2., Sulm. 1. 2., Vrat., nonnulli Ciof., plurimi Heins. et ed. pr. — Erf. 1. 2., Flor., Medic. 2., Neap., Pal. 1, Rhen. et X Heins. *paullo*. Reliqui cum edd. Venn. *parvo;* e IV, 83., ut videtur. — *restitit*, substitit.

328. *faveas, ego*. Ita cod. Bersm., Berol. et meliores Heinsii certe elegantius, quam vulg. *faveas mihi. „dixit dux meus . . . ego dixi*.

329. Construe: *attamen rogabam*, (utrum) *ara esset Naïadum*, (ara enim stabat in medio lacu), *an Fauni* (quippe dei silvestris. I, 193.), *vel indigenae dei?* — Pal. 2., Lips. 2. et Vrat. *indigenaene*.

330. Bas. 1., Par. 2. et VI Heins. *reddidit*, e glossa. Conf. III, 387. Cod. Bas. 1., Mor. 1. et unus Voss. *cui*. — *hospes*. Vid. v. 324.

332. *illa — interdixit*, Latona. — *regia conjux*, Juno conjux Jovis. Bas. 1., Berol., Hamb., Langerm. et X Heinsii: *regia Juno*, ex interpretamento. De re conf. 186-192.

333. *erratica Delos*. Vid. ad v. 190. — Nonnulli Naugerii libri et margo ed. Bas. *orbe*.

334. *errantem*. Castigatiores (?) Heins., Bas. 1., Berol., Rhen. et Vrat. *orantem*, ex v. 361. Delos *erratica errantem* vere Nasoniana oratio. Cf. Pont. IV, 14. 57.

Quam grata est igitur Latonae Delia tellus,
Erranti tutum quae dedit una locum.

Conf. Met. VI, 190. — Berol., Rhen. et Lips. 1. 2. *tum*, quod tacite edidit Heinsius. Reliqui *tunc*.

335. „*illic incumbens* (reclinata) *palmae et oleae . .*“ Nam olea arbor Palladi sacra. Vid. v. 102. — De re vid. ad XIII, 635.

336. *noverca*, Junone: nam Latona conceperat Apollinem et Dianam a Jove; unde etiam illae Junonis irae.

337. *hinc*, Delo.

338. *natos*, filium et filiam. Conf. III, 132. — Goth. 1. et multi ex melioribus Heins. *inque suos-sinus*. Rhen., Bas. 2. et Lips. 2. *suos p. sinu*. Pal. 2. *sinu p. suos*.

339. *Chimaeriferae*, quae Chimaeram, monstrum, protulit. Vid. ad IX, 647.

340. *labore*, sc. eundi, fugiendi.

341. *sidereo*, solis. IV, 169. I, 779. — *collegit*. Conf. V, 446. — Hanc scripturam, haud dubie e codd., primus dedit Heinsius, quam cod. Bersm., Abb., Goth. 1. 2., Maff. 1. 2., Rhen., Vrat., Par. 1. et vett. edd. confirmant. — Alter Bersm., Berol., Briant., Cael. 1. 2., Dresd., Par. 2., Lips. 1. 2., Sulm. 1. 2. *concepit ab aestu*. Vulg. *collegerat aestu*.

343. *mediocris*, haud magnae, ut facile turbari posset. Cf. 363. Unus Strozzae *melioris*, inepte, sed tamen recepit Heinsius. — Cod. Bersm., Bas. 3., Dresd. et Goth. 1. *conspexit*.

Vimina cum juncis gratamque paludibus ulvam.
Accessit positoque genu Titania terram
Pressit, ut hauriret gelidos potura liquores;
Rustica turba vetat. Dea sic affata vetantes:
„Quid prohibetis aquis? Usus communis aquarum est:
Nec solem proprium natura nec aëra fecit
Nec tenues undas; ad publica munera veni.
Quae tamen ut detis supplex peto. Non ego nostros
Abluere hic artus lassataque membra parabam,
Sed relevare sitim: caret os humore loquentis,
Et fauces arent vixque est via vocis in illis.
Haustus aquae mihi nectar erit, vitamque fatebor
Accepisse simul, vitam dederitis in undis.
Hi quoque vos moveant, qui nostro brachia tendunt
Parva sinu" —, et casu tendebant brachia nati.
Quem non blanda deae potuissent verba movere?
Hi tamen orantem perstant prohibere, minasque,
Ni procul abscedat, conviciaque insuper addunt.
Non satis est: ipsos etiam pedibusque manuque
Turbavere lacus, imoque e gurgite mollem
Huc illuc limum saltu movere maligno.
Distulit ira sitim: neque enim jam filia Coei
Supplicat indignis, nec dicere sustinet ultra
Verba minora dea; tollensque ad sidera palmas
„Aeternum stagno" dixit „vivatis in isto!"
Eveniunt optata deae: juvat esse sub undis,
Et modo tota cava submergere membra palude,
Nunc proferre caput, summo modo gurgite nare,
Saepe super ripam stagni considere, saepe

346. *Titania*, Latona. Alibi Phoebus et Diana *Titanius* et *Titania* vocantur. III, 173. Cf. I, 10. Ita diversae fabulae a poetis saepe confunduntur.

348. *vetat*. Sic vett. libri consensu omnes. Heinsius ex conjectura *vetant*. Vid. ad v. 219. et ad I, 92.

349. *communis* ut *publicus* v. 351. Cf. I, 135. — Neap., Pal. 1., Lips. 1., Vat. 1. et VII alii Heins. *aquis*. Reliqui omnes cum vett. edd. *aquas*. *Aquis* rectius est, quia in *prohibere* notio inest arcendi. Conf. XV, 600. II, 528. Deinde Berol., Dresd., Goth. 1. 2. et Rhen. *est* omittunt, quod Heinsius tacite delevit.

352. „*et tamen* (licet publica sint) *supplex peto*, *ut mihi ea detis*, eorum mihi usum permittatis." Oratio illa *ego nostros* apud Nasonem passim reperitur. Conf. VII, 38 seqq. II, 39.

355. *vixque — in illis*, vox illas (sc. fauces) vix permeare potest.

357. *dederitis*, producta peanultima, ut saepe. Pont. IV, 5, 6.

Et maris Ionii transieritis aquas. Meliores (?) Heins., Par. 2. et pro v. l. Vrat. *in unda*, quod edidit Heinsius. — *In undis*, per undas.

363. Nonnulli Heins. codd. *nec satis hoc* ex XI, 85. XV, 127.

366. *filia Coei*. Vid. v. 185. — Capr., Goth. 1., Rhen., Lips. 2., Sulm. 1. 2., Vrat., nonnulli Ciof. et deteriores Heinsii *sustulit*. Conf. I, 724.

368. *minora dea*, deae majestati non satis convenientia, indigna. Prop. IV, 9, 32. de Hercule:

Et jacit ante fores verba minora deo.

Vid. supra v. 151.

369. *aeternum* pro adverbio est, ut saepe.

370. „*juvat* (eos) *esse sub undis*." Heinsii parum necessaria conjectura est: *juvat isse sub undas*. Mor. et unus Medic. *ire*.

373. *considere* Genev., Medic. 3. et Pal. 2. — Reliqui *consistere* ranarum naturae parum accommodate.

In gelidos resilire lacus. Sed nunc quoque turpes
Litibus exercent linguas, pulsoque pudore,
Quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere tentant.
Vox quoque jam rauca est, inflataque colla tumescunt,
Ipsaque dilatant patulos convicia rictus.
Terga caput tangunt, colla intercepta videntur,
Spina viret, venter, pars maxima corporis, albet;
Limosoque novae saliunt in gurgite ranae.
Sic ubi nescio quis Lycia de gente virorum
Retulit exitium, Satyri reminiscitur alter,
Quem Tritoniaca Latous arundine victum
Affecit poena. „Quid me mihi detrahis?“ inquit.
„Ah piget! Ah non est“ clamabat „tibia tanti!“
Clamanti cutis est summos direpta per artus;
Nec quicquam, nisi vulnus, erat: cruor undique manat,
Detectique patent nervi, trepidaeque sine ulla
Pelle micant venae; salientia viscera posses
Et perlucentes numerare in pectore fibras.
Illum ruricolae, silvarum numina, Fauni
Et Satyri fratres, et tunc quoque clarus Olympus,
Et Nymphae flerunt, et quisquis montibus illis
Lanigerosque greges armentaque bucera pavit.
Fertilis immaduit madefactaque terra caducas
Concepit lacrimas, ac venis perbibit imis.
Quas ubi fecit aquam, vacuas emisit in auras.

374. *sed nunc quoque.* Hamb. 1. pro v. l. *et nunc quoque.* Optima est scriptura librorum. Scilicet *in reliquis mutati erant: sed nunc quoque etc.*

375. *litibus*, jurgiis, conviciis. Cf. VIII, 827.

376. Mor. 2. *sunt.* Gron. 1. *stant.* Ponit Ovidius *quamvis* cum indicativo et cum conjunctivo promiscue. Itaque nihil caussae adest, cur a scriptura omnium fere librorum discedamus.

379. *intercepta*, e medio ablata, ut nulla adesse videantur.

382. *Marsyas, Satyrus Phrygius, cum Apolline tibiarum cantu certavit, qui victo cutem detraxit. E Faunorum autem, Satyrorum et Nympharum lacrimis flumen Phrygiae, cui Marsyas nomen, ortum est.* Apollod. I. c. 4. Hyg. F. 165. Herod. VII. c. 26. Diod. Sic. III. p. 192.

382. Conf. v. 317.

384. *Tritoniaca*, Minervae. Nam Minerva tibiam [*arundo* enim h. l. pro tibia ex arundine facta] prima invenisse, sed quod faciem deformaret, abjecisse, abjectam Marsyas sustulisse dicitur. Fast. VI, 695 seqq. Hyg. F. 1. — *Latous*, filius Latonae. V. 326. De hoc nomine vid. not. ad VII, 384. — 385. *me mihi detrahis*, ut *sibi ablatus* V, 546.

387. *direpta.* Sic codd. et vett. edd. omnes. Heinsii conjectura est *derepta.* Conf. III, 52. XV, 304. Ceterum cutis illa Plinii aetate adhuc ostendebatur, auctore Plin. H. N. XVI. c. 44.

390. *posses.* Cod. Bersm., Berol., Par. 2. et Rhen. *possis*, quod non apparet cur loco optimae vulgatae receperit Heinsius. *Posses*, sc. illo tempore, cum haec fierent, si fuisses. Vid. 421. VII, 85. 82. XIII, 685. VIII, 323. XI, 570. — *salientia*, trepidantia, micantia.

392. *Fauni etc.* Vid. I, 193.

393. *Olympus* tibicen Marsyae discipulus, *tunc quoque*, quum Marsyas periret, *clarus.* Vide auctores supra laudatos et Pausan. Phocid. p. 873.

395. *arm. bucera.* Lucret. V, 864. *Lanigeraeque simul pecudes et bucera secla.*

396. *caducas*, cadentes, ut *poma caduca* Prop. II, 32, 40.

397. *concepit*, absorbuit.

398. *vacuas — in auras*, in lucem. XV, 220. *Vacuum aëra* dixit Virg. G. III, 109. — Scripturam *aquam* Bersm.,

Inde petens rapidum ripis declivibus aequor,
Marsya nomen habet, Phrygiae liquidissimus amnis.
Talibus exemplis redit ad praesentia dictis
Vulgus, et exstinctum cum stirpe Amphiona luget.
Mater in invidia est. Tamen hanc quoque dicitur unus
Flesse Pelops, humeroque, suas a pectore postquam
Deduxit vestes, ebur ostendisse sinistro.
Concolor hic humerus nascendi tempore dextro
Corporeusque fuit; manibus mox caesa paternis
Membra ferunt junxisse deos, aliisque repertis,
Qui locus est juguli medius summique lacerti,
Defuit: impositum est non comparentis in usum
Partis ebur, factoque Pelops fuit integer illo.
Finitimi proceres coëunt, urbesque propinquae
Oravere suos ire ad solatia reges,
Argosque et Sparte Pelopeïadesque Mycenae,

Berol., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat et meliores Heinsii tuentur. Reliqui *aquas*, minus eleganter, quia minus perspicue.

399. *inde*, aquis in auras emissis.

400. De Marsya Phrygiae flumine, quod Maeandro miscetur, vid. Liv. XXXVIII. c. 13. Curt. III. c. 1. De constructione *Marsya nomen habet* conf. I, 169. XV, 740.

401. *Tantalus, Niobes pater, ut deos convivio exceptos tentaret, Pelopem filium mactatum iis apposuit. Quod scelus cum dî animadverterent, Ceres jam humerum consumserat. Pelops a dîs in vitam revocatur, dato in locum absumti humeri eburneo.* Hyg. F. 83. Lycophron. Cass. 159. Pind. Ol. I, 72 sqq.

401. *Talibus exemplis.* Haec est lectio librorum, cui Heinsius cum Flor. et Strozz. pro v. l. prave substituit *extemplo*. „*Talibus exemplis e vetustate* (sc. de rusticis Lyciis et Marsya. Vid. 316.) *dictis* h. e. narratis *vulgus ad praesentia exempla sive facta venit.*“

402. *luget.* Berol., Dresd., Goth. 2. et nonnulli Heins. *lugent*, quod Heinsius et ejus sectatores ediderunt parum respicientes singularem *redit*, qui antecessit. Vid. ad 348.

403. *in invidia*, in odio. IV, 548. — Scripturam *tamen hanc quoque* tuentur Arond., Gron. 1., Rhen., X Heins. et a 2. m. Goth. 2. Reliqui *hanc tunc quoque*. — „Mater *stirpis* Niobe, cujus frater Pelops. Is prae cura et luctu de sorore vestem deducit [III, 480. V, 398.], atque ita humerus ejus apparet. Sic intruditur potius quam intexitur fabula.“ *Gierig.*

404. Cod. Menag. et fragm. Mor. *ad pectora.* Reliqui *a pectore*, recte; nam deducebat vestem ad pectus plangendum.

406. *hic.* Ita Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2. et a corr. 1., Vrat., meliores Heins., nonnulli (?) Naug. et ed. pr. — Reliqui cum edd. Venn. *huic*; minus recte; nam de humero nunc sermo habetur.

408. *aliis*, ceteris, ut passim.

409. Hic versus est periphrasis humeri. De adjectivo *medius* cum gen. vid. V, 409. 644. — 410. *non comparentis*, non repertae.

411. *integer* h. l. cui nullum membrum deest.

412. *Tereus, Thraciae rex, Procnen, Pandionis Atticae regis filiam in matrimonio habebat. qui cum sororem ejus Philomelam Athenis ad uxorem suam comitaretur, vim ei attulit, ac ne stuprum eloqueretur, lingua excisa inclusam tenuit. At illa telae artificio casum suum sorori indicavit. Procne liberata sorore Itym filium occisum patri apposuit. Tereus re cognita gladio eas persequitur, at Philomela in lusciniam, Procne in hirundinem, Tereus in epopem s. upupam mutantur.* Apollod. III. c. 14. Hyg. F. 45. Pausan. Attic. p. 13. 100. Phoc. p. 807.

413. *ire ad solatia*, ad consolandum Pelopem. Ceterum simili transitu poëta etiam usus est I, 577.

414. *Pelopeïades*, quia ibi Pelopis stirps, Atreus, Thyestes et Agamemno

Et nondum torvae Calydon invisa Dianae,
Orchomenosque ferax et nobilis aere Corinthos,
Messeneque ferox Patraeque humilesque Cleonae,
Et Nelea Pylos, nec adhuc Pittheïa Troezen,
Quaeque urbes aliae bimari clauduntur ab Isthmo,
Exteriusque sitae bimari spectantur ab Isthmo.
Credere quis posset? Solae cessastis Athenae.
Obstitit officio bellum, subvectaque ponto
Barbara Mopsopios terrebant agmina muros.
Threïcius Tereus haec auxiliaribus armis
Fuderat, et clarum vincendo nomen habebat.
Quem sibi Pandion opibusque virisque potentem,
Et genus a magno ducentem forte Gradivo,
Connubio Prognes junxit. Non pronuba Juno,

regnarunt. Expressus hic versus secundum Hom. Il. II, 605.

Ἄργος τε Σπάρτη τε καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη.

Pelopeïades a Graeco *Πελοπηϊάδαι*.

415. „*et Calydon* (urbs Aetoliae) quae ***torvae***, iratae, Minervae, tum nondum invisa erat, ut postea facta est.“ Vid. VIII, 272 seqq. — De illo *et nondum invisa* vid. II, 219.

416. *Orchom.* ***ferax***. Vetustiores (?) Heins., Lips. 1. et a 1. m. 2. et Vrat. a 1. m. *ferox*. Ab Hom. Il. II, 605. *Ὀρχομενὸς πολύμηλος* dicitur, a Pindar. Olymp. Od. XIV, 4. *λιπαρά*, ab Apoll. Rhod. III. *ἀφνειός*, et hinc a Nasone *ferax*. Nam Orchomenos Arcadiae h. l. significatur, de cujus situ vid. Pausan. Arcad. p. 626. — ***Corinthus nobilis aere***. Clarissimum illud aes Corinthium significat, de quo vid. Plin. H. N. XXXIV. c. 4.

417. ***ferox*** ob suscepta toties a Messeniis pro libertate bella. Multi codd. et ed. pr. h. l. quoque *ferax*. — ***Patrae*** urbs Achaiae. ***Cleonae*** sitae inter Corinthum et Argos. — ***humiles***, parvae. Pausan. Corinth. p. 142.

418. ***Nelea Pylos***, a Neleo qui ibi rex fuit. II, 689. Apollod. I. c. 9. — ***Troezen*** Argolidis oppidum, in quo post ea tempora Pittheus Pelopis filius rex fuit. Vid. XV, 296. — Heinsius tacite edidit ***neque adhuc***, quod Berol., Goth. 2., Rhen., Lips. 1. 2. et ed. pr. tuentur. Codd. Ciof., Dresd., Goth. 1., Vrat. et edd. Venn. ***nec adhuc***.

419. ***bimaris - Isthmus*** est Corinthiacus. V, 407. — Gron. unus, Jun. et Lips. 1. versum 420. omittunt. Sed hujusmodi repetitiones Naso in deliciis habet. Conf. v. 484. 485. I, 325. 326.

421. ***posset***. Meliores Heins. et Rhen. ***possit***. Iidem meliores Heinsii, Bas. 2. et Vrat. ***cessatis***. Cum nesciamus qui et quot illi Heinsii meliores sint, vulgata retinenda est. Vid. ad. X, 543. et not. ad V, 390. De transitione illa ad fabulam conf. I, 583.

422. ***officio***, sc. consolandi. Vid. v. 413. — Scripturam ***subvecta***, quam tacite recepit Heinsius, tuentur etiam nonnulli Ciof., Berol. et Par. 1. Reliqui omnes cum vett. edd. ***subjecta***, quod genuinum videtur et esse pro ***vicina***, ***contermina***: nam ***barbara agmina*** intelligenda videntur barbari ad Pontum habitantes, quales Amazones, quas et easdem, sed sub Theseo Athenarum rege, contra Athenienses bellasse constat. Plut. Thes. Quod autem bellum intelligendum sit, obscurum est; non intelligendum esse bellum, quod Pandionem cum Labdaco Boeotiorum rege gessisse tradit Apollod. III. c. 18., manifestum est.

423. ***Mopsopios***. Ita codd. Ciof., nonnulli Heins., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et ed. pr. Reliqui plerique *Cecropius*. — ***Mopsopius*** Atheniensis, ut *Cecropius*, (Vid. V, 661.) a *Mopsopia* antiquo regionis Atticae nomine. Sed majorem auctoritatem vetustatis habet *Cecropius*. Conf. v. 446.

427. ***Gradivus*** cognomen Martis apud Rom., quasi *gravis divus*. Vid. Serv. ad Virg. A. III, 53. — 428. ***connubio*** alteram corripit, ut ***pronuba***; sed X, 618. producit. — ***Juno pronuba***, quia praeerat connubiis ac nuptiis: ***sacris praefecta maritis*** Her. XII, 87., ubi vid. not. Conf. Met. XII, 762. Ad sententiam Her. VI, 45.

At mihi nec Juno nec Hymen, sed tristis Erinnys
Praetulit infaustas sanguinolenta faces.

Non Hymenaeus adest, non illi Gratia lecto;
Eumenides tenuere faces de funere raptas,
Eumenides stravere torum, tectoque profanus
Incubuit bubo thalamique in culmine sedit.
Hac ave sunt juncti Progne Tereusque, parentes
Hac ave sunt facti. Gratata est scilicet illis
Thracia, dîsque ipsis grates egere diemque,
Quaque data est claro Pandione nata tyranno
Quaque erat ortus Itys, festum jussere vocari.
Usque adeo latet utilitas. — Jam tempora Titan
Quinque per autumnos repetitis duxerat annis,
Cum blandita viro Progne „Si gratia“ dixit
„Ulla mea est, vel me visendam mitte sorori,
Vel soror huc veniat. Redituram tempore parvo
Promittes socero. Magni mihi muneris instar
Germanam vidisse dabis.“ Jubet ille carinas
In freta deduci, veloque et remige portus
Cecropios intrat Piraeaque litora tangit.

Her. II, 117.

Pronuba Tisiphone thalamis ululavit in illis,
Et cecinit moestum devia carmen avis.
Affuit Alecto brevibus torquata colubris
Suntque sepulcrali lumina mota face – ubi vid. not.

429. *non illi*. Sic cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2. et ed. pr., quod tacite edidit Heinsius et haud dubie in plerisque suis codd. invenerat. Reliqui *illi non*, ut distinguendum sit post *illi*. — *Gratia* dea venustatis et Veneris comes, cui etiam in nuptiis partes tribuebantur. Poll. III. c. 3. — De *Hymenaeo*, nuptiarum deo, conf. X. init. — 430. De *facibus* vid. ad IV, 758. et VII, 49.

431. *profanus bubo*. V, 550. VII, 269. X, 453. Her. 1. l.

Et cecinit mocstum devia carmen avis.

433. *hac ave*, hoc augurio, omine. Cf. Hor. Od. I, 15, 5. Tib. I, 2, 21.

435. *dîsque ipsis*, qui adversi erant, nec nuptiis affuerant. Gron. 1., unus Leid., Lov. et margo Bersm. *dîsque ipsi*. Reliqui omnes *ipsis*. — *Thracia gratata est, et dîs ipsis grates egere.*

437. *Itys*, filius. Berol., Goth. 2., Gron. 3., II Heins et ed. pr. *festam*. Reliqui *festum*. — 438. *usque adeo*. Conf. v. 67. et V, 396.— Construe: *Jam Titan* (I, 10.) *tempora annis repetitis per quinque auctumnos duxerat*. Vetustiores (?) Heins., Dresd., Par. 1. a 1. m. et Vrat. *repetiti anni*, ut jungendum sit *tempora anni repetiti*. Conf. I, 117. 118. Sed reliqui omnes cum vett. edd. *repetitis annis*, quod est Homericum *περιπλομένων ἐνιαυτῶν*. Conf. infra v. 571. — De illo *annos per auctumnos ducere* conf. I, 118.

440. *si gratia — est*. Conf. V, 378. 515.

441. Lips. 2., II Medic. et III alii Heins. *mei. — visendam*. Heinsius prave conjecturam suam dedit *visendae*. Veteres libri fere consensu *visendam*, nisi quod quatuor *visenda;* optime: si poeticae licentiae aliquid concedendum est. — *sorori*, Philomelae. Vid. ad v. 412.

442. *redituram* illam esse.

443. *muneris*. Pauci: Arond., Berol., Bas. 1. 2. 3., Dresd., Goth. 2., Thu. et VI Heins. *numinis*, quod recepit Heinsius, sed ob nimiam emphasin Lemairius jure improbavit, nec satis planam habet ista scriptura sententiam. — *Dabis mihi magni muneris instar* est: *dabis mihi pro magno munere, magno mihi pro munere erit*. Ad sensum conf. XIV, 843.

445. *deduci* proprie dicuntur naves, cum machinis suppositis in mare retrahuntur. Contrarium est *subduci*. *Gierig*. Conf. VIII, 104. — Verbis *veloque et remige* festinatio declaratur. Conf. III, 662, 663.

446. Est adjectivum *Piraeus* et *Piraeus*. Piraeus celeberrimus portus Athe-

Ut primum soceri data copia, dextera dextrae
Jungitur et fausto committitur omine sermo.
Coeperat, adventus causas, mandata referre
Conjugis et celeres missae spondere recursus,
Ecce, venit magno dives Philomela paratu,
Divitior forma: quales audire solemus
Naïdas et Dryadas mediis incedere silvis;
Si modo des illis cultus similesque paratus.
Non secus exarsit conspecta virgine Tereus,
Quam si quis canis ignem supponat aristis,
Aut frondem positasque cremet foenilibus herbas.
Digna quidem facies; sed et hunc innata libido
Exstimulat, pronumque genus regionibus illis
In venerem est: flagrat vitio gentisque suoque.
Impetus est illi, comitum corrumpere curam
Nutricisque fidem, nec non ingentibus ipsam
Sollicitare datis totumque impendere regnum,
Aut rapere et saevo raptam defendere bello;
Et nihil est, quod non effreno captus amore
Ausit, nec capiunt inclusas pectora flammas.
Jamque moras male fert, cupidoque revertitur ore
Ad mandata Prognes, et agit sua vota sub illa.

narum (Mela II. c. 3.): nam *Cecropios* valet *Athenienses*, a Cecrope Athenarum conditore. II, 555.

447. *soceri*, Pandionis. Vid. 412. — Multi Heinsii *dextraque dextrae*, ut hoc colon pertineat ad protasin. — *copia*, conventus, adeundi facultas. Conf. XI, 278.

448. *fausto omine* de mutua salutatione accipiendum. Scriptura *et fausto* confirmatur Arg., Franc., Ox., Par. 2., Bas. 3., Lips. 2., Thu., Urb., III melioribus Heins. et ed. pr. Reliqui *infausto*, quod obscurum est. — Berol., II Bersm., Dresd., Rhen., multi Heins. et ed. pr. *ordine.*

449. *causas. Causam*, quod vulgo edunt, tacite edidit Heinsius, nec nisi Berol., Lips. 2. et ed. pr. tuentur. Itaque restituendus pluralis.

450. *recursus*, ut XI, 454. IX, 593. Multi Heins. *regressus.*

451. *paratu*, ut *paratus* v. 454. et IV, 763. — Fast. III, 627. *Tyrios induta paratus.* — Scripturam *magno dives* tacite induxit Heinsius, eamque tuentur cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2. et ed. pr. Reliqui *dives magno*.
Non male:
venit dives magno Ph. paratu,
divitior forma.

453. *Naïdas et Dryadas.* Vid. III, 507. I, 642. — *incedere*, venire cum notione dignitatis ac decoris.

454. *illis*, Dryadibus. Cod. Berol. et Leid. *illi.*

456. Ad comparationem istam conf. I, 492. — Gron. 1. et II alii Heins. *submittat.*

458. *Digna quidem facies.* Tres memorat poeta causas, quibus Tereus ad amorem sit inflammatus: *dignam* (sc. amore) faciem Philomelae, innatam Tereo libidinem, et omnino ingenium Thracum in venerem pronum. Cf. Nep. Alcib. c. 2. — *sed et hunc*, ubi exspectes *sed et innata libido.* Sed Ovidius particulae *et* eundem locum dedit, quem particulae *etiam*, pro qua posita est, dare licebat. Unde fortasse etiam explicandum est I, 2.: *mutastis et illas.*

460. Nonnulli Heins. *est* omittunt. — *Suoque* refertur ad *innatam ipsi libidinem* v. 458.

461. *impetus est — corrumpere.* Conf. V, 287.

462. *nutricis fidem.* Vid. III, 278.

463. *sollicitare*, pudicitiam ejus tentare. Cf. VII, 721.

464. *defendere* a repetentibus.

466. *nec capiunt*, q. e. male continent. Conf. XI, 118.

468. *ad mandata Prognes.* Ita cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Rhen., Lips. 2., cod. Mariang. Accurs., vetustiores Heins. et ed. pr. Reliqui *ad Prognes mandata*, a correcte-

Facundum faciebat amor; quotiesque rogabat
Ulterius justo, Prognen ita velle ferebat.
Addidit et lacrimas, tanquam mandasset et illas.
Pro superi, quantum mortalia pectora caecae
Noctis habent! Ipso sceleris molimine Tereus
Creditur esse pius laudemque a crimine sumit.
Quid, quod idem Philomela cupit, patriosque lacertis
Blanda tenens humeros, ut eat visura sororem,
Perque suam contraque suam petit illa salutem?
Spectat eam Tereus praecontrectatque videndo,
Osculaque et collo circumdata brachia cernens,
Omnia pro stimulis facibusque ciboque furoris
Accipit; et quoties amplectitur illa parentem,
Esse parens vellet: neque enim minus impius esset.
Vincitur ambarum genitor prece. Gaudet agitque
Illa patri grates, et successisse duabus
Id putat infelix, quod erat lugubre duabus.
Jam labor exiguus Phoebo restabat, equique
Pulsabant pedibus spatium declivis Olympi:
Regales epulae mensis et Bacchus in auro
Ponitur, hinc placido dantur sua corpora somno.
At rex Odrysius, quamvis secessit, in illa
Aestuat, et repetens faciem motusque manusque,
Qualia vult fingit quae nondum vidit, et ignes

ribus, ut videtur, qui priorem in v. *Progne* etiam corripi ignorarent. *Progne* autem priorem corripit, ut VII, 464. *Cythnon*, IV, 653. *Atlas*. Conf. VIII, 121. IX, 273. — De mandatis Prognes vid. 440. — *Sub illa*, sc. Progne, h. e. Prognen praetendens. Male unus Medic. *sub illis*.

472. *caecae noctis*, erroris, dementiae. Vid. v. 652.

474. *pius*, sc. in uxorem. — *sumit*, adipiscitur, consequitur.

476. *ut eat*, ire sibi liceat.

477. *petit illa*. II Bersm., Rhen., Sulm. 1., Vrat. et vetustiores Heinsii *petit usque*. Berol., Lips. 2., nonnulli vetustiores Heinsii et ed. pr. *petit ipsa*. Reliqui *petit illa*: —

478. *praecontrectat*. Similia composita Naso permulta novavit. Vid. I, 289. XI, 731. XIV, 135. et not. ad Trist. IV, 6, 30. et ad I, 5, 28. Ad sententiam Tac. Ann. III. c. 12. *nudare corpus et contrectandum oculis permittere*.

480. *pro stimulis — accipit*, stimulorum vim in eum habent.

482. *neque enim minus impius esset*, ut qui pater sceleste amaret filiam.

484. *successisse*, saluti esse ac faustam.

485. *erat*. Alter Hamb. *erit*, quod inscite primus edidit Heinsius.

487. *declivis Olympi*. Virg. A. VIII, 280.

Devexo interea propior fit vesper Olympo.

Aen. X, 216.

— — — — *almaque curru*
Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum.

Vid. Met, II, 63 — 69. et 386.

488. *in auro*. Vid. VIII, 573. — Bacchus pro *vino*, deus pro re cui praest. Conf. 460. IV, 765.

489. *sua* sunt somno debita. Parum eleganter. Conf. VIII, 559. *Jahn*. Virg. Georg. IV, 190. *fessosque sopor suus occupat artus*. Aen. V, 832. *ferunt sua flamina classem*. — Nonnulli (?) Naug. *tradunt*. Lips. 1. *donant*.

490. *rex Odrysius*, Thracicus, ab Odrysis Thraciae gente. Pausan. Att. p. 22. Est autem Tereus. Vid. 424. — *Aestuat in illa*, ardenter eam amat. Conf. VII, 21. et ad IV, 234. — *Quamvis* cum indic., ut v. 12.

491. *repetens*, sc. cogitando sive memoria. Eodem modo dicitur *refero* I, 165. Vid. Trist. I, 3, 3. ibique not. —

Ipse suos nutrit, cura removente soporem.
Lux erat, et generi dextram complexus euntis
Pandion comitem lacrimis commendat obortis:
„Hanc ego, care gener, quoniam pia causa coëgit,
Ut voluere ambae, voluisti tu quoque, Tereu,
Do tibi, perque fidem cognataque pectora supplex,
Per superos oro, patrio tuearis amore,
Et mihi sollicitae lenimen dulce senectae
Quam primum - omnis erit nobis mora longa - remittas.
Tu quoque quam primum, - satis est procul esse sororem —
Si pietas ulla est, ad me, Philomela, redito!“
Mandabat pariterque suae dabat oscula natae,
Et lacrimae mites inter mandata cadebant.
Ut fidei pignus dextras utriusque poposcit,
Inter seque datas junxit; natamque nepotemque
Absentes pro se memori rogat ore salutent,
Supremumque vale pleno singultibus ore
Vix dixit, timuitque suae praesagia mentis.
Ut semel imposita est pictae Philomela carinae,
Admotumque fretum remis tellusque repulsa,
„Vicimus!“ exclamat „mecum mea vota feruntur!“

493. *cura*, amor, genus pro specie.

496. *pia causa*, sc. ut votis absentis filiae, Prognes, et Philomelae ac Terei obsecundaret. — In cod. Vrat., Pal. 2. et ed. pr. v. 496. post. v. 498., in Par. 1. et nonnullis Heins. codd. et edd. Venn. post v. 497. legitur.

497. *ut volv.* Par. 2., Rhen. et nonnulli Heins. *et voluere.* Male. Nam omnis vis est in illo *do tibi* et sensus est: . . . *do tibi, ut voluere etc.*

498. *cognata;* erat enim Tereus Pandionis gener.

499. *per superos.* Berol., Lips. 2. et nonnulli Heins. *per superosque.* Sed elegantior mihi vulgata videtur, quia illis *per superos* vim addit illud asyndeton.

500. *sollicitae.* Ita Goth. 2., Rhen., Hamb. 1. 2. et X. Heins. — Reliqui *sollicito.* Utrum elegantius et quomodo illud *sollicito* ortum sit, nemo dubitabit.

504. *dabat.* Goth. 2. et V Heins. *dedit*, a librariis ut videtur qui quantitatem verbi *dabat* ignorarent.

505. *mites*, mitis, pii s. paterni animi.

506. *ut fidei pignus.* Heinsius tacite edidit: *utque fide pignus*, quod Priscian. VII. c. 19. §. 93. et cod. Lips. 2. exhibent. Vid. not. ad III, 341. XII, 364. Reliqui cum vett. edd. *ut fidei pignus:* nisi quod Rhen. et Pal. 2. *et fidei pignus.* Neque apparet, cur hanc optimam scripturam mutemus. Revocandum etiam *utrasque* pro *utriusque*, quod nonnisi Priscian., Dresd., Goth. 2., Bas. 1. 2. 3. exhibent.

507. *nepotemque.* Versus hypermeter. IV, 11. 780.

508. *pro se memori rogat o. s.* Rhen., Lips. 2. a 1. m., Vrat. *memori pro se* quod tacite edidit Heinsius. Six. et unus Heins. *jubet.* Apparet Heinsianam scripturam *memori pro se jubet* e diversis scripturis paucorum ac diversorum codd. esse conflatam. Nam reliqui codd. et vett. in recepta a nobis eaque optima scriptura consentiunt. — *rogat, salutent.* Conf. IV, 111.

510. *praesagia.* XI, 457.

511. *ut semel.* Ita alter Bersm., Bas. 3., Goth. 2., Rhen., Sulm. 1. 2. et alii Ciof., Vrat. et multi Heins. — Cod. Bersm., Bas. 2., Berol., Goth. 1., Pal. 2. et permulti Heins. *at simul.* Reliqui *ut simul. Ut* confirmatur codicibus longe plurimis. at si hoc genuinum est, *semel* quoque tenendum est; nam *ut simul* non ferendum. Conf. Her. XIX, 175.

512. *admotumque fretum remis*, audax sane oratio pro: remique freto admoti sunt; inde nata varietas Lov. *percussumque.* — Vulgo *repulsa est*, sed cum *imposita est* praecesserit, h. l. *est* elegantius abest, ut in cod. Berol., Rhen. et III Heinsianis. Conf. tamen v. 252. 253. — De illo *repulsa est* vid. ad VIII, 139. XI, 466.

513. *vicimus.* Pauci *vincimus*, con-

Exsultatque et vix animo sua gaudia differt
Barbarus, et nusquam lumen detorquet ab illa;
Non aliter quam cum pedibus praedator aduncis
Deposuit nido leporem Jovis ales in alto:
Nulla fuga est capto; spectat sua praemia raptor.
Jamque iter effectum, jamque in sua litora fessis
Puppibus exierant; cum rex Pandione natam
In stabula alta trahit, silvis obscura vetustis,
Atque ibi pallentem trepidamque et cuncta timentem
Et jam cum lacrimis, ubi sit germana, rogantem
Includit, fassusque nefas et virginem et unam
Vi superat, frustra clamato saepe parente,
Saepe sorore sua, magnis super omnia divis.
Illa tremit velut agna pavens, quae saucia, cani
Ore excussa lupi, nondum sibi tuta videtur;
Utque columba suo madefactis sanguine plumis
Horret adhuc avidosque timet, quibus haeserat, ungues.
Mox ubi mens rediit, passos laniata capillos,
Lugenti similis caesis plangore lacertis,
Intendens palmas „O diris barbare factis,
„O crudelis,“ ait „nec te mandata parentis
Cum lacrimis movere piis, nec cura sororis,
Nec mea virginitas, nec conjugialia jura!
Omnia turbasti: pellex ego facta sororis,
Tu geminus conjux. Hostis mihi debita poena est.

stanti in hac oratione varietate. Vid. ad IV, 356. X, 442. et not. ad Trist. III, 9, 23.

514. *exsultatque et vix animo*. Bas. *exsultatque animo vix et*, Leid. *exs. animo et vix*. Reliqui codd. et vett. edd. omnes, ut edidimus.

515. Cod. Bersm. et multi Heins. *nunquam*. — Nonnulli Heins. *distorquet*, alii *deflectit*, unus Medic. et unus Gron. *declinat*. Reliqui libri vulgatam tuentur.

516. *aduncis*. Flor., Neap. et II Medic. *obuncis*, quod multi nunc edunt. Sed non video, cur h. l. cum omnibus vett. edd. et codd. tantum non omnibus *aduncis* non eodem jure scribendum sit quo II, 479, et aliis locis.

517. *Jovis ales*, aquila Jovi sacra. IV, 362.

518. *spectat*, oculos fixos tenet, observat.

521. *alta*, alte exstructa. Vid. 573. V, 627.

524. *nefas*, nefariam libidinem. — „*et virginem* (inermem ac debilem puellam) *et unam* (solam) *vi superat*“.

525. *clamato*. Conf. II, 443.

526. *super omnia*, imprimis, praecipue. VIII, 679.

528. *excussa*, vi erepta, extorta. Conf. V, 627. Trist. I, 1, 79. ubi vid. not.

529. *utque*. Unus Medic. *utve*. IV, 366.

531. *passos — capillos*. I, 332.

532. *caesis*, laceratis. Conf. V, 472. 473.

533. duo Heins. et ed. pr. *proh diris*; unde Heinsius prave conflavit scripturam suam *pro diris — pro crudelis*.

536. Plerique Heins., Dresd., Lips. 1. 2., Vrat. et vett. edd. *conjugalia*.

538. *geminus*. Gron. 1. et a 1. m. Vrat. *geminis*. Reliqui *gemínus*. Recte. Deinde Goth. 1. 2. et pauci Heins. *non haec mihi debita poena*, quod cum Heinsio multi recentiores editores ediderunt. Reliqui *hostis mihi d. poena est*, nisi quod Berol., Rhen., Pal. 2., Lips. 2. Vrat. et vett. edd. *est* omittunt; cujus sensus est: mihi debita poena est hostis, q. e. quam hostis mereat. Olim conjiciebam *mortis mihi debita poena est*. Sed nunc superiorem scripturam retinendam puto; et haec verba arctissime jungenda videntur cum illis *pellex — conjux*.

Quin animam hanc, ne quod facinus tibi, perfide, restet,
Eripis? Atque utinam fecisses ante nefandos
Concubitus; vacuas habuissem criminis umbras.
Si tamen haec superi cernunt, si numina divûm
Sunt aliquid, si non perierunt omnia mecum;
Quandocumque mihi poenas dabis! Ipsa, pudore
Projecto, tua facta loquar! Si copia detur,
In populos veniam; si silvis clausa tenebor,
Implebo silvas et conscia saxa movebo.
Audiat haec aether, et si deus ullus in illo est!"
Talibus ira feri postquam commota tyranni,
Nec minor hac metus est; causa stimulatus utraque,
Quo fuit accinctus, vagina liberat ensem,
Arreptamque coma flexis post terga lacertis
Vincla pati cogit. Jugulum Philomela parabat,
Spemque suae mortis viso conceperat ense.
Ille indignantem et nomen patris usque vocantem
Luctantemque loqui, comprensam forcipe, linguam
Abstulit ense fero. Radix micat ultima linguae;
Ipsa jacet terraeque tremens immurmurat atrae:
Utque salire solet mutilatae cauda colubrae,
Palpitat, et moriens dominae vestigia quaerit.
Hoc quoque post facinus - vix ausim credere - fertur

539. *quin*. Conf. IX, 745.

542. *si*, quando, quoniam. — *haec*. Ita Berol., Goth. 2., Lips. 1. 2., meliores Heins. et ed. pr. Vulg. *hoc*, quod genuinum videtur.

542. *si — sunt aliquid*. Prop. IV, 7, 1.

Sunt aliquid manes: letum non omnia finit.

Conf. I, 545. — 544. *quandocunque*, aliquando sive ocius sive serius. Conf. Trist. III, 1, 57. Hor. Sat. 1, 9, 33.

547. *silvas implebo*, sc. tuis factis, tuo scelere; sed Naso universe locutus est et eleganter quidem in hoc affectu. — Exc. Langerm. *implebo et conscia saxa querelis*, ineleganti sane interpolatione; quippe parum apta versui 549.; nec Philomela volebat omnino queri, sed querens dira Therei facta eloqui vel hominibus vel saxis certe ac silvis. Virg. A.

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.

548. *audiat*. Sic Berol., Goth. 1., meliores Heins. et edd. Venn. Reliqui *audiet* perperam. — *haec* cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1. 2., Vrat., Rhen. et ed. pr. — Vulg. *hoc*. Virg. A. XII, 200.

Audiat haec genitor, qui foedera fulmine sancit.

549. Vrat. *postquam est c.* —

551. *liberat*. Cod. Bersm., unus Cael., unus Maff. et a 2. m. Par. 2. *deripit*, ut X, 475. Heinsius de suis nihil annotavit. Reliqui cum vett. edd. *liberat*.

555. *indignantem*. Arond. et Rhen. *indignanti — vocanti etc.*, quod temere recepit Heinsius.

556. *comprensam forcipe*, postquam forcipe eam comprehenderat. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat, et plurimi Heins. *compressam*. Reliqui cum edd. Venn. *compressam*, quod illi *forcipe* accommodatius est et genuinum videtur. Eadem horum verborum commutatio est IX, 317.

558. Lucan. II, 181.

— — — — *exsectaque lingua*
Palpitat et muto vacuum ferit aëra motu.

Quint. Smyrn. XI, 74. ἅτε βλοσυροῖο δράκοντος οὐρὴ ἀποτμηθεῖσ' ἀναπάλλεται.

560. *dominae*, Philomelae. Conf. III, 503. et XIII. 138. Virg. A. X, 395.

Te decisa suum, Laride, dextera quaerit.

De re vid. etiam Met. V, 105. 106. XI, 53.

Nacta locum Progne sacrorum pignora demit,
Oraque develat miserae pudibunda sororis,
Amplexumque petit. Sed non attollere contra
Sustinet haec oculos, pellex sibi visa sororis;
Dejectoque in humum vultu jurare volenti
Testarique deos, per vim sibi dedecus illud
Illatum, pro voce manus fuit. Ardet et iram
Non capit ipsa suam Progne, fletumque sororis
Corripiens „Non est lacrimis hoc" inquit „agendum,
„Sed ferro, sed si quid habes, quod vincere ferrum
Possit: in omne nefas ego me, germana, paravi.
Aut ego cum facibus regalia tecta cremabo,
Artificem mediis immittam Tereа flammis,
Aut linguam aut oculos aut, quae tibi membra pudorem
Abstulerunt, ferro rapiam, aut per vulnera mille
Sontem animam expellam. Magnum est, quodcumque paravi;
Quid sit, adhuc dubito." Peragit dum talia Progne,
Ad matrem veniebat Itys. Quid possit, ab illo
Admonita est, oculisque tuens immitibus „Ah quam
Es similis patri!" dixit; nec plura locuta
Triste parat facinus, tacitaque exaestuat ira.
Ut tamen accessit natus, matrique salutem
Attulit, et parvis adduxit colla lacertis,
Mixtaque blanditiis puerilibus oscula junxit;

603. *pignora*, signa, ut VII, 497.

604. *develat*. Neap. et V Heins. *denudat*, ex interpretamento. Deinde VII Heins. *sorori*, quod temere in textum recepit Heinsius. Vid. ad v. 102., 82. 574., et conf. XI, 8.

605. *amplexumque petit*, recte; nam constructio est: *develat ora sororis et* (ejus) *amplexum petit*. Berol., Rhen., Bosch. et II Medic. *amplexuque*. Duo Heins. *amplexamque*, tres Heins. *amplexusque*. Reliqui omnes *amplexumque*. Her. XIV, 69.

Dum petis amplexus sopitaque brachia jactas.

606. *sustinet*. Conf. v. 563.

607. Berol., Vrat., Bas. 3. 4. a 1. m, *narrare*.

609. *iram non capit*, irae impotens est, continere iram non potest. Conf. v. 466. XI, 118. Curt. X. c. 3. *nec doloris magnitudinem capere potuerunt*.

611. *hoc*. Duo Heins. *his*. Dresd., Vrat., Rhen. et pro v. l. Lov. *hio*, quod edidit Heinsius, sine justa causa.

612. *sed si quid*. De repetito illo *sed* conf. I, 595.

614. *cremabo*. Sic omnes codd. et vett. edd., pro quo Heinsius conjecturam suam recepit *cremaro*. — *Cum facibus* est pro *facibus armatus*.

615. Vrat. et VI Heins. *artificem et mediis*. V Heinsii *artificem mediisque*. Reliqui cum vett. edd. copulam omittunt, quae in hac ratione sententiae commode omittitur.

615. *artificem*, auctorem, patratorem. Sen. Agam. v. 975. *sceleris infandi artifex, per scelera natus*.

616. *aut quae*. Sic multi vett. Heins., Berol., Goth. 2., Rhen. et Lips. 1. 2. Reliqui *et quae*. Male.

617. *abstulerunt*, penultima correpta, ut v. 585. X, 55. Notus est versiculus Virgilii

Obstupui steteruntque comae, vox faucibus haesit.

Atque eam scripturam tuentur meliores Heins., Bas. 4., Berol., Goth. 2. et Rhen. Reliqui *abstulerant*.

618. Meliores Heins. (?), Rhen. et Lips. 2. *magnum quodcunque*. Reliqui cum vett. edd. *magnum est quodc.*, quod mihi rectius videtur, quia sequitur: *quid sit*.

625. *adduxit*, ad se duxit, attraxit ad matrem osculandum. Conf. IV, 597.

Mota quidem est genitrix, infractaque constitit ira,
Invitique oculi lacrimis maduere coactis;
Sed simul ex nimia matrem pietate labare
Sensit; ab hoc iterum est ad vultus versa sororis,
Inque vicem spectans ambos „Cur admovet“ inquit
„Alter blanditias, rapta silet altera lingua?
Quam vocat hic matrem, cur non vocat illa sororem?
Cui sis nupta, vide, Pandione nata, marito.
Degeneras; scelus est pietas in conjuge Tereo.“
Nec mora; traxit Ityn, veluti Gangetica cervae
Lactentem foetum per silvas tigris opacas.
Utque domus altae partem tenuere remotam;
Tendentemque manus et jam sua fata videntem
Et „mater, mater!“ clamantem et colla petentem
Ense ferit Progne, lateri qua pectus adhaeret; —
Nec vultum vertit. Satis illi ad fata vel unum
Vulnus erat; jugulum ferro Philomela resolvit,
Vivaque adhuc animaeque aliquid retinentia membra
Dilaniant. Pars inde cavis exsultat ahenis,
Pars verubus stridet; manant penetralia tabo.
His adhibet conjux ignarum Terea mensis,

627. *constitit*, aliquamdiu quievit. Lucan. VII, 546. *bellum constitit.* — *infracta*, fracta. — 628 *coactis*, filii blanditiis expressis.

629. *ex nimia.* Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., unus Sulm., duo Vat. Ciof., Vrat. et multi Heins. *eximia*, inepte. Deinde pro *matrem* (quod exhibent Bas. 1. 3., Berol., Dresd., Franc., Lov. et Medic. 3.) Cant., Erf. 1., Goth. 2., Hamb. 1. 2., Medic. 2., Ox., Spir., VIII Heins. et ed. pr. *mortem.* Reliqui *mentem.* VIII, 463. *pugnant materque sororque.* XII, 29. —

—*postquam pietatem publica causa*
Rexque patrem vicit.

Conf. XIII, 187.

630. *ab hoc*, sc. a filio.

632. *rapta*, Goth. 2., Rhen., Vrat. et plurimi Heins. *tacita*, quod vehementer languet. Sequitur certamen amoris materni et sororii. Conf. VII, 10. — Hoc dicit: cur valent apud me alterius, filii sc., blanditiae, ut parcam, et non valet alterius, Philomelae sororis, dedecus raptae linguae, ut ulciscar. *Pont.*

633. *cur non vocat.* Cum acumine; alludit enim ad mutilatam linguam.

634. *Pandione natam* se vocat, ut a genere fortitudinis stimulos sumat.

635. *Degeneras.* Nonnulli Heins. *degener es.* Neap. et Bersm. *degener ah.* VI codd. *degener ha.* Vrat. *degeneras ha.* Goth. 2. pro v. l., Par. 1. 2. et reliqui cum vett. edd.: *degeneras*, sc. si Tereum amas.

635. *scelus est etc.*, scelestum est piam esse in talem conjugem vel in tali conjuge, qualis Tereus est. — *Tereo* bisyllabum. Vid. ad v. 113.

636. *Gangetica* docte pro Indica; nam Ganges maximus Indiae fluvius. II, 249. Indiae autem tigres dicit, quia eae ferissimae. Vid. ad VIII, 121.

637. Dresd., Goth. 2., Rhen., Vrat. a corr., Lips. 1., plurimi Heins. et edd. Venn. *lactantem.*

638. *partem — remotam* i. q. *penetralia* v. 646.

640. *et mater, mater.* Neap. a 1. m. *et eja mater clam.* Reliqui libri vett. omnes, ut edidimus. Conf. IV, 597. — Bas. 3., Rhen. et II Heins. *tenentem.* Unus Medic. *prementem.*

642. *nec vultum vertit.* Unus Voss. *avertit.* De re conf. VII, 340. 341. — *ad fata*, ad mortem. Cf. 639.

645. *dilaniant.* Ita Berol., Goth. 1., Lips. 1. 2., Vrat., castigatiores Heins. et ed. pr. Reliqui *dilaniat*, ut hoc, sicuti quod praecedit, de sola Philomela dicatur, sed gravius est *dilaniant*, ut utramque sororem ad hanc atrocitatem manus admovisse dicat. *Inde*, ex illis membris. I, 626. De re conf. VII, 263. — *exsultat.* Conf. VII, 263. Virg. A. VII, 464. *exsultantque aestu latices.*

647. *mensis*, epulis.

Et patrii moris sacrum mentita, quod uni
Fas sit adire viro, comites famulosque removit.
Ipse sedens solio Tereus sublimis avito
Vescitur, inque suam sua viscera congerit alvum;
Tantaque nox animi est, „Ityn huc arcessite!“ dixit.
Dissimulare nequit crudelia gaudia Progne,
Jamque suae cupiens exsistere nuntia cladis
„Intus habes quod poscis“ ait. Circumspicit ille,
Atque ubi sit quaerit. Quaerenti iterumque vocanti,
Sicut erat sparsis furiali caede capillis,
Prosiliit, Ityosque caput Philomela cruentum
Misit in ora patri, nec tempore maluit ullo
Posse loqui, et meritis testari gaudia dictis.
Thracius ingenti mensas clamore repellit,
Vipereasque ciet Stygia de valle sorores,
Et modo, si possit, reserato pectore diras
Egerere inde dapes immersaque viscera gestit;

648. *patrii*, patriae, Atheniensis.

650. *ipse*. Sic omnes vett. edd. et codd. praeter Bersm. et Leid., qui exhibent *inde*.

651. *sua viscera*, infantem suum. V, 18.— De illo *congerit in alvum* conf. VIII, 837. XIV, 204. 209. 176. Nonnulli Heins. *condidit*, ex XIV, 209. et 176.

652. *nox*, caecitas. Conf. v. 472. Construe: *et, tanta nox animi est, dixit: Ityn h. a.* Conf. IV, 612. Pro *arcessite* cod. Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et vett. edd. *accersite*.

655. *quod poscis*. Ita Berol., Goth. 1. 2., Lips. 1., Rhen., meliores Heins. et vett. edd. excepta pr. Ciof. tacet. Reliqui cum ed. pr. *quem poscis*, ex glossa, ut videtur.

657. *sicut — erat*. Conf. v. 237.

658. *prosiluit*. Heinsius tacite edidit *prosiliit*, quod Dresd., unus Cael., Rhen., Lips. 1., unus Sulm. et ed. pr. exhibent. Vulgo, *prosiluit*. Conf. III, 670. V, 35. VI, 77. IX, 314. X, 410. XII, 252. 488. XIV, 406. et vid. not. Oudend. ad Suet. Oct. c. 94. et Drakenb. ad Liv. II. c. 10. XXVIII. c. 14. De producta ultima vid. ad I, 114. — Scripturam *Ityosque* nonnisi unus Cael., unus Sulm. et praeterea unus et alter Ciof. cum vulgata tuentur. Reliqui codd. omnes et vett. edd. *Itusque*. Sed vix probabile est, Nasonem intra paucos versiculos nomen hoc diversa quantitate posuisse.

659. *in ora patri*. Burmannus ex uno Franc. edidit *patri*, quod postulant illa *quaerenti* et *vocanti*.

660. *mentis*. Plerique vett. Heins., Berol., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et vett. edd. *meritis*. — Reliqui cum vulg. *mentis*, quod verum videtur: *mentis gaudia testari dictis* est *gaudia quae mente sentit, verbis declarare*. Quae oratio aptissima est in Philomela, quae lingua et voce privata erat.

661. *Thracius*, Tereus.

662. *vipereas — sorores*, Furias, quarum comis intextae viperae. Vid. IV, 432 seqq. et 451. — *ciet*, evocat. Conf. Virg. A. IV, 490. Leid. et III alii Heins. *vocat*, ex interpretamento. Urb. *movet*. — *Stygia vallis*, tartarus. Vid. ad I, 139.

663. Heinsius ex conjectura edidit *possit*, quod postulat sententia. Veteres libri omnes *posset*.

664. *egerere*. Supra v. 651. *congerit*. Gron. *exigere*. Cod. Bersm. et Goth. 2. *evomere*. — Scripturam *semesaque* tuentur alter Bersm., Lips. 2., Medic. 2. 3., exc. Jur., IV Heins. et pro v. l. Neap. et Hamb. — Plurimi Heinsiani *emersaque* vel *immersaque*. Posterius exhibent etiam cod. Bersm. et Par. 1.; prius Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et vett. edd. Pro *immersaque* praeter bonitatem sensus et corruptam scripturam *immensaque* etiam afferri potest Fast. IV, 200.

Devorat (prolem) *immersam visceribusque tenet.*

Semesaque parum aptum mihi videtur;

Flet modo seque vocat bustum miserabile nati;
Nunc sequitur nudo genitas Pandione ferro.
Corpora Cecropidûm pennis pendere putares:
Pendebant pennis. Quarum petit altera silvas,
Altera tecta subit; neque adhuc de pectore caedis
Excessere notae, signataque sanguine pluma est.
Ille, dolore suo poenaeque cupidine velox,
Vertitur in volucrem, cui stant in vertice cristae,
Prominet immodicum pro longa cuspide rostrum:
Nomen epops volucri, facies armata videtur.
Hic dolor ante diem longaeque extrema senectae
Tempora tartareas Pandiona misit ad umbras.
Sceptra loci rerumque capit moderamen Erechtheus,
Justitia dubium validisne potentior armis.
Quatuor ille quidem juvenes totidemque crearat
Femineae sortis; sed erat par forma duarum.
E quibus Aeolides Cephalus te conjuge felix,
Procri, fuit; Boreae Tereus Thracesque nocebant,
Dilectaque diu caruit deus Orithyia,
Dum rogat et precibus mavult quam viribus uti.

quod bonum foret, si cupiditatem qua appositas filii carnes comederit, declarare vellet. Jahn conjecit *emensaque*, Burm. *demersaque*.

665. *bustum*, sepulcrum. Conf. IV, 88. Attius in Atreo: *natis sepulcrum est ipse parens.*

667. *Cecropidûm*, Atheniensium. Vid. 70. Sunt autem, quae versu praecedente nominantur, *Pandione natae.* — *pendere.* XI, 341. XII, 566.

668. *petit altera silvas*, sc. Philomela quae luscinia facta erat. Vid. ad v. 412. — *altera*, sc. Progne, hirundo facta. Vid. Voss. ad Virg. Georg. IV, 15. et Plin. H. N. X. c. 24.

670. *signataque s. pluma est.* Callide rubras hirundinum plumas in usum suum convertit. Art. A. II, 383.

Altera dira parens haec est, quam cernis, hirundo:
Aspice, signatum sanguine pectus habet.

Virg. Georg. IV, 15.

Et manibus Progne pectus signata cruentis.

Unus Lov. *effluxere.*

673. *pro longa cuspide*, sc. qua persequebatur mulieres.

674. *armata*, sc. galea cristata, pennis galeae instar exstantibus.

675. *ante diem*, ut I, 148. — *Pandiona.* Vid ad v. 612. — Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. et Vrat. *hic dolor et luctus longaeque.* Berol. *hic dolor, hic luctus longaeque.* Heinsius tacet.

677. *Orithyia, filia Erechthei, qui Pandioni in regno successit, rapta et compressa a Borea parit Zeten et Calaïn, qui puberes facti plumas et pennas acceperunt.* Apollod. III. c. 15. Hyg. F. 14. Apoll. Rh. I, 211 sqq.

677. Omnes codd. et vett. edd. *Erichtheus.*

678. *dubium. Est* in tali oratione plerumque non additur. Pont. III, 1, 18.

Qui potus dubium sistat alatne sitim.

Vid. v. 583. et not. ad Trist. III, 4, 69.

679. *quatuor.* Pausan. II. c. 25. Eustath. ad Il. II, 291.

680. *sortis*, sexus. IX, 676.

681. *Cephalus*, filius Deïonei regis Phocidis et nepos Aeoli regis ventorum. Inde *Aeolides* VII, 672. Apollod. I. c. 7. — *te conjuge felix.* Cf. VII, 698.

682. *nocebant*, nimirum quia Tereus Thrax adeo sceleratus fuerat; itaque Thracas omnes, etiam Boream, metuebat Erechtheus.

683. *Orithyia.* De spondeo in quinto pede vid. ad I, 62. et conf. VII, 695. — *deus*, Boreas, cui sacra faciebant Megalopolitani, Thurii, Athenienses. Pausan. Arcad. p. 673. Ael. V. H. XII. c. 61. Herod. VII. c. 189. *Gier.*

Ast ubi blanditiis agitur nihil; horridus ira,
Quae solita est illi nimiumque domestica vento,
„Et merito!“ dixit: „quid enim mea tela reliqui,
„Saevitiam et vires iramque animosque minaces,
Admovique preces, quarum me dedecet usus?
Apta mihi vis est; vi tristia nubila pello,
Vi freta concutio nodosaque robora verto,
Induroque nives, et terras grandine pulso.
Idem ego, cum fratres coelo sum nactus aperto, —
Nam mihi campus is est - tanto molimine luctor,
Ut medius nostris concursibus intonet aether
Exsiliantque cavis elisi nubibus ignes.
Idem ego, cum subii convexa foramina terrae
Supposuique ferox imis mea terga cavernis,
Sollicito manes totumque tremoribus orbem.
Hae ope debueram thalamos petiisse, socerque
Non orandus erat mihi, sed faciendus Erechtheus.“
Haec Boreas aut his non inferiora locutus
Excussit pennas: quarum jactatibus omnis
Afflata est tellus, latumque perhorruit aequor.

685. *nihil agere*, nihil efficere, operam perdere. VIII, 140.

686. *domestica*, sibi propria ac consueta, ad Graecum οἰκεῖος expressum. Conf. Cic. de Orat. II. c. 20. §. 86.

687. *et merito*, abrupta oratio, huic affectui aptissima. Cf. IX, 585. Amor. III, 12, 9. Prop. I, 17, 1.

689. *admovi preces*, ut *adhibere* III, 376. Vid. ad Phaedr. I, 19, 6. — *me*, sc. violentum ac saevum illum deum.

690. *hac tr. nubila pello*. Conf. I, 328. et 262. — Cod. Bas. 3. 4., Dresd., Goth. 1., vett. edd. cum vulg. *hac tristia .., hac freta*. — Graev. *vi-pello, vi-concutio*. Unus Leid. et unus Ambr. *vi-concutio*. Unus Heins. *vi-concutiam*. Erf. I., Flor., Medic. 3., exc. Mur., Strozz. 1. et II Heins. *ut-pello, ut-concutio*. Nonnulli Cioff., Bersm., Berol., Lips. 1. 2., multi Heins., Goth. 2. et Sulm. 1. *ut-pellam, ut* (Goth. 2. et Sulm. 1. *et*) - *concutiam*. — *Ut* ex corrupta scriptura *vi* natum videtur.

693. *aperto*, sc. ubi nil moratur ejus impetum.

695. *intonet*. Nonnulli Heins. et Bas. 4. *insonet*, quod nunc vulgo editur. Her. XIX, 81.

Certe ego tum ventos audirem laeta sonantes —

Trist. III, 10, 45.

Et quamvis Boreas jactatis insonet alis,
Fluctus in obsesso gurgite nullus erit.

Vid. Hor. Epod. XIII, 3. et Ruhnk. ad Terent. Eun. III, 5, 42. et not. ad Her. l. l. Sed h. l. de vero tonitru sermo est, ut apparet v. 696. Itaque *intonet* retinui. Conf. Fast. II, 467. — De sententia conf. Met. XI, 433.

696. Fulmina etiam VIII, 339. XI, 436 et I, 56. concursui ventorum et concussui nubium tribuuntur e doctrina Democriti aliorumque. Vid. Lucret. VI, 95 seqq. 172 seqq. Lucan. I, 151. *expressum ventis per nubila fulmen*. Cf. Plin. N. H. II. c. 48. 49. Iisdem ventis saepe etiam terrae motus tribuuntur. Plin. H. N. VI. c. 10. Lucret. VI, 557 sqq. — De *cavis nubibus* conf. IX, 271.

699. *sollicito manes*. Imago Homerica, apud quem (Il. XX, 57 seqq.) terrae motu a Neptuno excitato:

Ἔδδεισεν δ' ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων Ἀϊδωνεύς.

701. Langerm. et Twisd. 1. *sed vi faciendus*. — Reliqui omnes et vett. edd. *non orandus erat mihi, sed faciendus*, quod verum mihi nec tale videtur, ut librariis illud deberi putem. VII, 37. *Quanquam non ista precanda sed facienda mihi.*

703. *excussit*, cum vi extendit. — *jactatibus*. Conf. IV, 700. — De pennis ventorum conf. 1, 264.

704. Mare perhorrescit, si movetur, ut fluctus edat. *Gierig.*

Pulvereamque trahens per summa cacumina pallam
Verrit humum, pavidamque metu caligine tectus
Orithyian amans fulvis amplectitur alis.
Dum volat, arserunt agitati fortius ignes;
Nec prius aërii cursus suppressit habenas,
Quam Ciconum tenuit populos et moenia raptor.
Illic et gelidi conjux Actaea tyranni
Et genitrix facta est, partus enixa gemellos,
Cetera qui matris, pennas genitoris haberent.
Non tamen has una memorant cum corpore natas;
Barbaque dum rutilis aberat subnixa capillis,
Implumes Calaïsque puer Zetesque fuerunt;
Mox pariter pennae ritu coepere volucrum
Cingere utrumque latus, pariter flavescere malae.
Ergo, ubi concessit tempus puerile juventae,

706. *Verrere* terram et mare solemne poetis de ventis rapidis superficiem terrae stringentibus et pulverem secum auferentibus. Lucret. I, 279. VI, 624. Virg. I, 58 sq. Sed h. l. respicitur ad pallam, quae et ipsa *verrere humum* dicitur XI, 166. *Gierig.*

707. *fulvis.* Sil. It. XII, 617. *fuscis Africus alis*, ubi vid. interpp. — Scripturam *Orithyian amans fulvis* tuentur alter Bersm., Cant., Medic. 1., Ox., Pal. 1. 2., Vrat. a 1. m., complures Heins., veteres Naugerii (?) prope omnes et ed pr. — Flor., Neap., Urb., Vrat. a corr. et nonnulli Heins. *Orithyiam amans.* Vett. edd., praeter ed. pr., *Orithyiam adamans.* Nonnulli *Orithyiamque;* alii aliter, quas varietates omnes ex ignorantia Graecae prosodiae et e falsa scriptura *Orithyiam* pro *Orithyian* natas apparet. — Deinde omnes fere Heins., II Bersm., Abb., Capran., Sulm. 1. 2., Urs., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1. 2. et ed. pr. *amplectitur.* Pal. 2., Rhen., Vrat. et reliquae vett. edd. *complectitur.*

708. *arserunt etc.* Cum ignes qui proprie dicuntur in face motu celeri magis excitentur, ludit ingenium Nasonis ineleganter eandem naturam hominis ignibus q. e. amori tribuens. Her. XVIII, 41. de Borea:

Tam gelidus cum sis non te tamen, improbe, quondam
Ignibus Actaeis incaluisse negas.

Ex quo loco apparet, qui *ignes* h. l. intelligendi sint.

709. *suppressit*, retraxit, retinuit.

710. *Cicones* gens Thraciae circa Hebrum fl. Mela. II. c. 2. Herodot. VII. c. 110. — Volabat autem Boreas Athenis in Thraciam, ubi habitare fingebatur. Vid. Theophrastus de causs. plant. V. c. 17. et de ventis p. 407. — Heinsius temere ex uno Bas. edidit *populos, sua moenia.*

711. *Actaea*, Attica. I, 313. Virg. Georg. IV, 463. *Actias Orithyia.*

713. *haberent*, postea acciperent. Edd. Venn. prave *habebant.*

714. Heinsius tacite edidit *una memorant*, quod Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1. 2. et ed. pr. tuentur.

715. *subnixa*, subjecta, supposita. Vid. Gron. Diatr. Stat. p. 360. Berol., Goth. 1., X Heins. *submissa*, quod verbum in barba non rarum est, sed longam barbam significat, quod poeta hoc loco non vult. Vid. Plin. Epist. VIII, 27. Suet. J. Caes. c. 67. Tac. Germ. c. 31. Et parum haec scriptura vett. libris confirmatur. Virg. A. IV, 216. *Maeonia mentum mitra crinemque madentem Subnixus.*

716. *Zetesque.* Multi codd. *Zethusque.* Apollod. 1. 1. ἡ δὲ γεννᾷ υἱοὺς Ζήτην καὶ Κάλαϊν πτερωτούς. Apollon. Rhod.

Ζήτης δ' αὖ Κάλαΐς τε Βορήϊοι υἷες ἔχοντο.

717. Unus Rhen. *ritu pennae.* — *pennae*, alae.

Vellera cum Minyis nitido radiantia villo 720
Per mare non motum prima petiere carina.

720. *vellera nit. rad. villo*, circumscriptio *velleris aurei*, quod fuerat arietis Chrysomalli, quem Theophane a Neptuno conceperat. Apollod. I. c. 9. — *cum Minyis*, i. e. cum Argonautis. Undenam hoc Argonautae nomen habuerint, non satis constat. Apollonio (I, 239.) et Hygino (F. 14.) auctoribus Iason cum pluribus Argonautis e Minyarum gente fuerunt. Perizon. ad Ael. V. H. III. c. 42.

721. *non motum*. Goth. 1. 2., unus Heins. et ed. pr. *non motum*, h. e. remis nondum motum, nondum tactum vel *non ante tentatum* ut Ovidius alio loco. Nam Argo navem primam mare trajecisse passim memorant poetae. Vid. VIII, 302. et not. ad Her. XII, 13. Duo Heins. *non tactum*. Tres *non totum*. Lips. 2., Medic. 1. 3., XI Heins. *non tutum*. — Omnes Ciof. et reliqui cum edd. vett. *non notum*, quod fere idem significat. Sed cum *non motum* in hac re etiam alibi dicatur, hoc praeferendum putavi.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER SEPTIMUS.

Jamque fretum Minyae Pagasaea puppe secabant,
Perpetuaque trahens inopem sub nocte senectam
Phineus visus erat, juvenesque Aquilone creati
Virgineas volucres miseri senis ore fugarant,
Multaque perpessi claro sub Iasone tandem
Contigerant rapidas limosi Phasidos undas.
Dumque adeunt regem Phrixeaque vellera poscunt,
Lexque datur Minyis magnorum horrenda laborum:

1. *Iason*, *Aesonis filius*, *rex Iolci in Thessalia a Pelia Colchos missus ad apportandum vellus aureum*, *Aeëtae Colchorum regis filiae*, *Medeae*, *amore capitur*, *quae cantatas ei herbas praebet*, *quarum ope tauros aeripedes ignemque spirantes domat jugoque supponit atque in agrum vipereos dentes spargit*, *unde feri nati homines*, *quorum rabiem misso inter eos lapide a se avertit. Tandem iisdem herbis etiam draconem*, *qui vellus aureum servabat*, *sopit et cum vellere et Medea in patriam redit.* Apollod. I. c. 9. Hyg. F. 21. 25. Eurip. Medea. Scripserat etiam ipse Ovidius Medeam fabulam, unde ei materia ad hoc carmen in promptu fuit.

1. *Minyae*, Argonautae. Vid. ad VI, 720. — *Pagasaea puppis* dicitur navis Argonautarum a Pagasis Thessaliae portu, unde Argonautae solverunt. XIII, 24. Mel. II. c. 3. Conf. Herod. VII. c. 193.

2. *trahens*. Virg. A. II, 92. *vitam in tenebris luctuque trahebam.* —

3. *Phineus* Agenoris Phoenicis filius, Cadmi frater, rex Salmydessi in Thracia, deorum ira occaecatus erat (hinc *perpetua nocte*. Cf. III, 335.), qui etiam Harpyias miserant monstra alata et superno corpore virgines (hinc *virgineas volucres*), quae ei mensam foedarent dapesque raperent. Apollod. I. c. 9. Hyg. F. 19. Virg. A. III, 212. Quae, cum Argonautae in expeditione illa apud eum diverterent (unde *visus erat*), a filiis Boreae Calaï et Zete (VI, 720.), qui et ipsi inter Argonautas erant, fugatae sunt. Apoll. Rh. II, 178. De Harpyiis Virg. A. III, 216.

Virginei volucrum voltus, *foedissima ventris*
Proluvies uncaeque manus et pallida semper
Ora fame.

6. *Phasis* fluvius Colchidis. 7. *regem*, Aeëten. — *Phrixea vellera* sunt aureum vellus arietis Chrysomalli (VI, 720.), quo Phrixus per mare vectus in Colchos venerat (XI, 195.), qui ibi Aeëtae regi illud dono dederat.

8. *lexque*. Ita Berol. et Gron. 1. Vid. II, 556. X, 572. XIII, 72. Reliqui *voxque*, quod ita nude positum vix Latinum est. Aliud est Val. Flacc. I, 209. *Vix reddita tandem vox horrenda viris.* — Scripturam *numeris*, quae nunc fere pro vulgata est, exhibent magna pars veterum Heins., Franc., Bas. 1. a r. m., Par. 1., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et

Concipit interea validos Aeëtias ignes,
Et luctata diu postquam ratione furorem
Vincere non poterat: „Frustra, Medea, repugnas;
„Nescio quis deus obstat," ait „mirumque quid hoc est,
„Aut aliquid certe simile huic, quod amare vocatur.
Nam cur jussa patris nimium mihi dura videntur?
Sunt quoque dura nimis. Cur, quem modo denique vidi,
Ne pereat timeo? Quae tanti causa timoris?
Excute virgineo conceptas pectore flammas,
Si potes, infelix! — Si possem, sanior essem,
Sed trahit invitam nova vis, aliudque cupido,
Mens aliud suadet. Video meliora proboque,
Deteriora sequor. — Quid in hospite, regia virgo,
Ureris, et thalamos alieni concipis orbis?
Haec quoque terra potest, quod ames, dare. Vivat an ille
Occidat, in dîs est. Vivat tamen; idque precari
Vel sine amore licet. Quid enim commisit Iason?
Quem, nisi crudelem, non tangat Iasonis aetas
Et genus et virtus? Quem non, ut cetera desint,
Forma movere potest? Certe mea pectora movit. —
At, nisi opem tulero, taurorum afflabitur igne,

ed. pr., sed mihi non apta videtur, quia *labores* non tam numero horrendi erant quam ipsa natura, ac pluralis ille *numeris* pro *numero* insolentior est. Itaque retinui veterem scripturam *Minyis*, quae etiam longe majorem auctoritatem codicum habet.

9. *Aeëtias*, Aeëtae filia, Medea. — *ignes*, amorem.

10. *et luctata diu*. Conf. XIV, 701. De re vid. VIII, 1 seqq. VI, 631 seqq. X, 320 seqq. 611 seqq.

12. *mirumque quid hoc est*. Duo Voss. *quis hic*. Rott. *quid hic*. Lov. et Lips. 2. *quod hoc sit*. Heinsius conjecit *nisi hoc est*. Sed reliqui codd. et vett. edd. omnes *mirumque quid hoc est*, quae mihi vera scriptura videtur. Sensus est: *et aut aliquid miri est, cujus vim non intelligo, aut est certe aliquid huic simile, quod amare vocatur; oder es ist gewiss etwas diesem Aehnliches, was Liebe genannt wird*. Nam in scriptura *aut aliquid* v. sequenti omnes codd. consentiunt, nec nisi ed. Ven. 2. et paucae posteriores exhibent *an aliquid*.

15. *modo denique*, nunc primum, ut III, 650. Conf. v. 86.

17. *excute — flammas*. Conf. IX, 746. et X, 426. — 18. *sanior*. VIII, 35. *vix sanae mentis compos*.

21. *in hospite ureris*. IV, 234. VI, 490. — *hospes* et *regia virgo* opponuntur.

22. *concipis*, mente agitas et speras. Conf. not. ad X, 352. — Cod. Bersm., Bas. 1., Par. 1. 2., Rhen., plurimi (?) Heins., edd. Venn. et Parm. *concupis*; ex glossa. — 24. *in dis est*. Idem legitur Her. XX, 44. Pindar. Ol. XIII, 147.

Νῦν δ' ἔλπομαι μέν' ἐν θεῷ γε μὰν τέλος

26. Goth. 2., Rhen., Lips. 1. et pro v. l. unus Voss. *quam nisi*, et v. 27. Goth. 2., Lips. 1., Berol., Lov., unus Medic. et Rhen. *quam non*. Reliqui omnes cum vett. edd. *quem nisi* et *quem non*: recte; est enim generaliter dictum.

27. *ut cetera desint*. Conf. V, 527.

28. *forma*. II Bersm., Berol., Dresd., Lips. 1., Vrat., multi Heins. et ed. pr. *ore*. Reliqui *forma*. Her. XII, 11. Medea de eodem Iasone:

Cur mihi plus aequo flavi placuere capilli,
Et decor et linguae gratia ficta tuae?

29. *afflab. igne*. Labores ab Aeëta Iasoni impositi fuerunt: ut tauros ignem spirantes domaret, draconis dentes sereret et qui inde homines armati nascerentur, vinceret et draconem nunquam dormientem, qui vellus servabat, sopiret. — Bas. 3. 4., Berol., Abb., Hamb. 1., Mor., Ox., Vat. Ciof. et XII Heins. *igne*. Vulg. *ore*. Prius gravius est. De re conf. Apoll. Rh. III, 230.

Concurretque suae segeti, tellure creatis
Hostibus; aut avido dabitur fera praeda draconi.
Hoc ego si patiar, tum me de tigride natam,
Tum ferrum et scopulos gestare in corde fatebor.
Cur non et specto pereuntem, oculosque videndo
Conscelero? Cur non tauros exhortor in illum
Terrigenasque feros insopitumque draconem?
Dî meliora velint! Quanquam non ista precanda,
Sed facienda mihi. — Prodamne ego regna parentis,
Atque ope nescio quis servabitur advena nostra,
Ut, per me sospes, sine me det lintea ventis,
Virque sit alterius, poenae Medea relinquar?
Si facere hoc aliamve potest praeponere nobis,
Occidat ingratus! Sed non is vultus in illo,
Non ea nobilitas animo est, ea gratia formae,
Ut timeam fraudem meritique oblivia nostri.
Et dabit ante fidem, cogamque in foedera testes
Esse deos. Quid tuta times? Accingere, et omnem
Pelle moram: tibi se semper debebit Iason,
Te face solemni junget sibi, perque Pelasgas
Servatrix urbes matrum celebrabere turba. —
Ergo ego germanam fratremque patremque deosque
Et natale solum, ventis ablata, relinquam?
Nempe pater saevus, nempe est mea barbara tellus,
Frater adhuc infans, stant mecum vota sororis,
Maximus intra me deus est. Non magna relinquam;
Magna sequar: titulum servatae pubis Achivae

30. *concurret*, sc. proelio. — Ad illa *suae – segeti* conf. III, 110. – Cod. Bersm., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., plurimi Heins. et vett. edd. *segetis*, quae durissima et vix ferenda oratio est.

31. *fera*, horrenda.

32. *tum me de tigride*. De duro homine frequens apud poetas oratio. Vid. IX, 613. VIII, 121. et not. ad Her. VII, 37. et ad Trist. I, 8, 37.

35. *conscelero*, sceleris compotes facio. — *exhortor*, instigo, nostrum: *ich hetze*. Vid. X, 536. et conf. III, 242.

37. *dí mel. velint* formula averruncandi. Alibi *dí bene, dí melius*, al. Vid. not. ad Trist. I, 2, 41.

38. *prodamne*. Viv., Par. 1. et multi Heins. *perdamne*. Sed etiam *prodamne* continet notionem perdendi. Her. XII, 109. eadem Medea:

Proditus est genitor: regnum patriamque reliqui.

Scilicet responsum erat Aeëtae, eum regnaturum, quamdiu vellus aureum teneret. — *ego — nostra*, passim apud Nasonem obvia oratio. Conf. VI, 352.

44. Dresd., Ox. et IV Heins. *mobilitas*.

46. *fidem* sc. conjugii. V. 49. — *foedus*, pactum. X, 599. — *in foedera*, ad

47. *accingere*, para te. Vid. ad III, 156 foedera.

48. *se debet alteri* is, qui fatetur se salutem suam ei debere. *Gierig*.

49. *face*. Sponsa vesperi sub splendore facum solemni modo deducebatur. Conf. IV, 758. et VI, 430. — *Pelasgi* antiquissimi incolae Graeciae, unde a poetis Graeci hoc nomine appellantur.

50. *matrum turba*, sc. ob servatos ope Medeae filios. — 51. *germana* est Chalciope, *frater* Absyrtus. Hyg. F. 21.

53. *nempe* confirmantis est, sic ut ad quem conversa oratio est, rem concedere significetur aut exspectetur. Vid. not. ad Trist. III, 4, 23.

55. *maximus deus*, Amor s. Cupido, et respondet illi *deosque* v. 51.

56. *pubis Achivae*, Argonautarum: nam *Achivus* h. l. est pro *Graecus*, ab Achaïa Graeciae regione. — *sequar*, persequar. Cic. Off. I. c. 31. *nec quicquam sequi, quod assequi nequeas*. —

Notitiamque loci melioris et oppida, quorum
Hic quoque fama viget, cultusque artesque virorum,
Quemque ego cum rebus, quas totus possidet orbis,
Aesoniden mutasse velim: quo conjuge felix
Et dis cara ferar, et vertice sidera tangam. —
Quid, quod nescio qui mediis concurrere in undis
Dicuntur montes, ratibusque inimica Charybdis
Nunc sorbere fretum nunc reddere, cinctaque saevis
Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo?
Nempe tenens, quod amo, gremioque in Iasonis haerens
Per freta longa ferar; nihil illum amplexa timebo,
Aut, si quid metuam, metuam de conjuge solo. —
Conjugiumne putas speciosaque nomina culpae
Imponis, Medea, tuae? Quin adspice, quantum
Aggrediare nefas, et, dum licet, effuge crimen!"
Dixit, et ante oculos rectum pietasque pudorque
Constiterant, et victa dabat jam terga Cupido.
Ibat ad antiquas Hecates Perseïdos aras,
Quas nemus umbrosum secretaque silva tegebat;

titulum, gloriam. Conf. IV, 645. — Codd. fere omnes: plurimi Heins., Berol., Goth. 1. 2., Lips. 1., Vrat. et edd. Venn. *puppis*. — Reliqui cum ed. pr. *pubis*, nisi quod Lov. *gentis*, ex glossa.

57. *loci melioris* opponitur illi *barbara tellus* v. 53. — 58. *virorum*. II Bersm., unus Sulm. et duo Vat. Ciof., plerique vetustiores Heins., Berol., Goth. 1., Par. 1. 2., Rhen. et Vrat. *locorum*. — Par. 2., Medic. 1., unus Mor., Lips. 2. et margo Par. 2. *colonum*. Vulgo *virorum*, quod rectum videtur; nam de locis jam dictum est in v. antecedente. Conf. IV, 766.

59. Junge: *et Aesoniden quem ego*. Conf. XIV, 350. — 61. *ferar*, ore hominum celebrabor. Her. VI, 114.

En ego Minoo nata Thoante feror.

De producta syllaba ancipiti *ar* in arsi vid. ad I, 114.

61. *vertice sidera tangam*. Fast. I, 210.

Et tetigit summos vertice Roma deos.

Hor. Od. I, 1, 36.

Quod si me lyricis vatibus inseris,
Sublimi feriam sidera vertice.

63. *montes* intelligendi Symplegades sive Cyaneae insulae in Ponto Euxino, quas fabula fert olim mobiles fuisse et transeunte navi concurrisse, *συγκρούεσθαι* ut ait Apollodorus. Vid. XV, 337 seqq. Hyg. F. 21. Hinc v. 62. multi codd. frustra *occurrere* vel *incurrere*. Juv. Sat. XV, 19. *concurrentia saxa Cyanes*. Vid. Plin. H. N. IV. c. 27. Mela II. c. 7. — *Charybdis* et *Scylla* duo vortices Italiam inter et Siciliam. Scyllam fabula fingebat monstrum superne virginem et ad ventrem rabidis canibus cinctum. XIII, 730 seqq. XIV, 59 seqq. Virg. A. III, 420 seqq. Hom. Odyss. XII, 73 seqq. Tib. III, 489. Scylla *virgineam canibus succincta figuram*. Hanc certe non erat cur Medea, si Iasonem ex Asia in Europam sequeretur, timeret. Sed agnoscimus poetam.

66. *nempe*. Conf. v. 53. — 67. *longa*, longinqua, ut VIII, 142. — *ferar*, huc et illuc ferar, rapiar. Recte. Cod. Bersm., Bas. 1., Thu., Vat. 2. et II Heins. *trahar*, ex VIII, 142. — Plurimi (?) Heins. et ed. pr. *verebor*. Reliqui omnes cum vett. edd. *timebo*.

69. *conjugiumne*. Virg. A. IV, 172.

Conjugium vocat, hoc praetexit nomine culpam.

Berol., Medic. 2., Neap. et II Heins. *vocas*, quod unde ortum sit manifestum est.

74. *Hec. Perseïdos*. Hecate dea artium magicarum erat Persae Titanis filia (Hes. Theog. v. 409 seqq.), cujus sacerdos Medea. Apoll. Rhod. III, 500.

75. Par. 1. et multi Heins. *tegebant*. Reliqui et vett. edd. *tegebat*, quod non mutandum est. Ceterum de eodem nemore Ovidius Her. XII, 67.

Est nemus et piceis et frondibus ilicis atrum,
Vix illuc radiis solis adire licet.

Et jam fortis erat, pulsusque resederat ardor:
Cum videt Aesoniden, exstinctaque flamma reluxit,
Et rubuere genae totoque recanduit ore.
Ut solet a ventis alimenta assumere, quaeque
Parva sub inducta latuit scintilla favilla,
Crescere et in veteres agitata resurgere vires:
Sic jam lenis amor, jam quem languere putares,
Ut vidit juvenem, specie praesentis inarsit.
Et casu solito formosior Aesone natus
Illa luce fuit: posses ignoscere amanti.
Spectat, et in vultu, veluti tum denique viso,
Lumina fixa tenet; nec se mortalia demens
Ora videre putat, nec se declinat ab illo.
Ut vero coepitque loqui dextramque prehendit
Hospes, et auxilium submissa voce rogavit
Promisitque torum, lacrimis ait illa profusis:
„Quid faciam video, nec me ignorantia veri
Decipiet, sed amor. Servabere munere nostro;

76. *ardor*. Vid. v. 9. et 17. — Abb., Briant., Cael., Dom., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 1., Rhen., Sulm. 2., Vrat., multi ex melioribus Heins. et vett. edd. *fractus erat*. Parum eleganter de ardore, et juxta illa *pulsusque residerat*. Certe elegantior est scriptura Joan., Maff. 1. 2., Par. 2., Sulm. 1., III Vat. et reliquorum *fortis erat*, quod est: confirmato erat adversus amorem animo. — Par. 2., Bas. 4., Berol., Rhen. et III Heins. *residerat*. Pal. 2. et reliqui *resederat*. Conf. Virg. VI, 407. et Priscian. X. c. 4. Cic. Tusc. III. c. 12. *quum tumor animi resedisset*. Ceterum parum eleganter dictum est *pulsus resederat*.

77. *reluxit*. Bas. 1. 3., Gron., Arond., et complures Heins. *revixit*. Reliqui omnes cum vett. edd. *reluxit*, quod etiam de ardore subito vehementius erumpente aptius est.

78. *et rubuere*. Ita cod. Bersm., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., meliores Heins. et edd. Venn. Recte. Reliqui *erubuere*. E prava interpunctione ut videtur nata varietas. De forma sententiae conf. VI, 519 seqq.

79. Junge: *Ut parva scintilla, quae sub inducta fav. latuit, a vento alim. assum. et cresc. et agit. in vet.* (priores) *vires resurgere solet*. Codd. Ciof., meliores Heins., Berol., Goth. 1., Rhen., Lips. 1., Vrat. et vett. edd., excepta principe, *ut solet a ventis*. — Cod. Bersm., Dresd., Goth. 2., Lips. 2., ed. pr. *utque solet ventis*. Prius et numerosius est et majorem habere auctoritatem veterum librorum videtur. — II Bersm., Berol., Briant., unus Cael., Goth. 2., Lips. 1. 2., unus Sulm., Vrat., plurimi Heins. et ed. pr. *alimenta assumere*. Reliqui *resumere*, quod mihi librariorum inventioni similius videtur, quam *assumere*. — 80. *inducta*. Conf. XI, 231. — 81. Bas. 1., Dresd. et nonnulli Heins. *resumere*; ex v. 79.

82. *lenis*. Berol., Par. 1. 2. et III Heins. *lentus*, quod etsi de remissis affectibus frequens est (Vid. ad Trist. II, 514.), tamen invitis prope omnibus vett. libris edere non sum ausus. Codd. Ciof., Goth. 1., Lips. 2. et ed. pr. *leuis*, q. e. *lenis*. — Lips. 2. *quem jam*.

83. Conf. Apollon. Rh. III, 293—298. et Met. IV, 362. V, 570. XII, 276. VI, 46 seqq. — *inarsit*. Quint. Inst. Or. XI. c. 3. *Adfectus omnis languescat necesse est, nisi voce, vultu, totius prope habitu corporis inardescat*. Virg. A. VIII, 623. *caerula nubes solis inardescit radiis*.

84. Junge: *et casu Aesone natus illa luce* (die) *formosior fuit solito*, q. e. quam esse solebat. Conf. IX, 105.

86. Barb. *nuno*, quod temere edidit Heinsius.

89. *ut vero*. Cant., Medic. 3., Gron. et XI Heins. *ut vidit*.

90. *submissa voce* i. q. XI, 187. *parva voce*. Virg. A. III, 320. *demissa voce*.

91. *torum*, conjugium. Conf. v. 46.

92. *veri*, recti.

Servatus promissa dato!“ Per sacra triformis
Ille deae, lucoque foret quod numen in illo,
Perque patrem soceri cernentem cuncta futuri
Eventusque suos et tanta pericula jurat.
Creditus accepit cantatas protinus herbas
Edidicitque usum, laetusque in tecta recessit.
Postera depulerat stellas Aurora micantes;
Conveniunt populi sacrum Mavortis in arvum
Consistuntque jugis, medius rex ipse resedit
Agmine purpureus, sceptroque insignis eburno.
Ecce, adamanteïs Vulcanum naribus efflant
Aeripedes tauri, tactaeque vaporibus herbae
Ardent; utque solent pleni resonare camini,
Aut ubi terrena silices fornace soluti
Concipiunt ignem liquidarum adspergine aquarum:
Pectora sic intus clausas volventia flammas
Gutturaque usta sonant. Tamen illis Aesone natus
Obvius it. Vertere truces venientis ad ora
Terribiles vultus praefixaque cornua ferro,
Pulvereumque solum pede pulsavere bisulco,
Fumificisque locum mugitibus implevere.

94. *servatus*, si servatus fueris. — *triformis deae*, Hecates: quae *triformis* appellatur, quia in triviis colebatur statuis tricipitibus. Conf. v. 194. et Fast. I, 141. Nonnullis auctoribus triplex quoque caput habebat, equi, canis et leonis. Orph. Arg. 974. Atque erat etiam triplex dea: *Luna* in coelo, in terra *Diana* et apud inferos *Proserpina*. V. 117. Virg. A. IV, 511. *tergemina Hecate*, ubi vid. interpp.

95. Conf. v. 74. Construe: *et* (per) *numen*, *quod f. in luco illo*.

96. *pater soceri futuri* (h. e. Acëtae) erat Sol (conf. IV, 172. II, 32.) *cuncta cernens*.

97. Gron. 1., Medic. 3. et III Heins. *per tanta*, quod temere, ut affectus ubique captans, edidit Heinsius. Vid. ad XI, 349. et ad Trist. I, 1, 57.

98. *creditus*, cum fidem invenisset apud Medeam. XII, 532. Virg. A. II, 246.

(Cassandra) *dei jussu non unquam credita Teucris.*

cantatas, carmine magico incantatas, fascinatas. Conf. Fast. II, 575.

99. *in tecta*, ad naves. Unus Lov. *in castra*, quod sine causa induxit Heinsius.

101. *populi*, Colchi.

102. Cod. Bersm., Berol., unus Cael., Lips. 2., unus Sulm. et multi Heins. *ipse sedebat*. *Resedit* melius est, ut actus *residendi* commemoretur, quod bene respondet verbis *conveniunt* et *consistunt*. Itaque nec *innixus* (quod nonnulli Heins. exhibent) *sceptro* verum esse potest; sed *insignis* bene convenit voci *purpureus*.“ *Gierig*. *Innixus* fluxit ex I, 178.

104. Etiam tauri illi Martis erant. Her. XII, 41.

Martis erant tauri, plus quam per cornua saevi,
Quorum terribilis spiritus ignis erat.

Apoll. Rh. III, 1298. 496. — *adamant.* Vid. ad IV, 453. — *Vulcanus* per metonymian pro *ignis*. Vid. ad III, 437. IX, 251.

105. *vaporibus*, halitu igneo.

107. *terrena*, ex lateribus sive saxis structa, non ferrea. — *soluti*, putridi facti. — *silices fornace soluti*, calx cocta. Plin. H. N. XXXVI. c. 23. Virg. G. IV, 264.

Aestuat, ut clausis rapidus fornacibus ignis.

110. *Aesone natus*. Vid. v. 1.

113. *pulvereumque*. Senec. de ira I. *Cornua jactantur in vacuum et arena pulsu pedum spargitur*. Vid. XII, 102. Virg. Ecl. III, 86. et not. ad Trist. IV, 9, 29.

114. Uterque Bersm., Dresd., Goth. 2., Lips. 1. 2., Vrat., plurimi Heins. et ed. pr. *impleverunt*. Reliqui *implevere*, quod propter concinnitatem praeferendum. De spondeo in quinto pede vid. ad I, 62. VI, 247.

Diriguere metu Minyae subito; ille nec ignes
Sensit anhelatos, - tantum medicamina possunt, —
Pendulaque audaci mulcet palearia dextra,
Suppositosque jugo pondus grave cogit aratri
Ducere, et insuetum ferro proscindere campum.
Mirantur Colchi; Minyae clamoribus augent
Adjiciuntque animos. Galea tum sumit ahena
Vipereos dentes, et aratos spargit in agros.
Semina mollit humus valido praetincta veneno,
Et crescunt fiuntque sati nova corpora dentes.
Utque hominis speciem materna sumit in alvo,
Perque suos intus numeros componitur infans,
Nec nisi maturus communes exit in auras:
Sic ubi visceribus gravidae telluris imago
Effecta est hominis, feto consurgit in arvo;
Quodque magis mirum est, simul edita concutit arma.
Quos ubi viderunt praeacutae cuspidis hastas

115. *diriguere metu Minyae subito.* Naugerius, ut ait e vett. libris, primus dedit: *diriguere metu Minyae: subit ille etc.* Sed codd. nulli confirmant, et *subiisse lasonem* dictum est v. 111. Itaque scripturam omnium codd. et primarum editionum revocavi. Scripturam *nec ignes* pauci (?) ut videtur Heins. tuentur, quam primus edidit Naugerius. Vett. edd. et codd. prope omnes *nec illos* vel *nec ullos*, ex interpretamento ut videtur.

116. *sensit.* Pauci Heins. *sentit.* Reliqui et vett. edd. *sensit.*— *anhelatos* Rhen. et vulgata. Naugerii codd. (?) *anhelatos* vel *anhelatus* vel *anhelantes.* Plurimi Heins. *anhelatus* vel *anhelantes. Anhelatus* etiam uterque Bersm., Cael., Domin., Sulm. 1. 2., Vatt. Ciofani et edd. Venn. — Goth. 1. 2., Lips. 2., Berol., Pal. 2. et ed. pr. *anhelantes.* Quae diversae scripturae omnes e corrupta scriptura v. 115. *nec illos* et *nec ullos* natae videntur. Her. XII, 95.

Isset anhelatos non praemedicatus in ignes
Immemor Aesonides.

medicamina, herbae cantatae. V. 98.

117. *mulcet palearia.* Infra v. 220

Quo simul ascendit, frenataque colla draconum Permulsit.

pendula. II, 854.

Colla toris exstant, armis palearia pendent.

119. *insuetum;* nam deo, Marti, sacrum. V. 101. — 120. *augent.* Medic. 3., Par. 1., Rhen., V Heins. *implent.* Non intelligitur, quid h. l. valeat *clamoribus animos implere;* at eleganter dicitur *animos augere.* Conf. VIII, 388.

122. *vipereos dentes*, viperae illius a Cadmo (III, 1 seqq.) interfectae, quorum dentium partem Minerva dederat Aeëtae. Apoll. Rh. III, 1176 sqq.

123. Unus Gron., unus Par., Lips. 1. 2. et edd. Venn. *praecincta*, e similitudine ductuum literarum orta varietas.

124. *fiuntque sati.* Her. VI. de iisdem dentibus:

Seminibus jactis segetes adolesse virorum.

126. *perque suos numeros.* Vid. I, 428. — *componitur*, conficitur, efficitur.

127. *communes.* I, 135. VI, 349 — 351. — Ad v. 125. conf. I, 420.

129. *fetus*, qui modo enixus est, peperit. Hor. Od. III, 27. *foeta vulpes.* Fast. I, 662.

Seminibus jactis est ubi fetus ager —

130. *simul edita.* Virg. G. II, 142.

— galeis densisque virúm seges horruit hastis.

Her. VI, 34.

Et subito natos arma tulisse viros. Heinsius *est*, ut permultis aliis locis, tacite delevit, quod abest a Rhen.

131. *praeac. cusp. hastae.* V, 9. — *quos* referendum ad nova illa corpora v. 124., et relativum masculini generis ad rem significatam refertur, non ad nomen, ut saepe. — Berol., pauci Heins. et ed. pr. *peracutae*, a librariis qui *prae* ante vocalem etiam corripi nescirent. Fast. I, 8. *praěcunt.* Virg. A. VII, 514. *praěustus.* Vid. ad Trist. III, 12, 1. Ceterum amat Naso hujusmodi adjectiva composita, ut *praelustris, praesignis*, al.

In caput Haemonii juvenis torquere parantes,
Demisere metu vultumque animumque Pelasgi.
Ipsa quoque extimuit, quae tutum fecerat illum,
Utque peti vidit juvenem tot ab hostibus unum,
Palluit et subito sine sanguine frigida sedit.
Neve parum valeant a se data gramina, carmen
Auxiliare canit secretasque advocat artes.
Ille gravem medios silicem jaculatus in hostes
A se depulsum Martem convertit in ipsos.
Terrigenae pereunt per mutua vulnera fratres,
Civilique cadunt acie. Gratantur Achivi,
Victoremque tenent avidisque amplexibus haerent.
Tu quoque victorem complecti, barbara, velles;
Obstitit incepto pudor: et complexa fuisses,
Sed te, ne faceres, tenuit reverentia famae.
Quod licet, affectu tacito laetaris agisque
Carminibus grates et dîs auctoribus horum.
Pervigilem superest herbis sopire draconem,
Qui, crista linguisque tribus praesignis et uncis
Dentibus horrendus, custos erat arboris aureae.
Hunc postquam sparsit Lethaei gramine suci
Verbaque ter dixit placidos facientia somnos,

132. *Haemonii*, Thessali. I, 568. Vid. ad VII, 1. — Alter Bersm. et Medic. *paratos*. III, 115. — 133. *Pelasgi*, Graeci, Minyae. V. 49. — Cod. Bersm., Goth. 2., Lips. 1., Ox. et plurimi (?) Heins. *dimisere*. Virg. A. XII, 609. *demittunt mentes*. Cic. ad fratr. I. 1. *te primum rogo, ne contrahas aut demittas animum*. Ad sensum cf. II, 601.

135. Heinsius tacite edidit: *juvenem tot vidit ab host*. Dresd. et Lips. 2. *juvenem vidit tot ab host*. Pal. 2. et reliqui omnes exhibent *vidit juvenem tot ab hostibus*.

137. *gramina*. Vid. v. 98. 116. — *carmen*, formula incantandi. Vid. v. 148. 167. IX, 300. — 138. interpretamenta sunt variantes scripturae nonnullorum codd. *adjicit, addidit, admovet*.

140. *a se depulsum*. Putabant enim hunc lapidem venisse ab uno ipsorum, inde inter se certare coeperunt. — *Martem*. Vid. ad v. 104. Conf. III, 540. XV, 746.

141. Her. XII, 100.

— terrigenae (facinus miserabile) fratres
Inter se strictas conseruere manus.

142. *civili*, mutua.

144. *barbara*. Medea, ut non Graeca. Conf. v. 276. Hor. Epod. V, 61. *cur dira barbarae minus venena Medeae valent*.

145. „*et* (tamen) *complexa fuisses etc.*“ Vid. IX, 203. In codd. Pal. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et ed. pr. hic versus post v. 146. legitur. Quid editores de hoc omnium sanissimo loco hariolati sint, afferre piget. — Goth. 1., Vrat. et vett. edd. *at complexa*. Dresd. *aut compl.* Reliqui omnes *et compl.* — Ceterum discrimen inter *pudor* et *reverentia famae* manifestum est.

147. *quod licet*. Cf. IV, 61. VI, 203.

148. *dîs*, sc. qui magicae arti praesunt, in quibus Hecate. Conf. v. 74. et v. 192 sqq. — 150. *linguisque tribus*. III, 34. Her. XII, 101.

Pervigil ecce draco, squamis crepitantibus horrens
Sibilat et torto pectore verrit humum.

151. *arboris aureae*, arboris aurum portantis, in qua aurum vel vellus aureum erat vel pendebat. — Hamb. pro var. lect. *arietis auri*. Nor. *velleris aurei*, ex interpretamento. Hamb. alter pro v. l. *arietis auri*, cum gl. *celeusmaticus pro dactylo*. — *Aureae* per synizesin bisyllabum. Conf. VI, 113. et XII, 395.

152. *Lethaei — suci*. Lethaeus sucus, quia parem cum Lethe fluvio inferorum habebat effectum, ut et oblivionem et somnum afferret. Virg. Georg. IV, 545. *papavera Lethaea*. — De Lethe fluvio infernali vid. XI, 603.

Quae mare turbatum, quae concita flumina sistant:
Somnus in ignotos oculos ubi venit, et auro
Heros Aesonius potitur spolioque superbus,
Muneris auctorem secum, spolia altera, portans,
Victor Iolciacos tetigit cum conjuge portus.
Haemoniae matres pro natis dona receptis
Grandaevique ferunt patres, congestaque flamma
Tura liquefaciunt, inductaque cornibus aurum
Victima vota cadit. Sed abest gratantibus Aeson,
Jam propior leto fessusque senilibus annis.
Tum sic Aesonides: „O cui debere salutem
„Confiteor, conjux, quanquam mihi cuncta dedisti
Excessitque fidem meritorum summa tuorum,
Si tamen hoc possunt; - quid enim non carmina possunt? -
Deme meis annis et demtos adde parenti.“,

154. *Sistant*, sistere valeant. Hanc scripturam tuentur Goth. 1. 2., Rhen., VIII Heins. et ed. pr. — Reliqui cum edd. Venn. *sistunt*. — Apoll. Rh. III, 531.

τοῖσι (φαρμάκοις) καὶ ἀχαμάτοιο πυρὸς μειλίσσει' ἀϋτμὴν
καὶ ποταμοὺς ἴστησιν ἄφαρ κελαδεινὰ ῥέοντας,
ἄστρα τε καὶ Μήνης ἱερῆς ἐπέδησε κελεύθους.

Conf. infra v. 199.

155. *ignotos*, sc. ipsi h. e., quos (somnus) nondum tetigerat. Pro nunc vulgato *advenit* omnes libri vett. *ubi venit*, quod revocavi. Apodosis incipit a verbo *somnus*, et pertinet usque ad finem versus 158. — *Et — que* pro *et — et*, ut passim. — *auro*, aureo vellere. Conf. v. 213.

156. *heros Aeson*. Vid. ad v. 1. — *potitur*, paenultima correpta, ut sit tertiae conjugationis. Vid. XIII, 130. IX, 60. et XIV, 641.

157. *muneris auctorem*, Medeam. *Auctor*, licet ad feminam referatur, Her. XV, 3.

An nisi legisses auctoris nomina Sapphus,
Hoc breve nescires unde movetur opus —

ubi vid. not.

158. *Iolciacos*. Ita vetustum exemplum Raph. Regii, ed. Ald. et margo ed. pr., quod fere poscit sententia: redjit enim Iason eo, unde erat profectus, Iolcon in Thessalia, Hes. Theog. 997. εἰς Ἰωλκὸν ἀφίκετο – ἐπὶ νηὸς ἄγων ἑλικώπιδα κούρην. Vid. Hyg. F. 24. Eurip. Med. 484. Codd. Heins. magna ex parte *Colchiacos*, *Cecropios*, *Thessalicos* et *Haemonios*. *Colchiacos* etiam Vrat., alter Bersm., margo Goth. 2. et ed. pr. — Berol., XXI codd. Ciof., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 1. 2., Dresd. et edd. Venn. *Cecropios*.

159. *Aeson*, *Iasonis pater*, *a Medea e sene mutatur in juvenem*.

159. *Haemoniae*. Vid. v. 1. et 132. — IV Heins. *gnatis*.

161. *liquefaciunt*. Goth. 2., Rhen., II Bas., Par. 1. et I Heins. *liquefiunt*. Reliqui *liquefaciunt*, quod mihi genuinum videtur. —

162. Construe: *et victima* (diis) *vota, cornibus aurum inducta, cadit*. De accus. *aurum* vid. ad I, 332. De re conf. v. 429. XV, 131. et VIII, 265 sqq. Scripturam *inducta* confirmant meliores Heins. magna ex parte, cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2. a 1. m., Par. 1. 2., et a 1. m. Lips. 1. — Pal. 2., Goth. 2. et Lips. 1. a corr. et reliqui *induta*. Conf. X, 271. — Scripturam *cadit* autem nonnisi unus cod. Bersm. et Gron. 1. tuentur; sed postulat sententia: nam quod reliqui codd. cum vett. edd. exhibent *facit* ferri non potest. — Ceterum de triplici hoc honorum genere conf. VIII, 265.

164. *tum*. Nonnulli Heins., Bersm., Goth. 1., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et ed. pr. *cum*. Reliqui cum edd. Venn. *tum*. Utrum verum sit sola auctoritate veterum librorum dijudicari potest. Vid. not. ad v. 123.

167. *non carmina possunt*. Goth. 2., Hamb. et Rhen. *non c. possint*. Reliqui omnes *possunt*, quod etiam concinnius.

168. „*deme meis annis* (annos aliquos) *et demtos etc.*“ De illo *deme et demtos* vid. v. 259. et ad I, 33.

Nec tenuit lacrimas. Mota est pietate rogantis,
Dissimilemque animum subiit Aeëta relictus;
Non tamen affectus tales confessa „Quod“ inquit
„Excidit ore tuo, conjux, scelus? Ergo ego cuiquam
Posse tuae videor spatium transcribere vitae?
Non sinat hoc Hecate, nec tu petis aequa; sed isto,
Quod petis, experiar majus dare munus, Iason.
Arte mea soceri longum tentabimus aevum,
Non annis renovare tuis: modo diva triformis
Adjuvet, et praesens ingentibus annuat ausis!“
Tres aberant noctes, ut cornua tota coïrent
Efficerentque orbem. Postquam plenissima fulsit
Ac solida terras spectavit imagine Luna;
Egreditur tectis, vestes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos,
Fertque vagos mediae per muta silentia noctis
Incomitata gradus. Homines volucresque ferasque
Solverat alta quies; nullo cum murmure sepes,

170. „*et animum Medcae, dissimilem* (pio Iasonis animo), *subiit Aeëta* (a se) *relictus.*“ De *animum subiit* vid. II, 755. Conf. XI, 542. *Aeëta* forma Latina, Graeca *Aeëtes*. — Vulg. et vett. edd. et codd. plerique *animum subiit pater Aeta relictus*. Sed Berol., Flor., Neap., Nor., Pal. 1., Rhen. et Vat. 1. vocem *pater* omittunt, unde Heinsius cum Pierio ad Virg. A. X, 67. felici conjectura scripturam receptam sc. *Aeëta* pro *Aeta* elicuit.

171. *confessa est*, prodidit.

172. *excidit ore — scelus*. Virg. A. II, 658.

Tantumque nefas patrio excidit ore.

Par. 2., Hamb. 1., Neap., Urb. et II Heins. *ore pio*. Male. *tuo* cum vi conjugem appellat, et illi *ego* opponitur. — *Ergo* indignantis est. VIII, 494. Trist. I, 2, 17.

173. *videor*. Heinsius iterum delicias suas, conjunctivum dico, poetae prave obtrusit. Vid. ad V, 333. 377. 530.

174. *non sinat*. Cod. Bersm., Berol., Goth. 2., Lips. 1., meliores Heins. et ed. pr. *nec s.* Reliqui omnes cum edd. Venn. *non s.* — De *Hecate* vid. ad v. 74. et 94.

176. „*arte mea . . non annis tuis.*“

177. *renovare*. Cod. Bersm., Goth. 2., Rhen., Lips. 1., meliores (?) Heins. *revocare*.

179. *coïrent*. Conf. v. 530., X, 295. et II, 344. Plena luna veneficio imprimis favere credebatur, Ceterum de arte magica pleni sunt poetae Latini, persuasionem superstitionis suae aetatis secuti. Hor. Epod. V. XVII. Sat. I, 8. Ovid. Fast. v. 429. Her. VI, 83 sqq. Amor. I, 8. Met. XIV, 403. Prop. I, 1, 19 sqq. IV, 5, 13. Virg. Ecl. XIII. Aen. IV, 504. Vid. etiam Plin. H. N. XXX. c. 1.

181. *ac*. Goth. 2., Pal. 2., Rhen., Lips. 1. et ed. pr. *et*, quod tacite edidit Heinsius. — *solida*, plena; nam *solidum*, cui nihil deest.

182. *vestes induta recinctas*. Ita Goth. 1., Par. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et edd. Venn. Probe. Virg. IV, 518. etiam:

Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta —

ubi vid. Heyn. Conf. Fast. I. l. et Met. IV, 511. 483. Dresd. et multi Heins. *inducta rec.*; Par. 1. *inducta relictas* sed superscr. *exuta.*; Berol. *induta relictas*. II Bersm., Goth. 2., Cant., Neap., nonnulli Heins. et ed. pr. *vestes exuta relictas*. Alii Heinsii aliter.

183. *nudos*, vitta non ligatos. IV, 281. De accus. vid. I, 332.

186. *solverat alta quies*. Conf. VIII, 820. X, 368. — Scripturam *nullo cum murmure sepes etc.* tuetur I Medic. *Sepes* multi veteres Heinsii, Sulm. uterque, Cael., Dom., Par. 2. Urs. et II Vatt. Ciof., Pal. 2. Sed plerique cum vett. edd. *serpens*, et omnes codd., praeter Twisd. unum et unum Medic. et nonulla exemplaria apud Naug. post hunc v. addunt: *Sopito* (v. *sopitae* v. *sopitis*) *similis nullo cum murmure serpit* (v. *serpunt* v. *serpens*). Pauci etiam: unus Maff.,

Immotaeque silent frondes; silet humidus aër;
Sidera sola micant: ad quae sua brachia tendens
Ter se convertit, ter sumtis flumine crinem
Irroravit aquis, ternis ululatibus ora
Solvit et in dura submisso poplite terra
„Nox" ait „arcanis fidissima, quaeque diurnis
„Aurea cum Luna succeditis ignibus, astra,
Tuque triceps Hecate, quae coeptis conscia nostris
Adjutrixque venis, cantusque artesque magorum,
Quaeque magos, tellus, pollentibus instruis herbis,
Auraeque et venti, montesque amnesque lacusque,
Dîque omnes memorum dîque omnes noctis adeste:
Quorum ope, cum volui, ripis mirantibus amnes
In fontes rediere suos, concussaque sisto,
Stantia concutio cantu freta, nubila pello
Nubilaque induco, ventos abigoque vocoque,
Vipereas rumpo verbis et carmine fauces,
Vivaque saxa sua convulsaque robora terra
Et silvas moveo, jubeoque tremiscere montes
Et mugire solum, manesque exire sepulcris;

Goth. 1., nonnulli veteres Naugerii priori loco *serpens* et posteriori *sepes*. Sed plerique cum vett. edd. v. 186. etiam *serpens*. Sed ineptum posteriorem versum esse apparet, sive legas *serpit* sive *serpunt* s. *serpens*. Quid enim serpentis est murmur et quam absurdum post hominum, volucrum et ferarum quietem serpentis mentio, et quam invenusta illa repetitio? Recte igitur editores hunc versum e textu ejecerunt, et pro *serpens* cum multis codd. scripserunt *sepes*, quod juxta illa *immotae frondes* apte dicitur.

188. *micant*. Infra v. 217. inde omen sumit.

190. *irroravit*. Vid. I, 371. — *ora solvit*. III, 261. — De *ululatibus* in adoratione et sacris Hecates conf. XIV, 405. et Hor. Sat. I, 8, 25. Atque eam scripturam tuentur Bas. 1., Franc., Graev. et III Heins. Reliqui tantum non omnes cum vett. edd. *ternis et hiatibus*: nisi quod II Heins. *latratibus*. Sed de *hiatibus* in re magica nihil unquam reperi. Huc pertinet Lucan. VI, 686.

— — — *confundit murmura primum*
Dissona et humanae multum discordia linguae.
Latratus habet illa canum gemitumque luporum.

191. *submisso poplite in terra*. Conf. III, 23. IV, 340.

193. Qui hic invocantur, *magici di* dicuntur Tib. I, 2, 62. — *Luna* et *Hecate* eadem dea, sed alias vires hujus numinis declarabat Hecates nomen, alias Lunae. Hinc et *Hecate* et *Diana* sic junguntur a Virg. et Hor. *Gier.*

194. *conscius* cum dat. rei, ut VI, 588. — De *Hecate tric.* vid. ad v. 94.

195. Unus Arg. et Thys. *magarum* et v. 196. *magas*, quod temere edidit Heinsius.

196. *pollentibus*. Vid. IV, 49. et VI, 139.

199. Eadem apud Hor. Epod. V, 45 et Tib. I, 2, 43 — 52. Conf. Prop. IV, 5, 11 sqq. Amor. II, 1, 25.

200. *concussa*, commota, turbata. VI, 191.

203. *rumpo*, facio ut rumpantur. Amor. II, 1, 25.

Carmine dissiliunt, abruptis faucibus, angues.
Virg. Ecl. VIII, 71.
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
ubi vid. interpp. — Unus Ambr. *rumpo herbis*. Unus Bonon. *rumpoque herbis*. Sed *verbis* et sensu et codd. et v. 200. et 208. confirmatur. Lucan. VI, 577.
Illa magis magicisque deis incognita verba
Tentabat carmenque novos fingebat in usus.

204. Her. VI, 88.
Illa loco silvas vivaque saxa movet. Conf. Met. V, 317.

206. *exire*, sc. ad danda responsa. Tib. I, 2, 49. Hor. Sat. I, 8, 29.

Te quoque, Luna, traho, quamvis Temesaea labores
Aera tuos minuant; currus quoque carmine nostro
Pallet avi, pallet nostris Aurora venenis:
Vos mihi taurorum flammas hebetastis, et unco
Haud patiens oneris collum pressistis aratro;
Vos serpentigenis in se fera bella dedistis,
Custodemque rudem somni sopistis, et aurum
Vindice decepto Grajas misistis in urbes.
Nunc opus est sucis, per quos renovata senectus
In florem redeat primosque recolligat annos.
Et dabitis: neque enim micuerunt sidera frustra.
Nec frustra volucrum tractus cervice draconum
Currus adest." Aderat demissus ab aethere currus.
Quo simul adscendit, frenataque colla draconum
Permulsit, manibusque leves agitavit habenas:
Sublimis rapitur, subjectaque Thessala Tempe
Despicit, et certis regionibus applicat angues;
Et quas Ossa tulit quasque altus Pelion herbas
Othrysque Pindusque et Pindo major Olympus,

— *cruor in fossam confusus, ut inde*
Manes elicerent, animas responsa daturas.

Vid. Amor. I, 8, 17. — 207. *traho*, deduco, ut est XII, 263. Fiebat autem hoc ab magis, quo vi sua herbas luna imbueret. Sed aeris tinnitu reluctantem lunam ab his praestigiis liberari vetus superstitio putabat. Vid. ad IV, 332. — *Temesaea*. *Temese* s. *Temesa* Bruttiorum oppidum, metallis clarum. XV, 707. Fast. V, 441.

Rursus aquam tangit, Temesaeaque concrepat aera.

Sed scripturam *Temesaea* nonnisi Goth. 2. in marg., Par. 2. a 2. m., edd. Bas. et margo ed. Vinc. et Col. tuentur. Berol., Pal. 2., IV Heins. et pro v. l. Dresd. *concussa*. Menard. *percussa*. Strozz. *pulsata*. — Reliqui *temerata*. inepte.

209. *avi*, Solis. Vid. ad v. 96. — *avi* felicissima est conjectura — si modo est conjectura — Heinsii e vitiosa scriptura Barb., Cant., Medic. 2. 3. 4., Neap., Pal. 1., Par. 1. 2., Rhen., multorum Heinsii et edd. Venn. *pallent aut pallet*. Vrat. *pallent ao pallet*. Reliqui *pallent et pallet*. — Val. Flacc. VI, 441.

Illius (Medeae) *ad fremitus sparsosque per avia sucos,*
Sidera fixa pavent et avi stupet orbita Solis,

210. *hebetastis*, debiles et innoxios reddidistis. Vid. v. 104 seqq.

211. Goth. 2., Pal. 2., deteriores Heins. et ed. pr. *impatiens*. — 212. *in se*, contra se ipsos. Vid. v. 139 seqq. — De forma *serpentigena* vid. ad IV, 173. et III, 531. — Unus Leid., Rhen., Vrat. et III Heins. *nova*.

213. Ita Jun. et quidam libri (?) apud Naugerium. Cod. Bersm., Par. 1. 2. *rubrum somno*. Dresd. *gravi* et unus Sulm. *gravem somno*. Vulg. *rudem somno*, ut *somno sopire* sit jungendum. Male. Vid. v. 36. 149. — *aurum*. V. 155.

214. *vindice*, custode dracone.

215. Par. 1. et Sprot. *revocata*.

217. *micuerunt*. Vid. v. 188.

219. *currus adest*, ab avo missus. Eurip. Med. 1262. Vid. Met. VII, 398. Conf. V, 642. VIII, 795.

222. *Tempe*. I, 569. — De illo *sublimis* conf. VIII, 816. — Cod. Gron. *sublataque*. Conf. v. 638. et VIII, 574.

223. *et certis*, sc. iis quas feraces imprimis noverat herbarum quibus indigebat. Her. VI, 90. in eadem re: *certa ossa*. Vid. van Lennep ad Terent. Maur. p. 427. Atque ita habent V Heinsiani et Bas. 4. a 1. m. — Arg. *et Cices*. I Medic. *et Graecis*. Flor. *et Cretes*. Vat. 1. *et Creteis*. Reliqui *et cretis*, q. e. herbosis. Sed hac potestate vocabulum non reperio. Burmannus conjecit *Oetaeis*.

224. De his Thessaliae montibus vid. I, 154. 155. — Heinsius tacite edidit quod exhibet Berol. *quas altus*. Libri reliqui omnes *quasque*.

225. *Othrysque, Pindusque et P.* Ita Arond., Bas. 1., Cant., Goth. 2., Hamb. 1., Medic. 3. 4., Pal. 1., Rhen.,

Perspicit, et placitas partim radice revellit,
Partim succidit curvamine falcis ahenae.
Multa quoque Apidani placuerunt gramina ripis,
Multa quoque Amphrysi; neque eras immunis, Enipeu;
Nec non Penëos, nec non Spercheïdes undae
Contribuere aliquid, juncosaque litora Boebes.
Carpsit et Euboïca vivax Anthedone gramen,
Nondum vulgatum mutato corpore Glauci.
Et jam nona dies curru pennisque draconum
Nonaque nox omnes lustrantem viderat agros,
Cum rediit; neque erant tacti nisi odore dracones,
Et tamen annosae pellem posuere senectae.
Constitit adveniens citra limenque foresque,
Et tantum coelo tegitur, refugitque viriles
Contactus, statuitque aras e cespite binas,
Dexteriorem Hecates, at laeva parte Juventae.

Sulm. 1. 2., nonnulli Ciof. et multi Heinsiani. — Reliqui cum edd. Venn. *Othrysque et Pindus et P.* — Ed. pr. *Othrysque et Pindus quas P.*

226. *placitas*. Dresd. et Goth. 1. *placidas*, Dresd. cum gl. *sibi placentes*. Medic. 2., Vat. 1., Ox., III Heins. *et placita*, quod temere recepit Heinsius.

227. Her. VI, 84.

Diraque cantata pabula falce metit.

228. De his Thessaliae fluviis vid. I, 579. 580. Sed scripturam *Apidani* nullam habet auctoritatem vetustatis et in Ven. 2. et Ald. primum editum est, ut videtur ex conjectura. Unus Bas. *Epidani*. Reliqui codd. omnes et vett. edd. *Eridani*, uti etiam I, 580. ubi vid. not.

229. Heinsius tacite edidit *neque eras*, quod Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Rhen., Lips., 1. Vrat. et sine dubio multi quoque Heinsiani et ed. pr. exhibent. Reliqui *nec eras*. — *immunis*, ἀσύμβολος. Vid. Bentlej. ad Hor. Od. III, 23, 17.

230. *Penëos*. Ita Berol. et Thu., Goth. 2. a 1. m. et IV Heins. *Peneios*.; Par. 2. et multi Heins. *Peneidos*. Alii Heins. *Peneides*. Goth. 2. a 2. m. et reliqui *Penëus*. — Heinsii conjectura est *Peneae*. Scripturam *Spercheïdes* confirmant meliores Heins., Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Dresd., Vrat. et ed. pr. a *Sperchëos* — Cod. Bersm. et Lips. 1. *Spercheidos*. Vulg.: *Sperchiades*. Male. Conf. II, 250. — De *Penëo* fl. I, 452., de *Sperchëo* I, 579.

231. *Boebe* oppidum prope ostia Penëi ad Boebeïdem lacum. Hom. Il. II, 711. Strab. IX. c. 5. — *Boebe* recte repositum est in ed. Ven. 2. et Ald. Nam codd. omnes *Phoebes* v. *Phebes*.

232. *carpsit*. Berol., Rhen. et nonnulli Heins. *carpit*, quod temere recepit Heinsius. *Anthedon* urbs Boeotiae ad Euripum fretum e regione Euboeae (unde *Euboïca*), ubi herba vim habens magicam crescere ferebatur, qua gustata Glaucum piscatorem cupido invasisset in mare se mittendi (XIII, 925 sqq.), ubi transformatus esset. — *vivax*, vegetum, vi vitali praeditum. Conf. XIII, 519. XIV, 104. Virg. G. II, 181. *silvam vivacis olivae*.

233. *vulgatum*, in vulgus notum. IV, 276. — Berol., Rhen. et Lips. 1. *mutato vulgatum*, quod tacite edidit Heinsius.

234. *pennis draconum*. Infra v. 350. *pennatos serpentes* dicit. — Vulg. *nona dies illam*, sed in Pal. 2. *illam* in litura scriptum est. Goth. 1. 2., Berol., Par. 1. 2., Lips. 1., Vrat., plerique Heins. et ed. pr. *nona dies etiam* v. *et jam*. Rhen. et VIII Heins. *et jam nona dies*. Exspectanda erit accuratior collatio codicum.

236. *odore*, sc. herbarum. Conf. v. 104. Ceterum poeta eleganter, quod serpentes posita certis temporibus pelle quasi juvenescere solent, in usum suum convertit. Vid. IX, 266. Art. Am. III, 77.

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas.

Berol., Dresd. et edd. Venn. *nec erant*. — Twisd. 2. et pro v. l. II Medic. *pasti*, quod prave edidit Heinsius. Conf. v. 105.

239. *refugitque viriles contactus*. De more sacra facturorum. Calpurn. I. 14. Vulp. ad Tib. II, 1, 63.

241. *dexteriorem*. Ita II Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Rhen., Vrat., plurimi Heins. et ed. pr. Reliqui

Has ubi verbenis silvaque incinxit agresti;
Haud procul egesta scrobibus tellure duabus
Sacra facit, cultrosque in guttura velleris atri
Conjicit et patulas perfundit sanguine fossas:
Tum super invergens liquidi carchesia Bacchi,
Alteraque invergens tepidi carchesia lactis,
Verba simul fundit, terrenaque numina poscit,
Umbrarumque rogat rapta cum conjuge regem,
Ne properent artus anima fraudare senili.
Quos ubi placavit precibusque et murmure longo,
Aesonis effetum proferri corpus ad aras
Jussit, et in plenos resolutum carmine somnos

dexteriore, quod correctorum inventioni similius videtur, quam ***dexteriorem***. Accedit quod posterius majorem habet auctoritatem codicum. — Vrat. a corr., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1., vetustiores Heins. et ed. pr. ***ast***, pro vulg. ***at***. 242. ***incinxit***, praetexuit. Conf. III, 162. Heinsii conjectura est ***quas***. De verbenarum in re magica usu vid. Serv. ad Virg. Ecl. VIII, 65.

243. ***egesta***. Berol., Dresd., Par. 1. 2., omnes fere Heins. ***ejecta***. Priscian. V. c. 7. et reliqui cum vulg ***egesta***. — ***duabus***, sc. altera Plutoni s. Diti, altera uxori ejus, Proserpinae: nam his dis scrobibus sacra faciebant loco ararum. Apollon. Rh. III, 1032. Val. Fl. I, 735. Hom. Odyss. XI, 25 sqq. Apud Hor. Sat. I, 8, 26. Canidia unguibus effodit scrobem.

244. ***in guttura velleris atri***, in guttura ovis velleris atri. — ***atri***, ut in re magica et dis quoque inferorum nigrae victimae mactabantur. Tib. III, 5, 33.

Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et nivei lactis pocula mixta mero.

Virg. A. VI, 249.

245. ***conjicit***, adigit. Conf. v. 338. III, 90. XIII, 476. et XV, 735.

246. ***Carchesium*** auctore Macrob. Sat. VII. c. 20. ***procerum et circa mediam partem compressum, ansatum mediocriter, ansis a summo ad infimum pertinentibus***. Vid. Athenae. XI. p. 474. — Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et edd. Venn. ***tepidi***, e v. 247. Reliqui omnes ***liquidi***. Sed pro ***mellis*** (quod exhibent Berol., Goth. 1., Pal. 2., Sulm. 1. 2., alii Ciof., Vrat. et plurimi Heins.), Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1. et edd. Venn. ***lactis***. Hamb. 1. et pro v. l. Neap. ***Bacchi***. Vulgata, sed nulli prope codd., ***vini***. Vid. Apollon. III, 1036. Hom. Odyss. XI, 26 sqq.

247. ***alteraque***. Erf. 1., Hamb. 2., Medic. 2., Neap., Pal. 1., Rhen. et Urb. ***aeneaque***. Vrat. et pro v. l. Cant. ***aereaque***. Reliqui cum vett. edd. ***alteraque***, quod mihi verum videtur. — Heinsius praeterea tacite edidit ***tepidi***, quod codd. Ciof., Berol., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 1. et ed. pr. tuentur. Dresd., Rhen., Vrat. et reliquae edd. vett. ***liquidi***. Idem Heinsius tacite dedit ***lactis***, quod codd. Ciof., Berol., Goth. 1., Pal. 2., Vrat. et ed. pr. et margo ed. Bersm. confirmant. Dresd., Rhen., Lips. 1. et reliquae vett. edd. ***mellis***. Omnia incerta, confusa atque corrupta.

248. ***terrena*** pro infernis, subterraneis. Graecum χθόνια. — Flor. pro v. l., Goth. 2., Pal. 2., Vat. 1. et III Heins. ***fudit***. Praeterea ***poscit*** plerique Heins., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 1., Vrat., (Ciof. codd. ?) et edd. Venn. Patav. ***placet***. Unus Mor. ***mulcet***. Reliqui ***lenit***. Heinsii conjectura est ***pascit***. ***Poscit*** est ciet, vocat. — ***Verba simul fundit***. „De precibus inter sacra adhibitis idem verbum ponitur, quod de ipsis sacris. Vid. IX, 159.“ ***Gier***. VI, 164.

249. ***rapta cum conjuge***, Proserpina, quam Pluto rapuit. Vid. V, 341 sqq.

250. ***senili***. Cod. Bersm., unus Cael., Dresd., Dom. et unus Sulm. ***seniles***; quod etsi ad sensum aptius sit, tamen tam parva auctoritate edere nolui, quum praesertim licentiae quoque poeticae aliquid dandum esse videatur.

251. ***murmur***: nimirum magae feralia carmina sua immurmurabant. XIV, 58.

252. ***proferri***, non ***produci***, ut cod. Bersm., Abb., Cant., Goth. 1., Par. 1. 2., Vrat. et multi Heins., quia debilis et languidus senex. V. 163. Alii post v. 253. prave punctum ponunt.

Exanimi similem stratis porrexit in herbis.
Hinc procul Aesoniden, procul hinc jubet ire ministros,
Et monet arcanis oculos removere profanos.
Diffugiunt jussi. Sparsis Medea capillis
Bacchantum ritu flagrantes circuit aras,
Multifidasque faces in fossa sanguinis atra
Tingit et intinctas geminis accendit in aris,
Terque senem flamma, ter aqua, ter sulfure lustrat.
Interea calido positum medicamen aheno
Fervet et exsultat spumisque tumentibus albet,
Illic Haemonia radices valle resectas
Seminaque et flores et sucos incoquit acres;
Adjicit extremo lapides Oriente petitos
Et, quas Oceani refluum mare lavit, arenas.
Addidit exceptas lunae de nocte pruinas,
Et strigis infames ipsis cum carnibus alas,

255. *Aesoniden*, Iasona.

257. *sparsis*. Paucissimi Heinsii et ed. pr. *passis*. Sed *sparsis* etiam furibundo statui veneficae aptius est. Vid. ad Trist. I, 1, 12.

259. *atra*. Meliores Heins., Berol., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et edd. Venn. *atra*, ut ad fossam referatur, quod ad sanguinem referendum erat. Vulg. et ed. pr. *atri*.

260. *tingit et intinctas* Nasonis solemnis oratio. Vid. ad I, 33. Sed scripturam *intinctas* nonnisi Par. 2., Hamb. 1. et VI Heins. tuentur. Reliqui omnes cum vett. edd. *infectas*, quod verum videtur.

261. *lustrat*, circuit circumferens flammam etc., qui mos solemnis in expiationibus. Inde Graecis περιαγνίζειν. *Gier*. Tib. I, 5, 11.

Ipseque ter circum lustravi sulfure puro.

262. *calido*. Par. 2., Flor., II Heins. *validum posito*. Berol., Goth. 2. et nonnulli Heins. *validum positum*. Alii Heinsii et ed. pr. *valido positum*. Berol. pro v. l: et reliqui cum edd. Venn. *calido positum*, quod propter bonitatem sensus et auctoritatem vetustatis retinendum videtur. Conf. v. 279.

263. *exsultat*. VI, 645.

265. *seminaque et flores*. Vetus cod. Gifan., Par. 2., Flor., Goth. 2., Joan., Medic. 1., Nor., Pal. 1., Rhen., Sulm., Vat. 1. et III Heins. *seminaque floresque et s.* Ed. pr. *seminaque flores et s.* Atque *que* in arsi produci supra docuimus ad I, 193. Sed in hac re major sequenda videtur auctoritas codicum. — Idem cod. Gif., Berol., Pal. 2., Goth. 2., Lips. 1., meliores Heins. et ed. pr. *acres*, q. e. validos, efficaces. Conf. v. 316. Reliqui *atros*, quod parum aptum est.

266. *adjicit*. Ita vulg. — Berol., Dom., Dresd., Menard. et Thu. *addidit*, e v. 268. Plurimi (?) Heinsii *addit et*, quod nescio, an retinendum putarem, si v. 268 *addit et* verum esset, ut Ovidio imprimis propria esset repetitio. Sed v. 268 nonnisi cod. Bersm., Goth. 2., Pal. 2., Par. 1. 2., Lips. 1., unus Sulm., Vrat. et nonnulli Heinsii *addit et*. Reliqui cum vett. edd. *addidit*. Itaque hoc loco *adjicit* retinendum putavi, et v. 268. *addidit*, ubi praeterito aptè respondet illud *nec defuit*.

267. *Oceani mare*, ut *aequora Ponti* II, 872.

268. *lunae de nocte*. Mire h. l. variant codd. — Flor. *lunae per nota*. Erf. 2. et alius Heins. *luna sub nocte*. Leid. et Six. *media de nocte*. Gron. 1. *per lunam nocte*. Langerm., Lov. et unus Pat. *luna de nocte*. II Medic. *lunae et de nocte*. Pal. 2., Par. 1. 2. et reliqui *lunae de nocte*, nisi quod Zulich. *luna pernocte*, cum glossa *pernox, pernoctis*, quod post Heinsium pro vulgata est. Sed *de nocte*, quod omnium consensu librorum veterum confirmatur, retinendum videtur, ac verba *lunae de nocte* cum glossa codicis Dresd.: *ad radios lunares* accipienda. — *exceptas*, collectas.

269. *Striges infames*, quia earum alae, ova, pennae et carnes in magica adhibebantur et cantus mali ominis erant. Hor. Epod. V, 20. Salmas. ad Tertull. de pallio p. 471. Prop. III, 4, 19. Plin.

Inque virum soliti vultus mutare ferinos
Ambigui prosecta lupi. Nec defuit illis
Squamea Cinyphii tenuis membrana chelydri,
Vivacisque jecur cervi; quibus insuper addit
Ora caputque novem cornicis saecula passae.
His et mille aliis postquam sine nomine rebus
Propositum instruxit mortali barbara munus;
Arenti ramo jampridem mitis olivae
Omnia confudit summisque immiscuit ima.
Ecce, vetus calido versatus stipes aheno
Fit viridis primo, nec longo tempore frondes
Induit, et subito gravidis oneratur olivis.
At, quacumque cavo spumas ejecit aheno
Ignis, et in terram guttae cecidere calentes;
Vernat humus, floresque et mollia pabula surgunt.
Quod simul ac vidit, stricto Medea recludit
Ense senis jugulum, veteremque exire cruorem
Passa, replet sucis. Quos postquam combibit Aeson
Aut ore acceptos aut vulnere, barba comaeque

H. N. XI. c. 39. Conf. not. ad Met. VI, 431. Fast. IV, 139.

Est illis strigibus nomen, sed nominis hujus
Causa quod horrenda stridere nocte solent.

270. Construe: *et pros. ambig. lupi sol. fer. vult. in vir. mut.* — *ambigui*, transformis, quia superstitio veterum putabat nonnullos nunc hominis nunc lupi speciem sumere. Vid. interpp. ad Prop. IV, 5, 14. — De illo *ambig.* vid. II, 9. — Leid. *ambiguum.*

271. VII Heins. et a l. m. Berol. *illic.* Berol. a corr., Par. 1., Rhen., Lips. 1., Vrat. et ed. Ven. 1. *illi.* Reliqui *illis.*

272. *Cinyphii - chelydri*, i. e. Libyci. Vid. ad V, 124. Erat hoc serpentium genus foetore ac veneno infame. Nicand. Theriac. 411 seqq. — *membrana* h. l. duo habet epitheta, quod saepe fit. Tib. III, 5, 22. *dura tertia regna*, ubi vid. interpp.

273. *vivacis.* Conf. III, 194. Plin. H. N. VII. c. 18. *Hesiodus qui primus aliqua de hoc prodidit, fabulose ut reor multa de hominum aevo referens, cornici IX nostras attribuit aetates, quadruplum cervis, id triplicatum corvis.* — *Saecula* igitur poetica exaggeratione pro aetatibus hominis. De cervorum et cornicum aetate vid. Albinov. Eleg. II, 115. Auson. Idyll. XI, 12. XVIII, 3. Cic. Tusc. III. c. 28. — „*pati saeculum*, transigere vivendo.“ *Gier.*

275. Construe: *Postquam barbara* (non Graeca, Medea. Conf. v. 144.) *his et mille aliis sine nomine mortali rebus* (q. e. rebus quae apud mortales s. homines nomen non habent) *munus* (medicamen) *propositum* (destinatum) *instruxit* — Dresd., Vrat. et III Heins. *mortalis.* Heinsius edidit *mortari*, i. e. mortorio, quod non Latinum est, et si esset, hoc certe loco ineptum foret.

277. Junge: *jam pridem arenti. — mitis.* Glossa cod. Bas. *quia significat pacem.* Perperam. Sunt etiam silvestres olivae.

278. *confudit.* II Bersm., omnes (?) fere Heins., Berol., Dresd., Lips. 1. et ed. pr. *confundit.* Reliqui cum vett. edd. *confudit.*

280. Pessimus Jun. et Medic. *frondem.* — 281. Virg. G. IV, 142. *pomis se fertilis arbos induerat.* Colum. IV. c. 27. — 282. Menard. *ejectat.* Alii Heins. *subjecit, injecit, adj., dejecit.*

284. *vernat.* Elegans verbum, apud Nasonem frequens. Trist. III, 12, 8.

Indolici loquax gutture vernat avis.

Prop. IV, 5. 57. *vernans* adolescentis *sanguis.*

285. *quod.* Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 2., Rhen. et vett. edd. *quae.* Heinsius tacite edidit *quod*, quod etiam Dresd., Berol., Vrat. et Lips. 1. exhibent.

288. Nonnulli Heins. *exceptos.* Suet. Ner. 33. *venenum is acceperat.*

Canitie posita nigrum rapuere colorem;
Pulsa fugit macies, abeunt pallorque situsque,
Adjectoque cavae supplentur corpore rugae,
Membraque luxuriant. Aeson miratur, et olim
Ante quater denos hunc se reminiscitur annos.
Viderat ex alto tanti miracula monstri
Liber, et admonitus juvenes nutricibus annos
Posse suis reddi, capit hoc a Colchide munus.
Neve doli cessent, odium cum conjuge falsum
Phasias assimulat, Peliaeque ad limina supplex
Confugit; atque illam, quoniam gravis ipse senecta,
Excipiunt natae. Quas tempore callida parvo
Colchis amicitiae mendacis imagine cepit.
Dumque refert inter meritorum maxima, demtos
Aesonis esse situs, atque hac in parte moratur,
Spes est virginibus Pelia subjecta creatis,
Arte suum parili revirescere posse parentem,

289. *rapuere*, subito traxere sive accepere. IV, 745. III, 374. XV, 350.

290. *situs*, turpis corporis senio confecti asperitas ac scabies. Conf. v. 303. Cic. Tuscul. III. c. 12. Virg. A. VII, 440. 452. — 291. *corpore*, carne et suco. Schol. Bas. 1. *supplentur carnibus*. Phaedr. III, 7, 5. *quo cibo fecisti tantum corporis?* Conf. Met. I, 408. IV, 443. — Bas. 2. 3., Mor. 1. et complures alii Heins. *sanguine venae* e v. 334. De *sanguine* dictum est v. 287. Dresd. *sanguine rugae.*

292. *luxuriare* eleganter dicitur in suculentis et vegetis membris. IX, 267. Virg. G. III, 81. *luxuriat toris pectus.*

293. *hunc*, talem tamque florentem juventa. Hanc optimam scr. exhibent Bas. 1. et Rhen. Vulg. *nunc*, quod valde languet. — Post hunc v. Berol., Dresd., Par. 1. 2., cod. Viv. et multi H. et vett. edd.: *Dissimilemque animum subiit aetate relicta* (Berol., Dresd. et ed. pr. *relictus*). Sed abest a cod. Bersm., multis Heins., Goth. 1. 2., Pal. 2., Rhen., Lips. et Vrat. In multis Heins. post v. 291. legitur. Conflatus est e v. 170.

294. *Bacchi nutricibus* (Vid. Met. III, 314.) *juventus redditur.* Tractavit hanc fabulam Aesch. in Bacchi nutricibus. Conf. Hyg. F. 182.

294. *monstrum* in monstrosa transformatione etiam II, 367. et IX, 667.

296. *a Colchide*, a Medea, ut 301. Cant., Medic. 1., Vrat., Pal. 2. et VI. Heins. *Aetide.* Arond. *Etheide.* Mor. 1. *Ethelide.* Goth. 1. 2., Vat. et V alii Heins. *Oetide.* Par. 1. 2. et reliqui *Colchide.* — Quod vulg. legitur *petit hoc Aeëtida* mala conjectura Heinsii est. Conf. II, 694.

297. *Medea filias Peliae regis, fratris Acsonis, qui Iasonem ad vellus aureum apportandum vi coëgerat, simulata inimicitia cum Iasone, adiit iisque promisit, se eidem, ut Aesoni socero, juventutem restituturam, arieteque in agnum mutato fidem promissi fecit. Itaque illae patrem occidunt membraque in aënum conjiciunt. Quo facto a Medea destituuntur.* Apollod. I. c. 9. Hyg. F. 24. Diod. IV. c. 50. Pausan. VIII. c. 11.

298. *Phasias*, Medea apud Phasin (v. 6.) nata. Conf. v. 326. et 383. — 299. *gravis senecta.* Conf. v. 163. — Berol., Goth. 1., Lips. 1. et vett. edd. *senecta est*, sed *est* quod Heinsius tacite omisit, cod. Bersm., Par. 1. 2. et reliqui non agnoscunt. *Jahn.*

301. *mendacis* tacite edidit Heinsius, quod exstat in cod. Bersm., Briant., Cael. 1. 2., Dom., Dresd., Goth. 1., Joan., Par. 2., Lips. 1., Sulm. 1. 2. et ed. pr. — Pal. 2., Par. 1. et reliqui cum edd. Venn. *fallacis.* Exspectanda accuratior collatio codicum, quanquam *mendacis ποιητικώτερον.* — *cepit*, decepit.

302. „*inter meritorum* (de ingrato Iasone) *maxima.*“ — 303. *situs.* Vid. ad v. 290. — 304. *subjecta*, subtus addita, subnata. Cic. Philipp. VIII. *has mihi spes subjicit fortuna.* — 305. *revirescere.* Multi Heins. *reviviscere*, contra metra, et VII *juvenescere.* Sil. XV, 134.

Pars credunt torvos patrui revirescere vultus.

Idque petunt; pretiumque jubent sine fine pacisci.
Illa brevi spatio silet et dubitare videtur,
Suspenditque animos ficta gravitate rogantum;
Mox, ubi pollicita est, „Quo sit fiducia major
Muneris hujus," ait „qui vestras maximus aevo est
Dux gregis inter oves, agnus medicamine fiet."
Protinus innumeris effetus laniger annis
Attrahitur, flexo circum cava tempora cornu.
Cujus ut Haemonio marcentia guttura cultro
Fodit, et exiguo maculavit sanguine ferrum;
Membra simul pecudis validosque venefica sucos
Mergit in aere cavo. Minuunt ea corporis artus,
Cornuaque exurunt nec non cum cornibus annos,
Et tener auditur medio balatus aheno, —
Nec mora, balatum mirantibus exsilit agnus,
Lascivitque fuga lactantiaque ubera quaerit.
Obstupuere satae Pelia, promissaque postquam
Exhibuere fidem, tum vero impensius instant.
Ter juga Phoebus equis in Ibero flumine mersis
Demserat, et quarta radiantia nocte micabant
Sidera; cum rapido fallax Aeëtias igni
Imponit purum laticem et sine viribus herbas.
Jamque neci similis, resoluto corpore, regem
Et cum rege suo custodes somnus habebat,

306. *sine fine*, infinitum, ingens. Cf. I, 26. Pro *idque* alter Sulm. et aliquot Heins. *atque*, unus Heins. nescio quis *jamque*. Permulti Heins. *pretium juvenes*, *juvenis*, *juveni*, *juvene*. Pal. 2. *pretium juvenes*. Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., Sulm. 1. 2. *pretium juvenis*.

308. *suspendit*, attentos exspectatione reddit. Plin. Epist. II, 20, 2. *componit vultum*, *intendit oculos*, *movet labra*, *agitat digitos*, *computat nihil*, *nisi ut diu miseram exspectatione suspendat*. — *ficta gravitate*, quasi acriter deliberaret an fieri hoc posset. Flor., Hamb., Medic. 2. et Neap. *rogantes*, quod male edidit H. Vid. Praef.

310. „*qui vestras inter oves aevo maximus dux gregis est*." *vestras* tuentur cod. Bersm., Berol., Dresd., Rhen., Vrat., meliores Heins. et edd. Venn. — Vulg. *vestri*, minus eleganter. — 312. *innumeris*. VIII, 841. — 313. *attrahitur*, qui debilis senecta.

314. *Haemonio*. quia res accidit in Haemonia; supervacuum sane epitheton. — *marcentia* i. e. senilia, opponitur vegetis ac turgentibus. — 315. *exiguo*; nam effetus erat. Conf. XIII, 409.

316. *venefica*, Medea. — *validos*. Conf. v. 196. 265.

317. *minuunt ea*. Unus Ambr. et unus Heins. *minuuntur*, quod tam exigua aut prope nulla auctoritate substituere optimae scripturae vett. librorum non sum ausus. Nec minus suspecta est v. 318. scriptura cod. Pontani (??) et Goth. 2. *exuitur*, pro qua reliqui libri omnes cum vett. edd. *exurunt*, nisi quod Lips. 1. *exurtur*, Erf. 2. *exurit et*, et aliquot Heinsii *exuerunt*.

319. *tener balatus*, utpote tenelli agni.

321. *lascivire fuga*, cursu laetos ac petulantes motus facere. Conf. III, 685.

323. „*et postquam promissa* (quae promiserat sc. ducem illum gregis in agnum mutatum iri v. 311.) *exhibuere* (fecere) *fidem*, ipsa re comprobata sunt."

324. *Ibero flumine*. Oceanum dicit trans Iberiam s. Hispaniam. XI, 258. *Hesperium fretum* in eadem re dicit. Planud. vertit: ἐν τῷ Ἰβηρικῷ ὠκεανῷ. Exc. Pal., Lov. et Gen. *gurgite*, ex gl. Cf. Tib. III, 4, 18. II, 5, 60. Fast. IV, 688.

Demserat emeritis jam juga Phoebus aquis.

326. *Aeëtias*, Aeëtae filia. Vid. 298.

328. *resoluto corpore*. Conf. v. 186.

329. Cf. IV, 784. — *suo* Goth. 1., Rhen. et meliores Heins., quod nimiam vim addit custodibus, et perparvam habet auctoritatem vett. librorum. Aliis tamen ve-

Quem dederant cantus magicaeque potentia linguae.
Intrarant jussae cum Colchide limina natae,
Ambierantque torum: „Quid nunc dubitatis inertes?
„Stringite“ ait „gladios veteremque haurite cruorem,
„Ut repleam vacuas juvenili sanguine venas!
In manibus vestris vita est aetasque parentis.
Si pietas ulla est, nec spes agitatis inanes,
Officium praestate patri, telisque senectam
Exigite, et saniem conjecto emittite ferro!“
His, ut quaeque pia est, hortatibus impia prima est,
Et, ne sit scelerata, facit scelus. Haud tamen ictus
Ulla suos spectare potest, oculosque reflectunt
Caecaque dant saevis aversae vulnera dextris.
Ille cruore fluens cubito tamen allevat artus,
Semilacerque toro tentat consurgere, et inter
Tot medius gladios pallentia brachia tendens
„Quid facitis, gnatae? quid vos in fata parentis
Armat?“ ait. Cecidere illis animique manusque;
Plura locuturo cum verbis guttura Colchis
Abstulit, et calidis laniatum mersit in undis.
Quae nisi pennatis serpentibus isset in auras,
Non exemta foret poenae. Fugit alta superque

rum videtur. Vulg. *suos*. — 330. *dederant* II Bersm., Dresd., Berol., Goth. 2., Rhen., Vrat., meliores Heins. et vett. edd. Reliqui *dederat*, quod et idem Latinum est. — 331. *Colchide*. Vid. 296.

332. „*quid nunc*, cum manifesta et probata sit vis medicaminum, *dubitatis inertes?*“

333. *haurite cruorem*, emittite cruorem. XIII, 331. Liv. VII. c. 24. *hauriendus aut dandus est sanguis*.

334. *ut repleam*. Conf. v. 287.

335. *aetas*. Juventutem significat.

336. *agitatis*, volvitis, habetis. — Cod. Bersm., Goth. 2., Rhen., Lips. 1. et Vrat. *ne spes agitetis*. Dresd., Goth. 1. et ed. pr. *nec sp. agitetis*.

338. *exigite*, expellite. — *conjecto*. Vid. 245. — *sanies*, vetustus ac corruptus sanguis. — 339. Duplex oxymoron. Conf. III, 5. — Berol. *primo est*.

340. *scelerata*, sc. esset, nisi telum conjecisset ad vitam patris renovandam. *Gierig*.

342. *aversae*, ne ipsae viderent vulnera. hinc etiam *caeca*. Cf. VIII, 511. et Virg. A. VI, 224.

343. *cubito*. Sic unus Arg., unus Bas., exc. Cal., unus Mor. et codd. apud Dan. Heins. Reliqui *subito*.

344. Rhen. et IV Heins. *consurgere tentat*.

345. *tot*. Quatuor erant Peliae filiae. Sed vid. Heyn. ad Apollod. l. l. — De *pallent. brach.* conf. XIV, 734.

346. *quid vos*. Berol., Pal. 1. 2., Dresd., VI Heins. et ed. pr. *quid vos*. Reliqui *quis vos*. Constans prope harum dictionum varietas. *Quid vos* certe aptius. — Deinde Goth. 1. 2., Rhen., vetustiores (?) Heins. et ed. pr. *gnatae*.

347. Fast. III, 225. *tela viris animusque cadunt*. De hac dilogia vid. ad VI, 253. X, 368. — Dresd. et XIV Heins. *animusque*.

349. *in undis*. VI Heins. *ahenis*, quod librarii e v. 317. finxerunt. *Jahn*. Conf. v. 327. Berol., Pal. 2. et III Heins. *misit*. Conf. v. 317.

350. *Medea Iolco fugit et plura loca, variis transformationibus clara, praetervolans pervenit Corinthum, ubi ab Iasone, qui et ipse Iolco fugere coactus fuerat, repudiata, novam ejus conjugem Glaucen suosque ab eo liberos occidit, et variis ambagibus per aëra avolat Athenas*. Apollod. I. c. 9. Hyg. F. 25. 26. Diod. Sic. IV. c. 34.

350. *Quae nisi*. Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Rhen., Vrat. et meliores Heins. *quod nisi*, quod mihi prosam sapere videtur. Reliqui cum vett. edd. *quae nisi*. — De *pennatis serpentibus* vid. v. 218.

351. *alta* i. e. per aëra.

Pelion umbrosum Philyreaque tecta, superque
Othryn et eventu veteris loca nota Cerambi.
Hic ope nympharum sublatus in aëra pennis,
Cum gravis infuso tellus foret obruta ponto,
Deucalioneas effugit inobrutus undas.
Aeoliam Pitanen a laeva parte relinquit,
Factaque de saxo longi simulacra draconis,
Idaeumque nemus, quo, nati furta, juvencum,
Occuluit Liber falsi sub imagine cervi;
Quaque pater Corythi parva tumulatus arena est,
Et quos Maera novo latratu terruit agros;
Eurypylique urbem, qua Coae cornua matres
Gesserunt tunc, cum discederet Herculis agmen,
Phoebeamque Rhodon et Ialysios Telchinas,
Quorum oculos ipso vitiantes omnia visu

352. *Pelion*. Vid. v. 224. — *Philyreïa tecta*, antrum Chironis Centauri in Pelio, quem Saturnus ibi cum Oceani filia Philyra genuerat. VI, 126. Inde *Philyreïus heros* Chiron II, 676. — Hamb., Rhen. et complures Heins. *Philyreïa;* Par. 1. 2., Lips. 1. *Philireïaque t.* Plurimi codd. et vett. edd. *Philyreaque tecta*, quod non apparet cur editores mutarint. Vid. ad I, 21. III, 204. VI, 150. et not. ad Trist. IV, 2, 55.

Inde petes arcem et delubra faventia votis.

353. *Othryn*. II, 221. Cerambus temporibus diluvii Deucalionis (II, 144 sqq.) (hinc *veteris*) in Othrye monte a nymphis in scarabaeum mutatus est, ut statim sequitur. Anton. Liberal. Met. c. 22. — *Eventus* pro fato, interitu saepius. Conf. X, 600. XIII, 506.

355. *gravis*, ponderosa

356. *inobrutus* a Nasone, ut videtur, novatum, ut VIII, 844. *inattenuatus*, de qua re vid. not. ad Trist. I, 5, 28.

357. *Pitane*, oppidum Aeolidis ad Evenum. Strab. VIII. c. 1. Plin. H. N. V. c. 30. — *relinquit* Rhen., meliores Heins. et ed. pr.. Reliqui *reliquit*.

358. Quae hoc versu tangitur fabula haud satis nota est. Sunt, qui Lesbium draconem, in lapidem transformatum, intelligant, de quo vid. XI, 56.

359. *Idaeumque nemus*. Glossa codicis Menardi perhibet, Thyoneum Bacchi filium Phrygiis pastoribus ad Idam montem juvencum abegisse, eumque a Baccho in cervum, juvenem in venatorem fuisse mutatum. — 360. *falsi*. II, 871.

361. *pater Corythi*, Paris Trojanus, quem ex Oenone filium habuisse Corythum Parthenius ex Hellanici Troïcis narrat Erotic. c. 34. Vid. Parrhas. ad Claudian. Rapt. I, 199. — Bas. 2., Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Rhen., edd. Venn. et Parm. *tumulatus* omisso *est*, unde varietas *tumulatur* nata videtur, quam exhibent Bas. 1. 3., alter Bersm., Lips. 1., Vrat. et meliores (?) Heinsii. Vulg. *tumulatus ar. est*. *Est* autem nonnunquam omittitur. Vid. Virg. Ecl. I, 55. ibique Wagner.

362. *Maeram* sunt qui intelligant Icari canem, quae Icarum, a rusticis Atticis interfectum, latratu suo indicavit, et posthac cum domino suo inter sidera relata est. Hyg. F. 130. Sed fabulam nobis ignotam de transformatione Maerae cujusdam in canem intelligendam esse, apparet ex illo *novo latratu*. — Bas. 3., Berol. et Par. 1. *Megaera*. II Heins. *Megora*.

363. *Eurypyli urbs* intelligenda Cos, ubi Eurypylus (Hom. Il. II, 677.), Neptuni filius, rex fuit et ubi mulieres, cum formam suam praeferrent Veneri, in vaccas mutatae sunt. Quod poeta tunc factum fingit, cum Hercules post Trojam captam in patriam rediret. Hom. Il. XIV. 250 seqq. Lactant. in argument. IX, 232. Apollod. II. c. 7. — Scripturam *Coae* tuentur Dresd., Goth. 1. 2., Rhen. et edd. vett. praeter Venn. quod rectius videtur, ne diversi loci *Cos* et *Cea*, quae v. 368. memoratur, confundantur. Reliqui codd. et edd. Venn. *Ceae*. Hom. Il. II, 677. *Κῶν Εὐρυπύλοιο πόλιν*.

365. *Phoebeam*, quia Soli (Phoebo) sacra, cujus radiis nunquam carere dicebatur. Interpp. ad Hor. I, 7, 1. Pind. Ol. VI. — *Ialysios Telchinas*. *Ialysus* una ex antiquissimis Rhodi urbibus, sic dicta ab Ialyso Solis nepote. Strab. XIV. — *Telchines* prisci Rhodi incolae fuere,

Jupiter exosus fraternis subdidit undis.
Transit et antiquae Cartheïa moenia Ceae,
Qua pater Alcidamas placidam de corpore natae
Miraturus erat nasci potuisse columbam.
Inde lacus Hyries videt et Cygneïa Tempe,
Quae subitus celebravit olor. Nam Phyllius illic
Imperio pueri volucresque ferumque leonem
Tradiderat domitos, taurum quoque vincere jussus
Vicerat, et spreto toties iratus amore
Praemia poscenti taurum suprema negavit.
Ille indignatus „Cupies dare“ dixit, et alto
Desiluit saxo. Cuncti cecidisse putabant;
Factus olor niveis pendebat in aëre pennis.
At genitrix Hyrie, servatum nescia, flendo
Delicuit, stagnumque suo de nomine fecit.
Adjacet his Pleuron, in qua trepidantibus alis
Ophias effugit natorum vulnera Combe.
Inde Calaureae Latoïdos adspicit arva,
In volucrem versi cum conjuge conscia regis.
Dextera Cyllene est, in qua cum matre Menephron
Concubiturus erat saevarum more ferarum.
Cephison procul hinc deflentem fata nepotis

praestigiis famosi. — 366. *vitiare* h. l. est fascinare. Fascinatio autem etiam oculis fiebat. Virg. Ecl. III, 103.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

367. *fraternis*. I, 275.

368. *Carth. moenia Ceae*, Cartheam urbem dicit in Cea insula (III, 597.), ubi Ctesylla, Alcidamantis filia, cum sepelienda esset, in columbam mutata avolasse dicitur. Anton. Lib. c. 1. Loquitur igitur de futura transformatione, ut saepe. Vid. v. 387.

371. *Hyrie*, Boeotia, mortem filii Cygni, qui sese, ut infra narratur, ab rupe praecipitarat, lugens in lacum mutata fertur. Ant. Lib. c. 12. A Cygno illo *Cygneïa Tempe*, quae etiam a Teumeso monte, in cujus vicinia sita sunt, *Teumesia Tempe* dicta; quae a Thessalica illa valle diversa sunt.

372. *subitus*, subito natus, subita transformatione ortus. XI, 341. — *celebravit*. II, 252. „*Nam Phyllius*, qui Cygnum puerum amabat, *imperio* sive jussu ejus (*Cycni*) . .“ — 373. *volucres*, vultures mirae magnitudinis, auctore Ant. Liberal. l. l.

375. *et spreto*. Sic nonnulli Naugerii libri et margo ed. Bas. Vulg. *et stricto*, quod caret sensu. — 376. *negavit*. Heinsius ex uno Bas. *negarat*. Il Bersm., nonnulli Ciof., Berol., Goth. 1. 2., Lips. 1., Vrat. et ed. pr. *negabat*. Reliqui *negavit*. Heinsiana scriptura nullam auctoritatem habet.

379. *in aëre*. Berol., Goth. 1. 2., Rhen. et meliores (?) Heinsii *in aëra*, ut VII, 145. Reliqui cum vett. edd. *in aëre*, quod retinendum putavi, donec codices accuratius excussi fuerint. Cf. not. ad 390.

383. *Pleuron*, urbs Aetoliae, ubi Combe, Ophii filia, Curetum Aetolorum mater, quum filiorum insidias fugeret, in avem mutata est. De forma *Ophias* vid. ad 298. — 384. *Calaurea* sive Calauria insula in litore Argolidis, Apollini sacra. Fabula ignota est. — Flor., Medic. 1., Neap., Pal. 1., Rhen., Urb., Vat. 1., VIII alii Heins., Lips. 1., Goth. 2. et ed. pr. *Letoïdos*. Vulg. *Latoïdos*. Ac dici potest *Letoïs* a Graeco Λητωίς et *Latoïs* a Dorica forma Λατωίς. Itaque *Latoïdos* revocavi. Vid. not. ad VIII, 278.

386. *Cyllene*. V, 607. Turpem fabulam narrat Hyg. F. 253.

388. *Cephisi* fluvii Phocidis filia Praxithea, uxor Erechthei regis (VI, 677.) VIII habebat liberos (VI, 679.), e quibus unus filius ab Apolline in vitulum marinum sive phocam mutatus est.

Respicit in tumidam phocen ab Apolline versi,
Eumelique domum lugentis in aëre natam.
Tandem vipereis Ephyren Pirenida pennis
Contigit. Hic aevo veteres mortalia primo
Corpora vulgarunt pluvialibus edita fungis.
Sed postquam Colchis arsit nova nupta venenis,
Flagrantemque domum regis mare vidit utrumque;
Sanguine natorum perfunditur impius ensis,
Ultaque se male mater Iasonis effugit arma.
Hinc Titaniacis ablata draconibus intrat
Palladias arces, quae te, justissima Phene,

389. *respicit*, quia illa loca jam post tergum habebat.

390. Fabula ignota: sed apparet hujus Eumeli filiam in avem mutatam esse. Micyllus *Eumeli domum* intelligit Patras, Achajae urbem, cujus primus rex fuit Eumelus. — Goth. 1., Medic., Mor., Ox., Lips. 2., Vat., Vrat. et III Heins. *in aëra.*

391. *Ephyren*, Corinthum. II, 240. *Pirenis* dicta est a fonte Pirene prope Corinthum.

392. Construe: *Hic primo aevo pluv. fung. mort. corp. ed. esse, veteres vulgarunt sive tradiderunt.*

394. *Colchis*, Colchicis i. e. Medeae. (conf. XIII, 24.); gentile pro possessivo, de quo vid. ad Trist. II, 225.

395. *Ducta ab Iasone Glauce, Menoecei Corinthi regis filia, Medea cum vidit, se erga eum bene merentem tanta contumelia esse affectam, coronam ex venenis fecit auream, eamque muneri jussit filios suos* (Mermerum et Feretum) *novercae dare. Creüsa* (sive Glauce,) *munere accepto, cum Iasone et Creonte conflagravit. Medea ubi regiam ardere vidit, natos suos interfecit et profugit Corintho.* Hyg. F. 25. Apollod. I. c. 9. Eurip. Medea. Ovid. Heroid. XII. Omnes codd. et vett. edd.:

Flagrantemque domum regis male vidit: utroque
Sanguine natorum . .

nisi quod Lips. 1., Vrat., XIII ex vett. Heins. et ed. pr. *utrumque* exhibent, unde Gron. feliciter correxit, ut nunc vulgo editur:

Flagrantemque domum regis mare vidit utrumque.

Nam in scriptura vulgata desideratur quod vocant subjectum. — *utrumque mare.* Vid. ad v. 405, V, 407, VI, 419. Her. IV, 105.

Aequora bina suis oppugnant fluctibus Isthmon,
Et tenuis tellus audit utrumque mare.

397. *Iasonis arma.* Nam teste Diod. IV. c. 56. Iason non combustus est, sed postea demum se ipse interfecit. — *male*, impie, mactatis filiis suis. Heinsius hunc versum spurium censuit, qui abesse non potest, ne subjectum versus 398. desideretur.

398. *Medea profugit Athenas, cumque ibi Aegeo regi nupsisset, persuadet ei, ut Theseum filium, quem, postquam diu abfuerat, non agnoverat, veneno interficeret. Cum autem Theseus poculum venenatum jam manu teneret, Aegeus filium agnovit, Medea fuga evasit, nebulis per carmina motis.* Apollodor. I. c. 9. Diod. IV. c. 54. Hyg. F. 26. Pausan. II. c. 3. Plut. Thes. c. 12.

398. *Titaniacis.* V. 219. I, 10. III, 173. — 399. *Palladiae arces* sunt arces Athenarum, quae Minervae s. Palladi sacrae erant. Vid. VI, 70 sqq. — *Phene.* Periphas antiquissimus Atticae rex ante Cecropis aetatem. Eum Jupiter in aquilam mutavit; τὴν δὲ γυναῖκα αὐτοῦ, δεηθεῖσαν καὶ αὐτὴν ὄρνιθα ποιῆσαι σύννομον τῷ Περίφαντι, ἐποίησε φήνην q. e. falconem ossifragum. Anton. Lib. c. 8. Apparet quam recte legatur *Phene*, quod etiam exhibet ed. Parm. in Lactantii argumento. Vett. libri prope omnes *justissime Phineu*, nisi quod in Goth. 2., Lips. 2. et Vrat. a 1. m. *Pheneu* scriptum est. Dioscorides tamen avem illam φήνιν appellat. — Potuit autem, ut animadvertit Gierig, mulier nomen avis habere, in quam mutata est, ut Daphne arboris, Arachne araneae; ut Ceyx, Coronis, Cycnus, Halcyone, Lycus, Nisus, Perdix, Picus, alii in animalia ejusdem nominis mutati sunt. — *justissima* autem Phene ob pietatem in conjugem. Conf. VIII, 707.

Teque, senex Peripha, pariter videre volantes,
Innixamque novis neptem Polypemonis alis.
Excipit hanc Aegeus, facto damnandus in uno.
Nec satis hospitium est, thalami quoque foedere jungit.
Jamque aderat Theseus, proles ignara parenti,
Qui virtute sua bimarem pacaverat Isthmon.
Hujus in exitium miscet Medea, quod olim
Attulerat secum Scythicis aconiton ab oris.
Illud Echidnaeae memorant e dentibus ortum
Esse canis. - Specus est tenebroso caecus hiatu,
Est via declivis, per quam Tirynthius heros
Restantem, contraque diem radiosque micantes
Obliquantem oculos, nexis adamante catenis
Cerberon abstraxit; rabida qui concitus ira
Implevit pariter ternis latratibus auras,
Et sparsit virides spumis albentibus agros.

401. *neptis Polyp.* Halcyone filia Scyronis, latronis, qui fuit filius Polypemonis, quae propter impudicitiam a patre in mare dejecta in sui nominis avem mutata est. Prob. ad Virg. Georg. I, 399. — *innixam* exhibent Pal. 2., Flor., Medic. 1. 2. 3. et multi Heins.; Briant. et VI alii Heins. *adnixam.* Lips. 1. 2., Rhen., Goth. 1. pro v. l. *annixam.* Berol., Cael., Sulm. 1. 2. *ad nexam.* Vulg. *innexam.* Virg. A. IV, 252. *nitens Cyllenius alis.*

402. *facto damnandus in uno.* Unum factum sc. hospitium sufficiebat, ut damnandus esset. — 403. *thalami foedere ut taedae jure* IV, 60. Conf. VI, 428. — Flor., Jun., Lips. 1. et ed. pr. *foedera,* quae scriptura inde nata videtur, quod grammatici *hanc sibi* desiderarent. Reliqui codd. et vett. edd. omnes *foedere.* Optime. Quidam Heins. *hospitio, hospitio est, hospitii est.*

404. Theseus ignotus erat patri, quia apud Pittheum avum Troezenis natus et educatus erat; et deinde avi domum reliquerat, ad clarissima illa facinora suscipienda. Plut. in Thes. et Pausan. Att. p. 44. — *ignara* sensu passivo pro ignota. Vid. Gell. N. Att. IX. c. 12. Infra v. 421. vi activa legitur.

405. *pacaverat*, occisis latronibus, qui eum tractum infestarent. Pausan. Corinth. p. 122. *Pacare* solemne in hac re. Virg. A. VI, 804. Hercules *Erymanthi pacavit nemora.* Senec. de Benef. I. c. 13. *terrarum marisque pacator.* — *bimarem* V, 407. VI, 419. — Dresd., Vrat. et multi Heins. *et virt.* Alii Heins. *ut virt.*

407. *Scythicis*, universe dictum pro Colchicis; nam Scythia omnes regiones boreales complectebatur. Strab. XI. et VII. — *aconiton* venenorum ocyssimum, de quo Plin. H. N. XXVII. c. 2. et 3.

408. *Echidnaeae — canis*, Cerberi ex Echidna orti. IV, 501. Vid. Hesiod. Theog. v. 308. Quint. Smyrn. VI, 261.

409. *tenebroso caecus hiatu*, ut I, 388. *caecis obscura latebris.* Specus autem illa est Acherusia, in Mariandynorum finibus, *ad manes; ut ajunt, pervias, atque inde extractum Cerberum existimant*, ut tradit Mela I. c. 19. Vid. Plin. N. H. XXVII. c. 2, VI. c. 1. —

410. Eadem res, sc. ab Hercule Cerberum ex inferis tractum, tangitur IX, 185. Conf. IV, 450. Nam *Tirynthius heros* est Hercules. VI, 112. Cf. VIII, 324. II, 676. — Cod. Bersm., Berol., Sulm. 1. 2., II Vat. et alii Ciof., codd. Heins. et Jahni et vett. edd. *est via.* Editio Vinc., Mic. et alii *et via*, quod etsi rectius videtur, invitis codd. recipere non sum ausus.

411. *restantem*, resistentem. III, 626.

412. *obliquantem*, in obliquam partem torquentem (XII, 486.), sc. ne eos adspiceret. — *adamante.* IV, 453. Senec. Herc. f. v. 807. *Tunc gravia monstri colla permulcens manu Adamante texto vinxit.*

413. *abstraxit* cod. Bersm., Berol., Pal. 1., Rhen., Vrat., Witt. et multi Heins., flagitante sententia. Reliqui *attraxit.*

414. *ternis.* IV, 450 seqq.

415. Bas. 4. et 3. inter lin., Dresd. et Thu. *herbas.*

Has concresse putant, nactasque alimenta feracis
Fecundique soli vires cepisse nocendi.
Quae quia nascuntur dura vivacia caute,
Agrestes aconita vocant. – Ea conjugis astu
Ipse parens Aegeus nato porrexit, ut hosti.
Sumserat ignara Theseus data pocula dextra,
Cum pater in capulo gladii cognovit eburno
Signa sui generis, facinusque excussit ab ore.
Effugit illa necem nebulis per carmina motis.
At genitor, quanquam laetatur sospite nato,
Attonitus tamen est, ingens discrimine parvo
Committi potuisse nefas, fovet ignibus aras,
Muneribusque deos implet, feriuntque secures
Colla torosa boum vinctorum cornua vittis.
Nullus Erechthidis fertur celebratior illo
Illuxisse dies. Agitant convivia patres
Et medium vulgus; nec non et carmina, vino
Ingenium faciente, canunt: „Te, maxime Theseu,
Mirata est Marathon Cretaei sanguine tauri;
Quodque suam securus arat Cromyona colonus,

416. *concresse*, sc. in solidum corpus sive plantam. Est ergo metamorphosis. — Pal. D. Heins. *furoris*.

418. *Quae quia nascuntur*. Plin. N. H. XXVII. c. 3. *Nascitur in nudis cautibus, quas aconas (ἀχόνας) vocant, et inde aconitum dixere, nullo juxta ne pulvere quidem nutriente*. Unde etiam *vivacia*, h. e. tenacem vitam habentia, ut quae nullo alimento indigeant.

422. Gladium ut ostenturet Theseus, cultrum eduxit carnes appositas dissecaturus. Plut. Thes. c. 12. Nam gladio adjunctus fere erat culter. Hom. Il. III, 271. E signis generis sui, quae Theseus more veterum in capulo gestabat, agnoscit filium. Quae vero illa signa fuerint, non constat. *Gier*.

423. *facinus*, facinus patratura pocula.

424. *carmina*, sc. magica.

426. *tamen est*. Goth. 1., unus Leid. et unus Heins. *tantum est*. Rhen. *tantum* omisso *est*. Reliqui omnes *tamen est*. Optime. Pro lectione Par. 2., ed. pr. et vulgatae *ingens disc. p.* duo Bersm., Pal. 2. a corr., unus Vat. Ciof. et multi Heins. *leti discrimine parvo*, e glossa et fortasse e Virg. Aen. III, 686. — Reliqui codd. Ciof., multi Heins., Berol., Dresd., Goth. 1., Pal. 2 a 1. m., Par. 1., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et reliquae edd. vett. *geniti*. Mendose. — *discrimine parvo* est *propemodum, tantum non*.

428. Proprie *arae implentur*, poetice *ipsi dí*. *Gierig*.

429. *vittis*. Vid. 161. — De accus. *cornua* vid. ad I, 332.

430. *Erechthidis*, Atheniensibus, a rege Erechtheo. VI, 677. — 432. *medium vulgus*, ut V, 207. *media plebs*. — *vino ing. faciente*. Hor. Epist. I, 5, 19.

Fecundi calices quem non fecere disertum?

Prop. IV, 6, 75.

Ingenium potis irritat Musa poetis; Bacche, soles Phoebo utilis esse tuo.

Vid. Bentl. ad Hor. Od. III, 21, 13.

433. Thesei laudem commode in hymni formam convertit, ut res non narrari, sed agi videatur. Conf. Virg. Aen. VIII, 288. ubi similis in Herculem hymnus. De re vid. Plut. in Thes. Diod. IV. c. 59 seqq. Apollod. III. c. 16. Hyg. F. 37 sqq.

434. *Marathon*, pagus Atticae, ubi Theseus taurum Cretaeum, h. e. quem Neptunus Minoï Cretensi, Atheniensium hosti, dederat quique Marathonios agros vastabat, cepit et Athenis immolavit. Plut. Thes. c. 14. Met. IX, 186.

435. *Cromyon*, pagus Corinthi, ubi sus ingentis magnitudinis agros devastabat, quam Theseus interfecit. Steph. Byz. s. v. *Κρεμμ*. Plut. Thes. c. 9. Paus. II. c. 1. — Conjectura est *suis* q. e. *de sue*. Sed suem adjunctis satis significavit, et vett. libri omnes optimam exhibent scripturam *suam*.

Munus opusque tuum est. Tellus Epidauria per te
Clavigeram vidit Vulcani occumbere prolem,
Vidit et immitem Cephisias ora Procrusten;
Cercyonis letum vidit Cerealis Eleusin.
Occidit ille Sinis, magnis male viribus usus,
Qui poterat curvare trabes, et agebat ab alto
Ad terram late sparsuras corpora pinus.
Tutus ad Alcathoën, Lelegeïa moenia, limes
Composito Scirone patet; sparsisque latronis
Terra negat sedem, sedem negat ossibus unda,
Quae jactata diu fertur durasse vetustas
In scopulos: scopulis nomen Scironis inhaeret.
Si titulos annosque tuos numerare velimus,
Facta premant annos. Pro te, fortissime, vota
Publica suscipimus, Bacchi tibi sumimus haustus!“
Consonat assensu populi precibusque faventum
Regia; nec tota tristis locus ullus in urbe est.
Nec tamen – usque adeo nulla est sincera voluptas,

436. *Epidauri* in Argolide Theseus Peripheten, Vulcani filium, latronem aerea clava armatum (hinc *claviger*) interfecit. Apollod. III. 16. Plut. Thes. c. 8.

438. *Procrustes*, Neptuni filius, ad Cephisum fluvium Atticae habitans, mensuram hospitum ad lectum aptans, si longiores essent lecto, amputabat prominentes corporis partes, si breviores, incude supposita extundebat pedes. Hunc Theseus interfecit. Plut. Thes. c. 11. Hyg. Fab. 38. Paus. Att. I. c. 38. – De forma *Cephisias* conf. v. 298. Cod. Bersm., Ox. et I Heins. *Cepheïas*. Alter Bersm., Dresd., Goth. 2., Rhen., Vrat., Lips. 1. 2., meliores Heins. et ed. pr. *Cephesias*. Goth. 1. et Par. 1. *Cephasias*.

439. *Cercyon* cogebat praetereuntes secum luctari, victosque caedebat. Hunc Theseus Eleusi occidit. Plut. Thes. c. 11. Hyg. F. 187. Pausan. Att. p. 94. — *Cerealis* Eleusis dicta, ut „*Cereri consecrata.*“ — Vulg. *Eleusis*. Sed Berol., Erf. 1., Medic. 1. 3. 4., Nor., Pal. 1. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 1. et IV Heins. *Eleusin*, quae l. non librariorum inventis similis videtur. Mel. II. c. 3.

440. *Sinis*, filius Polypemonis, in Isthmo habitans, duabus inflexis pinubus (unde *Πιτυοκάμπτης* dictus) homines alligare solebat, quibus subito dimissis foede dilacerabantur. Pausan. Corinth. p. 111. Hyg. F. 38. Apollod. III. c. 16. Vulg. *Scinis*.

441. *trabes*, arbores, pinus.

443. *ad Alcathoën* tacite edidit Heinsius, quod Berol. (?), Goth. 2. et Ven. 2. confirmant, etiam Dresd., qui *Alchatoem*. Cod. Bersm., Lips. 1., Vrat. et ed. Ven. 1. et 4. *ad Alcithoen*. Ed. pr. *ad Alcithoes*. — *Alcathoë* Megaris, ab Alcathoo urbis conditore vel amplificatore. Pausan. Attic. p. 98. — *Lelegeïa* a Lelege Megaridis rege. Conf. VIII, 7. Virg. Cir. 105. *Stant Megara Actaei quondam munita labore Alcathoï.*

444. *Sciron* Megaridis rupes incolens vel latrociniis vias infestabat vel praetereuntibus pedes porrigere solebat lavandos, quod cum facerent, calcibus eos in mare dejiciebat. Eum et ipsum Theseus dejecit. Plut. Thes. c. 10. Ossa ejus in scopulos mutata sunt. — *composito*, domito, sublato, ad quietem adacto. — Par. 1. et III alii Heins. *sparsique*, parum eleganter sane; quod tamen praetulit Heinsius.

447. Mela II. c. 3. *Scironia saxa, saevo quondam Scironis hospitio etiam nunc infamia.* — 448. *titulos*, clara facta. V. 56. IV, 645. — 449. *premant*, superent, vincant. Sic Dresd., Rhen., Lips. 1. et meliores Heins. — Cod. Bersm., Berol., Pal. 2. et multi H. *premunt*. Par. 1. 2. et vett. edd. *prement*.

453. *Athenienses a Minoë Cretensium rege, quod filium ejus Androgëum occiderant, bello premuntur et auxilium impetrant ab Acaco Aeginae rege, cujus urbs mutatis post pestem formicis in homines modo novos incolas acceperat.* Plut. Thes. c. 15. Apollod. III. c. 12. 15. Pausan. I. c. 27. Strab. IX. p. 576. Hyg. F. 52. 41.

453. *usque adeo*. Vid. V, 53. Ad

Sollicitumque aliquid laetis intervenit - Aegeus
Gaudia percepit nato secura recepto:
Bella parat Minos, qui quanquam milite, quanquam
Classe valet, patria tamen est firmissimus ira,
Androgeïque necem justis ulciscitur armis.
Ante tamen bello vires acquirit amicas,
Quaque patent aditus, volucri freta classe pererrat.
Hinc Anaphen sibi jungit et Astypaleïa regna,
Promissis Anaphen, regna Astypaleïa bello;
Hinc humilem Myconon, cretosaque rura Cimoli,
Florentemque Cythnon, Scyron, planamque Seriphon,
Marmoreamque Paron, quamque impia prodidit Arne
Sithonis accepto, quod avara poposcerat, auro.
Mutata est in avem, quae nunc quoque diligit aurum,

rem conf. Apoll. Rh. IV, 1165. — *Sincera*, plena, integra, cui nihil adversi admixtum. — Par. 2. *nulli*, quod perperam edidit Heinsius, qui etiam v. 454. ex uno Medic. et ed. pr. sine causa novavit *sollicitique*.

456. De repetito *quanquam* vid. ad V, 507. — 457. *patria*, paterna. — *valet et firmissimus* sibi respondent. — Cod. Bersm. et plurimi (?) Heins. *fortissimus*.

458. Fast. III, 710. *ulcisci justa per arma patrem*.

459. *bello*, in bellum. — Medic. 2. Bas. 3. et V alii H. *bellum*, quod cupidius edidit Heinsius. Idem v. 460. pro optima scriptura omnium vett. librorum cum var. l. Flor. edidit *quaque potens habitus*, quod invenustum et obscurum est. — Rhen. et multi Heins. *quaque patens aditus*.

461. *Anaphe* et *Astypalea* et quae sequuntur insulae sunt maxima ex parte de Cycladibus in mari Aegaeo, Cretae vicinis. — Cod. Bersm., Goth. 1., Lips. 2. et edd. Venn. *Anapen*. Goth. 1., Rhen., Lips. 1. et Vrat. *Anapem*. Dresd. *Anapam*. Heins. in toto hoc loco tacet. — *Astypaleïa* Raph. Regius ex conjectura edidit, quod ed. Ven. 2. confirmat. - Capr., Sulm. 1. 2. et Urs. *et hinc Styphaleia*. Reliqui fere omnes et vett. edd. *et hinc Stiphaleia* v. *et hinc Stymphaleia* v. *Stimphalida*.

463. *humilem* de situ intelligendum. Virg. A. III, 76.

Errantem Gyaro celsa Myconoque revinxit.

Vett. edd. *Myconen*. — *Cimoli* insulae cretam memorat Plin. H. N. XXXIV. c. 16. XXXV. c. 17. *Cimoli* unus Rhen. servavit. Reliqui *Timoli*, *Thimoli*, al.

464. *Cythnon* h. l. priorem corripit. Vid. ad VI, 468. Contra V, 252. producit. Ceterum *Cythnon* est conjectura R. Regii. Nam plerique Ciof., vetustiores Heins. maxima ex parte, II Bersm., Par. 2., Flor., Goth. 1., Neap., Lips. 2. *Tyron*. Berol., Goth. 2. et Lips. 1. *tiron*. Vrat. *thiron*. Singuli *Ciron*, *Cyron*, *Cython*, *Cilon*, al. — *Seyron* quoque correctio R. Regii est. Plerique enim Ciof., omnes (?) Naugerii, nonnulli Heins., Par. 2. et ed. Ven. 1. *Cypron*. Cod. Bersm., vetustiores Heins. maxima ex parte (?), Bas. 3., Flor., unus Ment., Pal. 2., Neap., Lips. 1. et ed. pr. *Cyprum*.

465. Codd. Heins. *quamque impia prodidit Arne* v. *Arnen*, vel *quaque i. p. Arne* v. *Arnem*, vel *quoque i. p. Arnon*. Cod. Bersm. *quaque — arce*. Lips. 1. *quaeque — Arne*. Alter Bersm., Goth. 1. 2., Lips. 2. et edd. Venn. cum vulg. *quamque — Arnen*. Berol., Flor. et reliquae vett. edd. *quamque — Arne*. Confirmatur ea l. a Lactant. in argum.: Arne cum insulam Sithona (vel *Scython* v. *Sithon*), in qua genita erat, hosti (Minoï) Athenas oppugnanti, capta pulcritudine auri, vendidisset, ne pro meritis supplicia penderet, in volucrem monedulam est transfigurata, quae adhuc splendore auri delectatur. — 466. Vulg. *Sithonis accepto*. Nonnulli Heins., Vrat., et vett. edd. *Scythonis accepto*. Flor. *Sithon acc*. Par. 2. et unus Sulm. *Sithon et acc*. Heinsius ex conjectura dedit *Siphnon et acc.*, quam repugnante omnium codicum consensu retinere non audeo: quum *Sithon* insula error auctoris illius argumentorum esse possit, neque quicquam obstet, quominus *Arne* illa aut *Sithonis* cujusdam filia, aut e Sithonia sive Thracia fuerit atque inde *Sithonis* nomen habuerit.

Nigra pedes, nigris velata monedula pennis.
At non Olearos Didymaeque et Tenos et Andros
Et Gyaros nitidaeque ferax Peparethos olivae
Gnosiacas juvere rates. Latere inde sinistro
Oenopiam Minos petit, Aeacideïa regna, —
Oenopiam veteres appellavere; sed ipse
Aeacus Aeginam genitricis nomine dixit.
Turba ruit, tantaeque virum cognoscere famae
Expetit. Occurrunt illi Telamonque minorque,
Quam Telamon, Peleus, et proles tertia Phocus.
Ipse quoque egreditur, tardus gravitate senili,
Aeacus, et quae sit veniendi causa requirit.
Admonitus patrii luctus suspirat, et illi
Dicta refert rector populorum talia centum:
„Arma juves oro pro gnato sumta, piaeque
Pars sis militiae: tumulo solatia posco.“
Huic Asopiades „Petis irrita“ dixit „et urbi
„Non facienda meae: neque enim conjunctior ulla
Cecropidis hac est tellus; ea foedera nobis.“
Tristis abit „Stabuntque tibi tua foedera magno!“
Dixit; et utilius bellum putat esse minari,
Quam gerere atque suas ibi praeconsumere vires.
Classis ab Oenopiis etiam nunc Lyctia muris
Spectari poterat, cum pleno concita velo

468. *velari* de pennis, ut XIII, 53.— Heinsius tacite edidit *pedem*. — *monedula* quia saepe *monetas* aureas aufert, inde nomen accepisse credebatur. —

469 sq. Quae sequuntur et ipsae sunt insulae maris Aegaei. Olearos et Gyaros sunt e Sporadibus. Mela II. c. 7.

471. *Gnosiacas*, Cretenses a Gnoso Cretae oppido, in quo sedem habebat Minos.— 472. *Oenopia* et *Oenone* antiqua Aeginae insulae nomina. Infra v. 490. *Oenopii muri*. Pindar. Isthm. VIII, 43. *νᾶσον Οἰνοπίαν*. Conf. Eurip. Iph. A. v. 699. Exc. Cal. *Oenonen*.

474. *genitricis*, Aeginae Asopi filiae, ex qua Jupiter Aeacum procreavit, qui inde v. 484. *Asopiades*. Conf. v. 513. VI, 113. Pindar. Nem. VIII, 10.

475. Six. *ruunt*. — 476. *expetit*. Conf. IX, 267. Multi codd. et ed. pr. *excipit*.

478. *gravitate*, pondere annorum, debilitate. Conf. v. 299. — 480. *admonitus* patrii luctus, sc. de amisso Androgeo filio. Vid. 468. — 481. *pop. centum*, cum poetica exaggeratione est Homericum *ἑκατόμπολις* Il. II, 649. Vid. Met. IX, 666. XIII, 707. Mela II, c. 7. Strab. X. p. 735. Meurs. Creta. I. c. 5.

482. *pia militia*, ut quae ultione pietatem in injuste occisum Androgëum gnatum exerceret. — Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2., vetustiores Heins. et ed. pr. *pro gnato*. Reliqui *pro nato*, quod verum videtur.

483. *tumulo*, manibus filii. Vid. XII, 2. Hor. Od. II, 1, 28.

484. *Asopiades*, Asopi Achaïci fluvii ex Aegina nepos.

485. *non*. Heinsius tacite edidit *haud*, quod etiam Berol. et Rhen. exhibent.

486. *Cecropidis*, posteris Cecropis (II, 555. VI, 667.) h. e. Atheniensibus. — *ea*, tam sancta, tam firma.

487. *magno*. Berol., Cant., Dresd., Jun., Pal. 2. pro v. l., unus Sulm., unus Vat. Ciof. et plures Heins. *damno*, ex glossa. Conf. X, 547. XII, 68. Her. VII, 47.

Exercet pretiosa odia et constantia magno.

489. *praeconsumere*, ante bellum quod adversus Athenienses gesturus erat, minuere. Conf. VIII, 7.

490. *Lyctia*, a Lycto, Cretae septentrionalis oppido, igitur pro *Cretensis*. Conf. supra v. 471. — Berol., Rhen., praestantiores (?) Heins. et ed. pr. *etiamnum*. *Oenopiis*. — Conf. v. 472.

491. III Heins. *vento*. Virg. A. I, 400.

Attica puppis adest et portus intrat amicos,
Quae Cephalum patriaeque simul mandata ferebat.
Aeacidae longo juvenes post tempore visum
Agnovere tamen Cephalum, dextrasque dedere
Inque patris duxere domum. Spectabilis heros
Et veteris retinens etiam nunc pignora formae
Ingreditur, ramumque tenens popularis olivae
A dextra laevaque duos aetate minores
Major habet, Clyton et Buten, Pallante creatos.
Postquam congressi primo sua verba tulerunt
Cecropidae; Cephalus peragit mandata, rogatque
Auxilium, foedusque refert et jura parentum,
Imperiumque peti totius Achaïdos addit.
Sic ubi mandatam juvit facundia causam;
Aeacus in capulo sceptri nitente sinistra,

Aut portum tenet aut pleno subit ostia velo.

492. *et portus.* Goth. 1., Hamb. 2., Rhen., unus Sulm. et Urb. *in portusque.* — Flor., Medic, 2. 3., Neap., Ox., Spir., Vrat. et VIII Heins. *in portus intrat;* a correctoribus qui *portus intrare* Latine dici ignorarent. Vid. VI, 445.

493. *Cephalus*, Deïonis vel ut alii tradunt Mercurii filius, qui Procrida, Erechthei filiam, in matrimonio habebat.

494. *longo post tempore.* Fuisse Cephalum jam ante, adhuc juvenem, Aeginae etiam e v. 516. apparet. De constructione *longo p. tempore* conf. IX, 570. X, 180. XIV, 218.

495. *dedere.* Cod. Bersm., Dresd., Rhen., Lips. 2., praestantiores (?) Heins. et ed. pr. *dedere.* Reliqui cum edd. Venn. *dederunt.*

497. *pignora* exquisitius, quam signa, vestigia. VI, 603. — Berol., Rhen., praestantiores (?) Heins. *etiamnum.*

498. *popularis*, quia in Attica, unde Cephalus, primum nata vel a Minerva procreata erat. VI, 80. 81. Olivam autem legatus tenet, ut signum supplicis ac pacis. Virg. A. VIII, 116. *pacifera*eque manu ramum praetendit olivae.

499. *a dextra.* Ita Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., meliores Heins. et ed. pr. — Reliqui *et dextra.*

500. *Pallas*, Pandionis Atheniensis filius. Sed vid. Hyg. F. 244. et Pausan. Att. p. 51. et 70.

500. *major*, ipse major.

501. *postquam — Cecropidae.* Ita vulg., vett. edd., multi Heins., cod. Bersm., Dresd., Goth. 1., Lips. 1., Berol., Pal. 2. et Par. 2., nisi quod Bersm., Dresd., Goth. 1., Lips. 1. et nonnulli Heins. *primo*, et Berol., Pal. 2., Par. 2. et nonnulli Heins. *primum*, quae parva diversitas est. Lips. 2. *congressus primum.* Flor., Hamb. 1., Med. 3., Neap., Pal. 1. 2., Vat. 1. et nonnulli Heins. *congressus primi.* Par. 1., Rhen., Bas. 1. multi (?) Heins. *congressu primo.* Omnes autem *Cecropidae.* Heinsius audaci mutatione nec satis perspicua edidit:

Postquam congressus primi sua verba tulerunt:
Cecropidem Cephalus . . . .

Mihi in tanta obscuritate atque ambiguitate tutius videtur retinere scripturam longe plurimorum librorum, cujus sensum hunc statuo: *postquam congressi Cecropidae primo s u a verba*, quae ipsi habebant dicere, sc. salutem et similia, *protulerunt, Cephalus deinde m a n d a t a r e g i a peragit rogatque etc. Primo* cum multis codd. *Tulerunt* pro *protulerunt*, ut saepius. Jahn edidit:

Postquam congressu primo sua verba tulerunt
Cecropidae, Cephalus etc.

503. *jura*, quae nascuntur ex foederibus.

504. „*et* (a Minoë) *peti imperium totius Graeciae.*“ Nam *Achaja* s. Graeco nomine *Achaïs* (V, 577.) regio Peloponnesi pro omni Graecia est. Vid. IV, 606.

506. *capulo*, parti sceptri inferiori, quae manu capiebatur, sedentes innitebantur. I, 178.

Celsior ipse loco, sceptroque innixus eburno.

Pal. 2. et unus Bas. *in sceptro regni.* Unus Bas. et unus Bonon. *in capulo sceptri*, idque in Erf. 1. pro glossa adscriptum erat. Reliqui *in capulo regni*, quod non ferendum est.

„Ne petite auxilium, sed sumite," dixit „Athenae;
„Nec dubie vires, quas haec habet insula, vestras
Ducite; et omnis eat rerum status iste mearum!
Robora non desunt: superat mihi miles et hosti.
Gratia dîs, felix et inexcusabile tempus!"
„Immo ita sit, Cephalus „ Crescat tua civibus opto
„Urbs!" ait. „Adveniens equidem modo gaudia cepi,
Cum tam pulchra mihi, tam par aetate juventus
Obvia processit. Multos tamen inde requiro,
Quos quondam vidi vestra prius urbe receptus."
Aeacus ingemuit, tristique ita voce locutus:
„Flebile principium melior fortuna sequuta est.
Hanc utinam vobis possem memorare sine illo!
Ordine nunc repetam, neu longa ambage morer vos:
Ossa cinisque jacent, memori quos mente requiris.
Et quota pars illi rerum periere mearum!
Dira lues populis ira Junonis iniquae
Incidit, exosae dictas a pellice terras.

508. *nec dubie — ducite*, nec dubitate ducere. — 509. *ducite* tacite edidit Heinsius, quod Berol., Goth. 1. 2. et nonnulli Ciof., et vero etiam bonitas sententiae confirmant. Reliqui cum vett. edd. *dicite*. parum apte. Quod autem in multis recentioribus edd. legitur: *ut omnis eat*, inanis est conjectura Heinsii, qui eam orationem Nasoni etiam aliis locis multis invenuste obtrusit. Oratio autem: *et omnis iste rerum mearum status* (h. e. *omnes hae opes et copiae meae*) *eat*, mihi non modo non suspecta videtur, sed etiam in regis tanta liberalitate perquam elegans. Arond., Hamb., Medic. 1., Pal. 1., Rhen. et VIII Heins. *et omnis ait*. II Heins. *et omnis erit*.

510. „*superat* (abundat et) *mihi miles* (ad me custodiendum) *et hosti* (externo) q. e. *in hostem*." Sed parum accurata oratio est. II Ciof., Erf. 1., Flor., Hamb. 1. 2., Medic. 1., Neap., Pal. 1., Lips. 2., Urb., Vrat. et XII Heins. *et hostis*, quod sensu caret. Cod. Bersm. et V Heins. *superest*, ex glossa. — In Pal. 2. et Lips. 1. 2. hic versus post v. 111. legitur.

511. *inexcusabile tempus*, conditio regni adeo prospera, ut excusatio locum non habeat. *Gier*.

512. *immo ita sit* vim habet confirmandi, quod ab altero dictum est. Ac sensus est: *Sane ita etiam in posterum et diu sit, ait Cephalus, crescat etc.* Vid. not. ad Her. I, 111. et ad Trist. I, 10, 1.

513. *urbs*. Fragm. Box., Cant. et Six. *res*, quod tam parva auctoritate recipere non debebat Heinsius.

515. *inde*, ex illis. Conf. v. 718.

518. *secuta est*. Praeteritam civitatis cladem et prosperum ejus eventum jam narrat. Hinc mirum est, Heinsium edidisse *sequetur*, quod exstat in Graev. pro v. l., Gron. 1., exc. Langerm., uno Sulm. et uno Vat. Ciofani.

519. Heinsius tacite edidit *possem vobis*, quod etiam cod. Bersm., Berol., Rhen., Lips. 1. 2. exhibent. — Optimam scripturam *sine illo* nonnisi Par. 1. et ed. pr. servarunt. Reliqui omnes *sine ullo ordine:* inepte. Cur enim *sine ullo ordine* rem narrare voluisset? et cur optet, ut fortunam narrare possit, cui nihil obstabat? Et favent huic scripturae ea, quae sequuntur: „*nunc*, cum fortunam illam sine tristi principio narrare non possim, ordine repetam et totam rem narrabo." IX, 5.

521. *Aegina dira pestilentia vastata Jupiter formicas mutat in homines et novos incolas, Myrmidones dictos*. In pestis descriptione praeiverant Lucret. VI, 1136. Virg. G. III, 474 sqq. Thucyd. II.

522. *et quota*, et quam parva. IX, 69. — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 2., Lips. 1. 2. et ed. pr. *illic*. Heinsius tacite edidit *illi*, quod in reliquis libris legitur. *Jahn*. — *rerum*, subditorum.

523. Heinsius tacite edidit *ira populis*, quod II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et ed. pr. tuentur. Vulg. *populis ira*.

Dum visum mortale malum, tantaeque latebat
Causa nocens cladis, pugnatum est arte medendi;
Exitium superabat opes, victaeque jacebant.
Principio coelum spissa caligine terras
Pressit, et ignavos inclusit nubibus aestus,
Dumque quater plenis explevit cornibus orbem
Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem,
Letiferis calidi spirarunt flatibus austri.
Constat et in fontes vitium venisse lacusque,
Milliaque incultos serpentum multa per agros
Errasse atque suis fluvios temerasse venenis.
Strage canum primo volucrumque oviumque boumque
Inque feris subiti deprensa potentia morbi.
Concidere infelix validos miratur arator
Inter opus tauros medioque recumbere sulco.
Lanigeris gregibus, balatus dantibus aegros,
Sponte sua lanaeque cadunt et corpora tabent.
Acer equus quondam magnaeque in pulvere famae
Degenerat palmas, veterumque oblitus honorum

525. *mortale*, naturale. Dresd., Lips. 2. et vett. edd. *visum est*. Heinsius *est* tacite delevit, quod a cod. Bersm. et reliquis cod. abest.

526. *causa nocens*, illa Junonis iracundia et invidia Aeginae, quae ex Jove Aeacum pepererat. Vid. 474. VI, 113.

527. *opes, victaeque jacebant*. Flor., II Heins., quidam Ciof. *opem quae victa jacebat*. Berol. et Pal. 2. *opes quae*. Gron. *opes victaque jacebant*. Reliqui consensu omnes, ut edidimus. Vocem *opes* glossator Gothani 2. interpretatus est *artes*. — Virg. Georg. III, 478. de eadem re:

Hic quondam morbo coeli miseranda coorta est
Tempestas, totoque auctumni incanduit aestu.

529. *ignavos*, languidos. Vid. 547. Cf. II, 763. — *pressit* bene convenit voci *spissa*.

530. *plenis explevit c. orbem*. Restituendum *explevit*, quod vett. edd. et codd., praeter Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2. et XII Heins., vindicant. Pro *plenis cornibus* Gron. 1., Hamb. 2. et Lips. 1. *junctis*, quod etsi elegantius est, tamen valde dubium est, an genuinum sit et an non tota diversitas fluxerit ex II, 344.

Luna quater junctis implerat cornibus orbem.

Illud certum videtur, quae nunc pro vulgata sit, *junctis implevit*: non ab Ovidio esse, quippe e diversorum codd. varietate conflatam.

531. *retexuit*, dissolvit, a lanificio sumta metaphora.

533. Lucret. VI, 1123.

Haec igitur subito clades nova pestilitasque
Aut in aquas cadit aut fruges persidit in ipsas.

536. *primo*. Construe: *primo potentia subiti morbi deprensa* (animadversa) *est strage canum, volucrum, ovium et boum, et in feris*. Male Heinsius cum Bon., II Medic. et ed. pr. edidit *prima*. — Scripturam *oviumque* confirmat sensus, et omnes fere Ciof., vetustiores Heins., Berol., Dresd., Par. 1. 2., Lips. 2., Vrat. a 2. m. et ed. pr. — Vulg. *aviumque*.

538. Virg. G. III, 515. de simili peste:

Ecce autem duro fumans sub vomere taurus
Concidit et mixtum spumis vomit ore cruorem
Extremosque ciet gemitus. It tristis arator
Moerentem abjungens fraterna morte juvencum,
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.

542. *in pulvere*, in stadio et certaminibus. — 543. *degenerat palmas*. Sic veteres Heins. magno numero, Berol. a 1. m., Dresd., Erf., Pal. apud Zinzerl. promuls. c. 13., Goth. 1., Rhen. et Lips. 1. — Par. 2. et nonnulli Heins. *degener ad p.* Vrat. *degenerat, veterum palmas obl. h.* Reliqui *degenerat, pal-*

Ad praesepe gemit, leto moriturus inerti.
Non aper irasci meminit, non fidere cursu
Cerva, nec armentis incurrere fortibus ursi,
Omnia languor habet, silvisque agrisque viisque
Corpora foeda jacent, vitiantur odoribus aurae.
Mira loquor: non illa canes avidaeque volucres,
Non cani tetigere lupi; dilapsa liquescunt,
Afflatuque nocent, et agunt contagia late.
Pervenit ad miseros damno graviore colonos
Pestis, et in magnae dominatur moenibus urbis.
Viscera torrentur primo flammisque fatiscunt:
Indicium rubor est et ductus anhelitus aegre.
Aspera lingua tumet, trepidisque arentia venis
Ora patent, auraeque graves captantur hiatu.
Non stratum, non ulla pati velamina possunt,
Dura sed in terra ponunt praecordia, nec fit
Corpus humo gelidum, sed humus de corpore fervet.
Nec moderator adest, inque ipsos saeva medentes
Erumpit clades, obsuntque auctoribus artes.
Quo propior quisque est servitque fidelius aegro,
In partem leti citius venit. Utque salutis

mae vet. o. h., ineleganti asyndeto. Prop. IV, 1. 79.

Di mihi sunt testes, non degenerasse propinquos.

Palmas, victorias. Virg. G. I, 59. *Eliadum palmas equarum.*

544. *leto.* Ita Berol., Cael., Lips. 1., unus Sulm., Vrat. 1., II Vat. Ciof., multi Heins. et ed. pr. Vulg. *morbo.* — *inerti*, ignavo, inglorio. VIII, 518.

545. *non.* Ita Senec. de ira I. c. 3., cod. Bersm., Berol., Pal. 2., Goth. 1., Lips. 1. 2. et ed. pr. Vulg. *nec.* Heinsius de suis tacet. — 547. *silvisque.* Sic II Bersm., Berol., Goth. 1., Joan., Rhen., Lips. 1. 2., unus Sulm., II Vat. Ciof. et ed. pr., quod tacite edidit Heinsius. Vulg. *silvis agrisque.* Sed conjunctio huic affectui aptior est.

549. *loquor* II Bersm., Dresd., Goth. 2., Rhen. et meliores Heins. — Vulg. *loquar.* — 550. *dilapsa.* Virg. Georg. III, 557. *turpi dilapsa cadavera tabo.* — *cani.* Conf. I, 238. — 552. *graviore*, sc. quam inter bestias.

554. Sequuntur signa et gradus morbi. — *flammisque fatiscunt*, resolvuntur. Sic veteres libri omnes praeter ed. pr., quae *flammaeque latentis indicium*, quod Heinsius hac auctoritate edere non debebat.

555. *anhel. aegre.* Pal. 2., Par. 1. 2. et vulg. *anhel. igni.* Dresd., Goth. 2., Groa. 1., Hamb., Ox. et plurimi Heins. *igne.* Cod. Bersm. et a rec. m. Pal. 2. *anh. ignis.* Arond., Mor. 1. et IV alii Heins. *anh. oris.* IV Heins. *ore.* Heinsius eleganter conjecit *aegre*; nam *igne* vel *igni* vix commodum habent sensum: et lectio *ore* languet. Fortasse legendum *igneus.* Vid. ad VI, 113.

556. *aspera*, sc. inflammatione. Lucan. VI, 324.

— — — *torrentur viscera flamma*
Oraque sicca rigent squamosis aspera linguis.

Bersm., Hamb. 1, Medic. 2. pro v. l., Bas. et Vat. 1. *trepidis a. venis.* Alter Bersm., Bas. 1., Medic., Neap. et Vat. 1. *trepidis a. ventis.* Berol., Cant., Goth. 1., Medic. 1. 3., Mor. 1., Pal. 2. et complures Heins. *tepidis a. venis.* Vulg. *tepidis — ventis. Ventis* manifesta corruptela est. Virg. G. III, 483.

— — — *ubi ignea venis*
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus.

Mihi genuinum videtur *trepidis venis*, quod est febricosis.

557. *graves*, pestilentiales.

559. *dura*, sc. ossibus. Conjectura est Schepperi *nuda.* — 562. *auctoribus*, iis qui eas profitentur. Virg. I. l. 447.

Quaesitaeque nocent artes; cessere magistri.

564. *in partem venit*, particeps fit,

Spes abiit, finemque vident in funere morbi;
Indulgent animis et nulla, quid utile, cura est —
Utile enim nihil est -: passim positoque pudore
Fontibus et fluviis puteisque capacibus haerent;
Nec prius est exstincta sitis, quam vita, bibendo.
Inde graves multi nequeunt consurgere, et ipsis
Immoriuntur aquis; aliquis tamen haurit et illas.
Tantaque sunt miseris invisi taedia lecti:
Prosiliunt, aut, si prohibent consistere vires,
Corpora devolvunt in humum, fugiuntque penates
Quisque suos: sua cuique domus funesta videtur;
Et, quia causa latet, locus est in crimine solus.
Semanimes errare viis, dum stare valebant,
Adspiceres, flentes alios terraque jacentes
Lassaque versantes supremo lumina motu;
Membraque pendentis tendunt ad sidera coeli,
Hic illic, ubi mors deprenderat, exhalantes.
Quid mihi tunc animi fuit? an, quod debuit esse,

inficitur. Conf. XI, 447. VIII, 427. — Scripturam *utque* servarunt exc. Cal., Flor., Vat. et multi Heins. Vulg. *atque* perperam.

568. *haerent*, non possunt avelli, non discedunt. *Haerere* cum dat. crebro apud Nasonem legitur. Trist. III, 4, 36.

569. Goth. 1., Lips. 1. 2. et ed. pr. *nec sitis extincta prius*. Pal. 2., Vrat. et edd. Venn. *nec sitis est ext. prius*. Dresd., Goth. 2. *nec* (Dresd. *non*) *ext. sitis prius est*. Receptam scripturam, quam reliqui mei tuentur, Heinsius tacite edidit. *Jahn*.

570. Multi ex vetustioribus Heins., Rhen., Vrat. et edd. vett. excepta principe *graves morbo*, ex glossa.

571. *aliquis*, unus et alter, sensum habet plurativum, ut Graecum τις.

572. *tantaque sunt . . : prosiliunt*, ubi ex vulgari oratione poneretur: *ut prosiliant* vel *prosilirent*. Sed vid. III, 354. et V, 400.

575. *funesta*, pestilens.

576. *solus*. Heinsii conjectura est *in crimine*. *Notis Semianimes etc.* — Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 2., Sulm. 1. 2. et unus Vat. Ciof., Vrat. pro v. l., plurimi Heins., Gron. 1. et vett. edd. *in crimine notus*. Cod. Bersm., Goth. 1., Joan., Pal. 2. pro v. l., nonnulli Heins. *in cr. totus*. Berol., unus Vat. Ciof. et nonnulli Heins. *in cr. magno*. Cod. Bersm. tertius et aliquot Heins. *in cr. morbi*. Pal. 2., Medic. 2., Vat. 1. et II Heins. *in cr. parvo*. Flor., Medic. 1., Neap., Nor., Urb. et III Heins. *in cr. parvus*. Cant., unus Gron. et Vrat. *in cr. pravo*. Alter Bersm. et vulg. *solus*, quod edidi, non quod verum esse contendam, quis illud in tanta varietate contendet? Sed propter bonitatem sensus. Codicum auctoritas vergit in scripturam *notus*. *Notis* et conjectura est et in hoc contextu otiosum. — De dictione *in crimine esse* vid. X, 231.

578. Arond., II Heins., Berol. et omnes mei codd. et vett. edd. *terraque*. Vulg. *terraeque*. *Jahn*.

579. Conf. VI, 246.

580. *pendentis*, h. e. graviter impendentis, prementis. Vid. supra v. 529. Conf. I, 268. — *membra ad sidera tendere* pro *brachia* insolentius quidem dictum, sed ideo versum spurium judicare non audeo. — Flor. et Medic. 1. *tendentia sidera* (Medic. 1. *sidere*) *c.* Rhen. et Spir. *sidera laeti*. Alii Heinsii aliter, sed eorum varr. non memoratae sunt. Reliqui cum vett. edd. in recepta scriptura consentiunt.

581. *exhalantes*, ut *exspirare*, absolute, ut saepius. Conf. V, 62. - De spondeo in quinto pede vid. v. 365. VI, 69. 128. et ad I, 62.

582. *an* h. l. affirmat et est i. q. *an non*. Par oratio est V, 626. Conf. XI, 320. Sed eam scripturam pauci codd.: Berol., Flor. et Urb. exhibent. — Neap. et Lips. 1. *an quid*. Rhen. et Lips. 2. *aut quod*. Reliqui omnes *aut quid*, quae vera scriptura esse videtur.

Ut vitam odissem et cuperem pars esse meorum?
Quo se cumque acies oculorum flexerat, illic
Vulgus erat stratum, veluti cum putria motis
Poma cadunt ramis, agitataque ilice glandes.
Templa vides contra, gradibus sublimia longis:
Jupiter illa tenet. Quis non altaribus illis
Irrita tura dedit? Quoties, pro conjuge conjux,
Pro nato genitor dum verba precantia dicit,
Non exoratis animam finivit in aris,
Inque manu turis pars inconsumta reperta est!
Admoti quoties templis, dum vota sacerdos
Concipit et fundit purum inter cornua vinum,
Haud exspectato ceciderunt vulnere tauri!
Ipse ego sacra Jovi pro me patriaque tribusque
Cum facerem natis, mugitus victima diros
Edidit, et subito collapsa sine ictibus ullis
Exiguo tinxit subjectos sanguine cultros.
Fibra quoque aegra notas veri monitusque deorum
Perdiderat: tristes penetrant ad viscera morbi.
Ante sacros vidi projecta cadavera postes,
Ante ipsas, quo mors foret invidiosior, aras.
Pars animam laqueo claudunt mortisque timorem
Morte fugant ultroque vocant venientia fata.
Corpora missa neci nullis de more feruntur

583. *ut vitam* plerique vetustiores Heins., Dresd., Goth. 1., Rhen., Lips. 1., Vrat. et vett. edd. Reliqui *ni vitam;* vix commoda sententia.

583. *pars — esse meorum*, cum meis periisse, idem me passum esse ac meos.

585. *putria*, matura et caduca. Cod. Bersm., Berol., Dresd., plurimi Heins. et edd. Venn. *putrida*.

586. Nonnulli codd. apud Ciof. et edd. Venn. *agitataeque*.

587. *gradibus subl. longis*. Conf. II, 1. Templum Jovi Panhellenio Aeacus dedicarat. Pausan. II. c. 30. — *longis*, longam scalam efficientibus.

589. Flor. et Gron. *tura tulit*.

590. *pro nato*. Berol., Dresd., Rhen., Lips. 2., vetustiores Heins. et ed. pr. *pro gnato*. — Heinsius tacite edidit *dicit*, quod exstat in Par. 1. 2. et ed. pr., et postulat sententia. Conf. v. 593. Vulg. *dixit*, nisi quod Sulm. et Dresd. *fudit*, Cant. et Menard. *fundit*.

591. Cod. Bersm. et ed. pr. *vitam finivit*. — *anima* est pro *vita*, ut passim.

593. „*Quoties tauri templis admoti, dum . . vinum, ceciderunt vulnere haud exspectato, cultri ictu mactantis nondum accepto.*“ Illustratur hic locus Virg. Georg. III, 486 seqq.

594. *vota concipere*, conceptis verbis precari. Tac. Hist. IV. c. 31. *jurisjurandi verba concipere*, jurisjurandi formulam pronuntiare. — 596. *tribusque*. Vid. v. 476. 477. — 599. *subjectos*, gutturi suppositos. Virg. G. III, 492.

Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri.

exiguo sanguine, quod mali ominis erat. Largus contra sanguis faustum signum. Plin. Paneg. V, 3.

600. *fibra*, unde cognoscerentur consilia deorum. Conf. XV, 136. et 795.

601. Berol., Pal. 2., Nor. et VII alii Heins. *prodiderat*, quod minus convenit naturae rei; nam *perdere* h. l. est pro *amittere*.

603. Alii distinctionem post *aras* delent. Male: nam hi duo versus arcte conjuncti et gradatio inest: *ante sacros postes, ante ipsas aras*. Jam ad alia transit oratio.

604. *animam*, spiritum. Ib. v. 552. *animae laqueo sit via clausa tuae*. Conf. Met. II, 828. — 605. *ultroque vocant*, ipsi *accelerant* sive *arcessunt*. Tib. I, 10, 33.

Quis furor est, atram bellis arcessere mortem?
Imminet et tacito clam venit illa pede.

Funeribus: neque enim capiebant funera portae;
Aut inhumata premunt terras, aut dantur in altos
Indotata rogos. Et jam reverentia nulla est,
Deque rogis pugnant alienisque ignibus ardent.
Qui lacriment desunt, indefletaeque vagantur
Natorumque virûmque animae juvenumque senumque.
Nec locus in tumulos, nec sufficit arbor in ignes.
Attonitus tanto miserarum turbine rerum
„„Jupiter, o“ dixi „si te non falsa loquuntur
„„Isse sub amplexus Aeginae Asopidos ignem,
Nec te, magne pater, nostri pudet esse parentem;
Aut mihi redde meos, aut me quoque conde sepulcro!““
„Ille notam fulgore dedit tonitruque secundo.
„„Accipio, sintque ista precor felicia mentis
Signa tuae!“ dixi: „quod das mihi, pigneror omen.““
„Forte fuit juxta patulis rarissima ramis

606. *feruntur*, efferuntur. VI, 283. Trist. I, 3, 89.

607. *funeribus*, pompa funebri. — Berol. et unus Medic. *nullae capiebant.*

609. *indotata*, sine muneribus sive *justis*, quae ferri defunctis solebant, quales erant odores, al.

611. *vagantur* ex superstitione, qua inhumatis Styga transire et ad inferos pervenire non licebat. Trist. III, 3. Met. VI, 568.

612. *natorumque virúmque*. Ita nonnulli Constantii Fan., II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2. et Vrat. atque inde conjici potest de Heinsianis. Bene. Vett. edd. et II Heins. *matrumque* pro *virúmque*. Unde e conjectura edidere *natarum matrumque* vel *natarumque matrumque*. Senec. Oed. v. 54. *juvenesque senibus jungit et gnatis patres funesta pestis.*

613. Iterum nimius est poeta suo more. — Heinsius tacite edidit, et cod. Berol., Bas. 4. a 1. m., ed. Ven. 2. et aliae vetustiores tuentur *in tumulos*, quod requirit sententia et concinnitas confirmat. Vulg. *in tumulo est*. Senec. v. 68. *deest terra tumulis, jam rogos silvae negant.*

615. „*te — ignem* (h. e. in ignem conversum. VI, 113.) *sub* (sive *in*. XI, 228.) *amplexus Aeginae Asopidis* (sive *Asopi* filiae) *isse.*“ — Veteres libri h. l. in quatuor discedunt partes. Unus Ambr., Arg., Dom., Flor., unus Maff. et Lips. 2. *dicta sub ampl. Aeginae Asopidis isse.* Vetus cod. Raph. Regii, cod. Mar. Accursii, multi Heins., Goth. 1. 2. et Pal. 2. *isse sub ampl. Aeg. As. olim.* Cod. Vat. apud Mar. Accursium, Bas. 4. 2., Berol. et multi (?) Heins. *isse s. a. Aeg. As. ignem* (Berol. *ignes*). Alter Sulm. et unus Vat. Ciof. *igne*. Lips. 1. *isse sub amplexus quondam in Asopidos ignem.* Quidam vett. Naugerii, II Bersm., vetus cod. Gifan., Briant., Cael., Capr., Dresd., Joan., alter Maff., unus Sulm., II Vat. Ciof., multi Heins. et vett. edd. *isse sub ampl. quondam Asopidos Aeginae.* Maximam auctoritatem vetustatis habet postrema, sed obstant metra. Tertia *isse s. a. Aeg. As. ignem* Nasonis acumini et doctrinae ac copiae studio accommodatior videtur.

619. *secundo*, a sinistra coeli parte. Conf. Virg. A. II, 692. ibique Serv. — Berol., Medic. 1., Pal. 2. et IV alii Heins. *tonitrumque secundum.*

620. *accipio omen*, pro formula est in hac re, Conf. Virg. A. XII, 260.

621. *pigneror*, pro pignore tui favoris accipio. Hanc scripturam tuentur vetus cod. Gifan., Flor., Gron. 1., II Pal., Lips. 1. et VI Heins. — Dresd., Rhen., Berol., Par. 2., multi Heins. et ed. pr. *quod das* (Berol. *des*) *mihi pignoris omen.* — Goth. 1., unus Sulm. in marg., II Vat. Ciof., Vrat. et reliquae vett. edd. *quae das m. pignoris omen.* — Cod. Bersm., Briant., Cael., Par. 1., Lips. 2., Sulm. 1. 2., unus Vat. Ciof., multi Heins. *quae* (Heins. *quod*) *das mihi pignora numen.*

622. *rarissima*, cujus rami non spissi sunt, magnis spatiis distant. Virg. Ecl. V, 7.

— — — *aspice ut antrum*
Silvestris raris sparsit labrusca racemis.

Ecl. VII, 46.

Sacra Jovi quercus de semine Dodonaeo.
Hic nos frugilegas aspeximus agmine longo
Grande onus exiguo formicas ore gerentes,
Rugosoque suum servantes cortice callem.
Dum numerum miror, „„Totidem, pater optime," dixi
„„Tu mihi da cives, et inania moenia supple!""
„Intremuit, ramisque sonum sine flamine motis
Alta dedit quercus. Pavido mihi membra timore
Horruerant, stabantque comae; tamen oscula terrae
Roboribusque dedi: nec me sperare fatebar;
Sperabam tamen, atque animo mea vota fovebam.
Nox subit, et curis exercita corpora somnus
Occupat: ante oculos eadem mihi quercus adesse,
Et ramos totidem, totidemque animalia ramis
Ferre suis visa est, pariterque tremiscere motu,
Graniferumque agmen subjectis spargere in arvis,
Crescere quod subito et majus majusque videri,
Ac se tollere humo rectoque assistere trunco,
Et maciem numerumque pedum nigrumque colorem
Ponere, et humanam membris inducere formam.
Somnus abit: damno vigilans mea visa, querorque

Et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra.

623. *Dodonaeo*, de spondeo conf. v. 365. et vid. ad I, 62. — *Dodona* oppidum Epiri, ubi vetustissimum Jovis oraculum, et silva, tota querna. Fabula fert, ipsas quercus fatidicas fuisse. Conf. XIII, 716. X, 90.

624. Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1, Vat., Vrat. et IV Heins. *ordine longo.*

625. *grande onus exiguo ore.* Hor. Sat. I, 1, 33. *parvula magni formica laboris.*

626. Plin. N. H. XI. c. 30. *Silices itinere earum* (formicarum) *attritos vidimus et in opere semitam factam, ne quis dubitet, qualibet in re, quid possit quantulacunque assiduitas.* Conf. Trist. V, 6, 39. 40.

628. *inania*, vacua. Conf. v. 653. — VII Heins. *reple.* Alii Heins. et Bas. 3. *comple.* *Suppleri* recte dicuntur, quae exhausta sunt. — 629. *intremuit.* Conf. IX, 782.

630. Cant., Ox. et nonnulli alii Heins. *tremore.* — 631. *stabantque*, e Virg.

Obstupui, steteruntque comae, vox faucibus haesit.

Conf. Met. X, 425. — 632. *roboribus*, robori, quercui. — 634. *exercita.* Vid. VIII, 83. et XV, 768.

636. *et ramos totidem.* Nonnulli Naugerii, unus Heins., unus Medic. *et ramos totidem.* Dresd. *et totid. ramos.* Cod. Bersm. *et totid. rami.* Reliqui *et rami totidem.* Concinnitas poscit *et ramos totidem;* accusativum *ramos* poscit ratio sententiae: non enim sequi posset *visa est*, si nominativus *rami* interpositus esset.

637. Heinsius inutilem conjecturam *parilique* edidit. — 638. *subjectis in arvis* declarat locum, *ubi* non *quo* sparserit. II, 193. Conf. v. 122. et I, 253.

639. „*quod subito* (visum est) *crescere et . . . videri etc.*" Scripturam *crescere quod subito* confirmant Pal. 2., Par. 2., Vrat. pro v. l. et vulg. Alter Bersm., Erf. 1. 2., Flor., Goth. 1. 2., Gron., Ox., Pal. 1., Par. 1., Urb., Vat. 1., Vrat., VIII Heins. et ed. pr. *crescere de subito.* Sed illud asyndeton parum elegans est. Cod. Bersm. et I Sulm. *dein subito.* Bas. 1., Cael., Hamb. 1., Medic. 3., Mor. 1., X Heins. *dehinc subito.* — Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1. 2., Pal. 2., Vrat. et edd. Venn. *et* omittunt. — *videri* confirmant Flor., Goth. 1., Rhen., Vrat., meliores Heins. magno numero et ed. pr. — Vulg. *videtur.*

640. *recto — trunco*, erecto corpore, ut homines, non prono, ut formicae. I, 84 seqq. II, 822. — *assistere*, compositum pro simplici, ut *adstare* pro *stare* passim. Vid. indic. Plauti.

642. *membris induc. form.* Conf. IV, 374.

In superis opis esse nihil. At in aedibus ingens
Murmur erat, vocesque hominum exaudire videbar
Jam mihi desuetas. Dum suspicor has quoque somni,
Ecce venit Telamon properus, foribusque reclusis,
„„Speque fideque, pater," dixit „majora videbis.
„„Egredere!"" — „Egredior, qualesque in imagine somni
Visus eram vidisse viros, ex ordine tales
Adspicio noscoque. Adeunt regemque salutant.
Vota Jovi solvo, populisque recentibus urbem
Partior et vacuos priscis cultoribus agros,
Myrmidonasque voco, nec origine nomina fraudo.
Corpora vidisti; mores, quos ante gerebant,
Nunc quoque habent: parcum genus est patiensque laborum,
Quaesitique tenax et quod quaesita reservet.
Hi te ad bella, pares annis animisque, sequentur,
Cum primum, qui te feliciter attulit, eurus" -
Eurus enim attulerat - „fuerit mutatus in austros." 660
Talibus atque aliis longum sermonibus illi
Implevere diem, lucis pars ultima mensae
Est data, nox somnis. Jubar aureus extulerat sol;

644. Scripturam *at* tuentur omnes Ciof., II Bersm., Goth. 1., Rhen., Lips. 2., Twisd. 1. 2., Vrat., plurimi Heins. et vett. edd. – Berol., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 2. *sed in*, a correctoribus, qui *nihil* posteriorem syllabam in arsi et caesura etiam producere nescirent. Vid. ad I, 114. Pont. III, 1, 113. *morte nihil opus est.*

646. *jam mihi desuetas*, quia urbs vacua hominibus propter pestem.

647. *Telamon.* Vid. 476. — Scripturam *somni, ecce venit T.* tuentur II Pal. et complures alii Heins. — Lov. et alter Twisd. *somni ecce meus.* Cod. Bersm. *somnis ecce venit propius T.* Reliqui *somni esse, venit T. properus;* minus eleganter etiam propter positionem illius *esse*, quod initio versus languet.

649. imago somni, somnium, ut VIII, 824. Conf. XI, 550.

651. *aspicio noscoque.* Ita vetustiores Heinsii magna ex parte, Goth. 2., edd. Venn. et Ald. — Lips. 1. *asp. nos °q.;* q. e. *nos quoque.* Pal. 1. *noscique.* Goth. 1. et Lips. 2. *nosque hic adeunt.* Berol., II Bersm., Medic. 1. 3. X Heins. *nos hiique.* Rhen. *nos quique.* Vrat. *nos atque* Arond., Cant., Gron. 1., Pal. et multi Heins. *nos mox.* Ed. pr. *mox nos.* Sed Heinsianam scripturam nulli codd. confirmant.

654. *Myrmidonas*, sc. a Graeco μύρμηξ, formica. — 655. *ante*, cum formicae essent. — 656. VI Heins. *habent, parcumque genus.* Sed si illud *que* omittitur, virtutes gentis majori cum vi efferuntur.

657. *et quod.* Flor. et Rhen. *et qui q. reservent* (Rhen. *reservet*). Par. 2. *reservat.* Reliqui cum vett. edd. ut edidimus. Ad rem et formicarum mores conf. Hor. Sat. I, 1. 33.

658. *hi te ad bella.* Vid. v. 508. sqq. 660. De forma orationis conf. II, 400.

661. *Cephalus mutata figura fidem Procridis uxoris tentat; quare cum relinquit Procris et venationi studet. Postea tamen reconciliantur. Canis quem ab ea dono acceperat, quum vulpem Telmesiam persequeretur, una cum vulpe in lapidem convertitur; jaculo, altero ejus dono, ipsa misere perit.* Apollod. II. c. 4. III. c. 15. Hyg. F. 189. 241. Paus. Att. p. 91. et Boeot. p. 746.

661. *illi.* Vid. 501 sqq. — 662. Bas. 4. codd. Mar. Accursii, Cal., Goth. 1., Pal. 1. 2., Par. 1. 2., Sulm., Urs., unus Vat. Ciof. et VII Heins. *ultima.* Ambr., alter Heins. et Dresd. *maxima.* Vulg. *optima*, quod non conveniret illi *longum diem.* — 663. *jubar.* XV, 187.

Flabat adhuc eurus, redituraque vela tenebat.
Ad Cephalum Pallante sati, cui grandior aetas,
Ad regem Cephalus simul et Pallante creati
Conveniunt; sed adhuc regem sopor altus habebat.
Excipit Aeacides illos in limine Phocus -
Nam Telamon fraterque viros ad bella legebant -:
Phocus in interius spatium pulchrosque recessus
Cecropidas ducit. Cum quis simul ipse resedit,
Adspicit Aeoliden ignota ex arbore factum
Ferre manu jaculum, cujus fuit aurea cuspis.
Pauca prius mediis sermonibus ille locutus
„Sum nemorum studiosus" ait „caedisque ferinae;
„Qua tamen e silva teneas hastile recisum,
Jamdudum dubito: certe, si fraxinus esset,
Fulva colore foret; si cornus, nodus inesset.
Unde sit ignoro; sed non formosius isto
Viderunt oculi telum jaculabile nostri."
Excipit Actaeis e fratribus alter, et „Usum
„Majorem specie mirabere" dixit „in isto.
„Consequitur quodcumque petit, fortunaque missum
Non regit, et revolat nullo referente cruentum."
Tum vero juvenis Nereïus omnia quaerit:
Cur sit et unde datum, quis tanti muneris auctor.
Quae petit, ille refert, et cetera nota; pudore,

664. *flabat adhuc eurus*. Vid. VIII, 2. — 665. *Pall. sati*. V. 500.

667. *sopor altus habebat*. V. 800. *amor habebat*. — 668. *Aeacides Phocus*. V. 668. et 447.

669. *legebant*. Sic vulgo. Conf. Virg. A. 606. Plurimi Heins. *movebant, moneb., parab., regeb., premeb., vocab., gereb.* Cod. Bersm., Lips. 1. 2. et pro v. l. Vrat. *moneb.* Alter Bersm., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2., unus Sulm. et Vrat. *movеb.* Briant., Cael., Pal. 2., alter Sulm., II Vat. Ciof. et edd. Venn. *parab.*, Dresd. *vocabant*. Conf. Virg. A. VIII, 347. — *ad bella*, sc. ad auxilium Atheniensibus ferendum.

670. *recessus*. Vid. I, 177.

671. *Cecrop*. V. 486. — *simul*, simul atque. Alii post *resedit* punctum ponunt. — Meliores H., Berol., codd. mei et ed. pr. *ducit. Jahn*. Edd. Venn. et reliquae *duxit*. — 672. *Aeoliden* Vid. VI, 681. — Ambr. 1., Mor., Pal. 2., Vrat. et IV Heins. *ignara*. Vid. ad v. 404.

674. *mediis* proprie capiendum, non pro vulgaribus.

675. *nemorum*, venationis.

677. *fraxinus*. Cf. X, 93. et XII, 451.

678. *cornus*. VIII, 408. Virg. G. II, 447.

At myrtus validis hastilibus et bona bello
Cornus.

Plin. H. N. XVI. c. 38. *fulva cornus in venabulis nitet, incisuris nodata propter decorem*. — *Actaeis*, Atheniensibus.

682. *usus in isto*. Cf. II, 332. IX, 670, X, 651. — 684. *cruentum*, postquam cruentum factum est sive feriit.

685. *juvenis Nereïus*, Phocus est (v. 668.), quem Aeacus e Psammathe Nerei filia susceperat. Unde *Nereïus* et *nate dea*. XI, 380. Apollod. III. c. 12.

687. Receptam scripturam tuentur codd. Ciof., Berol., Pal. 2., Par. 1. 2., plurimi Heins., omnes Jahni et vett. edd.; nisi quod in Goth. 1. 2. et nonnullis Heins. et Vrat. a corr. *pudori* est. Flor. *quae petit, ille refert, ceterum narrare pudori*. Nonnulli Heins. *quae patitur pudor, ille ref., et cetera narrat* v. *differt*. Nonnulli H.: *quae petit ille ref. et cetera nota pudore. Quae patitur pudor, ille ref. et cetera differt* vel *narrat*. Quod nunc vulgo legitur: *Quae petit, ille ref., sed quae narrare pudori est, Qua tulerit* . . conjectura Heinsii est, quae ejicienda est; nec dubium esse potest, utra familia codicum majorem h. l. mereatur fidem.

Qua tulerit mercede, silet, tactusque dolore
Conjugis amissae, lacrimis ita fatur obortis:
„Hoc me, nate dea, - quis posset credere? - telum
Flere facit facietque diu, si vivere nobis
Fata diu dederint. Hoc me cum conjuge cara
Perdidit; hoc utinam caruissem munere semper! —
Procris erat, — si forte magis pervenit ad aures
Orithyia tuas, raptae soror Orithyiae;
Si faciem moresque velis conferre duarum,
Dignior ipsa rapi. Pater hanc mihi junxit Erechtheus,
Hanc mihi junxit Amor. Felix dicebar eramque;
Non ita dîs visum est: — et nunc quoque forsitan essem.
Alter agebatur post sacra jugalia mensis,
Cum me cornigeris tendentem retia cervis
Vertice de summo semper florentis Hymetti
Lutea mane videt pulsis Aurora tenebris,
Invitumque rapit. Liceat mihi vera referre
Pace deae, quod sit roseo spectabilis ore,
Quod teneat lucis, teneat confinia noctis,
Nectareis quod alatur aquis: ego Procrin amabam,
Pectore Procris erat, Procris mihi semper in ore.
Sacra tori coitusque novos thalamosque recentes
Primaque deserti referebam foedera lecti:
Mota dea est et „„Siste tuas, ingrate, querelas,
„„Procrin habe!“ dixit, „Quod si mea provida mens est,

690. *posset*. Cod. Bersm., Goth. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., castigatiores Heins. et ed. pr. et Ven. 1. *possit*. Reliqui *posset*, quae vera esse scriptura videtur. Conf. VI, 421. VII, 85. 790.

691. *flere facit*, poetica libertate pro *ut fleam*, ut X, 357.

695. *Orithyiae* raptus per Borean narratur VI, 681 sqq. — *raptae* exhibent Dom., Lips. 1., Vatt. Ciof., plerique vetustiores Heins. et ed. pr. — Lips. 2., Medic. 1. 3., Nor., Spir., II alii Heins. et pro v. l. Par. 2. et Gron. 1. *spartae* i. *raptae*. Reliqui *magnae*. *Raptae* confirmatur etiam verbis v. 697. *dignior ipsa rapi*. Amor. I, 6, 53.

Si satis es raptae, Borea, memor Orithyiae.

De spondeo in quinto pede vid. ad v. 581.

697. *dignior rapi*. Cf. I, 240.

699. Plerique vetustiores Heins., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 1. 2., Vrat. et vett. edd. *at nunc*. Berol., Rhen. et III Heins. *ac nunc*. Flor., Thu. et II Heins. *haut nunc*. Vulg. *et nunc*. *At* ferri non potest; sententia enim est *Felix dicebar eramque, et si dîs visum esset etc.* et ortum videtur ex *ac*, quo statuto legendum est *ac*, non *et*.

702. *Hymettus* mons Atticae melle clarus. X, 284. — 703. *lutea*, crocea. Virg. A. VII, 26.

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

Nomen est a *luto*, herba et flore palustri. Conf. XIII, 579. et vid. interpp. ad Virg. Ecl. IV, 44. — 705 sq. Repetitum illud *quod* vim addit et ad multitudinem rerum lectorem advertit. Conf. v. 718. et I, 595.

706. *confinia lucis*. Conf. IV, 399. — *nectareis quod al. aquis* sc. ut dea. Cf. II, 120. — 708. Poetae crebro praepositionem primo loco omittunt. XII, 124. Vid. not. ad Her. VI, 105. Repetitio autem illius *Procris* vim addit. Virg. G. IV, 465.

Te, dulcis conjux, te solo in litore secum,
Te veniente die, te decedente canebat —

„„Non habuisse voles"", „meque illi irata remisit.
Dum redeo mecumque deae memorata retracto,
Esse metus coepit, ne jura jugalia conjux
Non bene servasset. Faciesque aetasque jubebant
Credere adulterium, prohibebant credere mores.
Sed tamen abfueram, sed et haec erat, unde redibam,
Criminis exemplum; sed cuncta timemus amantes.
Quaerere, quod doleam, statuo, donisque pudicam
Sollicitare fidem. Favet huic Aurora timori,
Immutatque meam - videor sensisse - figuram.
Palladias ineo non cognoscendus Athenas,
Ingrediorque domum. Culpa domus ipsa carebat
Castaque signa dabat dominoque erat anxia rapto:
Vix aditus per mille dolos ad Erechthida factus.
Ut vidi, obstupui meditataque paene reliqui
Tentamenta fide; male me, quin vera faterer,
Continui, male quin, ut oportuit, oscula ferrem.
Tristis erat, sed nulla tamen formosior illa
Esse potest tristi, desiderioque calebat
Conjugis abrepti. Tu collige, qualis in illa,
Phoce, decor fuerit, quam sic dolor ipse decebat.
Quid referam, quoties tentamina nostra pudici
Repulerint mores, quoties „„Ego" dixerit „uni
„„Servor, ubicumque est, uni mea gaudia servo.""?

713. *illi*, Procridi. — 714. *deae memorata*, a dea mihi significata s. praedicta. — *retracto*. Cf. IV, 569.

716. Cod. Bersm., Bas. 1., plurimi (?) Heins., Goth. 1. 2., Lips. 1. et Vrat. *jubebat*. Reliqui *jubebant*; ac pluralis etiam elegantior est propter *prohibebant* v. 717., cui *jubebant* opponitur. — Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 1. et edd. Venn. *facies aetasque*.

718. *haec*, Aurora. — *unde*, a qua. Conf. v. 515. — *abfueram*, sc. ut occasionem habuisset. — 719. *criminis*, adulterii: nam erat nupta Tithono. — *sed cuncta etc.* Her. I, 12.

Res est solliciti plena timoris amor.

720. *quod doleam*, aliquid quod doleam. — Berol., Pal. 2. et multi Heins. *quid*. Dresd., Rhen. et III Heins. *quo*, quod in textum recipere non debebat Heinsius. Conf. X, 393. 413. XII, 607. I, 664. Eodem modo etiam *gaudere* cum acc. ponitur XII, 607. et *moerere* I, 664. — Deinde cod. Bersm., Bas. 1., Cant., Erf. 1., Goth. 1., Medic. 4., Vrat. et XII Heins. *studeo*. Male.

621. *favet — timori*. adjuvat timorem. — 722. *immutatque — figuram*. Hyg. F. 189. *mutat in hospitis figuram atque dat munera speciosa, quae Procridi deferret*. — 723. *Pallad. Athenas*. Vid. ad v. 369. — Vulg. *Palladiasque*. Heinsius tacite omisit *que*, quod abest a codd. Ciof., II Bersm., meis codd. omnibus et ed. pr. et Naugerii. Recte. *Jahn*.

726. Pal. 2., Flor., unus Medic. et Par. 2. *vix aditu — facto*. Mendose. nam etiam hoc versu novum pudicitiae ac fidei uxoris signum continetur.

627. *meditata*, in modo patiendi, ut IX, 521. Conf. II, 441.

728. *fide*, fidei. Conf. 737. III, 341. VI, 506. — *male*, vix. — 730. IV, 230. *ipse timor decuit*. — 731, Goth. 1., Par. 2., Lips. 2., nonnulli Ciof. et Heins. *dolebat*. Sed multo elegantior est scriptura reliquorum vett. libb. omnium *calebat*.

732, *abrepti* Berol., Par. 1. 2., plerique Heins. et ed. pr. — II Bersm., plerique Ciof., Dresd., Goth. 1., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et edd. Venn. *arrepti* q e. *abrepti*. Vulg. *erepti*.

735. *repulerint*, syllaba *re* producta, ut passim X, 18. VII, 790. VI, 212.

736. *gaudia*, amorem; sed quod Naso amat, paullo lascivius.

„Cui non ista fide satis experientia sano
Magna foret? Non sum contentus, et in mea pugno
Vulnera, dum census dare me pro nocte paciscor,
Muneraque augendo tandem dubitare coëgi.
Exclamo: „„Mala pectora detego; tectus adulter
„„Verus eram conjux! Me, perfida, teste teneris!““
„Illa nihil; tacito tantummodo victa pudore
Insidiosa malo cum conjuge limina fugit;
Offensaque mei genus omne perosa virorum
Montibus errabat, studiis operata Dianae.
Tum mihi deserto violentior ignis ad ossa
Pervenit; orabam veniam, et peccasse fatebar,
Et potuisse datis simili succumbere culpae
Me quoque muneribus, si munera tanta darentur.
Hoc mihi confesso, laesum prius ulta pudorem,
Redditur, et dulces concorditer exigit annos.
Dat mihi praeterea, tanquam se parva dedisset
Dona, canem munus; quem cum sua traderet illi

737. *fide*, fidei. — Junge: *cui sano* (sanae mentis homini) *non ista experientia* (ista argumenta) *satis magna foret?*

738. *in mea vulnera: In* finem declarat: *ut mihi vulnera sint.*

739. *dare*, ubi etiam *daturum esse* poni poterat; sed praesens si ita pro futuro ponitur, aut id quod futurum est, certius reddit, aut singularem quandam alacritatem orationis declarat. Vid. not. ad Her. III, 58. Perizon. ad Sanct. Minerv. I. p. 133. — *census*, pretium, munera. — *pro nocte paciscor.* Ita alter Bersm., exc. Mur., unus Sulm., unus Vat. Ciof. et X Heins. Reliqui mire variant et ineptias continent plerique. Vulg. *dare me promitto loquendo M. a.* — Bersm., plurimi Heins., Cael., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1. 2., unus Vat. Ciof. et Vrat. *pro nocte loquendo.* Singuli *ferendo, locando.* Berol. et Pal. *spopondi.*

740. *dubitare* leniter significat fidem Procridis labefactatam.

741. *exclamo etc.* Ita Berol., Briant., Cael., Capr., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Sulm. 1. 2., unus Vat. Ciof., Vrat. et vett. edd. nisi quod in Goth. 1., Par. 2., Rhen., uno Sulm., Vrat. *fictus*, in Cael., Capr., Goth. 2., Myrt., altero Sulm. *pactus.* Heinsius vetustiores suos plerosque (?) habere scribit: *Exclamo, male fictor adest, male fictus adulter* v. *ego fictus*, aut: *Exclamo, mala pectora detego, pactus adulter*, aut: *Excl. male pacta ego sum, male pactus adulter.* Singuli codd. alias habent variantes, quarum tamen nulla tanti est, ut optimam totque veterum librorum confirmatam scripturam possit convellere. Heinsii conjectura est: *Exclamo: male tectus ego en, male pactus adulter verus eram conjux.* Aliorum editorum inanes conjecturas omitto. Jahn post *tectus adulter* comma posuit. — *detego* ultimam corripit. Vid. not. ad VIII, 60.

746. Praeteritum *operata* pro operans, usu in hoc quidem verbo frequenti. VIII, 868. Her. V, 114. ibique not. Fast. III, 261. Hor. Epist. I, 2, 29. Quem usum quum librarii nescirent, male *operosa* substituerunt in Dresd., II Vat. Ciof. et IV Heins. — Ad rem conf. I, 475 seqq.

751. *laesum prius ulta pudorem*, decepto pariter marito. *Hoc* est illud ipsum, quod v. 688. pudoris causa se siluisse dicit. Hyg. l. l. Scripturam *hoc* exhibent Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., meliores Heinsii et ed. pr. — Vulg. *haec.*

752. *redditur*, se mihi reddit. Conf. v. 780. — *exigit*, agit. Virg. A. I, 74. *omnes ut tecum annos exigat.* Met. XII, 209. — Dresd. et plurimi (?) Heins. *egimus.*

753. „*tanquam se ipsam parvum dedisset munus.*“ Sed scripturam optimam *se* nonnisi Par. 2., Flor., Spir. et III Heinsii exhibent. Reliqui *si*, certe minus eleganter.

754. *sua*, quam colebat vel coluerat.

Cynthia, „„Currendo superabit“ dixerat „omnes.““;
„Dat simul et jaculum, manibus quod cernis habere.
Muneris alterius quae sit fortuna requiris?
Accipe mirandum, novitate movebere facti.
Carmina Laïades non intellecta priorum
Solverat ingeniis, et praecipitata jacebat,
Immemor ambagum, vates obscura, suarum.
Scilicet alma Themis non talia linquit inulta.
Protinus Aoniis immissa est bellua Thebis,

755. *Cynthia*, Diana. Vid. ad VI, 204.

756. *habere*. Scripti plerique Heins. *habemus* v. *habere*. Prius exhibent etiam Menard., Goth. 1. 2., Lips. 2. et Vrat. *Habere* etiam Berol., Dresd., Gron. 1., Pal. 2., Rhen., Lips. 1. (?) et edd. Venn. — Ed. pr. *quod nos ut cernis habemus*. Cod. Bersm. et vulg. *haberi*. Genuina scriptura esse videtur *habere* aut *haberi*. Nos secuti sumus eam, quae simplicior est. Pronomina autem in accus. cum infinit. crebro omittuntur. II, 599. Vid. not. ad Trist. IV, 1, 46.

757. *alterius*, canis.

758. *mirandum*. Sic omnes libri veteres. Heinsii conjectura est: *accipe. mirandi novitate movebere facti.*

759. *Laïades*, Oedipus Laji, Thebarum regis, *filius*. *Sphinx* monstrum fuit prope Thebas, caput et pectus habens virginis, corpus canis, alas avis, ungues leonis, caudam draconis. Accedentibus aenigma (*carmina;* unde etiam *vates*) proponebat, quod qui non solveret, dilacerabatur. Oedipus solvit. Quo facto Sphinx sese de rupe praecipitasse ac periisse fertur. Sophocl. Oed. et Antig. Hyg. P. A. II. c. 35. — Vett. libri omnes *Naiades*, nisi quod III Heins. *Naiadum*. Hinc etiam v. 760. plerique *solvunt*. Ambr. 1., Arond., alter Erf., Gron. 1. et Sulm. 1. veram scripturam habent *solverat*.

761. *ambages* de obscuritate carminum accipiendum.

762. *non*. Par. 1. 2. et vulg. *nec*. — Berol., Dresd., Rhen. et meliores Heins. *non*. Iidem et Bersm., Goth. 1., Lips. 2., Vrat. et ed. pr. *linquit;* recte. Nam verbo *scilicet* communis sententia infertur. II, 471. Vulg. *liquit*. *Themis*, dea justitiae, quae et ipsa antiquitus oracula edebat. I, 321. Sed sententia totius loci obscura est et scriptura corrupta. Nam Themida monstrum illud, Sphinga, ultam esse, quod alii censuerunt, haud probabile est.

763. *Aoniis*. Vid. I, 313. Bellua illa est vulpes Teumesia sive Telmesia. Huic Thebani, ne plures raperet, unum quovis mense puerum devorandum objiciebant. Hinc arcessitur Cephalus cum cane suo. Apollod. II. c. 4. Ant. Lib. c. 41.

763. *immissa est bellua Thebis*. Ita vett. edd. et codd. fere omnes; nisi quod Par. 2., Hamb. 1. 2. et a 1. m. Neap., Flor. et Spir. *immittitur*. — Vrat. *immitis*. Berol. et Pal. 2. *immanis est bestia*. Berol., Pal. 2., nonnulli Ciof., II Bersm., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1. 2. et Vrat. *bestia*, Flor. et Spir. *altera Thebis*, ex interpretamento. Apparet, quod nunc vulgo editur: *immitis bestia Venit* et *immittitur altera Thebis Pestis* prope nullam habere auctoritatem veterum librorum. Aeque incerta est scriptura, quae nunc pro vulgata est, versus 764.: *immittitur altera Thebis Pestis et exitio multi pecorumque suoque Rurigenae pavere feram*, et *immitis bestia Thebis Venit, et exitio multi pecorumque suoque Rurigenae pavere feram*. Nam libri Naugerii, Bersm., Briant., Sulm. 1. 2. et rell. Ciof., Pal. 2., Par. 1. 2. et reliqui fere omnes: *Cessit et exitio multis; pecorique sibique Ruricolae pavere feram*, quae scriptura aptissimam continet sententiam, modo *cedere exitio* accipias pro *cedere in exitium*. Magna est aliorum codicum diversitas. Par. 1. *venit et*. Berol. et Zul. *multi*. Goth. 1. et pro v. l. 2., Pal. 1., Rhen., Lips. 1., Vrat. et multi vett. Heins. *pecorique suoque*. Cant., Gron. 1., Pal. 2., Med. 2., Spir., complures Heins. et edd. Venn. *pecorumque suoque*. Nonnulli Naug. et Ciof., Flor., Spir. et ed. pr. *pecorumque suumque*, quae varietates pleraeque a prava interpunctione natae videntur. Pro vulg. *ruricolae* nonnulli Naug., castigatiores Heins., Bersm., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et ed. pr. *rurigenae*. Prior scriptura accommodatior videtur verbo *pecorique*.

Cessit et exitio multis, pecorique sibique.
Ruricolae pavere feram. Vicina juventus
Venimus, et latos indagine cinximus agros,
Illa levi velox superabat retia saltu,
Summaque transibat positarum lina plagarum.
Copula detrahitur canibus, quos illa sequentes
Effugit et coetum non segnior alite ludit.
Poscor et ipse meum consensu Laelapa magno.
Muneris hoc nomen. Jamdudum vincula pugnat
Exuere ipse sibi, colloque morantia tendit.
Vix bene missus erat, nec jam poteramus, ubi esset,
Scire: pedum calidus vestigia pulvis habebat;
Ipse oculis ereptus erat. Non ocior illo
Hasta, nec excussae contorto verbere glandes,
Nec Gortyniaco calamus levis exit ab arcu.
Collis apex medii subjectis imminet arvis:
Tollor in hunc capioque novi spectacula cursus,
Quo modo deprendi, modo se subducere ab ipso
Vulnere visa fera est. Nec limite callida recto
In spatiumque fugit; sed decipit ora sequentis
Et redit in gyrum, ne sit suus impetus hosti.
Imminet hic sequiturque parem, similisque tenenti
Non tenet, et vanos exercet in aëra morsus.

767. *retia* prope humum posita intelligenda sunt, *lina plagarum* alte sublata; sic nihil abundat, nihil non elegans est in hoc loco.

769. *copula* i. q. vincula. 772. — Ambr. *quas*. De re conf. VIII, 332.

770. Six. et pro v. l. Gron. 1. *et volucri non sequius*. Duo Heins. *non segnius*. Apparet scripturam Burmanni *et volucri non segnius alite* nihil firmitatis a vett. libris habere. Conf. v. 776. — *ludit*, ut VIII, 689. *eludit*.

771. *poscor — Laelapa*. I, 138. *Laelaps* Gr. Latine est *turbo*.

772. *pugnat*, luctatur, nititur. I, 685. — 773. *tendit* sc. cum vi trahens. Unus Bas., Lov. Medic. et Vrat. *excutere*. Sed *exuere* naturae rei accommodatius.

777. *glandes* plumbeae, quae vibrata funiculo fundae mittebantur. XIV, 825. Scripturam *excussae* confirmant cod. Bersm., Berol., Dresd., Cant., Vat. 1. et plurimi Heins. — Singuli Heins. *expulsae*, *exsitae*, *exustae exussae*, *haesurae*. Vulg. *exutae*. — *verber*, lorum fundae.

778. *Gortyniaco*, a Gortyne, oppido Cretae, cujus incolae nobiles jaculatores erant. II, 727. XIV, 825.

779. *medii*, haud ita alti. — Pauci Heins. *medius*.

780. *tollor*, tollo me, ascendo. Cf. 752. 354. VIII, 256. — *spectacula capere* pro *spectare*, ut III, 246. — *novi*, singularis, ante non visi. III, 468. — Erf., Flor., Gron. 1., Rhen., Vat. 1. et VI Heins. *tollor eo*, quod non apparet cur editores optimae vulgatae praetulerint.

781. Construe: *quo cursu modo etc.* Cum hoc loco cf. I, 533 sqq. — *ab ipso vulnere*, ut I, 537. *et ipsis morsibus eripitur*. nam *vulnus* h. l. pro *morsu*.

783. *in spatium*, in longinqua, Germani: *ins Weite*. Unus cod. Urb. *spatiumve*. Perperam. *Spatiumque* exponit illud *limite recto*.

784. *Redit in gyrum*. II, 718. — *ne sit suus impetus hosti*, ne canis eam persequens solitum impetum sumere possit.

786. *vanos exercet morsus*, vulpe se morsibus subducente. — Erf. 1., Gron. 1., Mor. 1., Neap. et complures Heins. exhibent *vacuos*. Reliqui *vanos*, quod genuinum videtur; nam morsus, qui petita non attingunt, proprie *vani*, et non *vacui* appellantur. — II Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Par. 1. 2., Lips. 2. et meliores Heins. *in aëra*. Vulg. *in aëre*.

Ad jaculi vertebar opem: quod dextera librat
Dum mea, dum digitos amentis indere tento,
Lumina deflexi; revocataque rursus eodem
Retuleram, et medio - mirum! - duo marmora campo
Adspicio: fugere hoc, illud latrare putares.
Scilicet invictos ambos certamine cursus
Esse deus voluit, si quis deus affuit illis."
Hactenus; et tacuit. „Jaculo quod crimen in ipso est?"
Phocus ait. Jaculi sic crimina reddidit ille:
„Gaudia principium nostri sunt, Phoce, doloris:
Illa prius referam. Juvat o meminisse beati
Temporis, Aeacide, quo primos rite per annos
Conjuge eram felix, felix erat illa marito,
Mutua cura duos et amor socialis habebat.
Nec Jovis illa meo thalamos praeferret amori,
Nec me quae caperet, non si Venus ipsa veniret,
Ulla erat: aequales urebant pectora flammae.
Sole fere radiis feriente cacumina primis,
Venatum in silvas juveniliter ire solebam,
Nec mecum famulos nec equos nec naribus acres
Ire canes, nec lina sequi nodosa sinebam:
Tutus eram jaculo. Sed cum satiata ferinae
Dextera caedis erat, repetebam frigus et umbras
Et, quae de gelidis exhalat vallibus, auram.
Aura petebatur medio mihi lenis in aestu,
Auram exspectabam, requies erat illa labori.

788. *amentum*, lorum, cui inserere manum solebant, quo fortius jacularentur (XII, 321. — Sil. IV, 14. *hasta juvatur amento.*), quodque manu retinebatur illo emisso. — *indere* tuentur cod. Mar. Accursii, Berol., Hamb. 2., Ox., Pal. 1., Stroz. 1. et pro v. l. Pal. 1. — Reliqui fere omnes cum vulg. *addere*. XII, 321. *inserit amento digitos.*

790. Rhen., nonnulli Heins. et ed. pr. *et* omittunt, ut XIII, 713. 882. Sed conf. v. 774. VI, 286. 499. XI, 255. Virg. A. III, 8. — *marmora*, signa marmorea. Dresd. *corpora.*

792. *ambos*. Par. 2., Flor., Medic. 2. et Neap. *ambo*. — 794. *hactenus, et*. Conf. II, 610. — *quod crimen*. Vid. 690 seqq. — 796. Cant., Nor. et II Heins. *sint*, „quod probandum esset si non *doloris*, sed *narrationis* sequeretur." *Gierig.*

798. *Aeacide*. Par. 2., Flor., Goth. 1., Rhen., Vat. 1., VI Heins. et ed. pr. *Aeacida*, quod edidit Heinsius. Sed in hac re audiendi sunt codices. Vid. Her. VI, 109. et not. ad Her. III, 87., quibus locis, uti etiam Met. XI, 250. idem Heinsius sine justa causa mutavit. Vid. L. Schneider Gramm. Lat. P. II. Vol. I. p. 33. — *rite*, ut inter conjuges decet. — 799. Unus Cael., Sulm. 1. et XIII Heins. *fuit illa m.*

800. De *habebat* conf. v. 667.

803. Conf. IV, 62. — 805. *juveniliter*, studio juvenili.

806. *nec - sinebam*. Sic cod. Bersm., nonnulli Mar. Accursii, Cael., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 2., I Sulm., I Twisd., II Vat. Ciof., Vrat., meliores H. et ed. pr. Reliqui parvo discrimine cum vulg.: *nec famuli nec equi — solebant;* parum eleganter cum antecesserit *solebam*, ex quo ipso ista varietas nata videtur.

808. *satiatus*, quod vulgo cum ablat. construitur, post Nasonem etiam Silius cum genit. posuit. — 809. Codd. Ciof., Goth. 2. et nonnulli Heins. *umbram.*

810. *exhalat*. Plurimi Heins., Berol., Par. 1. 2. et Rhen. *exhalat*, ut absolute dictum sit. Confirmant cod. Bersm., Cael., Dresd., Goth. 2., Lips. 1. 2., unus Sulm. et Vrat, qui *exalat*. III Heins. *exhalabat*. Unus Gron. *veniebat*. Vulg. *exibat*. — Apparet Heinsianam scripturam *halabat* nullam habere auctoritatem vetustatis.

812. *labori*. Cod. Bersm., Pal. 2. a

„„Aura“ - recordor enim - „venias“, cantare solebam,
„Meque juves intresque sinus, gratissima, nostros,
Utque facis, relevare velis, quibus urimur, aestus!““
„Forsitan addideram - sic me mea fata trahebant -
Blanditias plures, et „„Tu mihi magna voluptas,““
„Dicere sum solitus „„tu me reficisque fovesque,
Tu facis, ut silvas, ut amem loca sola, meoque
Spiritus iste tuus semper captatur ab ore.““
„Vocibus ambiguis deceptam praebuit aurem
Nescio quis, nomenque aurae tam saepe vocatum
Esse putat nymphae; nympham mihi credit amari.
Criminis extemplo ficti temerarius index
Procrin adit, linguaque refert audita susurra.
Credula res amor est: subito collapsa dolore,
Ut sibi narratur, cecidit; longoque refecta
Tempore, se miseram, se fati dixit iniqui,
Deque fide questa est, et crimine concita vano,
Quod nihil est, metuit, metuit sine corpore nomen,
Et dolet infelix veluti de pellice vera.
Saepe tamen dubitat, speratque miserrima falli,
Indicioque fidem negat, et, nisi viderit ipsa,
Damnatura sui non est delicta mariti.
Postera depulerant Aurorae lumina noctem;
Egredior, silvasque peto, victorque per herbas
„„Aura veni“ dixi „nostroque medere labori!““.
„Et subito gemitus inter mea verba videbar
Nescio quos audisse. „Veni“ tamen „optima!““ dixi.

rec. m., Lov. et nonnulli Heins. *laboris*. Jun. et Thu. *laborum*. Reliqui omnes: *labori*.

813. In hac cantilena quodvis prope verbum est ambiguum, ut de aura ac de puella accipi possit.

816. *addiderim* tacite edidit Heinsius, quod tuentur Rhen., Lips. 2., Vrat., ed. pr. et Ven. 1. Reliqui omnes *addideram*, quod, si reputo, quoties librarii in constructione vocis *forsitan* conjunctivum de suo induxerint, genuinum videtur. Vid. not. ad Trist. IV, 2, 3. — Atque eadem de causa v. 818. incertum videtur *sim solitus*, ubi conjunctivum perpauci vett. libri, nec iidem, exhibent: sc. Goth. 1., Par. 2., Medic. 2., Neap., Pal. 1., Rhen., III Heins. et ed. pr.

819. *sola*. Vid. ad II, 489.

820. Conf. IV, 72. Optimam scripturam *captatur* confirmant Flor., Medic. 2. et XIII Heins. — Barb., Mor. 1. et Neap. *captetur*. Reliqui *capiatur*, quod vix ferri potest.

823. *putat*. Cant., Erf. 1., Medic. 2. 4., Neap., Spir. et VI Heins. *putans*, quod cupidius recepit Heinsius. Deinde Lov., IX alii Heins. et ed. pr. *me credit amare*. — 824. Unus Heins. *auctor*. Reliqui *index*. Conf. 833. — Goth. 2., Pal. 2., Lips. 1. 2., unus Sulm., Vrat. pro v. l., plurimi Heins. et ed. pr. *facti*.

825. *susurra*, susurros.

826. *collabi* ut *concidere* in deficiente. Cf. XI, 460. — 827. *ut sibi narratur*, inter narrandum. — *ut sibi* II Bersm., Berol., Rhen., I Sulm., meliores Heins. et ed. pr. Reliqui: *ut mihi narratur*; parum apte.

829. *fide*, sc. laesa. — 830. *sine corpore nomen*. Periphrasis *Aurae*.

832. Goth. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat., multi vetustiores Heins. et edd. Venn. *metuitque*, quod repugnat sententiae; cupiebat enim falli. Vulg. *speratque*. Ciof. tacet.

834. *delicta mariti*, maritum ut delicti reum. — 836. *victor*, sc. ferarum. Conf. v. 808. — *per herbas*, per herbas jacens. — 839. *dixi*. Sic cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Lips. 2., Pal. Dan. Heins., castigatiores

Fronde levem rursus strepitum faciente caduca,
Sum ratus esse feram, telumque volatile misi.
Procris erat; medioque tenens in pectore vulnus
„„Hei mihi“ “! conclamat. Vox est ubi cognita fidae
Conjugis, ad vocem praeceps amensque cucurri.
Semanimem et sparsas foedantem sanguine vestes
Et sua - me miserum! - de vulnere dona trahentem
Invenio, corpusque meo mihi carius ulnis
Mollibus attollo, scissaque a pectore veste
Vulnera saeva ligo, conorque inhibere cruorem,
Neu me morte sua sceleratum deserat, oro.
Viribus illa carens et jam moribunda coëgit
Haec se pauca loqui: „„Per nostri foedera lecti,
„„Perque deos supplex oro superosque meosque,
Per si quid merui de te bene, perque manentem
Nunc quoque, cum pereo, causam mihi mortis, amorem,
Ne thalamis Auram patiare innubere nostris.““
„Dixit; et errorem tum denique nominis esse
Et sensi et docui. Sed quid docuisse juvabat?
Labitur, et parvae fugiunt cum sanguine vires;
Dumque aliquid spectare potest, me spectat, et in me
Infelicem animam nostroque exhalat in ore:
Sed vultu meliore mori secura videtur.“
Flentibus haec lacrimans heros memorabat; et, ecce,
Aeacus ingreditur duplici cum prole, novoque
Milite, quem Cephalus cum fortibus accipit armis.

Heins. et ed. pr., quod, cum illud *veni* repetatur, apte repetitur. Vulg. *dicens*. Sensus est: *et subito gemitus — audisse: attamen perrexi et dixi, optima, veni*

840. *caduca*, quae ex arbore cadit, cadendi naturam habet. IX, 650.

841. *telum volatile*, jaculum. Conf. v. 680. — 842. *tenens*, habens.

845. Multi codd. cum vett. edd. *semianimem*, perpetua scripturae hujus vocis in MSS. varietate.

846. *sua — dona*. Vid. 756. 795. — Supra v. 684. memoratum est, hoc jaculum ipsum per se revolare; sed nunc tamen evellitur a Procride. Repugnat igitur poeta ipse sibi. Verum talia non urgenda sunt. — 848. *veste*. Rescindebat suam ipsius vestem, ut ligamenta vulneris haberet. — *mollibus*, molliter. — Pal. 2. et pro v. l. unus Medic. *sontibus*. Perperam. nunc enim de cura circa moribundam agitur.

853. *meosque*, inferorum, quos jam adibo morieus. — Pal. 2. *oro tuosque meosque*, et Berol. *oro vestrosque meosque*, ab imperitis correctoribus.

854. *per si quid*, ut XIII, 376.

856. Berol. et nonnulli Heins. *patiare enubere*. Goth. 2. et nonnulli alii Heins. *patiaris nubere*. Conf. XII, 196.

861. Morientis spiritus supremus ab uno de cognatis ore excipi apud veteres solebat. Art. A. III, 744.

Excipitur miseri spiritus ore viri.

Conf. Virg. Aen. IV, 684. et not. ad Trist. IV, 3, 41.

862. *meliore*, laetiore, hilariore. V, 501. — *secura*, cum de Aura pellice secura i. e. sine cura esset.

864. *Aeacus*, qui modo adhuc dormierat. 667. — *duplici cum prole*, Telamone et Peleo. 669. — *novo*, ut qui nuper de formicis natus erat.

865. *cum fortibus armis*, fortibus armis instructum. Conf. VIII, 779.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER OCTAVUS.

Jam nitidum retegente diem noctisque fugante
Tempora Lucifero, cadit eurus et humida surgunt
Nubila. Dant placidi cursum redeuntibus austri
Aeacidis Cephaloque, quibus feliciter acti
Ante exspectatum portus tenuere petitos.
Interea Minos Lelegeïa litora vastat,
Praetentatque sui vires Mavortis in urbe
Alcathoi, quam Nisus habet, cui splendidus ostro
Inter honoratos medio de vertice canos

1. *Nisus, Pandionis Atheniensis filius, rex Megarensium, quum a Minoë Cretensium rege obsideretur, abscisso a Scylla filia, quae Minoïs amore exarserat, purpureo a quo salus regni ac patriae fatum pendebat capillo proditur. Verum Minos Scyllae amorem ob hanc impietatem cum sperneret, illa in mare sese praecipitavit, et cum ibi a patre, qui interim in avem haliaëton mutatus erat, exagitaretur, in avem quae ciris dicitur mutata est.* Apollod. III. c. 15. Hyg. F. 198. Pausan. Att. p. 45. et Corinth. p. 192.

1. Initium fabulae respicit VII, 659. et 664. *Gierig.*

2. *Lucifero retegente diem.* Vid. ad IV, 629. et II, 115. Virg. Aen. IV, 119.

— — — *ubi primos crastinus ortus*
Extulerit Titan, radiisque retexerit orbem.

cadit eurus, qui eum attulerat. VII, 660. 664. — *humida nubila* pro austro, qui nubila ac pluvias agit, ut e sequentibus patet. Cf. VII, 660.

3. *cursum*, secundam navigationem. Cic. ad Att. V, 8. *cursum exspectabam.*

4. *Aeacidis*, militibus Aeaci. Vid. VII, 664. Aeacidae autem non redibant, sed Cephalum redeuntem sequebantur.

5. *portus petitos*, sc. Athenarum. — *ante exspectatum.* IV, 790.

6. *interea Minos.* Redit oratio ad VII, 472 seqq. — *Lelegeïa litora*, Megaram; nam *Leleges* e stirpe Pelasgica illo tempore loca illa tenebant, postea Iones, quibus ejectis Dores. VII, 443.

7. *Mavors* h. l. pro re, cui praeest. Conf. v. 61. et vid. not. ad v. 291. — *praetentat*, ante tentat (VII, 489.), ante justum bellum, quod moliebatur adversus Athenas. VII, 456 seqq. — Berol., Medic. 1., Nor. et III alii Heins. *in urbem.*

8. *Alcathoi.* Vid. ad VII, 443. — *Alcathoi* vetustus cod. Heins. et Goth. 2. pro v. l.; Goth. 1., Lips. 1. 2., cod. Bersm., Goth. 2. Zwicc. et ed. Ven. 1. *Alcithoe.* Reliqui *Alcathoë.* — *quam Nisus habet*; unde Νίσου πόλις Eurip. Herc. Fur. 954. Strab. IX. — *splendidus ostro crinis.* Art. A. I, 331.

Filia purpureos Nisò furata capillos.

9. Flor., nonnulli Heins. et ed. pr. *medioque in vertice.* Medic. 2., Neap. et Vrb. *medio sub vert.*

Crinis inhaerebat, magni fiducia regni.
Sexta resurgebant orientis cornua lunae,
Et pendebat adhuc belli fortuna, diuque
Inter utrumque volat dubiis Victoria pennis.
Regia turris erat vocalibus addita muris,
In quibus auratam proles Latonia fertur
Deposuisse lyram: saxo sonus ejus inhaesit.
Saepe illuc solita est adscendere filia Nisi,
Et petere exiguo resonantia saxa lapillo,
Tunc cum pax esset: bello quoque saepe solebat
Spectare ex illa rigidi certamina Martis.
Jamque mora belli procerum quoque nomina norat
Armaque equosque habitusque Cydoneasque pharetras.
Noverat ante alios faciem ducis Europaei,
Plus etiam, quam nosse sat est. Hac judice Minos,

10. *fiducia regni.* Virg. Cir. 123.

Cujus (crinis) *quam servata diu natura fuisset,*
Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum,
Concordes stabili firmarunt numine Parcae.

Ibid. 380.

Tanta est in parvo fiducia crine cavendi.

11. *lunae.* Vulgo nunc editur *Phoebes*, quod nonnisi unus Ambr. et unus Medic. exhibent, et passim *cornua lunae* apud Nasonem. III, 117. 682. X, 479.

12. *pendebat*, ambigua erat. Lucan. II, 41. *dum pendet fortuna ducum.*

13. *volat — Victoria.* Victoria fingebatur virgo alata, lauream coronam et palmam manu gestans. Conf. Amor. III, 2, 45. et vid. Heyn. ad Tib. II, 5, 45. Plin. H. N. II. c. 7. et not. ad Trist. II, 169. — *dubiis*, quia ipsa erat dubia, utri palmam deferret. IX, 127. *fugientia terga.* 240. *securos artus.*

14. *vocalibus*, sonos edentibus. Apollo enim cum Alcathoum, muros exstruentem, adjuvaret, lyram deposuit; sonus autem ejus in subjectos lapides transiit, ut, si quis lapide eos percuteret, eundem illi, quem fides pulsae, sonum ederent. Hes. Theog. v. 771. Virg. Cir. v. 105. Pausan. Att. I. c. 42. Conf. Metam. XIII, 716.

15. *proles Latonia* VI, 160. — Flor. *Letoïa.* Medic. 3. *Letonia.* Cod. Bersm., Arond., Neap., Parisiens. 1., Thu., Vrat. et VI Heins. *Latoïa.* Reliqui cum vett. edd. *Latonia*, quod propter majorem vetustatis auctoritatem retinendum videtur. Vid. not. ad VII, 384.

16. *ejus*, quod rarum poetis, imprimis Ovidio est, legitur etiam Trist. III, 4, 27., ubi vid. not. Dresd. *hujus.* — *saxo*, saxis, muro. Vid. v. 18.

18. *petere*, percutere. — *exiguo*, quia puella ludens hoc faciebat.

19. *tunc.* Dresd., Goth. 1., Zwicc. et edd. Venn. *tunc.* Heinsius tacite edidit *tum*, quod reliqui Jahni libri tuentur. Par. 2. a 1. m., Medic. 2., Neap. et Urb. *bellum quoque turre solebat.* — *saepe solebat*, ut I, 639. XIII, 417.

21. *mora*, diuturnitate. I, 402.

22. *Cydoneas*, Cretenses, a Cydone Cretae oppido. Vid. ad VII, 778. Sulm. 1. et Par. 1. et a 2. m. 2. *Cydonias*; sed recepta scriptura tum per se recte habet, tum etiam apud Nasonem exstat Art. A. I, 293.

23. *ducis Europaei*, Europae filii q. e. Minois. Vid. ad v. 120. De spondaico versus fine cf. VII, 695. et I, 62.

24. *hac judice*; nam amori omnia videntur eximia. Conf. II, 428. Tibull. IV, 2, 7.

Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,
Componit furtim subsequiturque decor.
Seu solvit crines, fusis decet esse capillis;
Seu comsit, comtis est veneranda comis.
Urit, seu Tyria voluit procedere palla;
Urit, seu nivea candida veste venit.

Conf. Amor. II, 5, 43. Her. IV, 79 sqq

Seu caput abdiderat cristata casside pennis,
In galea formosus erat; seu sumserat aere
Fulgentem clypeum, clypeum sumsisse decebat.
Torserat adductis hastilia lenta lacertis;
Laudabat virgo junctam cum viribus artem.
Imposito calamo patulos sinuaverat arcus;
Sic Phoebum sumtis jurabat stare sagittis.
Cum vero faciem demto nudaverat aere,
Purpureusque albi stratis insignia pictis
Terga premebat equi, spumantiaque ora regebat;
Vix sua, vix sanae virgo Niseïa compos
Mentis erat. Felix jaculum, quod tangeret ille,
Quaeque manu premeret, felicia frena vocabat.
Impetus est illi - liceat modo - ferre per agmen
Virgineos hostile gradus; est impetus illi
Turribus e summis in Gnosia mittere corpus
Castra, vel aeratas hosti recludere portas,
Vel si quid Minos aliud velit. Utque sedebat
Candida Dictaei spectans tentoria regis,
„Laeter" ait „doleamne geri lacrimabile bellum,
„In dubio est. Doleo, quod Minos hostis amanti est —;
Sed nisi bella forent, núnquam mihi cognitus esset. —

25. *pennis*. Met. XII, 88. *cassis* est cristata *jubis equinis*.

26. *aere*. Heinsius ex uno Par. 1. sine idonea causa recepit *auro;* nam et alibi clypeus aere fulgere dicitur, et mox v. 32. sequitur *demto aere*.

27. *decebat*. IV, 230. *ipse timor decuit*.

28. *adductis*, ad se ductis, attractis. I, 455. VIII, 357. IX, 52. Virg. Aen. XI, 361. *adducto contortum hastile lacerto Immisit*. Male ad *torserat* alii subaudiunt *si*. Eleganter conversa est oratio a conditionali ad absolutam. Vid. not. ad Trist. IV, 3, 33. Eandem loquendi formam lingua Germanica habet. — *lentum* [*hastile:* nam *lentum*, quicquid aegre movetur.

29. Conf. X, 181.

30. Heinsius mutato verborum priorum hujus versus ordine dedit: *imposito patulos calamo*, qui ordo praeter unum Medic. libris nullis confirmatur. Deinde Briant., Maff. 1. 2., Lips. 2., unus Sulm., Vrat., nonnulli Heins. et ed. pr. *imposito calamo patulos* (Bas. *supposito*). Franc., Goth. 2. et III Heins. *impositus calamus patulos*. Unus Leid. *impositi calami patulos*. Goth. 2., Par. 1. et pro v. l. 2., Pal. 2. et reliqui *impositis calamis patulos*. Pluralis *arcus* progenuit pluralem. — *patulus* arcus, cujus cornua late patent, distant.

31. *Phoebum*. I, 455 seqq. — *stare* IX, 43.

33. *purpureus*, purpura indutus. Art. A. 1, 214.

Quatuor in niveis aureus ibis equis. stratis pictis. Conf. VI, 222. Virg. A. VII, 277.

Instratos ostro alipedes pictisque tapetis.

34. *spumantia ora* generosi et animosi equi signum. VI, 226. — De *terga premebat* conf. VI, 223. XIV, 343.

35. *vix sua*, explicatur illis: *vix sanae mentis compos*. Vid. III, 689.

38. *impetus*, vehemens cupido. Vid. ad V, 287.

40. *mittere corpus*, sese praecipitare, desilire. Her. II, 133.

Hinc mihi suppositas immittere corpus in undas
Mens fuit, et quoniam fallere pergis, erit.

Conf. v. 251. IX, 218. XIII, 415. — *Gnosia*, Cretensia. VII, 471.

42. *utque sedebat*. VII Heins. et pro v. l. Medic. 2. 3. et Neap. *solebat*.

43. *Dictaei regis*, Minoïs. Vid. ad III, 2. — 44. Incipit soliloquium, in quo pugnat amor cum officio, ut VII, 1 seqq.

46. Quod vulgo editur *numquid* nonnisi Goth. 2., Medic. 1., Nor. et Rhen.

Me tamen accepta poterat deponere bellum
Obside: me comitem, me pacis pignus haberet.
Si, quae te genuit, talis, pulcherrime regum,
Qualis es ipse, fuit; merito deus arsit in illa.
O ego ter felix, si pennis lapsa per auras
Gnosiaci possem castris insistere regis,
Fassaque me flammasque meas, qua dote, rogarem,
Vellet emi! Tantum patrias ne posceret arces.
Nam pereant potius sperata cubilia, quam sim
Proditione potens: — quamvis saepe utile vinci
Victoris placidi fecit clementia multis.
Justa gerit certe pro nato bella peremto,
In causaque valet, causamque tuentibus armis,
Ut puto, vincemur. Qui si manet exitus urbem,

tuentur. Reliqui omnes cum vett. edd. *nunquam*, quod mihi genuinum videtur.

47. *deponere bellum*, ut XIV, 571. — Dresd., Lips. 1., Vat. et X alii Heins. *poterit*. *poterat* est pro *posset*. Conf. I, 679. — Dom. et V alii Heins. *dimittere*.

48. Franc. et Bas. 1. *habere*, ab ineptis correctoribus. — Nonnullae vetustiores edd. *et me pacis*. Sed II Bersm., Cael. 1. 2., Briant., Sulm. 1. 2. et plurimi alii codd. et edd. Venn. *et* omittunt, quod Heinsius tacite delevit.

49. Goth. 1., Pal. Gebh. et X Heins. *pulcherrime rerum*, ut Her. IV, 125. *dulcissime rerum*. Verum non tanta est horum codd. auctoritas, ut optima reliquorum omnium scriptura mutanda esse videatur. Deinde vulgata ante Heinsium cum Pal. 2. et Berol. *peperit*, quod novasse Heinsius recte censet eos, qui *gignere* in femina dici nollent. Scripturam *genuit* confirmant cod. Bersm., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Sulm. 1. 2., Vat. Ciof., Vrat. et plerique Heinsiani.

50. *deus*, Jupiter: nam erat Minos Jovis ex Europa filius. Conf. v. 23. et 120. II, 833 seqq. — *in illa*. Conf. IX, 725. — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 1. 2., Vrat., meliores Heins. et vett. edd. *qualis es, ipsa*. Minus eleganter.

52. *possem*. Recte. sequitur enim *rogarem* et *vellet*, atque ita librorum consensus. Heinsius prave edidit *possim*, quod exstat in Rhen. (?) — Medic. et VI Heins. *consistere*.

53. „*et me flammasque meas fassa rogarem, qua dote vellet emi.*“ Virg. Georg. I, 31.

Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.

Sponderi solebant liberi, et generi emi a parentibus. Heyn. ad Virg. l. l. Sed Scylla amore ardens vult ipsa rogare, *qua dote* velit *emi*. — *fassaque me*, ut III, 2. *se confessus erat*.

54. *patriae arces*, patria urbs. Virg. A. I, 20. *Tyriae arces*, Carthago.

55. *cubilia*, thalami, conjugium.

56. *potens*, felix, beata.

58. *pro nato*. Vid. ad VII, 453 seqq. — Lov. *facit*.

59. *in causaque valet*. Ita alter Bersm., Berol., Briant., 1 Cael., Capr., Rhen., Lips. 1. 2., Stat., 1 Vat. Ciof., Vrat., Zwicc., multi Heins. et ed. pr. — Alter Cael., alter Sulm. et nonnulli Heins. *in causamque v.* Cod. Bersm. *in causasque*. Tertius Bersm. *at causaque v.* Par. 1. *et valet in causa*. Unus Sulm., nonnulli Heins. et Dresd. *atque valet c.* Goth. 1., Vat. et II Heins. *per causamque v.* Goth. 2. *nam causaque v.* VII Heins. *et sua causa v.* Alii aliter. Vulg. *et causaque valet*. Deinde cod. Bersm., Par. 2., Cant., Erf. 1. 2., Flor., Goth. 2., Hamb. 1., Medic. 2., Spir., Vrat. et V Heins. *tenentibus*. Par. 1. et vulg. *tuentibus*. — Denique v. 60. Dresd., Goth. 2., Par. 1. 2., Lips. 2., Vrat. et ed. pr. *et puto*. Fortasse Ovidius scripserit:

Et causaque valet causamque tuentibus armis,
Et puto vincemur —

Tuentibus autem, etiamsi vulgata retineatur, mihi unice aptum videtur: *und da seine Sache noch dazu durch der Waffen Gewalt vertheidigt wird: so werden wir . .*

60. *puto*, posteriori syllaba correpta, ut saepe apud Nasonem imprimis in verbis bisyllabis. Vid. not. ad Trist. V, 4,

Cur suus haec illi reseret mea moenia Mavors,
Et non noster amor? Melius sine caede moraque
Impensaque sui poterit superare cruoris.
Nam metuo certe, ne quis tua pectora, Minos,
Vulneret imprudens. Quis enim tam durus, ut in te
Dirigere immitem, non inscius, audeat hastam?
Coepta placent, et stat sententia tradere mecum
Dotalem patriam, finemque imponere bello.
Verum velle parum est: aditus custodia servat,
Claustraque portarum genitor tenet: hunc ego solum
Infelix timeo, solus mea vota moratur.
Dî facerent, sine patre forem! — Sibi quisque profecto
Est deus: ignavis precibus fortuna repugnat.
Altera jamdudum succensa cupidine tanto
Perdere gauderet, quodcumque obstaret amori.
Et cur ulla foret me fortior? Ire per ignes
Et gladios ausim. Neque in hoc tamen ignibus ullis
Aut gladiis opus est; opus est mihi crine paterno.
Ille mihi est auro pretiosior, illa beatam
Purpura me votique mei factura potentem.“

46. et ad Her. XV, 32. et Met. VII. 741. — II Bersm., Berol., Briant., Capr., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Par. 1. 2., Lips. 1., Sulm. 1. 2., Vat. Ciof. et ed. pr. *quis enim manet*. Heinsius tacite edidit *qui si*, quod reliqui codd. et edd. Venn. tuentur, et sensus bonitate longe praeferendum est.

61. *reseret mea moenia*. Heinsius temere ex uno Gron. 1. edidit: *haec illi reserabit moenia*. — *suus Mavors*. Cf. v. 7.

64. *nam metuo*. Heinsius temere conjecturam invexit *quam metuo*, parum aptam illi *certe*. Mor. 1., Rhen., I Sulm. et I Heins. *jam metuo*. Nonnulli ex vetustioribus (?) Heins. *nam metuam* vel *non metuo*. Par. 2., Erf. 1., Flor., Medic. 1., Spir. et Thu. *non metuam*.

65. Goth. 2., Vrat. et pauci Heins. et ed. pr. *dirus*, quod ab Heinsio in omnes edd. venit. Loci sententia requirit pectoris duritiem, quae molliri non possit. *Jahn*.

66. *non inscius*. Graev., II Mor., Viv., Rhen., VI Heins. et pro v. l. Vat. 1. *nisi nescius*. Reliqui cum vett. edd. *non inscius*, quod mihi non a librariis esse videtur, quia longius recedit a vulgari consuetudine dicendi.

67. *stat sententia*. Conf. I, 243.

68. *dotalem*, quae est pro dote. Conf. IV, 705.

72. *sibi quisque etc*. Quisque a se ipso repetere opem et vires potest. Virg. A. IX, 185. *Dîne hunc ardorem mentibus addunt? — an sua cuique deus fit dira cupido?* - unde Heinsius cum uno Gron. 1. nostro loco temere edidit *fit deus*. (!) — 73. *ignavis*, sine factis et ausibus. Contra *armatae preces* apud Cic. ad Div. IX, 3. - Met. X, 586. *audentes deus ipse juvat*.

74. *jamdudum*, illico, continuo. — De illo *altera* pro alia conf. II, 513. IX, 146. — Unus Vat. Ciof., Stat., Thu., Bas. 1., Zwicc. et Vrat. *tanta*. Conf. IX, 734. X, 636.

76. *cur ulla*. Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1. et Vrat. *cur illa*. De Ciof. et Heinsii codd. nihil liquet. Vulg. *cur ulla*, quod certe elegantius esse nemo dubitabit.

77. *et gladios*. Cod. Bersm., Berol.' unus Gron., unus Medic., Rhen., Twisd' et unus Voss. *per gladios*, quod non apparet cur alteri scripturae quae longe majorem habet auctoritatem codicum praeferamus. — Scripturam *neque* tuentur et numerorum ratio et cod. Berol., Cael., Dresd., Goth. 1., Rhen., Par. 2., Vat. Ciof. et meliores Heinsii. Vulg. *nec*. — Denique cod. Bersm., Cael., Lips. 2., deteriores Heins. et Zwicc. *ad hoc*. Vulg. *in hoc*.

79. *ille*. Berol., Jun. et Par. 1. 2. *illa*. *Ille* etiam copiosius est.

80. De *purpura* vid. ad v. 1. et 8.

Talia dicenti curarum maxima nutrix,
Nox, intervenit, tenebrisque audacia crevit.
Prima quies aderat, qua curis fessa diurnis
Pectora somnus habet: thalamos taciturna paternos
Intrat, et - heu facinus! - fatali nata parentem
Crine suum spoliat, praedaque potita nefanda
Fert secum spolium sceleris, progressaque porta
Per medios hostes - meriti fiducia tanta est -
Pervenit ad regem, quem sic affata paventem est:
„Suasit amor facinus. Proles ego regia Nisi,
Scylla, tibi trado patriosque meosque penates.
Praemia nulla peto nisi te. Cape pignus amoris
Purpureum crinem, nec me nunc tradere crinem,
Sed patrium tibi crede caput“, sceleratagque dextra
Munera porrexit. Minos porrecta refugit,
Turbatusque novi respondit imagine facti:
„Dî te submoveant, o nostri infamia saecli,
Orbe suo, tellusque tibi pontusque negetur!
Certe ego non patiar, Jovis incunabula, Creten,
Qui meus est orbis, tantum contingere monstrum.“
Dixit, et, ut leges captis justissimus auctor

81. *curarum max. nutr.* Virg. A. I, 662. *sub noctem cura recursat.*

83. *qua curis fessa etc.* Conf. VII, 634. et 329.

85. *fatali.* Vid. ad v. 1. — Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et Zwicc. *crine par. nata.* Reliqui cum vett. edd. *nata par. crine*, quod Heinsius tacite edidit.

87. *sceleris.* Priscian. V. c. 3., cod. antiquus Jac. a cruce, cod. Viv., exc. Cal., Erf. 1., Jur., Medic. 1., Pal. 2. a corr., Spir., Stat. a. 1. m., V Heins. et edd. Venn. *celeris*, ut sit femininum adjectivi *celer*. Verum potior pars veterum libb. *spolium sceleris*, quo illud *nefanda praeda* cum vi repetitur atque urgetur. *Spolium sceleris* est scelere occupatum. Atque hanc scripturam etiam ideo praeferendam puto, quod forma *celeris* apud Nasonem et incerta et infra quoque X, 225. et 653. *sceleris* in *celeris* corruptum est. Eodem modo infra v. 105. *sceleris praemia.*

88. *meriti.* Heinsius e II nescio quibus codd. temere novavit *meritis*. Vid. supra v. 10. et not. ad VI, 82. Singularis de eadem re est etiam v. 14.

89. *paventem est.* *Est* addunt Berol., Dresd., Goth. 1., Lips. 1. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd.; Heins. *est* tacite delevit, quod etiam abest a Goth. 2. et Rhen. *Jahn.* Pavebat Minos crinem videns ab ipsa Nisi filia allatum.

91. *patrios*, patriae. — Rhen., Lips. 2. et meliores Heins. *patriosque.* Cant., Franc., VI Heins. et ed. pr. *patriaeque.* Goth. 1. et ed. Ven. 1. *patriam meosque.* Vulg. *patriamque*, quod verum videtur, quia quod nunc vulgo legitur *patrios* et *patris* et *patriae* valere potest. Vid. 94. Dicit autem se patriam ipsi tradere.

94. *patrium caput*, patris vitam ac salutem. Vid. v. 115. et ad v. 1.

96. *imagine facti.* Vid. v. 507. et VI, 586.

98. II Bersm., Goth. 2., Par. 1., Lips. 2., unus Sulm., Thu., Vat. Ciof. et III Heins. *coelumque neg.* Medic. chart. *negentur.*

99. *Jovis incunabula.* Hoc loco Minos consilio, sc. ut sanctitatem insulae addat, Cretam incunabula Jovis fingit. Amor. III, 10, 19. Secundum II, 405. poeta eos fabulae auctores (Callim. H. Jov. 4 seqq.) sequitur, qui in Arcadia Jovem natum tradunt.

100. Verba *qui meus est orbis* opponuntur verbis *orbe suo.* *Orbis* autem est pro ditione, imperio. — *contingere*, vel pede tangere. — Rhen., Urb. et XII alii Heinsii *quae*, quod tam parva auctoritate recipere non debebat Heinsius.

101. *auctor*, sc. legum. Cf. XV, 833. — *justissimus*, nam ob justitiam et aequitatem passim laudatur Minos. — Cete-

Hostibus imposuit, classis retinacula solvi
Jussit et aeratas impelli remige puppes.
Scylla freto postquam deductas nare carinas,
Nec praestare ducem sceleris sibi praemia vidit;
Consumtis precibus violentam transit in iram,
Intendensque manus, sparsis furibunda capillis,
„Quo fugis“ exclamat „meritorum auctore relicta,
„O patriae praelate meae, praelate parenti?
Quo fugis, immitis, cujus victoria nostrum
Et scelus et meritum est? Nec te data munera, nec te
Noster amor movit, nec quod spes omnis in unum
Te mea congesta est? Nam quo deserta revertar?
In patriam? Superata jacet. Sed finge manere:
Proditione mea clausa est mihi. Patris ob ora,
Quae tibi donavi? Cives odere merentem;
Finitimi exemplum metuunt. Obstruximus orbem
Terrarum nobis, ut Crete sola pateret.
Hac quoque si prohibes et nos, ingrate, relinquis,
Non genitrix Europa tibi, sed inhospita Syrtis

rum festinat et omittit expugnationem urbis, quae nihil ad poetae consilium.

103. *impelli* nonnisi Sulm., exc. Mureti et V Heins. servarunt. Reliqui vett. libri omnes *impleri*. Sed praecessit *classis retinacula solvi jussit*. Neque tamen omnino contemnenda scriptura *impleri*: saepe enim poetae poetica licentia id, quod ordine prius est, posterius faciunt. — *aeratas*, aere munitas.

104. *deductas*, sc. de litore in undas. VI, 445. XI, 455. — *freto nare* conjungendum. — 105. *sceleris praemia* i. e. speratum amorem.

106. *consumtis*. II, 575.

107. *sparsis*. Par. 2. et vulg. *passis*. Sed *sparsis* furentis naturae aptius est, atque illud exhibent II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 1. et omnes fere Heins. Art. A. III, 709. *per medias sparsis furibunda capillis evolat*. Vid. not. ad Trist. I, 1, 5, et I, 3, 43.

108. Cf. lamenta Scyllae apud Virg. Cir. 404 seqq. — *meritorum*, victoriae. — *auctor* gen. feminino, ut X, 673. Senec. Med. 979. *ut ipsam sceleris auctorem capiamus*.

112. Heinsius tacite edidit *movit amor*, quod codd. Bersm. et Rhen. tuentur. Berol., reliqui codd. mei et vett. edd. *amor movit*, quod etiam in aliquot Heins. codd. fuisse etiam inde apparet, quod e Cant., Medic. et alio *tenuit* notatum est. *Jahn*.

113. Pal. 2., Par. 1. et V Heins. *conjecta est*.

114. *superata jacet*, ut *victa jacet*. I, 149. — *manere*, pristinum statum servare. Her. X, 63.

Finge dari comitesque mihi ventosque ratemque,
Quid sequar? Accessus terra paterna negat.

115. *ob ora*. Ita cod. Bersm., Berol., Bas. 1. 2. 4., Briant., Cael., Cant., Dom., Dresd., Goth. 1. 2., Gron. 1., Medic. 1. 2., Pal. 1., Par. 1., Lips. 2., alter Sulm., Urb., Vat. 1., Vrat. in litura, plurimi Heins. et ed. pr. — Par. 2., Vrat. pro v. l. et vulg. *ad ora*.

116. *quae*. Cod. Bersm., Pal. 2., deteriores Heins. et ed. pr. *quem*.

117. *exemplum* sc. proditionis. Conf. 98—100. — Flor., unus Medic., Bas. 1. et ed. pr. *exponimur orbe* (Bas. 1. *orbem*). Medic. 2., Neap., Par. 2. a 1. m., Spir., Thys. et Urb. *exponimus orbem*.

119. *hac*. Goth. 1., Zwicc., deteriores Heins. et vett. edd., excepta principe *hanc*.

120. *tibi*. Cod. Ciof. et vulg. *tibi est*. Heinsius tacite delevit *est*, quod etiam a Berol., Goth. 1., Rhen., Lips. 1., Zwicc. et Vrat. abest. *Jahn*. Ceterum confundunt et Naso et alii Minoëm I. cum Minoë II. Ille Europae filius. Minos II. autem Niso bellum intulit.

Armeniaeque tigres austroque agitata Charybdis;
Nec Jove tu natus, nec mater imagine tauri
Lusa tua est, generis falsa est ea fabula; — verum
Et ferus et captus nullius amore juvencae,
Qui te progenuit, taurus fuit. Exige poenas,
Nise pater! Gaudete malis modo prodita nostris
Moenia! Nam fateor, merui, et sum digna perire.
Sed tamen ex illis aliquis, quos impia laesi,
Me perimat. Cur, qui vicisti crimine nostro,
Insequeris crimen? Scelus hoc patriaeque patrique,
Officium tibi sit. Te vere conjuge digna est,
Quae torvum ligno decepit adultera taurum
Discordemque utero fetum tulit. Ecquid ad aures
Perveniunt mea dicta tuas; an inania venti

121. *Armeniae.* Tigres Asiae ferociores existimabantur, quam Africae. VI, 637. XV, 86. Ceterum duritiam hominis saepe hoc modo cum alii poetae tum Naso declarat. VII, 32. IX, 613. Virg. A. IV, 365 sqq.

Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.

Vid. not. ad Her. VII, 57. — Par. 1. 2., Lov., Rhen. et edd. Venn. *Armeniaeve*, quod edidit Heinsius. – Cod. Bersm., codd. Ciof., Berol., Goth. 1. 2., Lips. 2., Zwicc., plurimi Heins. et ed. pr. *Armeniae tigres.* Vulg. *Armeniaeque.* — Heinsius porro tacite edidit *austrove*, quod Berol. et Rhen. confirmant. Copula *que* minus recta est; non enim tribus diversis illis rebus simul natus esse poterat. — *Tigris* priori correpta, ut Hor. A. P. v. 393. *dictus ob hoc lenire tigres.* Vid. Bentl. ad Hor. Epist. I, 18, 56. et conf. not. ad Met. VI, 468. — De Charybdi vid. ad VII, 63.

122. Vid. v. 50. II, 833 seqq. et III, 1 seqq. — Cant., Dom., Dresd., Rhen., Vrat., cod. Bersm., Goth. 2., Pal. 2., Par. 1., Lips. 1., Bas. 2. inter lin. et 3., unus Sulm. et multi Heins. *falsa* (Dom. *falsi*) *nec imag. tauri Lusa tua est genitrix. falsa est ea fabula: verum* (Goth. 2. *verus*) *et ferus.* Reliqui cum vett. edd. *nec mater im. t.* Plurimi Ciof. et Heins. codd., Goth. 1., Par. 2., Zwicc. et vett. edd.: *nec mater im. tauri Lusa tua est; generis falsa est ea fabula; verum Et ferus etc.*, nisi quod in altero Sulm., multis veterum Heins., Goth. 1. et ed. pr. *verus*, in uno Heins. *verum* v. *veri.* Unus Heins. *fabula vestri*, quod cupidius invexit Heinsius. — Duae igitur sunt codicum familiae, quarum altera: *falsa n. i. t. L. t. est genetrix. f. e. e. f.; verum*, altera: *nec mater i. m. t. L. t. e.; generis f. e. e. f.; verum*, e quibus ego secutus sum, quae majorem auctoritatem habet. In scriptura *verum* enim omnes prope libri consentiunt. — 123. Heinsius ex uno Flor. temere recepit *ducta tua est.* Vid. VI, 103. 113. — Pal. 2. *verum est.*

127. *digna perire.* Vid. I, 240. II, 42. — 128. Unus Gron. *me tamen*, quod edidit Heinsius. (!) Idem Heinsius v. 130. tacite edidit *patrique*, quod codd. Bersm., Berol. et Lips. 1. cum ed. Ald. confirmant. Ed. pr. *patrique est.* Vulg. *patrisque.* — *insequeris*, insectaris, persequeris.

131. *scelus* et *officium* opponuntur, ut v. 111. *scelus* et *meritum.* – *te vere conjuge digna est. Vere* cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Vrat. et meliores Heinsii. Reliqui cum vett. edd. *vero.* — Est autem acerbissima exprobratio. Pasiphaë enim Minoïs conjux cum tauro ureretur, Daedalus ei fecit vaccam ligneam, in qua se P. tauro miscuit; ex quo concubitu Minotaurum monstrum superne taurum, inferiori parte virum concepit. Apollod. III. c. 1. Hyg. F. 40. Conf. Met. IX, 736 – 740. Hinc v. 133. *discordem fetum*, q. e. biformem, duplici natura mistum. Eodem modo Lucret. V, 892. de Centaurorum (vid. IX, 191.) membris *discordia membra*, et Senec. Med. v. 773. *Typhoeus* (III, 303.) *discors.* Conf. v. 169. 156. — Heinsius ex conjectura male edidit *dissortem.*

134. *inania*, quae non audiuntur verba, item vota et verba irrita dicuntur

Verba ferunt, îdemque tuas, ingrate, carinas?
Jam jam Pasiphaën non est mirabile taurum
Praeposuisse tibi: tu plus feritatis habebas. —
Me miseram! properare juvat, divulsaque remis
Unda sonat, mecumque simul mea terra recedit!
Nil agis, o frustra meritorum oblite meorum:
Insequar invitum, puppimque amplexa recurvam
Per freta longa trahar!" Vix dixerat, insilit undis
Consequiturque rates faciente cupidine vires,
Gnosiacaeque haeret comes invidiosa carinae.
Quam pater ut vidit - nam jam pendebat in auras,
Et modo factus erat fulvis haliaeëtus alis -;
Ibat, ut haerentem rostro laceraret adunco.
Illa metu puppim dimisit, et aura cadentem

a *ventis ferri* et *tradi ventis*. *Gierig.* Her. II, 25.

Demophoon ventis et verba et vela dedisti.

Trist. I, 2, 17.

Ergo îdem venti, ne causa laedar in una,
Velaque nescio quo votaque nostra ferunt.

Vid. ibi not. et conf. not. ad Met. VI, 253. — 137. Edd. Venn. *plus tu.*

138. Cod. Bersm., deteriores Heins. et Goth. 1. *properare jubet*, quod ad sententiam aptius quam scriptura reliquorum libb. *juvat*. Attamen mutare non audeo. — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 2., unus Sulm., Vrat. et plurimi Heins. *divisaque.*

139. Flor., Hamb. 1., Medic. 1., Nor., Rhen., II alii Heins. *mecum simul, ah!* Par. 2. in lit., Berol., alter Erf. et Par. 2. *mecumque simul et mea t.* Genev. et Zulich. *sine me simul et mea t.* Reliqui cum vett. edd. *mecumque simul mea*, ut oratio cum praecedenti sententia arcte cohaereat, quod mihi genuinum videtur. Nam oratio affectus et exclamatio antecessit, ac sequitur vehementior oratio *nil agis*. — *terra recedit*, ex illusione optica. XI, 406. VI, 512. Virg. A. III, 12.

Provehimur pelago terraeque urbesque recedunt.

140. *nil agis.* Conf. VI, 685.

142. Medic. et III alii Heins. *undas.* — Deinde Gron., Leid., Mor., Rhen., Lips. 1., Vrat. et XI Heins. *ferar.* Sed *trahar* et gravius et illis *puppim amplexa* accommodatius. *Ferar* fluxisse videtur e VII, 67. — De forma orationis *vix dixerat: insilit* conf. XIII, 711 — 714. 882. II, 47.

143. *faciente cup. vires.* Conf. IV, 528. I, 540. — 144. *Gnosiacae*, Cretensis. 52. — *invidiosa*, quae invidiam, odium facit, excitat.

145. Nimis festinat: non enim ostendit, cur Nisus sit mutatus. Scil. Jupiter commotus ejus pietate, necatum in vitam revocavit mutatoque corpore avem fecit *haliaecton*, aquilam marinam. Plin. H. N. X. c. 3. Arist. H. A. IX. *Gierig.* Virg. Cir. 520 seqq. Aliter Hyg. F. 198. *Nisus autem dum filiam persequitur in avem haliaëton, i. e. aquilam marinam conversus est.* — *in auras.* Par. 1., Rhen. et Lips. 1. *in auris.* Lips. 2. *in aura.* Reliqui consensu omnes cum vett. edd. *in auras.* Cujus usus dicendi exempla nulla usquam reperire potui. Sed tamen donec codd. accuratius excussi fuerint, nihil mutandum putavi. Vid. ad v. 201. VII, 379. VI, 676. XI, 341.

146. *factus erat.* Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Rhen., Lips. 2., Sulm. 1., Stat., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *factus avis*, ex glossa, ut videtur. nam *avis* natura etiam illis *fulvis alis* significatur. Heinsius tacite edidit *factus erat*, quod reliqui codd. Ciof. et Jahni tuentur. — Codd. Ciof. et vulg.: *haliaetus in alis.* Heinsius formam Graecam dedit *haliaecton.* Nos Latinam dedimus secuti codices et Virgilium in Cir. Conf. de illa avi Arist. H. A. IX.

147. *laceraret.* Dresd., Goth. 2. et meliores Heins. *laniaret.* Exspectanda accuratior collatio codicum est, — *haerentem* respicit illud *haeret* v. 144. — *Ire* autem saepe de hostili impetu et incursu. VIII, 403. XI, 510.

148. Cod. Bersm., Goth. 1., Rhen., Vrat. et meliores Heins. *dimittit.* Vulg. *dimisit.* — Berol., Pal. 2., Medic. chart., Rhen. et Vrat. *at aura*,

Sustinuisse levis, ne tangeret aequora, visa est.
Pluma fuit, plumis in avem mutata vocatur
Ciris, et a tonso est hoc nomen adepta capillo.
Vota Jovi Minos, taurorum corpora centum,
Solvit, ut egressus ratibus Curetida terram
Contigit, et spoliis decorata est regia fixis.
Creverat opprobrium generis, foedumque patebat
Matris adulterium monstri novitate biformis.
Destinat hunc Minos thalami removere pudorem
Multiplicique domo caecisque includere tectis.
Daedalus ingenio fabrae celeberrimus artis
Ponit opus, turbatque notas, et limina flexum

151. *Ciris* nomen igitur poeta ducit a *tonso capillo* vel rectius a Graeco *κείρειν* q. e. *tondere*. Quae vero avis sit, disputatur. Ap. Virg. in Cir. v. 489., ubi illa metamorphosis eleganter describitur, est avis versicolor, crista purpurea in capite et cruribus rubentibus insignis vitamque solitariam in locis desertis degens. Naso descriptionem ejus nullam dedit, nec mutationem ipsam more suo diligenter descripsit, haud dubie quia auctor Ciris illa egregie occuparat. *Gierig.* Vid. Heyn. ad Virg. Cir. init. et ad v. 489 sqq.

152. *Minos devictis Atheniensibus tributum juvenum ac virginum Minotauro objiciendorum imposuit. Ab hac ignominia Theseus patriam ope Ariadnae Minois filiae liberat. Ariadna victorem secuta, in Naxo insula ab eo relicta, Baccho nubit coronaque ejus in sidus mutatur.* Hyg. F. 41—43. Apollod. III. c. 15. Plut. in Thes. Diod. IV, 63. V, 116.

152. Descriptio victoriae a Minoë de Atheniensibus reportatae h. l. omittitur, uti etiam pactum, quo tributum illud ignominiosum solvere coacti sunt, nonnisi oblique memoratur. — *taurorum corp. centum.* *ἑκατόμβην* dicit poeta. — Scripturam *corpora* exhibent II Bersm., Bas. 1—4., Par. 2. a 1 m., Cant., Cael., Dom., Flor., Goth. 2., Hamb. 1., unus Maff., Medic. 2., Neap., Zwicc. plures alii Heins. et ed. pr. — Par. 1. et a corr. 2., Vrat. et vulg. *sanguine.* Verum prius exquisitius est. — *Vota* autem h. l. pro substantivo esse videntur: *vota solvit*, sc. *centum corpora taurorum:* nam minus recte dicitur *corpora taur. solvit.* Conf. Virg. G. IV, 543. Aen. XI, 197.

153. *Curetida terram*, Cretam, ab Curetibus, antiquis Cretae incolis. IV, 282. Plin. H. N. IV. c. 12. Virg. A. III, 131. *Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.* Permulti codd. et vett. edd. *et egr.*, manifesto errore. — Cod. Bersm., Dresd., Lips. 1. 2., Goth. 1., Vrat. 2. et plurimi Heins. *Cretĕida.* Vetustiores Heins. magno numero et reliqui cum vett. edd. *Curetĭda.*

154. *spoliis*, armis, ornamentis, al. — *fixis*, de more vetustatis arma et similia spolia hosti erepta in domibus aut templis figendi vel suspendendi. Tib. I, 1, 54.

Ut domus hostiles praeferat exuvias.

155. *opprobrium generis*, Minotaurus. Vid. 132. Her. IV, 57. *crimen matris.* Cf. 157. 98. 168. — *patebat*, manifestum erat eam cum tauro concubuisse.

156. *biformis* interpretatur ipse Ovidius Art. A. cum acumine:

Semibovemque virum, semivirumque bovem.

157. *pudor* pro re pudenda, ignominia. IX, 578. — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Medic. 1., Par. 1., unus Sulm., Urb., Vat. 1. et multi alii Heins. *thalamis.* Bas. 1., Cant., Medic. 2., Neap. et III alii Heins. *thalamo.* Minus recte. Namque de loco non est sermo, sed *thalami* est conjugii, conjugis, et *thalami pudor* est *conjugis flagitium et ignominia.*

158. *caecisque.* Medic. 4., XV alii Heins. et edd. Venn. *que* male omittunt. — *multiplex* de multis illius domus flexibus et anfractibus intelligendum. Ceterum in ingeniosa illa labyrinthi descriptione ante oculos habuisse videtur Virg. A. V, 588 seqq. et VI, 27. Conf. Plin. H. N. XXXVI. c. 19. Diodor. I, 61. IV, 76 sqq. Apollod. III. c. 15. Hyg. F. 40.

160. *turbatque notas*, sc. viarum, i. e. confundit eas, non suas cuique dat notas,

Ducit in errorem variarum ambage viarum.
Non secus ac liquidus Phrygiis Maeandros in arvis
Ludit, et ambiguo lapsu refluitque fluitque,
Occurrensque sibi venturas adspicit undas,
Et nunc ad fontes, nunc in mare versus apertum, 165
Incertas exercet aquas: ita Daedalus implet
Innumeras errore vias, vixque ipse reverti
Ad limen potuit: tanta est fallacia tecti.
Quo postquam geminam tauri juvenisque figuram
Clausit, et Actaeo bis pastum sanguine monstrum 170
Tertia sors annis domuit repetita novenis;
Utque ope virginea nullis iterata priorum
Janua difficilis filo est inventa relecto:

sed omnibus easdem vel simillimas. Virg. A. V, 490.

— — — qua signa sequendi
Falleret indeprensus et irremeabilis error.

Catull. LXIV, 114.

Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobservabilis error.

limina, aditus. Pal. D. Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., unus Medic., Hamb. et multi ex vetustioribus Heinsii *lumina*. — Pro *flexum* vulg. *flexu*, quod etiam Pal. D. Heins., Dresd., Goth. 1. 2. exhibent; sed offendit, quia alter ille ablativus *ambage* sequitur. Scripturam optimam *flexum* tuentur Rhen., Flor., Neap., Pal. 2., Spir. et III Heins. Conf. IX, 64. Lucret. IV, 91. *scinduntur per iter flexum*. Pal. 1. *flexui*. Nonnulli Heins. *flexus*.

Huc pertinet locus Melae I. c. 9. *Unum in se descensum habet, intus paene innumerabiles vias, multis ambagibus huc et illuc remeantibus, sed continuo anfractu et saepe revocatis porticibus ancipites, etc.*

162. *Maeandros*. Conf. II, 246. IX, 451. — Scripturam *liquidus Phrygiis*, quam postulat ratio sententiae, exhibent Berol., Par. 2., Lips. 2. et castigatiores Heinsii. — *in arvis* etiam Goth. 2. et Bas. 2. Vulg. *liquidis Phrygius Maeander in undis*. Lips. 1., Rhen. et Goth. 2. *liquidis Phrygiis*. — Scripturam *Maeandros* autem exhibent Briant., Goth. 2., Twisd., Berol., Par. 1. 2., Rhen., unus Sulm., Vrat. 1., castigatiores Heins. et vett. edd. Alter Sulm. et Vat. Ciof. *Maeandrus*. Vulg. *Maeander*. — Bas. 4. *non secus ut*.

163. Illud *ambiguum* explicat Senec. *dubium, litus an fontem petat*.

164. Arond. *prospicit*. Bas. 4. *conspicit*. — *venturas*, sequentes.

165. Lips. 2. et pauci Heins. *in mare*.

166. *exercet*, fatigat. Virg. Georg. III, 529. *exercita cursu flumina*. Met. I, 582. *fessae erroribus undae*. Conf. Met. VII, 634. Her. IX, 56. *Qui lassas in se saepe retorquet aquas*.

169. *geminam tauri juvenisque figuram*. Periphrasis Minotauri. Art. A. II, 23.

Daedalus ut clausit conceptum crimine matris
Semibovemque virum, semivirumque bovem, etc.

Conf. not. ad v. 133. et II, 630. — Heinsius tacite edidit *tauri geminam*, quod etiam Berol., Rhen., Lips. 1. et Vrat. 1. exhibent. Reliqui codd. et vett. edd. *geminam tauri*.

170. „*et* (postquam) *monstrum bis sanguine Actaeo* (Atheniensi) *pastum sors novenis annis repetita* (sorte electi juvenes et puellae, in quibus etiam Theseus) *domuit, et ut* (postquam) *ab Aegide* (Aegei filio, Theseo, VII, 419—452.) *ope virginis* (Ariadnae, Minois filiae) *janua difficilis, quam nulli priorum iterarant* (ad quam nulli priorum redierant) *filo relecto* (ope fili relecti) *inventa est: protinus . . . .“

172. Spir., Neap. et Medic. 2. *superata*.

173. *filo relecto*. Hyg. F. 42. *licium revolvendo foras est egressus*. Fast. III, 462.

Quae dedit ingrato fila legenda viro.

Prop. IV, 4, 42.

Quum patuit lecto stamine torta via.

Sed optimam scr. *relecto* nonnisi duo

Protinus Aegides, rapta Minoïde, Dian
Vela dedit, comitemque suam crudelis in illo
Litore destituit. Desertae et multa querenti
Amplexus et opem Liber tulit, utque perenni
Sidere clara foret, sumtam de fronte coronam
Immisit coelo. Tenues volat illa per auras,
Dumque volat, gemmae nitidos vertuntur in ignes,
Consistuntque loco, specie remanente coronae,
Qui medius nixique genu est anguemque tenentis.
Daedalus interea Creten longumque perosus
Exsilium tactusque soli natalis amore
Clausus erat pelago. „Terras licet" inquit „et undas
„Obstruat; at coelum certe patet: ibimus illac.
Omnia possideat, non possidet aëra Minos."
Dixit et ignotas animum dimittit in artes,
Naturamque novat. Nam ponit in ordine pennas
A minima coeptas, longam breviore sequente,
Ut clivo crevisse putes. Sic rustica quondam
Fistula disparibus paullatim surgit avenis.

Heinsii codd., Pal. 4. Gebhdi et Arond. pro v. l. servarunt. Vulg. *relicta*.

174. *Dian* i. q. Naxon. III, 690. Plut. Thes. c. 20. Hesiod. Theog. 947. Q. Smyrn. IV, 387. Scripturam *Dian* confirmant Pal. 2. et II Heins. — Permulti cum ed. pr. *Chian*. Vulg. *Diam*.

175. Unus Leid. *in udo*.

176. Lips. 2. et V Heins. *deseruit*, quod librarii, memores Nasonem hanc orationem *deseruit, desertae* amare (vid. ad I, 33.) invenisse videntur. Pal. 2., Par. 1. 2., Vrat. 1. 2. et reliqui *destituit*.

177. *Liber*, Bacchus. Vid. ad III, 520. — Medic., Voss., Vrat. 2., II Heins. et edd. Venn. *amplexusque et opem*. Reliqui omnes *que* omittunt. — De Ariadnae corona in sidus mutata vid. Hyg. P. Astr. II. c. 5. Ovid. Fast. III, 515.

180. *nitidos in ignes*, ut *nitidus sol* XIV, 33. — Bas. 2., Goth. 1. 2., Pal. 1. 2., Par. 1., Rhen., Vrat. 1., complures Heinsii *subitos*. Lov. et unus Medic. *rutilos*. Reliqui *nitidos*. — *gemmae*. Fast. III, 515.

Dicta facit, gemmasque novem transformat in ignes,
Aurea per stellas nunc micat illa novem.

182. „*qui* (locus) *medius est genu nixi* (Engonasis sideris) *et anguem tenentis* (Ophiuchi sideris)." — *medius* cum genit. non rarum. Vid. ad V, 409.

183. *Daedalus Athenis e stirpe regia ortus in Cretam fugit, ibique a Minoë vi retentus cum filio, aliis artificiosis et cera compactis per aëra in libertatem se vindicat. Sed Icarus altius ad solem evectus cera liquefacta in mare decidit, illique maris parti et insulae nomen dedit*. Hyg. F. 39. et 40. Eandem fabulam Naso narrat Art. A. II, 21–96. versibus elegiacis. Apollod. III. c. 15. Diod. IV. c. 76—79.

184. *exsilium*, sponte sumtum, quum, ut infra narratur, in patria sua sororis filium Perdicem prae invidia occidisset et ob hoc fugisset. Vid. v. 236 seqq. — Unus Medic. *tractusque*. — Berol., Paris. 1. et 2. et Leid. *soli*, quod fere proprium in hac re est. VII, 52. Reliqui *loci*.

188. Berol., Goth. 1., pauci Heinsii et margo Bersm. *demittit*. Pal. 2. et Par. 1. *demisit*. III, 381. *aciem partes dimisit in omnes*. Senec. Epist. 24. *In quamcunque partem rerum memoriam miseris*. — Lips. 2. Bas. 2. inter lin. et IV Heins. *divertit*.

189. *naturamque novat*, naturae leges mutat, *pennis non homini datis*, ut est apud Hor. Od. I, 3, 35. Met. IV, 279. *naturae jure novato*. Art. A. II, 42.

Sint mihi naturae jura novanda meae.

190. Exspectares *longa breviorem sequente*. Heinsius ex conjectura prave edidit *sequenti*. —

191. *quondam*, interdum, quandoquidem. IX, 170.

192. *avenis*. I, 684. 711. II, 682. Tib. II, 5, 31.

Tum lino medias et ceris alligat imas,
Atque ita compositas parvo curvamine flectit,
Ut veras imitetur aves. Puer Icarus una
Stabat et, ignarus sua se tractare pericla,
Ore renidenti modo, quas vaga moverat aura,
Captabat plumas, flavam modo pollice ceram
Mollibat, lusuque suo mirabile patris
Impediebat opus. Postquam manus ultima coeptis
Imposita est, geminas opifex libravit in alas
Ipse suum corpus motaque pependit in aura.
Instruit et natum „Medioque ut limite curras,
„Icare," ait „moneo, ne, si demissior ibis,
Unda gravet pennas, si celsior, ignis adurat.
Inter utrumque vola. Nec te spectare Booten
Aut Helicen jubeo strictumque Orionis ensem;
Me duce carpe viam!" Pariter praecepta volandi
Tradit, et ignotas humeris accommodat alas.

Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo;
Nam calamus cera jungitur usque minor.

193. *mediae* et *imae* sunt mediae et imae partes earundem pennarum. Art. A. II, 46.

Et leve per lini vincula nectit opus:
Imaque pars ceris adstringitur igne solutis.

Vrat. et edd. Venn. *tunc.*

195. *imitetur.* Cantabr., Medic. 4., Mor. 1. et VI alii Heins. *imitentur;* sed *imitetur* elegantius et longo majorem habet auctoritatem vetustatis. De verbo *imitari* hac vi cf. II, 2. — *puer, Icarus.* Lusus pueriles eleganter describuntur.

196. *tractare,* contingere manibus. — *sua pericula,* ea quae sibi periculum et perniciem allatura essent. Cf. v. 333.

197. *ore renidenti* sc. prae laetitia. Tac. Ann. IV. c. 60. *Tiberius torvus aut falsum renidens vultu.* Hor. Od. III, 6, 12. *adjecisse praedam torquibus exiguis renidens* (Parthus). Art. A. II, 49.

Tractabat ceramque puer pennasque renidens,
Nescius haec humeris arma parata suis.

„*vaga,* mobilis aut mota." *Gier.*

199. De forma *mollibat* conf. VI, 21.

201. *libravit in alas.* Arg. *geminis libr. in alis,* quod alii probarunt; sed *in alas* retinendum arbitror, ut *in* finem significet: *in alas* sc. *ut situm rectum accipiat, in die Flügel hinein.* Vid. supra v. 145. Art. A. II, 68.

Inque novum timide corpora librat iter.

Virg. G. IV, 196. de apibus: *sese per inania nubila librant.* — Par. 1. et nonnulli Heins. *vibravit,* ex glossa.

203. *curras* h. l. de volando, ut alibi de navigando. — Bas., Goth. 2., Gron. et Jun. *medioque in l.* Art. A. II, 63. de eadem re:

Dum monet, aptat opus puero monstratque moveri,
Erudit infirmas ut sua mater aves.

Conf. Met. II, 126 seqq.

206. *inter utrumque,* undas sc. et ignem solis. II, 140. — De *Boote* vid. ad II, 176. et de *Helice* ad II, 132. — *Orion* s. venator quoque notissimum sidus, cujus fabulam narrat Ovidius Fast. V, 495. et Hyg. F. 195. Haec tria sidera septentrionalia veteres maxime servabant navigantesque cursum ad ea dirigebant. Art. A. II, 55.

Sed tibi nec virgo Tegeaea comesque Bootae,
Ensiger Orion, adspiciendus erit.

Orionis alibi paenultimam producit. Fast. IV, 388. Scilicet poetae Latini in nominibus Graecis liberiores sunt. II, 153. V, 464. XIII, 724. et passim.

209. *accommodat,* ut *accommodare lateri ensem.* Art. A. II, 63. *aptat opus puero.*

Inter opus monitusque genae maduere seniles
Et patriae tremuere manus. Dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo, pennisque levatus
Ante volat, comitique timet, velut ales, ab alto
Quae teneram prolem produxit in aëra nido;
Hortaturque sequi damnosasque erudit artes,
Et movet ipse suas et nati respicit alas.
Hos aliquis, tremula dum captat arundine pisces,
Aut pastor baculo stivave innixus arator
Vidit et obstupuit, quique aethera carpere possent,
Credidit esse deos. Et jam Junonia laeva
Parte Samos fuerant Delosque Parosque relictae,
Dextra Lebynthos erat fecundaque melle Calymne;
Cum puer audaci coepit gaudere volatu,
Deseruitque ducem, coelique cupidine tactus
Altius egit iter. Rapidi vicinia solis
Mollit odoratas, pennarum vincula, ceras.
Tabuerant cerae: nudos quatit ille lacertos,

210. Praeclare poeta sensus paternos expressit, atque ita simul tristem lectori rei exitum significavit.

214. *produxit*. Leid., Sprot. et II alii Heins. *producit*, quod quibusdam editoribus placuit. Verum praeteritum rei naturae aptius est: est enim *quae produxit* fere pro *postquam produxit*. Confirmatur Val. Flacc. VII, 375., qui hunc locum expressit:

Qualis adhuc teneros supremum pallida fetus
Mater ab excelso produxit in aëra nido,
Hortaturque sequi brevibusque resurgere pennis.

Cod. Bersm., Dresd., Par. 1., Lips. 2., Vrat. et edd. Venn. *aëre*.

216. De elegantia repetitionis illius *que* et *et* vid. not. ad Her. XII, 189.

217. *aliquis* cum potestate collectiva. Vid. IV, 187.

218. *stivave*. Heinsius tacite edidit *stivave*, quod Rhen., Lips. 2. et ed. pr. confirmant. Reliqui *que*, non *ve*. Deinde ablativum *stiva* praeter Rhen., Lips. 2. et ed. pr. exhibent cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1., Vrat. 1. et Zwicc. — Vrat. 2. et edd. Venn. et Parm. dativum *stivae* habent. Ac Naso hoc verbum plerumque dativo jungit. Sed conf. XV, 726.

219. Cod. Bersm., Rhen., Lips. 1., Vrat. et Zwicc. *aëra*. — 220. *Samos*, in litore Asiae minore, quae *Junonia* h. l. dicitur, quia Juno ibi summa religione colebatur celeberrimumque fanum habebat. Virg. A. I, 16.

Quam (Carthaginem) *Juno fertur*
terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo —

Vid. not. ad XV, 164. Herodot. III. c. 60. — Ceterum interpretes recte ad hunc locum observant, Daedalum, qui Creta insula versus Icaron insulam volaret, Samon ad laevam habere non potuisse. Sed ego mihi observasse videor, poetam saepe in talibus rebus licentius ac parum curiose egisse.

221. *Delos* et *Paros* sunt e Cycladibus. *Lebynthus* et *Calymne* insulae sunt maris Cretici. Strab. X. p. 749. — Berol., Goth. 2., Vrat. 2., Zwicc. et VII Heins. *fuerant*. Vulg. *fuerat*. Male: sequitur enim *relictae*.

222. Rhen., Vrat. 2. et II Heins. *erant*. Minus recte. Nam *dextra* est nominativus. Conf. XI, 197. — Deinde vulg. *Calymna*. Verum codd. fere omnes formam Graecam tuentur. — *fecundus* cum ablativo et genitivo jungitur.

224. *tactus*. Conf. v. 184. X, 636. — Flor., Goth. 2., Spir. et IV alii Heins. *tractus*, quod tam parva auctoritate edere non debebat Heinsius.

225. *rapidi vicinia*. Multi Heins. *rapidi ad* vel *at vic.*; *rapidi ad* etiam Pal. 2. et II Vat. Ciof. — Briant., Cael., Lips. 2., unus Sulm., Stat., Vrat. 2. et ed. pr. *rapidi et*. Sed asyndeton illud multo elegantius est. Conf. v. 233.

226. *ceras*. Vid. 193. — 227. *nudos quatit ille lacertos*. Ludit iterum suo more Naso in re seria.

Remigioque carens non ullas percipit auras;
Oraque caerulea, patrium clamantia nomen,
Excipiuntur aqua, quae nomen traxit ab illo.
At pater infelix, nec jam pater, „Icare!“ dixit,
„Icare!“ dixit „ubi es? Qua te regione requiram?“
„Icare!“ dicebat: pennas conspexit in undis,
Devovitque suas artes, corpusque sepulcro
Condidit; et tellus a nomine dicta sepulti.
Hunc miseri tumulo ponentem corpora nati
Garrula ramosa prospexit ab ilice perdix,
Et plausit pennis testataque gaudia cantu est:
Unica tunc volucris nec visa prioribus annis,
Factaque nuper avis, longum tibi, Daedale, crimen.
Namque huic tradiderat, fatorum ignara, docendam
Progeniem germana suam, natalibus actis
Bis puerum senis, animi ad praecepta capacis.
Ille etiam medio spinas in pisce notatas
Traxit in exemplum, ferroque incidit acuto
Perpetuos dentes, et serrae reperit usum.
Primus et ex uno duo ferrea brachia nodo
Vinxit, ut, aequali spatio distantibus illis,

228. *concipit*. Ita recte plurimi Ciof. et VII Heins. Vid. XII, 569. Quint. Inst. or. XI. c. 3. extr. *ventum concipere veste*. Conf. I, 337. Vett. edd. et reliqui codd. *percipit*. — 230. *nomen* sc. Icarium. Est autem pars Aegaei apud Chium insulam.

233. *conspexit*. II Bersm., Goth. 2., Maff. 1. 2., Menard., Par. 1. 2., unus Sulm., Lips. 1., Vrat. 1., Zwicc., III Heins. et vett. edd. *adspexit* v. *aspexit*. Lips. 2. *despexit*. Unus Mor. *prospexit*. Reliqui *conspexit*.

235. *tellus* est insula Icaros.— Pal. 2. et vulg. *sepulti est*. Verum Heinsius *est* tacite omisit, quod ab uno Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat. 1. 2., Zwicc. et vett. edd. abest. *Jahn*.

236. *Perdix* (v. 183.), *Daedalo tutelae et institutioni traditus, quum magistrum in artificio superaret, ab eo invidia ex arce Minervae praecipitatus est*. Apollod. III. c. 15. Hyg. F. 39. Diod. Sic. IV. c. 76. Serv. ad Virg. G. 1, 143. Aen. V, 14.

238. *plausit*. Plausus signum laetitiae et approbationis, qui bene h. l. perdici tribuitur: nam etiam aves *plaudere* dicuntur, cum percussis alis strepitum edunt. Conf. XIV, 507. I, 466. — Gaudia autem testata est ob damnum et luctum Daedali. — Cod. Bersm., Cael., Goth. 1. 2., Rhen., Bas. 2., unus Sulm., Lips. 1., Vrat. 1., plurimi Heins., Zwicc. et ed. pr. *voce est*, nisi quod Goth. 2. et Rhen. *est* omittunt. Reliqui *cantu est*. — Ceterum sunt, qui reprehendant poetam, quod perdicem ex arbore prospicientem fingat, cum haec avis semper humi versetur, et in terra faciat cubilia. Neque hoc latuit Nasonem, qui v. 256. hanc avis indolem e Perdicis casu explicat. Sed nunc transitum quaerebat.

239. *unica*, sc. quia nuper transformatione orta. Cf. XII, 531.

240. *longum*, in perpetuum durans.

242. Germana ab Apollodoro Perdix et progenies Talus vocantur. Sed e v. 255. apparet, Nasonem cum Hygino secutum esse eos auctores, qui *Perdicis* nomen filio tribuerent. Vid. Munk. ad Hyg. F. 39. — Bas. 1. in marg. et Strozz. *auctum*. Vid. II, 497. XIII, 753. — 243. Arond., Bas. 1., Par. 2., Erf. 1., Flor., Franc., Hamb. 1., Medic. 2., Neap., Pal. 1., Lips. 1., Spir., Vrat. 1., Urb. et III alii Heins. et ed. pr. *rapacis*, et infra v. 254. *velox* ei ingenium tribuitur. Sed tamen nihil mutarim. *rapax ad* sine exemplo est, et *capax* est ut 534. et XV, 5., et *capax ad* dictum est ut *rudis ad*, et similia. Vid. not. ad Trist. III, 3, 58. Kühner ad Cic. Tusc. III. c. 5.

246. *perpetuos*, una serie procurrentes. — *serrae usum*. Vid. ad I, 408.

247. *primus — orbem*. Egregia circini descriptio. — 248. II Bersm.,

Altera pars staret, pars altera duceret orbem.
Daedalus invidit, sacraque ex arce Minervae
Praecipitem misit, lapsum mentitus. At illum,
Quae favet ingeniis, excepit Pallas avemque
Reddidit et medio velavit in aëre pennis.
Sed vigor ingenii quondam velocis in alas
Inque pedes abiit, nomen, quod et ante, remansit.
Non tamen haec alte volucris sua corpora tollit,
Nec facit in ramis altoque cacumine nidos;
Propter humum volitat, ponitque in sepibus ova,
Antiquique memor metuit sublimia casus.
Jamque fatigatum tellus Aetnaea tenebat
Daedalon, et sumtis pro supplice Cocalus armis
Mitis habebatur; jam lamentabile Athenae.
Pendere desierant Thesea laude tributum.
Templa coronantur, bellatricemque Minervam
Cum Jove dîsque vocant aliis, quos sanguine voto
Muneribusque datis et acerris turis honorant.
Sparserat Argolicas nomen vaga fama per urbes
Theseos, et populi, quos dives Achaïa cepit,

Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. 1., nonnulli Ciof., meliores Heins. magna ex parte et ed. pr. *vinxit*. Vrat., Zwicc. et vulg. *junxit*; prius significantius est et majorem habet auctoritatem codicum.

250. *arx Minervae*, acropolis Athenarum. VII, 399.

251. *misit* retinendum et propter codicum fidem et propter perfectum illud *invidit*. Bas. 1., Goth. 2., Gron. 1. et Berol. *mittit*, quod temere edidit Heinsius. — 252. Arond. *facit*.

253. Menard., Pal., Rhen., Lips. 1., Vat., Vrat. 1. et IX Heins. *velatur*.

254. *in alas inque pedes;* perdices enim acerrimi sunt et volatu et cursu.

255. *nomen, quod et ante, r.* Sic vulg. — Jun., Par. 1., Zwicc. et plurimi (?) Heins. *nomenque quod a. r.*

258. Goth. 1. 2., Vrat. 1., Zwicc., nonnulli Ciof. et Venn. 2. *praeter;* inepte. Plin. H. N. X. c. 32. *perdices spina et frutice sic muniunt receptaculum, ut contra feras abunde vallentur.*

259. *antiquique.* Conf. II, 377. 378.

260. *Oeneus, rex Aetoliae, principes Graeciae ad venationem ingentis apri, qui Dianae ira immissus agros Calydonios vastabat, convocarat. Meleager, Oenei vel Martis ex Althaea filius, qui feram occidit, victoriae pretium Atalantae virgini Arcadiae, ut primi vulneris auctori dedit; quod eripere ei conati Plexippus et Toxeus, Althaeae matris fratres, ab Meleagro caeduntur. Ea caede irata Althaea stipitem fatalem, quo vita Meleagri pendebat, in flammas mittit, atque ita filium lento incendio consumit. — Cujus mortem lugentes sorores in meleagrides mutantur.* Hyg. F. 171 — 174. Apollod. I. c. 8. III. c. 9. Diod. IV. p. 240. Hom. Il. IX, 529 seqq.

260. *tellus Aetnaea*, Sicilia.

261. „*et Cocalus, rex Siciliae, sumtis pro supplice Daedalo armis* contra Minoëm, qui Daedalum persecutus erat, *mitis habebatur.*“

263. *Thesea laude*, virtute Thesei.— *tributum*. Vid. v. 170 seqq.

264. *templa*, sc. Athenarum. — *Minervam*, ut sub cujus tutela Athenae. Vid. VI, 70 seqq. et IV, 754. — *bellatricem*. Vid. II, 765.

265. *vocant*, sc. ad sacra. Vid. v. 581.

266. *munera* sunt donaria, ἀναθήματα. De triplici hoc honorum genere conf. VII, 159 sqq. — Berol., Cant., Ox., Pal. 2., Lips. 1. 2., XX Heins. et edd. Venn. *acervis*. Unus Ambr. *acerra*. Reliqui *acerris*, quod mihi verum videtur. *Acervis* fere nimis exaggeratum. Conf. Fast. IV, 934. — Cod. Bersm., Dresd., Par. 1. 2., Zwicc., Rhen., Lips. 1. et praestantiores Heinsii *adorant*. Sed *honorant*, quod majorem habet auctoritatem codicum, aeque recte dicitur. Vid. ad v. 743.

268. *Theseos*, forma Graeca, ut XII, 622. Trist. V, 3, 40. — *Achaïa*. III, 511. Conf. V, 577.

Hujus opem magnis imploravere periclis.
Hujus opem Calydon, quamvis Meleagron haberet,
Sollicita supplex petiit prece. Causa petendi
Sus erat, infestae famulus vindexque Dianae.
Oenea namque ferunt, pleni successibus anni,
Primitias frugum Cereri, sua vina Lyaeo,
Palladios flavae latices libasse Minervae.
Coeptus ab agricolis superos pervenit ad omnes
Ambitiosus honos; solas sine ture relictas
Praeteritae cessasse ferunt Latoïdos aras.
Tangit et ira deos. „At non impune feremus,
Quaeque inhonoratae, non et dicemur inultae!“
Inquit, et Oeneos ultorem spreta per agros
Misit aprum, quanto majores herbida tauros
Non habet Epiros, sed habent Sicula arva minores.
Sanguine et igne micant oculi, riget horrida cervix,
Et setae similes rigidis hastilibus horrent,

270. *Calydon, Olenos et Pleuron* urbes Aetoliae. — Calydone autem sedem habebant Oeneus et Meleager, ejus filius.

273. Dresd., Goth. 2., Lips. 1. 2., praestantiores Heins. et ed. pr. *pleni*. Recte. „*propter successus pleni*, h. e. felicis, *anni*,“ sive quod essent successus pleni anni. Vulg. *plenis*. Non male.

274. Unus Medic., Rhen. et unus Voss. *frugem*, quod primus recepit Heinsius. Primum dicit *primitias frugum*; cum vero semel *primitiarum* mentionem fecisset, in vino et oleo olivae minus finite loqui et variare orationem licebat. — *Lyaeo*, ut IV, 11. — *sua*, propria et debita.

275. *Palladios latices*, oleum: nam Pallas sive Minerva auctor olivae. Vid. v. 7. VI, 80. 81.

276. *ab agricolis* sc. superis i. e. dis. Tib. I, 1, 14.

Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolae ponitur ante deo.

Conf. I, 192 seqq. — Etiam Minerva quatenus olivae praeest eamque procreavit, inter agricolas deos numeratur. Vid. Virg. G. I, 18.

277. *ambitiosus honor*, qui ambitiose quaeritur. — Medic. 2., Neap. et Paris. 1. *invidiosus*, a sciolo e Fast. VI, 36 repetitum. — Rhen. et pauci Heins. et Bas. 4. *honos*.

278. Erf. 1., Goth. 2. a corr., Lips. 1., Thu. et VI Heins. *praeteritae*. Goth. 2. a 1. m., Pal. 2., et reliqui *praeteritas*: quod vix ferendum est. — Heinsius tacite edidit *Letoïdos*, quod Rhen. (?) tuetur. VI, 160. Reliqui omnes cum vett. edd. *Latoïdos*, quod revocavimus: nam VI, 384. et 274. etiam *Latous*, sine omni varietate. Vid. ad VII, 384. — De re vid. Apollod. I. c. 8.

279. *At* sic ponitur in principio minarum et increpationis. XII, 367. *Gier*. Vid. not. ad Her. XII, 1.

281. *Oenēos*, Calydonis, ubi Oeneus sedem habebat. Sil. XV, 308.

— — — *tristem Calydona Dianae*
Oeneasque domos, Curetica tecta, subibat.

283. *Epiros*. Huc pertinet Plin. H. N. VIII. c. 45. *In nostro orbe Epiroticis* (bubus) *laus maxima*. — Formam *Epiros* omnes Jahni codd., omnes fere Heins. et ed. pr. Vulg. *Epirus*. — „*Sed habent Sicula arva*, quae tamen valde magnos alunt, *minores*.“ — Lov. *et habent*.

284. Franc. *ardua*, prave: *horrida* etiam ipso verbo *riget* comfirmatur, ne de codd. et vett. edd. consensu dicam. — *sanguine et igne micant oculi*. Conf. XI, 367. 368. Virg. A. II, 210.

Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni.

riget, de duritia capiendum, ut XI, 150. Ad descriptionem apri illius conf. etiam Hom. Od. XIII, 471 seqq. Hesiod. Scut. 389.

285. *rigidis*. Berol., Par. 2., nonnulli Heins. et edd. Venn. et Parm. *densis*, apte ad sententiam. Plurimi Heins., cod. Bersm., Sulm. 1. 2. et reliqui Ciofani, Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2.,

[Stantque velut vallum, velut alta hastilia setae;]
Fervida cum rauco latos stridore per armos
Spuma fluit, dentes aequantur dentibus Indis,
Fulmen ab ore venit, frondes afflatibus ardent.
Is modo crescentes segetes proculcat in herba,
Nunc matura metit fleturi vota coloni,
Et Cererem in spicis intercipit. Area frustra
Et frustra expectant promissas horrea messes.
Sternuntur gravidi longo cum palmite fetus,
Baccaque cum ramis semper frondentis olivae.
Saevit et in pecudes: non has pastorve canisve,
Non armenta truces possunt defendere tauri.
Diffugiunt populi, nec se nisi moenibus urbis
Esse putant tutos; donec Meleagros et una
Lecta manus juvenum coïere cupidine laudis:
Tyndaridae gemini, spectatus caestibus alter,

Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *similes rigidis*, quod mihi genuinum videtur, ut illa *riget horrida cervix* et *horrent rigidis hastilibus* sibi respondeant. Deinde omnes vett. libri in positione illius *similes* post *setae* conveniunt, quam et ipsam restituimus.

286. *stantque*. Hic versus, qui in haud paucis Heinsianis omissus est, propter inelegantem tautologiam vix tolerandus atque eam ob causam a multis interpretibus merito spurius judicatus est. In Dresd. inter versus deest, sed in margine legitur. In Goth. 1. versui prima manus adscripsit: *vacat*.

288. *dentibus Indis*, dentibus elephantorum Indicorum. Gentile pro possessivo, ut passim. VII, 394. Catull. etiam *dente Indo*. Virg. Georg. *India mittit ebur*.

289. *fulmen*, igneus spiritus. — De illo *ardent* conf. v. 356. et VII, 106. Bas. *arent*. — 290. Conf. V, 482. Hoc loco Heinsius sese iterum conjectandi libidine abripi passus, qui ex mera conjectura edidit *crescenti*. Idem v. 291., quum in V codd. *non* et in Arond., Franc. et uno Voss. *nec* reperisset, *nec matura* edidit: neque vidit *crescentes segetes* et *matura vota* et pariter *in herba* et *in spicis* opponi, ac *modo* et *nunc* sibi respondere. — Goth. 2. et Bas. 4. *nascentes*.

291. *vota coloni*. Conf. I, 173.

292. *Cererem*. Vid. ad III, 437. et I, 123., et conf. VIII, 666. — *intercipere*, ante capere, quam ad dominum, locum, usum destinatum perveniat. Terent. Eun. I, 1, 35. *Nam quod nos capere oportet, haec intercipit*. Conf. Met. VIII, 433. IX, 122. XV, 113.

294. *gravidi fetus* sunt plenae uvae, ut ex illo *longo cum palmite* apparet.

296. *canisve*. Heinsius tacite edidit *canesve*, quod in Berol. et Rhen. (?) exstat. Idem v. 298. tacite edidit *nec se nisi moen.*, quod etiam cod. Bersm., unus Sulm., unus Maff., Cael., Berol., Goth. 2. et Lips. 1. tuentur. Sed non mala est scriptura reliquorum libb. MSS. et vett. edd. *nec se in moen.*, quo summus terror significatur. — *pecudes* et *armenta* opponuntur.

299. *Meleagros* meliores Heins., complures Ciof., Bas. 3. a 1. m., Berol., Goth. 2., Rhen., Vrat., Zwicc. et edd. Venn. — Nonnulli Ciof., Dresd., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 1. 2. et vulg. *Meleager*. Ed. pr. *Meleagrus*. Conf. 384. 514. et 162.

300. *coïere*. Ita cod. Bersm., Bas. 1. 2. in marg., Arond., Par. 2., Briant., Cant., Dom., Flor., Goth. 2., Maff. 1. 2., Mor. 1., Ox., unus Sulm., II Vat. Ciof., plurimi Heins. et ed. pr. — Vulg., Par. 1. et Pal. 2. *caluere*.

301. *spectatus*. Ita Berol., Pal. 2., Pal. Gbh., Par. 2., Cant., Erf. 1., Hamb. 1., Ox., Par. 2., Thu., VI Heins. et ed. pr. — Medic. 2., Neap., Urb. et II Heins. *spectandus*. Reliqui fere cum edd. Venn. *praestantes*. — *Tyndaridae gemini*, Tyndarei Lacedaemoniorum regis filii, Castor et Pollux fratres pulcrae Helenae. Hor. Sat. II, 1, 2.

Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis.

Hom. Il. III, 237.

Alter equo, primaeque ratis molitor Iason,
Et cum Pirithoo, felix concordia, Theseus,
Et duo Thestiadae, prolesque Apharei̇a Lynceus,
Leucippusque ferox jaculoque insignis Acastus,
Et velox Idas, et jam non femina Caeneus,
Hippothoosque Dryasque et cretus Amyntore Phoenix,
Actoridaeque pares, et missus ab Elide Phyleus.
Nec Telamon aberat magnique creator Achillis,
Cumque Pheretiade et Hyanteo Iolao
Impiger Eurytion, et cursu invictus Echion,
Naryciusque Lelex Panopeusque Hyleusque feroxque

Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα αὐτοχασιγνήτω.

302. *primus molitor*, qui primum molitus est, auctor fuit. XI, 199. Virg. A. III, 6. *classem molimur*. De re vid. VI, 720. et VII. init.

303. Theseus fidelissimus fuit amicus Pirithoi filii Ixionis Larissaei, quem in ipsum tartarum, cum is Proserpinam Plutonis uxorem rapere vellet, secutus est. Hom. Od. XI, 650. ibique Heyn. Apollod. II. c. 5. Hyg. F. 79. Plut. in Thes. Met. XII, 229. et not. ad Trist. I, 5, 19. — *concordia*. Conf. 686. XII, 178. Hor. Sat. II, 1, 72.

Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli.

304. *duo Thestiadae*, filii Thestiae, Plexippus et Toxeus, fratres Althaeae. Vid. ad v. 260. et 434 seqq. — *Lynceus* et *Idas* filii erant Apharei. Pausan. Messen. p. 283. — Cod. Bersm., meliores Heins., cod. antiquus Const. Fan., Berol., Dresd., Goth. 1. et Lips. 2., *prolesque*. Alter Bersm., Goth. 2., Pal. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc., ed. pr. et Ven. 1. *proles* omisso *que*. Vulg. *et proles*. — *Apharei̇a* Regius e conjectura reposuit et tacite edidit Heinsius, idque cod. Bersm., antiq. Const. Fan. cod. et ed. Ven. 2. tuentur. Goth. 1. *Amphireia*. Zwicc. *Amphirrea*. Lips. 2. *Aphireida*. Lips. 1. et Vrat. *Apireia*. Dresd. *Aphirea*. Reliqui *Ephyreia*, singuli *Philireia*, *Epirea*, al.

305. Hunc versuum 305. et 306. ordinem Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd. exhibent, atque eundem haud dubie etiam Ciof. codd. plerique confirmant. Heinsius tacite eum mutavit. In marg. ed. Bas. annotatum est: „Hunc v.: *Leucippusque etc.* faciunt aliqui post sequentem: *Et velox etc.* legi.“ — Leucippus, frater Apharei. *Acastus* filius Peliae Thessaliae regis. Apollod. I. c. 9.

306. „et jam non (amplius) *femina*, *Caeneus*.“ Nam Caeneus Thessalus ante femina Caenis fuerat, ac Neptuni beneficio in marem conversus et invulnerabilis factus erat. XII, 146. Hyg. F. 14. — Sic poeta, quicquid ad transformationem pertinet, ubique eleganter in carmen suum intexit. Conf. II, 219.

307. *Hippothoos*, Neptuni filius, Cercyonis famosi (VII, 439.) nepos. — Formam Graecam tuentur alter Hamb. et Six. Reliqui cum vett. edd. *Hippothous*. — *Dryas*, Terei regis Thessaliae frater. VI, 424 seqq. Apollod. I. c. 8. — *Phoenix*, Amyntoris, Dolopum regis filius, postea educator Achillis et ejus comes in bello Trojano factus. Hom. Il.

308. *Actoridae*, Eurytus et Cteatus filii Actoris Phthii — *pares*, gemini. — *Phyleus*, filius Augeae, qui fuit frater Actoris. Apollod. II. c. 7.

309. *Telamon et Peleus* filii Aeaci. VII, 477. Peleus autem pater Achillis. Burmannus ex conjectura Heinsii pro scriptura omnium codd. dedit *magnive*.

310. *Pheretiades*, Admetus Pheretis filius, Pheraeus. - *Iolaus* filius Iphiclis Boeotii, notus Herculis socius et comes. Nam *Hyanteus* est Boeotius, ab Hyantibus, veteribus Boeotiae incolis. Pausan. IX. c. 5. Met. III, 147. V, 312. De hiatu conf. v. 315. V, 312. II, 244.

311. *Eurytion*, Phthius. Apollod. I. c. 7. — *Echion* auctore Hygino filius Mercurii, qui post ex Argonautis fuit. — Cod. Bersm. et praestantiores (?) Heins. *et cursu*.

312. *Lelex*, ortus Naryce, oppido Locridis. *Narycius* ex Regii emendatione edidit Heinsius, quod Berol., Goth. 1. 2., Rhen. et ed. pr. confirmare videntur. Codd. Heinsii vel *Nariciusque* vel *Nericiusque*. *Nariciusque* etiam Lips.

Hippasus, et primis etiam nunc Nestor in annis,
Et quos Hippocoon antiquis misit Amyclis,
Penelopesque socer cum Parrhasio Ancaeo,
Ampycidesque sagax et adhuc a conjuge tutus
Oeclides, nemorisque decus Tegeaea Lycaei.
Rasilis huic summam mordebat fibula vestem;
Crinis erat simplex, nodum collectus in unum;
Ex humero pendens resonabat eburnea laevo
Telorum custos, arcum quoque laeva tenebat.
Talis erat cultu: facies, quam dicere vere
Virgineam in puero, puerilem in virgine posses.
Hanc pariter vidit, pariter Calydonius heros

1. 2., Vrat., II Bersm., Zwicc. et ed. Ven. 1. Reliqui cum vulg. *Neritiusque* q. e. de Nerito insula. perperam. — Idem Heinsius tacite edidit *Panopeusque*, quod cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2. et ed. pr. exhibent. Vulg. *Panopeus* omisso *que*.

313. *Nestor* clarissimus ille rex Pyli, senex ille nobilitatus carminibus Homeri, cui alludit illud *primis etiam nunc in annis*, q. e. jam non senex, qualis ab Homero describitur, sed juvenis. Vid. ad v. 365. XIII, 63 seqq. — Hinc male Bas. 1., Cant., Hamb. 1. 2., Goth. 2., Rhen., Vat. 1., Zwicc. et multi Heins. *in armis*. — Flor., Medic. 2., Berol., Rhen. et ed. pr. *etiamnum*. Par. 1., Lips. 1. 2. *etiam tunc*. Reliqui *etiam nunc*.

314. *Hippocoon* miserat filios Enaesimon, Alconem et Dexippum. Hyg. I. I.

315. *Penelopes socer*, Laërtes Ulixis pater. Hom. Odyss. — *Ancaeus*, f. Lycurgi ex Arcadia. Inde v. 391. *Arcas*, et h. l. *Parrhasius* quod est i. q. *Arcas*. Vid. ad II, 460. Apollod. l. c. 8.

316. *Ampycides sagax*. Mopsus filius Ampycis Thessali, vaticinio clarus. Conf. V, 146. XII, 455. 456.

317. *Oeclides*, Amphiaraus, Oeclei filius, unus septem ducum, qui Thebas oppugnarunt, qui postea ab Euriphyle uxore Adrasto hosti proditus est. Hinc illa *adhuc a conjuge tutus*. Hyg. F. 73. 128. Eurip. Phoen. 175. sqq. — *sagax*. Vid. V, 146.

317. *Tegeaea*, ex oppido Arcadiae, Tegea. Est autem Atalanta, Schoenei filia. — Vett. edd., Berol., Goth. 1 et alii addunt hunc versum:

Venit Atalante, Schoenei pulcherrima virgo —

nisi quod in Berol., Goth. 1., Zwicc. et aliis *Atalantis* vel vitiose *Atlantis*. Sed abest versus a codd. Ciof., duobus Bersm., Pal. 2. et reliquis Jahni. Heinsius de suis tacet. Non malus est nec ineleganter additus versiculus, quamvis sit suspectus. Nam cum in illa virgine carmen moretur, consentaneum est, genus quoque ejus et nomen et pulcritudinem statim initio significari. — *Lycaei*. Vid. I, 217.

318. *summam*, sc. in humero. — *mordebat*, ut XIV, 394. Cf. II, 412. Virg. A. XII, 274. *laterum junctura fibula mordet*.

319. Conf. III, 170 et II, 413.

321. *telorum custos*, pharetra. I, 468. Conf. XIII, 703.

322. Lips. 2., Bas. 3. pro v. l., Thu., Vrat. et complures Heins. *cultus*. Pal. 2., Par. 1. 2. et reliqui libri *cultu*. Jahn dedit *talis erat cultu facies*. — Aut *talis erat cultu; facies* legendum, ut pro *tali cultu* accipiatur, quae oratio cum apud alios scriptores Latinos, tum in Tacito frequens est (Vid. ad Met. III, 29.) aut *talis erat cultus; facies*. Nam facies non *cultu* erat id, quod erat, sed nativam pulcritudinem scriptor in animo habet, ut etiam ex iis, quae statim sequuntur apparet. IX, 712.

Cultus erat pueri; facies quam sive puellae
Sive dares puero.

323. Cod. Bersm., Bas. 1. 4., Cael., Sulm. 1. 2., plurimi Heins., Goth. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *possis*. Reliqui *posses*. Vid. VII, 85. V. 467.

Vultus erat, modo quem misereri
credere posses.

324. *hanc pariter vidit*, *pariter*. Virg. Ecl. VIII, 41.

Ut vidi, ut perii, ut me malus
abstulit error.

Conf. Met. IX, 583. *Calydonius heros*. Vid. v. 270. et VII, 410. *Meleager* Martis ex Althaea filius habebatur. Hinc *heros*, quod esi dei filius

Optavit renuente deo, flammasque latentes
Hausit et „O felix, si quem dignabitur“ inquit,
„Ista virum!“; nec plura sinunt tempusque pudorque
Dicere: majus opus magni certaminis urget.
Silva frequens trabibus, quam nulla ceciderat aetas,
Incipit a plano, devexaque prospicit arva.
Quo postquam venere viri; pars retia tendunt,
Vincula pars adimunt canibus, pars pressa sequuntur
Signa pedum, cupiuntque suum reperire periclum.
Concava vallis erat, quo se demittere rivi
Assuerant pluvialis aquae: tenet ima lacunae
Lenta salix ulvaeque leves juncique palustres,
Viminaque et longa parvae sub arundine cannae.
Hinc aper excitus medios violentus in hostes
Fertur, ut excussis elisus nubibus ignis.
Sternitur incursu nemus, et propulsa fragorem
Silva dat: exclamant juvenes, praetentaque forti
Tela tenent dextra, lato vibrantia ferro.
Ille ruit spargitque canes, ut quisque furenti
Obstat, et obliquo latrantes dissipat ictu.
Cuspis Echionio primum contorta lacerto
Vana fuit truncoque dedit leve vulnus acerno.
Proxima, si nimiis mittentis viribus usa
Non foret, in tergo visa est haesura petito;

325. *flammasque — hausit.* Conf. X, 252.

326. *si quem dignabitur.* Conf. IV, 326. Virg. Aen. IV, 191.

Venisse Aenean, Trojano a sanguine cretum,
Cui se pulcra viro dignetur jungere Dido.

327. Berol., Dresd., Goth. 2., IV Heins. et ed. pr. *sinunt.* Reliqui omnes *sinit.*

329. *trabibus*, arboribus. XIV, 360. *frequens trabibus*, ut IX, 106. *vorticibusque frequens.* Conf. III, 29. Her. XVI, 54.

332. *vincula*, funiculi quibus ducebantur canes ad venationem. VII, 769. — *pressa*, impressa. XI, 31.

334. *qua.* Sic Berol., Bas. 2., Goth. 1. 2., Rhen. et XV Heins. et ed. Parm. — Reliqui *quo*, quod restituimus: nam Ovidius hoc verbum fere constanter casui quarto jungit. — Berol., Goth. 2., Rhen., Vrat., nonnulli Heins. et edd. Venn. *demittere.* Vulg. *dimittere*, quod audacius dictum est.

337. *longa parvae.* Ita Urb., Vat. 1. et III Heins. Reliqui *longae parva:* frustra. nam canna brevior arundine. Colum. IV. c. 32. *gracilis et cannae similis arundo.*

339. Vetustiores (?) Heins., nonnulli (?) Naug. et margo Bas. *elisi nubibus ignes.* — Reliqui cum vett. edd. *elisus — ignis*, quod genuinum mihi videtur. Prior scriptura orta videtur e VI, 696.

Exsiliantque cavis elisi nubibus ignes.

Singulariter autem h. l locutus est, ut numerum apro accommodaret. De re ac origine fulminis vid. not. ad I, 56. XI, 436. — *excussae* i. q. alibi *concussae.* — *fertur*, cum saevo impetu procurrit.

340. *incursu*, impetu. Conf. III, 80. Leid. *impulsu.* — Virg. A. VII, 676. *dat euntibus ingens Silva locum et magno cedunt virgulta fragore.* Conf. Met. XI, 365.

341. *praetentaque.* Ita Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et aliquot Heins., quod natura rei confirmatur. Nam *praetendi* dicuntur venabula, si iis fera irruens excipitur. Vulg. *protentaque.* Her. IV, 83.

Sive tenes lato venabula cornea ferro.

342. Bas. 2. *splendentia*, ex glossa.

343. *furenti.* Unus Bon. et a 1. m. Vrat. *ruenti.* — 344. *obliquo ictu*; ex natura aprorum. — 345. *Echionio — lacerto.* Vid. v. 311.

Longius it; auctor teli Pagasaeus Iason.
„Phoebe," ait Ampycides „si te coluique coloque,
„Da mihi, quod petitur, certo contingere telo!"
Qua potuit, precibus deus annuit, ictus ab illo est,
Sed sine vulnere, aper: ferrum Diana volanti
Abstulerat jaculo, lignum sine acumine venit.
Ira feri mota est, nec fulmine lenius arsit:
Emicat ex oculis, spirat quoque pectore flamma:
Utque volat moles adducto concita nervo,
Cum petit aut muros aut plenas milite turres;
In juvenes certo sic impete vulnificus sus
Fertur, et Eupalamon Pelagonaque, dextra tuentes
Cornua, prosternit. Socii rapuere jacentes.
At non letiferos effugit Enaesimus ictus,
Hippocoonte satus: trepidantem et terga parantem
Vertere succiso liquerunt poplite nervi.

349. Syllaba anceps *it* in arsi producta, ut passim apud Nasonem. Vid. ad I, 114. Quod quia librarii fieri nollent, locum corruperunt. Nam multi Heins. et ed. pr. *itque*, vel *longius et telique auctor*. Lips. 2. *telige* q. e. *telique*. Goth. 2. *l. i. nam auctor t.* Par. 1. *l. i. lator teli*. Multi codd. cum ed. pr. etiam *Pegasaeus*. Male. Vid. ad VII, 1. — *auctor teli* est, qui mittit telum. Fast. V, 42. de Gigantibus: *Jupiter vertit in auctores pondera vastа suos.* — *Iason.* Vid. ad 301.

350. *Ampycides*, Mopsus. V. 316. Phoebum invocat, quia Phoebi sacerdos et vates. Vid. ad I, 315. — *da* cum infinitivo, ut crebro apud poetas. Apud Hor. fur sic precatur:

Da mihi fallere, da justo sanctoque videri.

Met. I, 486.

352. *qua*, quatenus, in quantum. Cf. X, 164. Cod. Bersm. *quod potuit*. Zwicc., Pal. Gbh. et multi Heins. *quam*. — Jahni omnes, Zwicc. et vett. edd. *ab illo est*. Atque ex illis conjici potest de codd. Heinsii, qui tacite *est* omisit, quod abest a Rhen.

353. *Diana*, quae ferum immiserat, itaque occidi nolebat. Vid. v. 273 sqq. — Par. 1. 2. et vulg. *ferrumque Diana*. Sed II Bersm., unus Sulm. et quidam alii Ciof., Berol., Flor., Gron. 1., Medic. 1. 3., Mor., Pal. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Vat. 1., Vrat., multi ex praestantioribus Heins. et ed. pr. *que* omittunt. Ac *Diana* primam apud Virg. quoque longam habet A. I, 499. *exercet Diana choros*, et apud Hor. Od. IV, 7, 25. et Carm. Saec. v. 70. et Prop. II, 21, 60. Conf. ad Met. VIII, 207.

356. *emicat*, intransitive. Vulg.:

Emicat ex oculis, spirat quoque pectore flammas —

nisi quod in quibusdam Naug. et vetusto cod. Regii *flamma* legitur. Cod. Bersm., Bas. 4., VIII Heins. et a m. 2. Goth. 2. *lux micat*, quod etiam Regius et Glarean., sed sine libris, annotarunt. V Heins. *spiratque e. p.* Retinui Heins. scripturam: in qua tamen verba: *lux micat*, offendunt et glossae speciem praeferunt. Legendumne: *Emicat ex oc. spiratque e p. flamma? Jahn.* Scripturam *flamma* postulat illud *emicat;* nam *lux micat* ad sententiam non aptum est, et parvam habet auctoritatem vett. librorum. Conf. 289.

357. *moles*, sc. saxea. XII, 283. *nervo*, sc. balistae, quae, ut arcus, *nervum* habebat, qui adducebatur.

359. Heinsius e Leid. et Six. dedit *vasto*, quod e III, 79. fluxisse videtur. Optima est scriptura *certo*, q. e. qui ab eo, quo tendit, non aberrat. — Monosyllabum cum vi in fine positum. Virg. A. III, 390.

— *inventa sub ilicibus sus.*

Hor.

Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

Conf. Virg. A. VIII, 83. et Met. XV, 30. 31.

360. *Eupalamos* et *Pelagon* supra non sunt nominati nec aliunde noti.

362. *Enaesimus*. Vid. v. 314.

364. *liquerunt*, defecerunt. — *nervi*, qui in poplite sunt plurimi, unde *nervosus poples* VI, 256. — *succiso*, sc. ab apro.

Forsitan et Pylius citra Trojana perisset
Tempora; sed sumto posita conamine ab hasta,
Arboris insiluit, quae stabat proxima, ramis,
Despexitque, loco tutus, quem fugerat, hostem.
Dentibus ille ferox in querno stipite tritis
Imminet exitio, fidensque recentibus armis
Actoridae magni rostro femur hausit adunco.
At gemini, nondum coelestia sidera, fratres,
Ambo conspicui, nive candidioribus ambo
Vectabantur equis, ambo vibrata per auras
Hastarum tremulo quatiebant spicula motu.
Vulnera fecissent, nisi setiger inter opacas,
Nec jaculis, isset, nec equo loca pervia, silvas.
Persequitur Telamon, studioque incautus eundi
Pronus ab arborea cecidit radice retentus.
Dum levat hunc Peleus, celerem Tegeaea sagittam
Imposuit nervo sinuatoque expulit arcu.
Fixa sub aure feri summum distrinxit arundo
Corpus, et exiguo rubefecit sanguine setas.
Nec tamen illa sui successu laetior ictus,
Quam Meleager erat. Primus vidisse putatur,
Et primus sociis visum ostendisse cruorem,
Et „Meritum“ dixisse „feres virtutis honorem.“
Erubuere viri, seque exhortantur et addunt
Cum clamore animos, jaciuntque sine ordine tela.

365. *Pylius*, Nestor. Vid. ad v. 313. — *citra Troj. tempora*, ante tempora Trojana, quod dicit, quia Nestor tribus fere aetatibus post bello Trojano interfuit, eique bello superstes fuit. 313.

366. *conamine*, impetu, incursu. — *posita ab hasta*, ab hasta telluri impressa. Conf. II, 786. — 368. *fugerat*, effugerat.

369. *dentibus etc.* Hesiod. Scut. 388. θήγει δέ τε λευκὸν ὀδόντα. Laudat Burm. Senec. I. de Orat. 1. *dentes acuuntur attritu.*

370. *recentibus*, quia modo acuerat eos. — Unus Heins. *frendensque.*

371. *Actoridae*, Euryti vel Cteati. Vid. v. 308. — Scripturam *Actoridae* tuentur cod. Bersm., IV Heins. et Goth. 2. pro v. l. — Dresd., Goth. 2. a 1. m., Par. 1. 2., Zwicc., Vrat., vetustiores Heins. plerique, ed. pr. et Ven. 2. *Orythyiae.* Lips. 1. *Aritie.* Ed. Venn. 1. et 3. *Orthiae.* Nonnulli Heins. *Orithidae.* Pal. 2. *Othryade.* Goth. 1. *Odride.* Sulm. *Orthiada.* Hamb. 1. *Ortiadae.* Thu. *Orchiadae.* Triplex igitur est scriptura; sed duae posteriores obscurae sunt.

372. Castor et Pollux (v. 300.) postea inter stellas relati sunt, eorumque sidus *Gemini* praesentissima numina navigantium. — Medic. 2., Neap. et Urb. *corpora.* III Heins. *numina.*

373. Candidi equi Tyndaridis tribui solebant; unde a Pind. Pyth. I, 127. λευκόπωλοι vocantur.

378. Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Medic., Ox., Pal. 1., Zwicc. et VIII Heins. *prosequitur.*

380. *Peleus*, frater. 309.— *Tegeaea.* 317. — 381. *sinuato*, curvato, adducto.

382. *distrinxit.* Cod. Bersm., Sulm. 1. 2., nonnulli e melioribus (?) Heins., Goth. 2., Lips. 2., Vrat. et ed. Ven. l. *destrinxit.* Sed caussa mutandi nulla apparet; immo *distrinxit* acutae sagittae effectui accommodatius videtur. Vid. not. ad Her. XVI, 275. *Distringere* est nostrum *aufschlitzen* Goth. 1. *defixit.*

385 — 387. Hic locus e v. 324. explicandus. — Goth. 2., Jun. et Ox. *Meleagros.* Cod. Bersm., VIII Heins. et ed. pr. *Meleagrus.* Reliqui *Meleager*, quod genuinum videtur.

388. *et addunt cum clamore animos*, et addunt clamando sibi animos. Conf. VII, 120. X, 665. — 389. Heinsius tacite edidit *jaciuntque*, quod II Bersm., omnes fere Ciof., Lips. 1. 2., Vrat.,

Turba nocet jactis et, quos petit, impedit ictus.
Ecce, furens contra sua fata bipennifer Arcas:
„Discite, femineis quid tela virilia praestent,
O juvenes, operique meo concedite," dixit.
„Ipsa suis licet hunc Latonia protegat armis,
Invita tamen hunc perimet mea dextra Diana."
Talia magniloquo tumidus memoraverat ore,
Ancipitemque manu tollens utraque securim
Institerat digitis, primos suspensus in artus:
Occupat audentem, quaque est via proxima leto,
Summa ferus geminos direxit ad inguina dentes.
Concidit Ancaeus, glomerataque sanguine multo
Viscera lapsa fluunt, madefactaque terra cruore est.
Ibat in adversum proles Ixionis hostem,
Pirithous, valida quatiens venabula dextra.
Cui procul Aegides „O me mihi carior," inquit
„Pars animae consiste meae! Licet eminus esse
Fortibus: Ancaeo nocuit temeraria virtus."
Dixit, et aerata torsit grave cuspide cornum.

Dresd., Goth. 1. 2., Rhen. et vett. edd. tuentur, et sequitur *jactis*. Vulg. *jactantque*. — 390. *turba*, sc. jacientium.

391. *bipennifer Arcas* est *Parrhasius Ancaeus* v. 315. De Ancaeo *bipennifero* vid. Gron. Obss. IV. c. 12. — *contra sua fata furit*, qui temeritate sua ante diem fata accelerat.

392. *quid*, quantum. Duo Medic. et unus Vat. *quam*. Conf. Lucan. III, 294.

393. *concedite*, cedite.

394. *Latonia*, Diana. Vid. v. 278 seqq.

395. Heinsius tacite novavit *hunc tamen invita*. Perperam. — *hunc*, aprum.

396. *tumidus*. I, 754.

397. *securis* et *bipennis* a poetis promiscue ponuntur. Causa in aperto est. — *ancipitem* supra *bipennifer*.

398. „*institerat digitis* pedum et quidem *in primos* (extremos eorum) *artus suspensus*." Virg. Cir. v. 212.

Tum suspensa levans digitis vestigia primis
Egreditur.

399. *occupat*, prior invadit. XII, 343. — *audentem*, animosum. Arond., Gron. 1., Medic. 2. et III alii Heins. *audacem*, quod male edidit Heins. Vid. ad v. 91. — *quaque — leto*. Conf. V, 132. Virg. Aen. XII, 507. *qua fata celerrima*. „Scilicet quia anterior abdominis pars ossibus defenditur nullis." *Gierig*.

400. Pal. 2. et III alii Heins. *in inguina*, quod temere edidit Heinsius.

401. *glomerata*, infecta, mixta, sed cum notione augendi. XIV, 212.

402. *lapsa fluunt*. Plurimi Heinsii (teste Burmanno) *lapsa cadunt*. Rhen. *l. ruunt*. Dom. *rupta cadunt*. Reliqui *lapsa fluunt*. — Berol., Briant., Cael., alter Maff., unus Sulm. et unus Vat. Ciof. *madefactaque sanguine terra est*. Cod. Bersm., Dom., unus Maff. et unus Sulm. *madefacta est terra cruore*. Vulg. *mad. terra cruore est*, nisi quod Goth. 1. et Vrat. *est* omittunt. Heinsius de suis codd. tacet.

404. *Pirithous*. Conf. v. 303.

405. *Aegides*, Theseus. V. 303.

406. *pars animae — meae*. Hor. in carmine ad navem Virgilii Od. I, 3, 8. *serves animae dimidium meae*.

407. *fortibus*, per attractionem quam vocant. Hor. Epist. I, 16, 61. *da* (mihi) *justa sanctoque videri*. A. P. v. 372.

— mediocribus esse poetis
Non homines, non dî, non concessere columnae.

Conf. infra v. 554. 693. XIII, 142. et not. ad I, 662.

408. *cornum*. Sic Par. 2., exc. Cal., Flor., Goth. 2., Medic. 1. et alius Medic. et Rhen. — Reliqui *cornu*. Ac *cornum* legendum manifestum est e loci ratione: de jaculo sive hasta enim sermo est et cornus *utilis hastae*. Conf. XII, 451. et VII, 678. Virg. Georg. II, 447. *bona bello cornus*. Habemus h. l. nomen arboris neutrius generis, cujus usus nulla adhuc reperi exempla. V. 409. scripturam *quo* tuentur Cael., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2., unus Sulm., Vrat., Zwicc., meliores Heins. et ed. pr. —

Quo bene librato votique potente futuro,
Obstitit aesculea frondosus ab arbore ramus.
Misit et Aesonides jaculum, quod casus ab illo
Vertit in immeriti fatum latrantis, et, inter
Ilia conjectum, tellure per ilia fixum est.
At manus Oenidae variat, missisque duabus,
Hasta prior terra, medio stetit altera tergo.
Nec mora, dum saevit, dum corpora versat in orbem,
Stridentemque novo spumam cum sanguine fundit;
Vulneris auctor adest, hostemque irritat ad iram,
Splendidaque adversos venabula condit in armos.
Gaudia testantur socii clamore secundo,
Victricemque petunt dextrae conjungere dextram,
Immanemque feram multa tellure jacentem
Mirantes spectant; neque adhuc contingere tutum
Esse putant, sed tela tamen sua quisque cruentant.
Ipse pede imposito caput exitiabile pressit,
Atque ita „Sume mei spolium, Nonacria, juris,“
Dixit „et in partem veniat mea gloria tecum.“
Protinus exuvias, rigidis horrentia setis
Terga, dat et magnis insignia dentibus ora.
Illi laetitiae est cum munere muneris auctor.
Invidere alii, totoque erat agmine murmur.
E quibus, ingenti tendentes brachia voce,
„Pone age, nec titulos intercipe, femina, nostros,“
Thestiadae clamant „nec te fiducia formae

Pal. 2., Par. 1. 2. et vulg. *cui*. Mendose, ut ex illo *potente* apparet.

411. *Aesonides*, Iason. Vid. VII, 1. et conf. v. 348.

412. *vertit in immeriti f.* Sic cod. Cant. — Rottend. *in immeritum fatum*. Flor., unus Pal., unus Stroz. et Thu. *vertit et immeriti fatum l.* Mor. 1. et Erf. *et immeriti* (Erf. *immeritum*) *figit l.* — Neap. *et in meritum figi Geladantem*. — Medic. 2. *et in mentum figit Geladantem*. Pal. 2. et reliqui *et in mentum figit latrantis*. Mendose, ut apparet ex versu subsequenti. — *latrans* pro substantivo, ut 344. et *tonans* I, 170.

414. *Oenidae*. Vid. ad v. 270. — *variat*, varium habet successum sive effectum.

415. *stetit*, fixa est.

416. *dum corp. versat in orbem*. Conf. IV, 723.

417. *novo — cum sanguine*. Nam jam parvum vulnus acceperat. Cf. v. 383.

419. *adversos*, sibi oppositos, contra se versos. Conf. v. 403.

421. *petunt conjungere*, ut *vicisse petunt* XIV, 571.

422. *feram*. Berol., Flor., Lov. et ed. pr. *ferum*, ut v. 382.; sed quid obstat, quo minus ibi masculino *feri* et hoc l. feminino genere *feram* scripserit; nisi supra ad *suem* referatur. — *multa tellure*, ut v. 779. *multam silvam*.

424. *cruentant*. Sic dedit Heinsius, et exhibent Bas. 1., Rhen. et V. Heins. Recte. pluralis enim praecessit et illa *sua quisque* quasi explicandi causa interposita sunt.

426. *mei juris*, quod mei juris est, mihi debetur.

426. *Nonacria*, Arcadia, h. e. Atalanta, ab Arcadiae monte Nonacri. Cf. I, 690.

427. *in partem veniat*. Conf. VII, 564. XI, 447. et II, 862. — Rhen., Vat. et unus Heins. *mihi*.

429. *dentibus*. Illos dentes, apud Tegeatas servatos, ab Augusto Romam esse translatos testis est Pausan. Arcad. p. 694. Apud eosdem Tegeatas suis temporibus etiam pellem adhuc servari tradit idem Paus. p. 691.

430. *illi*, Atalantae.

433. *titulos*, laudem. — *intercipe*. Vid. v. 292. — *nostros*. Apollod. l. l. *ἀδοξοῦντες εἰ παρόντων ἀνδρῶν γυνὴ τὰ ἀριστεῖα λήψεται, κατὰ γένος αὐτοῖς*

„Decipiat, ne sit longe tibi captus amore
Auctor!“ et huic adimunt munus, jus muneris illi.
Non tulit, et tumida frendens Mavortius ira,
„Discite raptores alieni“ dixit „honoris,
„Facta minis quantum distent!“ hausitque nefando
Pectora Plexippi, nil tale timentia, ferro.
Toxea, quid faciat dubium, pariterque volentem
Ulcisci fratrem fraternaque fata timentem,
Haud patitur dubitare diu, calidumque priori
Caede recalfecit consorti sanguine telum.
Dona deûm templis nato victore ferebat,
Cum videt exstinctos fratres Althaea referri.
Quae, plangore dato, moestis clamoribus urbem
Implet, et auratas mutavit vestibus atris.
At simul est auctor necis editus, excidit omnis
Luctus et a lacrimis in poenae versus amorem est.
Stipes erat, quem, cum partus enixa jaceret
Thestias, in flammam triplices posuere sorores;
Staminaque impresso fatalia pollice nentes,

προσήκειν λέγοντες. Nam *Thestiadae* Meleagri cognati erant. Vid. v. 304.

435. *ne sit longe tibi.* Fr. Mor. et unus Pal. *longeque tuo sit c. a.*, quod temere invexit Heinsius. Cod. Bersm., Goth. 1., Pal. 2., Rhen., Lips. 1., et pro v. l. Vrat. *tibi longe.* Dresd., Pal. 1., Vrat. et V Heins. *tibi longo.* Arond., Par. 2., Berol., Flor., Medic. 1. 3. 4., Zwicc. et XIV Heins. *longo tibi.* — *longe*, procul. Her. XII, 53.

Quam tibi tunc longe regnum dotale Crëusae.

Virg. A. XII, 52.

Longe illi dea mater erit.

Vid. not. ad IV, 649. 650. — Goth. 1. 2., Rhen., Zwicc. a 1. m. *neo sit.* Male.

436. *jus muneris*, sc. dandi.

437. *Mavortius.* Apollod. I. c. 8. 2. ἐγέννησε δὲ Ἀλθαία παῖδα ἐξ Οἰνέως Μελέαγρον, ὃν ἐξ Ἄρεος γεγενῆσθαί φασιν. Plut. Parall. p. 212. — Dom., nonnulli Ciof. et multi Heins. *fervens.* Plaut. Capt. 4, 4, 5. *nimis hercle ego illam male formidabam; ita frendebat dentibus.* Liv. XXX. c. 20. *frendens gemensque ac vix lacrimis temperans.*

443. Flor., Goth. 1., Medic. 2., multi Heinsii et ed. pr. *priori*, elegantius, quam quod reliqui libri habent *prioris.*

444. *consorti* pro fraterno, ut XI, 347. XIII, 663. et passim; sed ita ut magis universe dictum sit. — *recalfecit*, ut Fast IV, 698. A. II, 214. Similiter *porgo*, al.

445. *dona.* Cf. v. 266. et IX, 791. — *templis — ferebat.* Virg. A. IV, 217. *munera templis ferimus.*

447. Mor. 1., Zwicc., VIII Heins. et pro v. l. Goth. *ululatibus*, quod cum Heinsio novandi non idoneam video causam. — *moesti clamores*, clamores ex luctu. — *plangore dato.* Conf. v. 528. II, 346.

448. *auratas — atris.* Sic codd. Bersm. II, Sulm 1. 2. et alii Ciof., plurimi Heinsii, Berol., Goth. 2. a corr., Rhen., Lips. 1., Zwicc. et edd. Venn. — Goth. 1. a corr., Pal. 2., Par. 1. 2. et reliqui cum ed. pr. *auratis m. v. atras.* Utrumque hoc loco recte et eleganter dicitur, itaque accuratiori demum codicum collatione, utrum Ovidianum sit, dijudicari potest. Vid. VII, 60. et Bentl. ad Hor. Od. II, 16, 18.

449. *editus*, indicatus. II, 43. — *excidit.* Virg. A. I, 25.

Necdum etiam causae irarum saevique dolores
Exciderant animo.

Conf. Met. II, 602. IV, 176.

451. *jaceret*, decumberet.

452. *Thestias.* Vid. v. 304. — *in flammam.* Duo Medic., Vrat. et III Heins. *in flamma.* Berol., Goth. 2., Lips. 2., XI Heins. et ed. pr. *in flammas*, manifesta librariorum correctio. — *triplices — sorores*, Parcae. Vid. ad V, 532. Tib. I, 7, 1.

Hunc cecinere diem Parcae, fatalia nentes
Stamina.

„Tempora“ dixerunt „eadem lignoque tibique,
„O modo nate, damus.“ Quo postquam carmine dicto
Excessere deae, flagrantem mater ab igne
Eripuit ramum sparsitque liquentibus undis.
Ille diu fuerat penetralibus abditus imis,
Servatusque tuos, juvenis, servaverat annos.
Protulit hunc genitrix, taedasque et fragmina poni
Imperat, et positis inimicos admovet ignes.
Tum conata quater flammis imponere ramum,
Coepta quater tenuit: pugnant materque sororque,
Et diversa trahunt unum duo nomina pectus.
Saepe metu sceleris pallebant ora futuri,
Saepe suum fervens oculis dabat ira ruborem;
Et modo nescio quid similis crudele minanti
Vultus erat, modo quem misereri credere posses;
Cumque ferus lacrimas animi siccaverat ardor,
Inveniebantur lacrimae tamen. Utque carina,
Quam ventus ventoque rapit contrarius aestus,
Vim geminam sentit, paretque incerta duobus:
Thestias haud aliter dubiis affectibus errat,
Inque vices ponit positamque resuscitat iram.
Incipit esse tamen melior germana parente,
Et, consanguineas ut sanguine leniat umbras,
Impietate pia est. Nam postquam pestifer ignis

454. *lignoque*, h. e. stipiti. Apollod. τότε τελευτήσει Μελέαγρος, ὅταν ὁ καιόμενος ἐπὶ τῆς ἑσχάρας δαλὸς κατακαῇ.

455. *carmine*, vaticinio.

457. Exc. Jur., II Bas., Berol., I Leid. et Vat. Ciof. *torrem*. Vulg. *ramum*, quod genuinum videtur. Scriptura *torrem* fluxisse videtur e v. 512.

459. *servatus*, et cum servatus ab igne esset.

460. Heinsius e III tantum codicibus nescio quibus edidit inelegantem sane scripturam *taedasque in fragmina*.

463. *tenuit*, inhibuit. — *pugnant materque sororque*. Vid. v. 508. et not. ad VI, 629. — Scripturam *pugnant* exhibent cod. Bersm., Berol., Goth. 2., Rhen., Ox., Zwicc. et X Heins. Vulg. *pugnant*, minus concinne. Vid. ad v. 327.

464. *et diversa* refertur ad *nomina*. nam sensus est: *et duo diversa nomina unum pectus trahunt:* zerren an einem Herzen. Cf. v. 471. Mor. et a 2. m. Goth. 2. *in diversa*, quod temere invexit Heinsius.

466. *suum*, qui irae esse solet, Irae proprium. — Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1., unus Vat. Ciof., Zwicc. et ed. pr. *colorem*. Pal. 2., Lips. 2. et unus Vat. Ciof. *furorem*. Nonnulli Heins. *furorem, calorem, pudorem, dolorem*.

469. *lacrimas* ex miseratione et sensu materno. nam *ferus animi ardor* est *ira ardens*.

470. *inveniebantur*, proveniebant, fluebant.

471. *aestus* fluctuum, *die Brandung*.

472. *incerta*, i. e. dubia.

473. *dubiis*, sc. matris ac sororis. — *errat*, fluctuat.

474. *ponit positam*. Conf. v. 651. I, 33. 402. II, 768. IV, 64. IX, 504. 74. et not. ad Trist. III, 6, 11. — Bersm., Medic. et Rhen. tuentur *inque vicem*. Multi Heins. *perque vicem* v. *vices*. Berol., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 2., Vrat. et Zwicc. *perque vices*. Reliqui omnes cum vett. edd. *inque vices*. Ad rem conf. v. 491. 509. XII, 30. Trist. I, 7, 17.

Utque cremasse suum fertur sub stipite natum
Thestias et melior matre fuisse soror.

476. *sanguine* noxiorum parentari interfectorum umbris credebatur. Si autem verbis *consanguineas* et *sanguine* ludere voluit, ineptiit. *Gier. leniat*. 483. *pianda est*.

477. *impietate pia*. III, 5. VII, 339. —

Convaluit, „Rogus iste cremet mea viscera," dixit;
Utque manu dira lignum fatale tenebat,
Ante sepulcrales infelix adstitit aras,
„Poenarumque deae triplices, furialibus," inquit
„Eumenides, sacris vultus advertite vestros.
Ulciscor facioque nefas: mors morte pianda est;
In scelus addendum scelus est, in funera funus:
Per coacervatos pereat domus impia luctus!
An felix Oeneus nato victore fruetur,
Thestius orbus erit? Melius lugebitis ambo.
Vos modo, fraterni manes animaeque recentes,
Officium sentite meum, magnoque paratas
Accipite inferias, uteri mala pignora nostri! —
Hei mihi, quo rapior? Fratres ignoscite matri!
Deficiunt ad coepta manus. Meruisse fatemur
Illum, cur pereat; mortis mihi displicet auctor. —
Ergo impune feret, vivusque et victor et ipso
Successu tumidus regnum Calydonis habebit;
Vos cinis exiguus gelidaeque jacebitis umbrae?
Haud equidem patiar; pereat sceleratus et ille,
Spemque patris regnumque trahat patriaeque ruinam! —
Mens ubi materna est? ubi sunt pia vota parentum,
Et, quos sustinui menses bis quinque labores?

pestifer ignis sc. rogi, quo caesi fratres comburerentur.

478. *mea viscera*, filium meum. V, 18. — *rogus* autem graviter et commode vocatur illa lignorum strues, quae cum stipite etiam filium perditura et quasi crematura erat. — Rhen. et plurimi (?) Heins. *concaluit*.

480. *sepulcrales aras*. Cf. v. 460.

481. *poenarum deae triplices*, Eumenides. — *furialia sacra* sunt sacra vindictae. Vid. ad IV, 451.

486. Arond. et V alii Heins. *fruatur*. Bersm. et Mor. *feretur*. Gron. *feratur*. Her. II, 79.

Illa, nec invideo, fruitur meliore marito.

De futuri usu in hoc affectu vid. v. 494. et Trist. III, 3, 36 seqq.

488. *animaeque recentes*. Vid. ad IV, 434. — 489. *magno*, ut supra *magno* constans, sc. pretio.

490. *inferias*. Vid ad VI. 570.

491. Nonnulli Ciof. et Heins. codices, Dresd. et Zwicc. *heu*. — *ignoscite*. Causa cur ignoscant, subsequitur.

493. *auctor*, sc. quae (sive qui) ego ipsa sum.

495. *Calydonis*. Vid. v. 270. — *tumidus*. Vid. ad V, 305. — 496. *cinis exiguus*. Conf. XII, 615.

497. Alii distinguunt *pereat sceleratus: et ille spemque etc.* Male. *vos.. jacebitis umbrae..; pereat sceleratus et ille*.

498. Hamb. 2. et II Heinsii *regnique*. — *trahat. trahere spem* sumtum ab eo, qui cadens secum aufert aliquid, unde ruina oritur. *Gier*. Conf. IX, 579.

499. *pia vota parentum*, sc. qui salvos et superstites esse filios cupiunt. Burmannus novavit *ubi nunc;* parum concinne et repugnantibus vett. libris plerisque omnibus. Conf. XIII, 340. — Cod. Bersm., Par. 2., Flor., Medic. 1. 2. 3., Neap., Thu. et complures alii Heins. *pia jura*.

500. *mensum*, pro *mensium*, defendit Priscian. VII. c. 16. §. 77. Fast. V, 187.

— cedantque tibi confinia mensum.

V, 424.

Nec tu dux mensum, Jane biformis, eras.

Conf. Met. I, 150. Sed cod. Bersm., Dresd., Goth. 1., Pal. 2., Par. 1., Lips. 2., Twisd. 1. 2., Urs., Zwicc. et deteriores Heins. *menses bis quinque*. Alter Bersm., Briant., Goth. 2., I Vat. Ciof. et vett. edd. *bis menses quinque*. Lips. 1. et Vrat., *mensum bis quinque*.

O utinam primis arsisses ignibus infans,
Idque ego passa forem! — Vixisti munere nostro,
Nunc merito moriere tuo. Cape praemia facti,
Bisque datam, primum partu, mox stipite rapto,
Redde animam, vel me fraternis adde sepulcris. —
Et cupio, et nequeo. Quid agam? Modo vulnera fratrum
Ante oculos mihi sunt et tantae caedis imago,
Nunc animum pietas maternaque nomina frangunt. —
Me miseram! Male vincetis; sed vincite, fratres:
Dummodo, quae dedero vobis, solatia vosque
Ipsa sequar!" Dixit, dextraque aversa trementi
Funereum torrem medios conjecit in ignes.
Aut dedit, aut visus gemitus est ille dedisse
Stipes, et invitis correptus ab ignibus arsit.
Inscius atque absens flamma Meleager ab illa
Uritur, et caecis torreri viscera sentit
Ignibus, ac magnos superat virtute dolores.
Quod tamen ignavo cadat et sine sanguine leto,
Maeret, et Ancaei felicia vulnera dicit;
Grandaevumque patrem fratresque piasque sorores

Meliores (?) Heins., Par. 2. et reliqui qui sunt perpauci, *bis mensum quinque*. Sed *menses bis quinque* majorem habet auctoritatem a vetustis libris. *bis quinque menses* autem intelligendi lunares menses. Virg. Ecl. IV, 61.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Conf. Met. IX, 286. X, 296. Vid. A. Gell. N. Att. III. c. 16.

501. *primis — ignibus*. Vid. v. 450 — 457.

502. *idque ego passa forem*. sed non passa erat, sed stipitem ab igne eripuerat. 457.

503. *merito — tuo*, culpa tua, sc. caede fratrum meorum.

505. *vel me frat. adde sepulcris*. Conf. VII, 618.

506. „*et cupio et* (tamen) *nequeo*." Conf. XIV, 279. 215. X, 371. Vid. not. ad Trist. V, 7, 57.

507. II Heins. *tantae cladis*. — Dresd. *stant*, ut XII, 429.

508. *frangunt*, flectunt, vincunt. Her. I, 86. *Ille tamen pietate mea precibusque pudicis Frangitur*, ubi Burmannus laudat I, 355.

509. *male*, quod malum s. damnum mihi est, s. in malum meum.

510. *solatia*, filium quem in solatium vestrum cremaro. *Gierig*.

511. *aversa*, ne ipsa suum facinus videat. Conf. VII, 342.

512. *funereum*, exitiosum, fatalem filio. 451.

514. *invitis*, tale alimentum abominantibus.

515. Goth. 2., Lips. 2., Rhen., V Heins. *in illa*. Reliqui omnes *ab illa*, q. e. per illam, per vim illius. — *inscius*, nil de stipite illo et quid mater struat sciens. — De illo *absens* cf. XI, 700. — Goth. 2., Rhen., Stat., Vrat. et nonnulli Heins. *Meleagros*. Edd. vett. *Meleagrus*. Cael., Sulm. 1. 2., Pal. 2. et reliqui *Meleager*.

516. *caecis — ignibus*. Conf. III, 490.

517. Dresd. et II Heins. *at magnos*. Berol. et multi (?) Heins. *et magnos*.

518. *quod tamen — leto*. Conf. VII, 544. et IX, 163 sqq. — *sine sanguine* pro adjectivo est. Cf. I, 26. — Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et multi Heins. *sine vulnere*.

519. *Ancaei*. Vid. v. 401. et 402. Goth. 1. 2. et meliores Heins. *dixit*.

520. *fratres* Meleagri memorantur Toxeus, Thyreus et Clymenus. Apollod. I. c. 8. Hyg. F. 171. Alii quinque habent. Sorores sunt Gorge, Deïanira, Eurymede et Melanippe, quarum duae posteriores post Meleagri mortem in aves mutatae sunt. — Heinsius tacite edidit *fratremque*, quod nec codices nec vett. edd. confirmant.

Cum gemitu sociamque tori vocat ore supremo,
Forsitan et matrem. Crescunt ignisque dolorque,
Languescuntque iterum, simul est exstinctus uterque,
Inque leves abiit paullatim spiritus auras,
Paullatim cana prunam velante favilla.
Alta jacet Calydon; lugent juvenesque senesque,
Et vulgus proceresque gemunt; scissaeque capillos
Planguntur matres Calydonides Eveninae;
Pulvere canitiem genitor vultusque seniles
Foedat humi fusus, spatiosumque increpat aevum.
Nam de matre manus, diri sibi conscia facti,
Exegit poenas acto per viscera ferro.
Non, mihi si centum deus ora sonantia linguis,

521. *sociamque tori*, Alcyonen. Hom. l. l. v. 552. — 522. *ignis*. flammae stipitis et una cum iis dolor Meleagri.

525. Goth. 2., Par. 1. et Rhen. *prunam cana*. Ceterum hunc v. non habent Planudes et cod. Pal. 1. In uno Bon., Hamb. 2., Urb. et fragm. Theat. in margine tantum adscriptus est. Sed ingenium Ovidianum prodit, neque alia nota suspectus est, quam quae a codicum testimonio repetitur. *Jahn*. Rogus et dolor Meleagri simul primum crescunt, tum languescunt, denique exstinguuntur. Ut autem *paullatim* prunae rogi favilla obductae sunt, *paullatim* etiam anima Meleagrum reliquit. Ex consilio igitur repetiit poeta *paullatim*. *Jahn*.

526. *jacet*, afflicta est.

527. Goth. 1. 2., Rhen., II Vat. Ciofani, et Vrat. *vulgusque proceresque*, quod tacite edidit Heinsius. Dresd. et Zwicc. *vulgusque et proceres*. Reliqui *et vulgus proceresque*. — *scissae capillos*. I, 332. De re conf. IV, 546.

528. *planguntur*, plangunt se, h. e. lacertos, ora, pectora. Conf. XI. 75., V, 675. et VI, 248. II, 584. — *Calydonides Eveninae*. Calydon sita erat ad Evenum fluvium. IX, 104. Plin. H. N. IV. c. 2. Marpissa Εὐηνίνη est apud Hom. Il. IX, 553. Her. VI, 103. *Phasias Aeëtine*, ubi vid. not. — De spondeo in quinto pede vid. ad I, 62. Ceterum hic versus in codd. mire corruptus est. Cod. Bersm., omnes Ciof., plurimi Heins., Dresd., Goth. 1., Pal. 2., Par. 1., Zwicc. et edd. Venn. et Ald. *plangunt ora simul matres Calydonides heu heu*. Berol., Goth. 2., Rhen. et Vrat. *ora simul plangunt matres Cal. heheu* (Berol. *heu*. Vrat. *euheu*). Medic. 2. 4., Pal. 1., Lips. 2., fragm. Theat. et Urb. *plangunt se matres Cal. heuheu* (Lips. 2. *he heu*). Lips. 1. *plangebant m. C. heuhoe Bache*. Ed. pr. *plangunt se m. C. Eneus heheu*. Par. 1. 2., pro v. l. fragm. Theat. et II Heins. *plangunt hunc m. C. Oeneus atque*. Neap. *plangunt ora m. Calydonis Oeneu*, sed *Oeneu*, *ora* et *Cal.* a rec. m. in litura scripta et super *ora* adscriptum *simul*. Unus Bas. et unus Bonon. *plangunt matres Calidonides enheoche* (Bonon. *Hemoniaeve*). Gron. 1. pro v. l., Spir. et Arond. *plangebant m. Calydonides Euveive*. Spir. *Euveninae*, Arond. *Euveniaeque* cum gl. *Euveniae matres* i. e. *habitantes juxta Evenum fl.* Med. 1. *plangunt matres Cal. Euveniae*. Quidam codd. Viv. et Flor. *plangunt hunc matres Cal. Eveniaeque*, nisi quod in Flor. posterius *n* in *Eveninae* erat abrasum cum gl.: *Evenus est fl.*; *inde sunt dictae Eveniae matres*. Erf. 1. *plangunt se m. Cal. Eunenynae*. Fr. Mor et unus Pal. *plangebant m. Cal. Aoniaeque*.

529. *pulvere etc.* Et hoc signum magni luctus apud veteres poetas saepe memoratur. Catull. LXIV, 224.

Canitiem terra atque infuso pulvere foedans.

Virg. A. XII, 611.

Canitiem immundo perfusam pulvere turpans.

531. *nam* facit transitum ad fatum Althaeae. Cf. VI, 271. — Cod. Bersm., Bas. 3. et 2. in marg., Cant., Erf. 1., Goth. 1., Lips. 1., complures Heins. et alii libri apud Regium: *nam mater manibus;* ab invenustis correctoribus. Lov., unus Strozz. et unus Pal. *nam materna manus*.

533. *non, mihi si centum etc.* apud poetas, rem summae gravitatis narraturos, frequens oratio, duce Hom. Il. II, 488. Vid. Virg. Georg. II, 43. et not.

Ingeniumque capax totumque Helicona dedisset,
Tristia persequerer miserarum dicta sororum.
Immemores decoris liventia pectora tundunt,
Dumque manet corpus, corpus refoventque foventque;
Oscula dant ipsi, posito dant oscula lecto.
Post cinerem cineres haustos ad pectora pressant,
Affusaeque jacent tumulo, signataque saxo
Nomina complexae, lacrimas in nomina fundunt.
Quas, Parthaoniae tandem Latonia clade
Exsatiata domus, praeter Gorgenque nurumque

Trist. I, 5, 53. Ridet hanc poetarum consuetudinem Persius Sat. V, 1.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora et linguas optare in carmina centum:
Fabula seu moesto ponatur hianda tragoedo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum —

Ac vituperandus est in hac re Naso quoque, qui illud in re leviori adhibuit. sed causam quaerebat, cur sorores mutatae essent; hinc augenda erat doloris imago. — Par. 2., Flor. et Neap. *linguae*, quod prave invexit Heinsius.

534. *Helicona*, ubi Musarum sedes. II, 219. *totum Helicona* igitur pro *omnem sapientiam*.

535. Neap. et VII Heins. *proseq.* — *dicta* exhibent cod. Bersm., Lips. 1. et meliores Heinsii. Reliqui *vota*, parum apte ad sententiam.

536. *pectora tundunt*. Vid. ad v. 528. — *liventia* per prolepsin, nam est pro *ut liveant*.

537. *dum corpus manet*, non crematum et insepultum est. *refoventque foventque*. Amat Naso hunc modum loquendi. Vid. ad II, 409. et conf. not. ad Trist. I, 7, 6. De verbo *fovent* cf. II, 339. — Cod. Bersm., Cant., Lips. 1., Thu. et X. Heins. *tenentque*.

539. *post cinerem*, postquam crematum est. — Medic., Vat. et II alii Heins. *post cineres*, ut Pont. IV, 16, 3.

Famaque post cineres major venit —

Sed nihil mutandum. — *haustos*, lectos sive collectos, ut IX, 35. XIII, 425.

— tamen unius hausit
Inque sinu cineres secum tulit Hectoris haustos.

Conf. Stat. Silv. V, 3, 33. — Duo Bersm., Bas. 3., Berol., Briant., Dom., Dresd., Lips. et multi e melioribus Heins. *versant*. Stat. Silv. VIII, 129.

Cui cinerem orbatae pressant ad pectora matres.

qui locus ex nostro loco videtur expressus. Ad rem conf. etiam II, 338.

540. *signataque saxo Nomina*. IX, 566.

Protinus impressa signat sua crimina gemma.

Goth. 2. a 1. m., Leid. 3. et alter Thu. *signataque saxa nomine*, ex II, 326. 327. De re conf. IX, 793. 794. et II, 338. 339. — De illo *affusae* conf. IX, 366. et III, 438. Cant., Ox. et IX alii Heins. *effusae*.

541. Cod. Bersm., Goth. 2., Leid. 2., Par. 1. et alter Thu. *in nomine*. Reliqui omnes *in nomina*, quod etiam elegantius dicitur de *nomina complexis*: De illo *nomina complexae* conf. II. 339. et vide, quae notavi ad Her. XI, 125.

542. *Latonia*, Diana; namque Dianae ira omnes illae clades super Oenei domum venerant. Vid. v. 272 seqq. — *Parthaoniae — domus*, Oenei; nam Oeneus filius erat Parthaonis. IX, 12. — *Latonia* autem dedi cum omnibus vett. libris. Heinsius tacite edidit *Letoïa*. Scripturam *quas Parthaoniae* tuentur Thu., II Pal., II Leid., III Medic. unus Heins. et a 1. m. Flor. et Neap.; Lips. 2. *quas percenie t.* — Cod. Bersm., Berol., Par. 2., Pal., Goth. 2., nonnulli Heins. et a rec. m. Flor. et Neap. *quas post* (Bersm. *per quas*) *Aoniae* (Goth. 2. *Archoniae*). Ed. pr., Zwicc., Goth. 1. *quas postquam Oeneae*. Reliqui fere omnes *quas post Oeneae* vel *Oeniae*.

543. *Gorge*. Vid. ad v. 520. *Deïanira* soror Gorges nupserat Herculi et sic erat *nurus* Alcmenae, matris Herculis. IX, 276. Hyg. F. 174. *At sorores ejus* (Meleagri), *praeter Gorgen et Deïaniram, flendo deorum voluntate in aves sunt transfiguratae, quae Meleagrides* (Perlhühner) *vocantur*. — Berol. et a 1. m. Dresd. *exsaturata*.

Nobilis Alcmenae, natis in corpore pennis
Allevat, et longas per brachia porrigit alas,
Corneaque ora facit, versasque per aëra mittit.
Interea Theseus, sociati parte laboris
Functus, Erechtheas Tritonidos ibat ad arces;
Clausit iter fecitque moras Achelous eunti
Imbre tumens. „Succede meis“ ait „inclyte, tectis,
„Cecropida, nec te committe rapacibus undis:
Ferre trabes solidas obliquaque volvere magno
Murmure saxa solent. Vidi contermina ripae
Cum gregibus stabula alta trahi, nec fortibus illic
Profuit armentis nec equis velocibus esse;
Multa quoque hic torrens, nivibus de monte solutis,
Corpora turbineo juvenilia vortice mersit.
Tutior est requies, solito dum flumina currant
Limite, dum tenues capiat suus alveus undas.“
Annuit Aegides „Utarque, Acheloë, domoque
„Consilioque tuo,“ respondit, et usus utroque est.
Pumice multicavo nec laevibus atria tophis

545. *adlevat*, leves fecit, aves esse jussit. Claudian. XVIII, 295.

Elevat hanc plumis, squamis hanc fabula vestit.

per brachia, super brachia, ut supra.

547. *Quinque nymphae Naïades ira Acheloi fluvii, quem colere neglexerant, in totidem insulas, Echinades dictas, mutantur.* Strab. X. p. 453. Plin. H. N. II. c. 85. Pausan. Arcad. p. 647.

547. *sociati parte laboris*, sc. in venatione apri Caledonii. Vid. v. 270. — Nondum dimittit Thesea, sed plures rebus ejus fabulas adnectit, quanquam non satis feliciter. Etenim Acheloum, qui e Pindo effusus ab occasu Aetoliam dirimebat ab Acarnanibus, objicit Theseo Calydone Athenas revertenti. *Gier.* Sed haec apud poetam non nimis urgenda sunt.

548. *Erechtheas* arces, Athenienses, ab Erechtheo (vid. ad VI, 677.) Atheniensium rege. Conf. v. 48. — *Tritonidos*, Minervae. Vid. VI, 70 seqq. Duplici igitur modo significat Athenas, ab antiquitate et a religione. — Vrat., Pal. 2., Gron. 1., Mor. 1., exc. Mur., Pal. 2. et XII alii Heins. *Erichthonias*. Cf. VII, 430.

549. Achelous fl. Graeciae qui Pindo ortus Aetoliam et Acarnaniam interfluit et in mare Ionium exoneratur.

551. *Cecropides* pro Atheniensi a Cecrope, antiquo Ath. rege. Vid. ad II, 555. *Cecropida* ultima syllaba producta, ut IX, 213. X, 464. Conf. V, 242. et Bentl. not. ad Hor. Sat. II, 3, 187. Atque hanc scripturam exhibent cod. Bersm., Par. 2., Flor., Gron. 1., Medic. 1. 3. 4., Mor. 1., Rhen. et VI Heins. — Reliqui cum vett. edd. *Cecropide*, nisi quod Dresd., Vrat. et Zwicc. *Cicropide*, quod genuinum videtur. Vid. not. ad VII, 798.

552. *ferre*, abripere vel *trahere*, ut est v. 554. — *obliqua*, torrenti opposita et medio in alveo jacentia.

554. *nec fortibus*. Vid. ad v. 407. 692. De re conf. I, 305.

558. *dum*, donec. Conf. IX, 95. XIII, 410. *solito dum fl. currant etc.* Conf. IX, 94. XIII, 440.

559. *tenues*, minores, haud magnas. Alter Bersm., Lips. 2. et III Heins. *capiet*. Dresd., Zwicc. et multi ex vetustioribus Heinsii *captat*, quod ortum videtur e scr. *capiat*, quam exhibent cod. Bersm., Par. 2., Medic. 2. et X Heins. Nam vulg. *captet*. Mendose. — *suus*, a natura iis *assignatus*. VI, 489.

560. *Aegides*, Theseus. VII, 402 seqq. — *utarque* Berol., Rhen. et meliores (?) Heinsii. Reliqui omnes *utorque*, quod mihi verum videtur.

562. *nec laevibus*, h. e. asperis. De fluviorum antris conf. I, 574. et III, 159 seqq. Virg. Georg. IV, 374. *pendentia pumice tecta*. Fast. II, 315.

Structa subit: molli tellus erat humida musco;
Summa lacunabant alterno murice conchae.
Jamque duas lucis partes Hyperione menso,
Discubuere toris Theseus comitesque laborum,
Hac Ixionides, illa Troezenius heros
Parte, Lelex, raris jam sparsus tempora canis,
Quosque alios parili fuerat dignatus honore
Amnis Acarnanum, laetissimus hospite tanto.
Protinus appositas nudae vestigia nymphae
Instruxere epulis mensas; dapibusque remotis
In gemma posuere merum. Tum maximus heros,
Aequora prospiciens oculis subjecta, „Quis" inquit,
„Ille locus?" digitoque ostendit, et „Insula nomen
„Quod gerat illa, doce: quanquam non una videtur."
Amnis ad haec „Non est," inquit „quod cernimus, unum;
„Quinque jacent terrae: spatium discrimina fallit.
Quoque minus spretae factum mirere Dianae,

Antra subit, tophis laqueataque pumice vivo.

564. *lacunabant.* Ita unus et alter Heins., Dresd. a corr., Bas. 4. a 1. m. et Bas. 1. in marg., Goth. 2. pro v. l., Par. 2., Rhen. et edd. Venn. 2. — Omnes fere Heins. *lacus nabant* v. *lacu nabant.* Reliqui codd. et vett. edd. *lacus nabant.* Eleganter ab Ovidio novata vox, pro *lacunar efficiebant.*

565. *Hyperion* h. l. ipse Sol; IV, 192. et 241. est Solis filius. Vid. ad I, 10. — *menso.* Conf. IX, 448. IV, 226. — *duas partes.* Horam diei nonam designat, qua etiam apud Rom. coenae initium.

567. *Ixionides*, Pirithous. Vid. v. 303. Cur autem Lelex, qui supra 312. *Narycius* vocatur, etiam ab Argolica urbe Troezene *Troezenius* appelletur, nondum satis exploratum est. Fortasse inde, quod *Troezen* altera ejus patria fuit. Conf. v. 624.

568. *sparsus — canis.* Pont. I, 4, 1. *Jam mihi deterior canis aspergitur annis.* Conf. XV, 211. — Alter Bersm., plurimi ex vetustioribus Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Vrat., Pal. 2., Rhen., Lips. 1. 2. *parvis.* Pal. 1. *parcis.* V Heins. *paucis.* — *canis* autem pro substantivo, ut XV, 211.

569. *quosque alios.* Conf. XV, 867.

570. *hospite tanto*, Theseo. Conf. 551. VII, 433. — *amnis Acarnanum.* Vid. ad v. 549.

571. *nudae vestigia*, accus. qui vocatur Graecus. I, 332. *Vestigia* h. l. pro *pedibus* vel *plantis.* IV, 343. Erat autem ἀνυποδησία reverentiae signum. Vid. Spanhem. ad Callim. Cer. 125. Et de hoc ministerio vid. ad IX, 89. — Permulti Heins. *appositis.*

573. *in gemma.* Conf. VI, 488. Virg. G. II, 506. *ut gemma bibat.* — II Bersm., Dresd., Berol., Goth. 2. et Zwicc. *tunc.*

574. *aequora prospiciens.* Echinades insulae sitae sunt ante Acheloi ostia, ac domus Acheloi supra descripta ad ipsius ostium erat. Hinc prospicere ex ea insulas illas poterat.

576. *quod gerat.* Sic II Bersm., plerique (?) Heins., Dresd., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et ed. pr. — Reliqui *quod gerit*, quod et ipsum ferri potest, modo directam quam vocant interrogationem intelligas: *Quis ille locus est, et insula quod gerit illa nomen; doce etc.* Sed prior scriptura simplicior est.

578. *spatium discrimina fallit*, distantia efficit, ut singulas et discretas discernere non possis. De illo *fallit* conf. VI, 60. — Scripturam *spatium d. fallit* tuentur Lov., II Bersm., Berol., Goth. 1., Par. 2., Lips. 1., plurimi Heins. et vett. edd. Urb. *discrimine.* Multi e vetustioribus Heinsii, Pal. 2., Par. 1. et vulg. *spatii discrimina fallunt*, quod et ipsum locum habere potest, ut *spatii discrimina* pro *spatium distans* accipiatur.

579. *factum Dianae*, sc. immissi illius apri Calydonii. — De constructio-

Naïdes hae fuerant. Quae cum bis quinque juvencos
Mactassent rurisque deos ad sacra vocassent,
Immemores nostri festas duxere choreas.
Intumui, quantusque feror, cum plurimus, unquam,
Tantus eram, pariterque animis immanis et undis
A silvis silvas et ab arvis arva revelli,
Cumque loco nymphas, memores tum denique nostri,
In freta provolvi. Fluctus nosterque marisque
Continuam diduxit humum, partesque revellit
In totidem, mediis quot cernis Echinadas undis.
Ut tamen ipse vides, procul, en, procul una recessit
Insula, grata mihi; — Perimelen navita dicit.
Huic ego virgineum dilectae nomen ademi:
Quod pater Hippodamas aegre tulit, inque profundum
Propulit e scopulo periturae corpora natae.
Excepi, nantemque ferens „O proxima terrae
„Regna vagae“ dixi „sortite tridentifer, undae,
„In quo desinimus, quo sacri currimus amnes,
Huc ades atque audi placidus, Neptune, precantem!

ne illa: *quoque minus — mirere, fuerant.*, conf. v. 622.

581. *rurisque deos.* Vid. ad I, 193. — *ad sacra voc.* Vid. ad v. 265.

582. *choreas duxere*, species pro genere; nam significare voluit *festum egere.*

583. *cum plurimus.* Virg. A. VI, 659.

Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.

feror cum notione violentiae.

584. *animis*, ira, furore. Heinsii inutilis conjectura est: *animos immanis et undas.*

585. *revelli.* Ita cod. Bersm., Arond., Par. 2., Berol., Dom., Flor., Medic. 1., Neap., Spir., X Heins. et ed. pr. — Nonnulli Ciof., Pal. 2. et reliqui cum edd. Venn. *revulsi.* Conf. IX, 86. XI, 38. XII, 300. Her. VI, 104.

587. *provolvi.* Virg. A. X, 555. *truncumque provolvens.*

588. *continuam*, cohaerentem. — *diduxit* h. e. distraxit, quod postulat sententia, Heinsius tacite recepit, et confirmatur Rhen., Lips. 2., Sulm. 1. et a var. scr. Vrat. Nam cod. Bersm., Sulm. 2., Stat., II Vatt. et alii Ciof., Pal. 2., Vrat. et vulg. *deduxit.* — Scripturam *partesque* et sensus natura confirmat et cod. Bersm., Arg. 1., Bon. 1., Berol., Dresd., Pal. 2. et III Heins. Reliqui *pariterque.* — Pro scriptura *revellit* Medic. 4. et pro v. l. Rott. *resolvit.* Cant. et Gron. 1. *revolvit.* Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. et multi Heins. *revulsit.*

589. *in totidem*, in quinque. Vid. v. 578.

590. *Perimele, Hippodamantis filia, quum vim passa esset ab Acheloo, a patre in mare praecipitata fluvii precibus a Neptuno in insulam prope Echinadas transformatur.*

590. *recessit*, remota jacet. Conf. I, 177. — De illo *procul*, *en*, *procul* conf. XV, 587.

591. *navita dicit.* Conf. IX, 229. Berol., Zwicc. et vett. edd. *Perimelem.* Dresd. et Lips. 1. *Perimelē.*

594. *periturae*, ut periret. — Berol., unus Leid., Rhen. et alter Twisd. *pariturae.* — De plurali illo *corpora* in uno homine conf. I, 527.

595. *proxima terrae.* Unus cod. Mar. Accurs. et unus Medic. *proxima coelo.* Sed recte observat Jahn: non intelligendum est Neptuni regnum sorte Jovis regno proximum (IV, 532), sed quod terrae continenti contiguum et conterminum est. II Bersm. et aliquot apud Mar. Accurs. *mundo.* Multi vetustiorum Heins., Berol., Par. 2. et ed. pr. *mundi.* Perperam. — 596. *sortite.* Vid. V, 368. — *tridentifer.* I, 283. — *vagae*, liberioris, ripis non coërcitae, ut fluvii. I, 42.

597. *sacri* additum, ad conciliandam gravitatem.

598. Gron. 1. et Jun. *vocantem.*

Huic ego, quam porto, nocui. Si mitis et aequus,
Si pater Hippodamas, aut si minus impius esset;
Debuit illius misereri, ignoscere nobis;
Cui quondam tellus clausa est feritate paterna,
Affer opem, mersaeque, precor, feritate paterna
Da, Neptune, locum, vel sit locus ipsa licebit.
Hunc quoque complectar!" Movit caput aequoreus rex
Concussitque suis omnes assensibus undas.
Extimuit nymphe; nabat tamen. Ipse natantis
Pectora tangebam trepido salientia motu.
Dumque ea contrecto, totum durescere sensi
Corpus, et inducta condi praecordia terra:
Dum loquor, amplexa est artus nova terra natantes,
Et gravis increvit mutatis insula membris.
Amnis ab his tacuit. Factum mirabile cunctos

599. *quam porto*, sc. in undis meis. Vid. 595. *excepi, nantemque ferens.* — *nocui* explicatur versu 592. — Berol., Cant., Dresd., Lips. 2., plurimi Heins. et edd. Venn. *sis mitis.* Mendose.

601. Goth. 1. et codd. Heins. ut videtur multi et vett. edd. *misereri et ignosc.* Sed II Bersm. et reliqui nostri libri *et* non agnoscunt, praeter Lips. 2., in quo legitur: *debuit illis| misereri et debuit ig. n. Jahn.*

602. Hic versus in codd. fere omnibus et vett. edd. legitur. In cod. Lips. 2. repetitus est etiam v. 596. locusque sic scriptus:

Cui quondam tellus clausa est.
feritate paterna
Regia vage dixi sortite tridenti-
fer undae
Affer opem miseraeque precor fe-
ritate paterna
Da Neptune locum.

Cod. Berol., unus Voss. et ed. pr. versum: *cui quondam*, non agnoscunt; atque in uno Gron. in margine tantum scriptus est. — Mor. 1., Pal. 2. et VIII Heins. omittunt vsm.: *Affer opem*, quem Zwicc. in margine tantum habet. In Franc. desunt vss. 599 — 601. *a. b.*, 602. 603. A Par. 1. absunt vss. 597 — 601.; sed secunda manus eos una cum v. 601. *b.*: *cui quondam*, in marg. adscripsit. In Par. 2. iidem vss. cum 601. *b.* uncis inclusi sunt. In Lips. 1. hoc ordine leguntur: 596. 602. 603. 597. 598. 599. 600. 601. *a. b.*, 604. Pal. 2. versum: *Cui quondam*, habet, sed versum: *Affer opem*, omittit, et post v. 597. alia manus in marg. addidit versus 601. *a.* et 603.: *Debuit*, et *Affer.* In Vrat. v. 597. obelo notatus et post eum versus sic se excipiunt: 603. 604. 597. 598. 599. 600. 601. 602. 605. Omnes frustra. Nam versus *Cui quondam* (q. e. *nuper*) librorum veterum auctoritate satis superque confirmatur et aptissimus est ad sensum.

603. *feritate paterna.* Vid. v. 593.

604. *locus.* Innuit quod facta est insula. — 605. *complectar.* Conf. v. 734. et I, 555. Ambiguum est h. l. *complectar;* quia et de *amplexibus* et de fluvii fluctibus terram cingentibus accipi potest: quod tamen poeta judicio posuit, quippe ejusmodi acumina amans. Vid. ad v. 666. — Par. 2., Zwicc. et plurimi e vetustioribus Heinsii *hanc quoque.* inepte. — *movit*, sc. annuens.

606. *concussitque etc.* Conf. v. 784. et I, 179. 180. — 609. *contrecto.* XX Heinsiani *complector.* II Leid., Dresd., Goth. 1., Zwicc. et edd. Venn. *contracto.* — *totum.* Unus Six. *tactum.* — 610. *inducta.* Vid. ad I, 263. — II Bersm., omnes (?) fere Heins., Dresd., Pal. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et ed. pr. *inductis terris.*

611. Sententia totius loci a v. 606. est talis: „*Dum pectus contrecto, totum corpus durescere sentio, atque* (primum quidem) *terra pectus obduxit,* (tum vero citissime) *dum loquor,* so lange ich's erzähle, *reliquas* corporis partes; et e corpore insula facta est." Haec Jahn. Verborum autem abundantia et transformationis per partes enarratio vere Ovidiana est.

613. *Jupiter et Mercurius humana forma Phrygiam peragrantes ab opulentioribus hospitio exclusi, a Philemone et Baucide pauperculis conjugibus hospitaliter accepti sunt. Itaque*

Moverat; irridet credentes, utque deorum
Spretor erat mentisque ferox Ixione natus,
„Ficta refers, nimiumque putas, Acheloë, potentes
Esse deos,“ dixit „si dant adimuntque figuras.“
Obstupuere omnes, nec talia dicta probarunt;
Ante omnesque Lelex, animo maturus et aevo,
Sic ait: „Immensa est finemque potentia coeli
„Non habet, et quicquid superi voluere peractum est.
Quoque minus dubites, tiliae contermina quercus
Collibus est Phrygiis, modico circumdata muro.
Ipse locum vidi: nam me Pelopeïa Pittheus
Misit in arva, suo quondam regnata parenti.
Haud procul hinc stagnum, tellus habitabilis olim,
Nunc celebres mergis fulicisque palustribus undae.
Jupiter huc specie mortali, cumque parente
Venit Atlantiades positis caducifer alis.
Mille domos adiere, locum requiemque petentes;
Mille domos clausere serae. Tamen una recepit,
Parva quidem, stipulis et canna tecta palustri;

di casam eorum in templum mutant, Philemonem et Baucida sacerdotes templo praeficiunt et cum vitae eorum finis adesset, ambo ex voto suo in arbores, Philemon in quercum, Baucis in tiliam, conversi sunt. Simillima est fabula Hyriei Fast. V, 495 seqq.

613. *amnis*, Achelous. — *ab his*, post haec. Conf. III, 273. — *factum*; ut v. 579. et 729. — 614. *moverat*, admiratione et metu impleverat. — *utque deorum spretor erat*. Conf. III, 514. XIII, 3. — 615. *deorum spretor*, ad exemplum Ixionis patris et Phlegyae avi. Vid. v. 403. — *mentis* genitivus quem vocant exeundi pro *a mente*. Vid. ad I, 623. X, 616. et ad Trist. III, 6, 31. Virg. A. V, 73. et IX, 246. *aevi maturus Acestes* et *animi maturus Aletes*.

617. *si dant*, sc. ut tu dicis.

618. *obstupuere*. „Hic affectus convivantibus melius convenire videtur, quam indignatio, quae est in lectione unius Medic. et ed. pr. *obstrepuere*.

619. *animo maturus et aevo*. Modo annotavimus locum Virgilii, in quo est *maturus* cum genitivo. Sed utrumque dicitur. Vid. XIV, 617.

620. *sic ait* in principio etiam X, 17. *Gierig*. Etiam non adjecto *sic*. V, 489. XII, 539. *atque ait*.

622. *quoque minus dubites, tiliae etc.* Eadem structura est v. 579.

623. *modico*. Ita II Bersm., Bas. 1—4., Dresd., Goth. 1., Lips. 1. 2., Vrat., Urs., Vat. Ciof., Zwicc., vetusti codd. Constant. Fanens., praestantiores plerique Heins. et ed. pr. — Vulg. *medio*. perperam.

624. *ipse*, praesens, his oculis. Cf. VI, 320 seqq. — *Pelopeïa — in arva*, in Phrygiam, ex qua Pelops, Tantali Phrygiae regis filius et frater Niobes ejectus in Elide consedit, Peloponnesoque nomen dedit. Hujus filius fuit Pittheus, rex Troezenis. Vid. ad VI, 418. *Lelex* quoque Troezenius fuit, ut supra memoratum est v. 567.

625. *regnata parenti*. Conf. XIII, 720. Her. X, 69. *tellus justo regnata parenti*. Hor. Od. II, 6, 12.

626. *hinc*, ab illis collibus. — Pal. 2. et vulg. *stagnum est;* sed Heinsius tacite *est* omisit, quod abest a Dresd. et Rhen. — 628. *cumque parente*. Mercurius filius erat Jovis et Majae, filiae Atlantis. I, 670. — *mortali*. Sic cod. Bersm., Berol., Dresd., Rhen., Lips. 1. 2., Zwicc., meliores Heins. et ed. pr. — Vulg. *mortalis*. De re conf. Fast. l. I. et Hyg. P. A. II. c. 34.

629. *caducifer*. Vid. not. ad I, 671.

630. De repetitione illa: *mille domos*, vid. ad I, 325.

632. Sequitur locus praestantissimus, quo casa, supellex, epulum pauperculorum hominum eorumque hospitalitas ita describitur, ut res sensibus subjecta videatur et lector facile moveatur pietate hospitum. — *stipulis*, straminibus. Vid. v. 704. Fast. VI, 261.

Sed pia Baucis anus parilique aetate Philemon
Illa sunt annis juncti juvenilibus, illa
Consenuere casa; paupertatemque fatendo
Effecere levem, nec iniqua mente ferendam.
Nec refert, dominos illic famulosne requiras:
Tota domus duo sunt, îdem parentque jubentque.
Ergo ubi coelicolae parvos tetigere penates,
Submissoque humiles intrarunt vertice postes;
Membra senex posito jussit relevare sedili,
Quo superinjecit textum rude sedula Baucis.
Inde foco tepidum cinerem dimovit, et ignes
Suscitat hesternos, foliisque et cortice sicco
Nutrit, et ad flammas anima producit anili;
Multifidasque faces ramaliaque arida tecto
Detulit, et minuit parvoque admovit aheno;
Quodque suus conjux riguo collegerat horto,
Truncat olus foliis. Furca levat ille bicorni
Sordida terga suis, nigro pendentia tigno,

Quae nunc aere vides, stipula
tunc tecta videres,
Et paries lento vimine textus
erat.

Veteres enim aristas tantum cum exigua calami parte demetebant, et stipulas alio tempore. Virg. Georg. I, 289. *Gier.*

635. Berol., Bas. 2., Cant., Flor., Medic. 3., Par. 1., Pal. 1. 2., Spir., Lips. 1., Vrat., Erf. 1. et complures alii Heins. *fatendo*. Par. 2. et reliqui cum vett. edd. *ferendo*, ab librariis ut videtur, qui elegantiam illius *fatendo* non perspicerent. Hoc enim dicit: *dum victu et cultu paupertatem* fatentur ac prae se ferunt nec dissimulant, sibi eam reddidere levem. Nec tolerabilis repetitio foret *ferendo* et *ferendam*. Amor. I, 2, 17.

Acrius invitos multoque ferocius
urget,
Quam qui servitium ferre fa-
tentur, amor.

637. *nec refert etc.* paullo argutius. — Cod. Bersm., Dresd., Vrat. et quidam Naug. *famulosve*. — 638. *tota domus duo sunt*. Conf. I, 355. Fast. IV, 543.

Tota domus laeta est, hoc est ma-
terque paterque
Nataque: tres illi tota fuere
domus.

639. *parvos*. Arond., Bas. 1., Erf. 1. 2., Flor., Pal. 1., Par. 1., Spir., Lips. 1., Vrat., fragm. Theat., Vat. I et X alii Heins. cum ed. pr. *paucos*. Par. 2., Ox. et II alii Heins. *parcos*. Reliqui *parvos*. Recte. Parvi sunt h. l. tenues, pauperes. Sic etiam *parvos lares* Hor. Od. III, 23, 15. Fast. IV, 531. *parvos initura penates*.

640. *submisso*, inclinato, sc. quia humiles postes.

641. *relevare*. Tib. I, 1, 44. *membra levare toro*. — 642. *textum*, stragulum. — Scripturam *quo* exhibent cod. Bersm., Rhen., Lips. 1., Sulm. 1 et nonnulli Heins. — II Vat. Ciof. et plurimi Heins. et reliqui *quod*. Mendose. — *rude*: nam nobiliorum stragula artificiose picta et purpurea.

643. *inde foco etc.* Fast. V, 506.

Ignis in hesterno stipite parvus
erat.
Ipse genu posito flammas exsuscitat aura,
Et promit quassas comminuitque
faces.

Conf. Virg. A. VIII, 410. et I, 174. — Voss. *demovit*.

645. *anili* i. q. debili. Tac. Ann. VI. c. 9. *Vestilius senili manu ferrum tentat*. — Scripturam *produxit* tuentur alter Bersm., Berol., Dresd., Rhen., Lips. 1. et IX Heins. — Cod. Bersm., Par. 2. et Cant. *produxit*. Vulg. *perduxit*, quod et ipsum locum habere potest; sed prior scriptura elegantior est.

646. *faces*, ligna. VII, 259. — *tecto*, de tecto. — 647. *minuit* ut Fast. II, 647. *ligna senex minuit*.

649. *truncat olus foliis*, folia decerpit oleri. *Gier.* — 650. *sordida*, sc. fumo. Juv. Sat. XI, 82.

Sicci terga suis rara pendentia
erate.

Servatoque diu resecat de tergore partem
Exiguam, sectamque domat ferventibus undis.
Interea medias fallunt sermonibus horas,
Sentirique moram prohibent. Erat alveus illic
Fagineus, dura clavo suspensus ab ansa;
Is tepidis impletur aquis, artusque fovendos
Accipit. In medio torus est de mollibus ulvis,
Impositus lecto, sponda pedibusque salignis;
Vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo
Sternere consuerant, sed et haec vilisque vetusque
Vestis erat, lecto non indignanda saligno.
Accubuere dei: mensam succincta tremensque
Ponit anus; mensae sed erat pes tertius impar:
Testa parem fecit. Quae postquam subdita clivum
Sustulit, aequatam mentae tersere virentes.

651. *resecat*, *sectamque*. Vid. ad 4. IX, 504. — 652. *exiguam*, ut in nta paupertate ac tenuitate rei familiaris consueverat. — *domat*. Conf. I, 228.

653. *medias*, dum epulae parantur, IV, 167. — *fallunt*. Vid. ad v. 578. et I, 60. et conf. IV, 40. — 654. *alveus*, brum.

655. *dura*. Barb. pro v. l. *curva*, iod temere invexit Heinsius.

656. *fovere*, reficere. Conf. XV, 532.

657. *in medio*, sc. tecto. Conf. XI, 10. *ulvis*, sc. palustribus, quibus tori mento plumarum loco (XI, 611.) utentur pauperes. Vid. Voss. ad Virg. eorg. III, 175. Fast. V, 519.

Nec mora, flumineam lino celantibus ulvam,
Sic quoque non altis incubuere toris.

ost hunc v. codd. vett. (?) Heinsii ma- o numero, Briant., Cael., Dom., lm. 2., Lips. 1. et VI Vatt. Ciof. exbent: *Concutiuntque* (alii Heins. *Consmuntque*, *Constituuntque*, *Confiuntque*) *torum de molli fluminis ulva.* ndem v. Capran. in marg. habet. In d. Bersm., Berol., Urs. et uno Vat. of. post sequentem v. legitur. Non aoscunt insulsum hunc versiculum esd., Goth. 1., Pal. 2., Par. 1. 2., en., Lips. 2., Sulm. 1., Stat., II Vatt. of., Vrat., Zwicc., reliqui Heins. et tt. edd.

658. *impositus*. Sic recte vulgata, iod refertur ad *torus*. — Berol., Dresd., l. 2. a corr., Rhen., Lips. 1., Sulm. 2., Stat., Twisd. 1. 2., Urs. aliique of., Vrat., plerique Heins. et vett. d. *impositis*, quae scriptura ex ablatis hujus versus orta esse videtur. — *salignis*, cum ditiorum lecti pedes haberent pretiosos.

659. *vestibus*, stragulis. Hor. Sat. II, 3, 118. *stragula vestis*.

661. *non indignanda lecto*, paullo argutius; vestis quae indignationem, invidiam lecti, sc. eo quod pulcrior sit, non meretur, q. e. vestis tenuitati lecti apta. — Cod. Bersm., Cant., Capr., Pal. 2. 3. et Pal. Dan. Heins., Lips. 1., unus Sulm., unus Vat. Ciof. et X Heins. *lecto sed non indigna*. Cf. X, 604.

662. *succincta*, quo expeditius ministraret. IX, 89. Sic Hor. Sat. II, 6, 107. de mure urbano: *veluti succinctus cursitat hospes*. Fast. I, 407.

Illa super suras tunicam collecta ministrat.

Conf. not. ad III, 156.

663. *mensa tripes* illa aetate signum tenuitatis erat; Baucidis mensa iusuper impar erat. Hor. Sat. I, 3, 13. de inconstantia Hermogenis:

— modo sit mihi mensa tripes et
Concha salis puri et toga quae defendere frigus
Quamvis crassa queat.

Nam in domibus locupletiorum monopodia erant. Vid. Liv. XXXIX. c. 6. Plin. N. H. XXXIV. c. 8.

664. *clivum sustulit*, inaequalitatem sustulit.

665. *mentae — virentes*, loco spongiae. Plin. N. H. XIX. c. 8. *Grato menta mensas odore percurrit in rusticis dapibus*. — Scripturam *mentae tersere* exhibent alter Bersm., Flor., Hamb. 1., Medic. 3., Pal. 2., alii quam plurimi Heins., Lips. 2., Par. 2. et ed. pr. — Dresd., Pal. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc., nonnulli Heins. et edd. Venn. *mente*

Ponitur hic bicolor sincerae bacca Minervae,
Conditaque in liquida corna autumnalia faece,
Intubaque et radix et lactis massa coacti,
Ovaque non acri leviter versata favilla
Omnia fictilibus. Post haec caelatus eodem
Sistitur argento crater, fabricataque fago
Pocula, qua cava sunt, flaventibus illita ceris.
Parva mora est, epulasque foci misere calentes.
Nec longae rursus referuntur vina senectae,
Dantque locum mensis paullum seducta secundis.
Hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis,
Prunaque, et in patulis redolentia mala canistris,
Et de purpureis collectae vitibus uvae.
Candidus in medio favus est. Super omnia vultus
Accessere boni, nec iners pauperque voluntas.
Interea toties haustum cratera repleri
Sponte sua, per seque vident succrescere vina.
Attoniti novitate pavent, manibusque supinis

extersere. Vulg. *menta extersere virenti.* Perperam. Conf. v. 673.

666. *bicolor Minerva. Minerva* h. l. pro bacca olivae ab ipsa procreatae, ut *Bacchus* pro vino, *Mars* pro bello, *Vulcanus* pro igne dicitur. Eodem modo pro oleo olivae est *Pallas.* Trist. IV, 5, 3.

Cujus ab alloquiis anima haec moribunda revixit,
Ut vigil infusa Pallade flamma solet.

sincera, non vitiata, integra. Cf. XI, 125. XIII, 639. Alii de bacca non condita accipiunt, ut *conditis cornis* opponatur. Non recte: nam poeta judicio adjectivum posuit, quod simul deae virgini aptum esset. Vid. ad 605. II, 588. et conf. X, 92. V, 497. — *bicolor*, viridis et nigra.

667. *corna.* I, 105. XIII, 826. Corna quanquam lapidosa et in victu infelici Aen. III, 649. numerata, condiri tamen solebant olivarum instar. *Gier.*

668. *radix*, raphanus. Conf. Hor. Sat. II, 88. — De *lacte coacto*, vel *coagulo* ut est Fast. IV, 543., vid. ad XIV, 274. Conf. XII, 436.

669. Ova apud Romanos fere semper initio coenae, ultimo loco apponebantur poma. Hinc proverbium *ab ovo ad mala.* Hor. Sat. I, 3, 6. — 670. *eodem argento* cum lepore pro *eadem argilla* quod Heinsius edidit, sed invitis vett. libris: nam scripturam *argilla* nonnisi Medic. 1. pro v. l. habet. Pal. D. Heins. *eodem argillo.* Reliqui omnes *argento.* Fast. V, 522.

Terra rubens crater, pocula fagus erat.

Tib. I, 1, 38.

Dona nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus sibi primum fecit agrestis
Pocula de facili composuitque luto.

caelatus non proprie accipiendum, sed de figuris argillae impressis.

672. *qua cava sunt.* Ita cod. Bersm., Berol., Dresd., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., meliores Heins. et ed. pr. — Edd. Venn. *poculaque cava.* Vulg. *p. quae cava sunt* perperam. Theocr. I, 27. *βαθὺ χισσύβιον κεχλυσμένον ἁδεῖ καρῷ.*

673. *epulasque calentes* sc. terga suis cum olere. 646. — 674. *nec longae — senectae.* Nam vetusta vina divitum mensas ornant. — *referuntur*, auferuntur. — 675. *mensis — secundis.* Conf. IX, 92. Hor. Sat. II, 2, 121.

— — tum pensilis uva secundas
Et nux ornabat mensas cum duplice ficu.

676. *rugosis*, quippe siccatis.

679. *super omnia.* VI, 626.

680. *nec iners* de ministratione sedulae Baucidis et Philemonis accipiendum; *nec pauper* refertur ad liberalitatem et hospitalitatem. — 681. Vulg. *quoties.* Cod. Bersm., II Vat. Ciof. et reliqui Ciofani codd. omnes, Berol., Dresd., Goth. 1., Pal. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat., Zwicc., plurimi Heins. et vett. edd. *toties*, quod eodem redit; nisi quod *quoties haustum* pro exclamatione accipiendum est. Sed *toties* majorem habet auctoritatem codicum. et simplicius est.

682. *per se*, sua sponte. I, 102.

683. *supinae — manus*, quae extol-

Concipiunt Baucisque preces timidusque Philemon,
Et veniam dapibus nullisque paratibus orant.
Unicus anser erat, minimae custodia villae,
Quem dîs hospitibus domini mactare parabant.
Ille celer penna tardos aetate fatigat,
Eluditque diu, tandemque est visus ad ipsos
Confugisse deos. Superi vetuere necari,
„„Dîque sumus, meritasque luet vicinia poenas
Impia:“ dixerunt „vobis immunibus hujus
Esse mali dabitur, modo vestra relinquite tecta,
Ac nostros comitate gradus, et in ardua montis
Ite simul!““ Parent et, dîs praeeuntibus, ambo
Membra levant baculis, tardique senilibus annis
Nituntur longo vestigia ponere clivo.
Tantum aberant summo, quantum semel ire sagitta
Missa potest: flexere oculos, et mersa palude
Cetera prospiciunt, tantum sua tecta manere.
Dumque ea mirantur, dum deflent fata suorum,

luntur sic, ut palma sursum pateat, qui fuit habitus precantium. Hor. Od. III, 23.

Coelo supinas si tuleris manus
Nascente luna.

684. *timidusque*. V, 100.

Emathion, aequi cultor timidusque deorum.

685. *nullis paratibus*, tenuibus et sine sumtu apparatibus ac dapibus. VI, 451. Liv. VI. c. 3. *Tullium — natum patre nullo, matre serva.* — 686. „bene additum *unicus*, quem quia unum habebant, magni faciebant.“ *Gier.* De *custodia villae* conf. v. 714. De vigilantia anserum conf. IX, 599. II, 538. Columell. VIII. c. 13. *Anser solertiorem custodiam praebet, quam canis; nam clangore prodit insidiantem.*

689. *eluditque diu*. Conf. I, 692. Nonnulli Heins. *illuditque*.

692. *impia*. Vid. 630. — De attractione quam vocant *immunibus esse* vid. ad v. 407. 554.

694. Forma activa *comito* apud poetas non rara. II, 441. IX, 687. XIII, 55. XIV, 259. — 695. *ite simul*. Flor. et Spir. *ite simul. parent ambo, baculisque levati* (Flor. *levatis*). Quod Heinsium commovit, ut versum *Membra levant b. t. s. annis* ejiceret et locum sic ederet: *Ite simul. Parent ambo, baculisque levati. Nituntur l. v. p. clivo.* Sed reliqui codd. omnes et vett. edd. in optima vulgata consentiunt. Ceterum cod. Flor., unus Medic., Neap. et Spir. versum 696. a manu recentiori margini adscriptum habent.

697. *ponere* cum abl. sine praepositione apud poetas non rarum est. Eodem modo *condere*, *mergere* et alia verba construuntur.

698. *tantum aberant etc.* Conf. IV, 709. Fast. III, 583.

— — *nec longius abfuit inde*
Quam quantum novies mittere funda potest.

Conf. Hom. Il. XVI, 589. — Medic. 2. et Neap. *quantum finire sagitta.*

701. Vulgo hic locus sic legitur:

Dumque ea mirantur, dum deflent fata suorum,
Mersa vident quaeruntque suae pia culmina villae.
Sola loco stabant: dum deflent fata suorum,
Illa vetus etc.

Utrumque tamen versum: (*Mersa vident, Sola loco*) non agnoscunt cod. Arond., Goth. 1., Hamb. 1. 2., Medic. 1., Pal. 1. 2., Neap., Ox., Rhen., Lips. 1., Stat., Thu., alter Twisd., Vrat., VHI Heins. et ed. pr. — Versum: *Sola loco*, non habent Dresd., Flor., Goth. 2., Par. 1., Lips. 2., Zwicc., alter Twisd., plurimi Heins. — In Capr. in margine tantum scriptus est. In Sulm. 2. uterque in textu legitur, sed in marg. notatum: *vacant*. In Sulm. 1., Urs. et II Vatt. Ciof. prior versus omissus et posterior in margine repositus est. In Flor. et Par. 1. prior, quem unum habent, a rec. m. margini adscriptus est. In Dresd. idem post versum 700. legitur. Cod. Berol. et aliquot Ciof. et Heins. codd. utrumque post v. 699. collocant, atque in Berol. posterior sic legitur: *Sola loco stabat, quae dis fuit hospita magnis.* Utrumque jam

Illa vetus, dominis etiam casa parva duobus,
Vertitur in templum: furcas subiere columnae,
Stramina flavescunt, aurataque tecta videntur,
Caelataeque fores, adopertaque marmore tellus.
Talia tum placido Saturnius edidit ore:
„„Dicite, juste senex et femina conjuge justo
Digna, quid optetis.“ “ Cum Baucide pauca locutus,
Judicium superis aperit commune Philemon:
„„Esse sacerdotes delubraque vestra tueri
Poscimus; et quoniam concordes egimus annos,
Auferat hora duos eadem, nec conjugis unquam
Busta meae videam, neu sim tumulandus ab illa.“ “
„Vota fides sequitur: templi tutela fuere,
Donec vita data est. Annis aevoque soluti
Ante gradus sacros cum starent forte locique
Narrarent casus, frondere Philemona Baucis,
Baucida conspexit senior frondere Philemon;
Jamque super geminos crescente cacumine vultus,

Ciof. tolli jussit et Heinsius primus ejecit. *Jahn.*

702. „*Illa vetus casa etiam duobus dominis parva.*“. De illo *parva* conf. IV, 442.

703. *subiere.* Conf. I, 130.

704. Verba *stramina flavescunt* illis *aurataque tecta videntur* exponuntur. Nam *flavescunt* etiam de auri colore. IX, 689. — Cod. Bersm. et optimi (!) Heins.

Stramina flavescunt adopertaque marmore tellus,
Caelataeque fores auratagie tecta videntur.

Reliqui codd. omnes, ut edidimus.

705. *caelatae f.* Conf. II, 6. — *tellus*, solum, pavimentum. XV, 672. — „Post hunc v. in Dresd., Par. 1., Rhen., Lips. 2., Zwicc., aliquot Ciof. et nonnullis Heins. et in edd. Venn. legitur hic versus:

Concipiunt Baucisque preces timidusque Philemon —

Verum repetitus e v. 683., deest in Par. 2., Maff. 1. 2., uno Vat. Ciof. et ed. pr. et reliquis libris. In cod. Urb. margini adscriptus est. *Jahn.*

706. *tum.* Heinsius e scriptis edidit *talia cum*, quod Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Zwicc. et vett. edd. tuentur. — Bas. 3. et Berol. *tunc.* Cod. Bersm. et reliqui *tum.* Nihil frequentius est in codicibus quam simillimarum in iis literarum *t* et *c* commutationes. — *Saturnius*, Jupiter. Vid. ad I, 113.

707. *juste*, honeste. VII, 399. *Justitia summa virtus quae reliquas complectitur omnes.* — 709. *judicium* recte dicitur, quod consulto et instituta deliberatione fit. — Exc. Cal. et Jur., Cael., Dom., unus Sulm., unus Vat. Ciof. et VIII alii apud Heins. *consilium.* Capr., Dresd., Lips. 1. 2., Stat., alter Sulm. et plurimi Heins. *indicium*, quod mendosum est, sed scripturam *judicium* confirmat.

710. *delubraque vestra*, sc. illa quae e casa nostra fecistis. — *tueri*, custodire. Etiam Virg. A. VII, 443. *divum effigies et templa tueri* de aedituo.

711. *egimus annos.* Conf. VII, 752.

713. *neu sim.* Duo Bersm., Dresd., Goth. 2. et Lips. 1. *nec sim*, quod et ipsum Latinum est, ut *nec* quod praecedit. Duo Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et Zwicc. *tumulatus.* Heinsius tacet, sed probabiliter conjicitur, Heinsianos quoque plerosque omnes eam scripturam tueri. Reliqui codd. et vett. edd. *tumulandus.*

714. *templi tutela*, templi tutores, antistites. Conf. v. 686. III, 617. — *vota fides seq.* III, 527.

715. *soluti.* Sallust. Jug. c. 17. *plerosque senectus dissolvit.* Conf. infra ad v. 820.

716. Eleganter poeta Philemona et Baucida in illo ipso momento, quo mutarentur, loci et sua fata sermone repetentes facit. Conf. IV, 569. 570. — Goth. 1., Vrat. et IX Heins. *dum starent.*

717. *narrarent.* Medic. 2., Neap. et V Heins. *incipercnt.* Cod. Bersm., Cael., Stat. et Sulm. 1. 2. *narrassent.*

719. *geminos.* Unus Jun. *gelidos.*

Mutua, dum licuit, reddebant dicta „„Valeque,
„O conjux!“ “ dixere simul, simul abdita texit
Ora frutex. Ostendit adhuc Tyaneïus illic
Incola de gemino vicinos corpore truncos.
Haec mihi non vani - nec erat cur fallere vellent —
Narravere senes; equidem pendentia vidi
Serta super ramos, ponensque recentia dixi:
„„Cura deûm pii sunt, et, qui coluere, coluntur.“ “
Desierat; cunctosque et res et moverat auctor,
Thesea praecipue, quem facta audire volentem
Mira deûm nixus cubito Calydonius amnis
Talibus alloquitur: „Sunt, o fortissime, quorum
„Forma semel mota est, et in hoc renovamine mansit;
Sunt, quibus in plures jus est transire figuras,
Ut tibi, complexi terram maris incola, Proteu.

721. *abdita texit.* Vid. ad IX, 593. III, 76.

722. *Tyaneïus. Tyana* urbs Cappadociae, quae remotior erat, quam ut incola ejus arbores Phrygias ostendere potuerit: nisi forte in confinio Phrygiae et Cappadociae rem accidisse putemus. Sed codd. in scriptura hujus vocis mire variant. Codd. Heins. *Fineius, Trineius, Thineyus, Cineius, Chineius, Tirinthius, Tyreneus.* Goth. 2. *m Tineius.* Lips. 2., Vrat., Pal. 2. et ed. Ven. 1. *Thineius.* Lips. 1. et Zwicc. *Thineus.* Ed. pr. *Phyneius.* Par. 1. 2. *Thyrneius.* Vulg. *Tyaneius.*

723. *vicinos truncos*, vicinas arbores. — *de gemino corpore*, sc. Phil. et Baucidis. — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. et pro v. l. 2., Par. 1., Lips. 1. 2., Stat., unus Sulm., unus Vat. Ciof., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *de gemina arbore*, ut *trunci* intelligendi sint ramis orbati. Sed vid. v. 726. et 621.

724. *non vani*, veri, non mentientes.

725. Fast. III, 267.

Licia dependent longas velantia sepes,
Et posita est meritae multa tabella deae.

726. Conf. v. 747. 748.

727. *cura deûm.* Ita codd. et vett. edd. omnes. Pal. Gbh., Pal. 2., Par. 1. 2. et vulg. *dii sint et q. c. colantur*, nisi quod plerique castigatiores Heins. et Par. 1. *sunt* et *coluntur* exhibent; *sunt* etiam cod. Bersm., Berol., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 1. 2. et Zwicc. et unus Medic. Alias variantes, quas singuli codd. miras exhibent, afferre piget. Heinsius conjectura temere invexit *cura pii dis sunt.* Cic. de N. D. I. c. 41. *Cur deos ab hominibus colendos dicas, cum dii homines non colant?*

728. *Theseus plura alia hujusmodi transformationes audire cupit. Itaque Achelous hospes Proteum, Mestram, ipsum quoque se narrat facultatem habere diversas species sumendi.* De Proteo vid. Hom. Odyss. IV, 364 sqq. Virg. G. IV, 387. Met. XI, 254. et II, 9.

728. *auctor*, narrantis gravitas. Vid. 619. — 730. *Calydonius amnis*, Achelous fluvius inter Acarnaniam et Aetoliam (v. 549.), in qua posita urbs Calydon. Vid. v. 270. — *Jacuerat* ex more veterum ad mensam accumbentium: nunc cum narrare vult *nixus cubito* sese erigit. — Nonnulli Heins. *nisus* vel *innisus.* Cant., Goth. 2., Vrat., Zwicc. et XIII Heins. *innixus*, ut IX, 518. — Deinde cod. Bersm., Briant., Berol., Rhen., Stat., Sulm. 1. 2. et Zwicc. *Calydonius heros* e v. 324. Vid. IX, 2.

731. *sunt qui* cum indicativo et conjunctivo ponitur. Post Ovidii aetatem tamen frequentius cum indicativo. Ovidius utraque oratione utitur. Fast. II, 657. Met. V, 42. — 732. Pro *mota est* Goth. 2. *renovata est.* — 733. *jus*, potestas concessa, facultas. 740. II, 48. — De infinitivo dictum est supra ad I.

734. „*Proteu*, incola maris, terram complexi.“ Vid. I, 14, II, 9. Virg. G. IV, 387 sqq. Hor. Sat. II, 3, 73. Homerus eum juxta Pharum insulam collocat, Virgilius in mari Carpathio. *Gierig.* Conf. Cassiod. V, 34. Ceterum cum toto hoc loco conf. XI, 239 sqq. et not. ad VII, 62.

Nam modo te juvenem, modo te videre leonem;
Nunc violentus aper, nunc, quem tetigisse timerent,
Anguis eras; modo te faciebant cornua taurum;
Saepe lapis poteras, arbor quoque saepe videri;
Interdum, faciem liquidarum imitatus aquarum,
Flumen eras; interdum undis contrarius ignis.
Nec minus Autolyci conjux, Erysichthone nata,
Juris habet. Pater hujus erat, qui numina divûm
Sperneret et nullos aris adoleret honores.
Ille etiam Cereale nemus violasse securi
Dicitur et lucos ferro temerasse vetustos.
Stabat in his ingens annoso robore quercus,
Una nemus: vittae mediam memoresque tabellae
Sertaque cingebant, voti argumenta potentis.
Saepe sub hac Dryades festas duxere choreas;
Saepe etiam manibus nexis ex ordine trunci
Circuiere modum, mensuraque roboris ulnas
Quinque ter implebat; nec non et cetera tantum
Silva sub hac omnis, quantum fuit herba sub illa.
Non tamen iccirco ferrum Triopeïus illa

738. *videri*, cerni.

741. *Autolyci conjux.* Autolycus filius Mercurii, conjux Mestrae filiae Erysichthonis Thessali regis (inde v. 770. *Thessalus*), qui juxta quosdam auctores filius Triopae regis fuit. Unde *Triopeïus* v. 754. Palaeph. c. 24. Ant. Liberal. c. 17. Hyg. F. 200. 201. Pausan. Arcad. p. 605. Diodor. V. p. 331. Callim. H. Cer. 23 116., qui et ipse fabulam copiose narravit.

743. *adoleret honores* q. e. sacrificia, ut Virg. A. I, 49. *aris imponat honorem.* Naso Met. X, 681. *turis honorem.* XIV, 128. — Berol. et vetustiores plerique (?) Heins. *odores.* Par. 2. *odorem.*

744. *Cereale*, Cereris; quod nemus fuit juxta Dotium Thessaliae oppidum. Callim. H. Cer. 27 — 30. Conf. Hyg. P. A. II. 14. — 745. *lucus* pars secretior nemoris. — *temerasse.* Conf. II, 592.

746. Plin. H. N. XVI. c. 44. *Vicina luco est ilex et ipsa nobilis XXXIV pedum ambitu caudicis — silvamque sola facit.* Her. XV, 159. *aquatica lotos — una nemus.*

747. *vittae.* Conf. v. 725. — *tabellae*, sc. votivae, in quibus beneficia a Cerere impetrata perscripta erant, hinc *memores.* Sic *memores fasti* Hor. in Odis. — 748. *votum potens* est votum, quod valuit, expletum est. V. 80. est *voti potens*, sed ea constructio h. l. paullo durior est. — *argumenta*, signa.

749. *Dryades.* Vid. III, 507. et conf. VIII, 580 — 582. Callim. l. l. v. 39. τῷ δ' ὑπὸ ταὶ νύμφαι ποτὶ τῶνδιον ἐμμέσωντο, sub quo nymphae ad meridiem ludebant.

751. *circuiere* tacite edidit Heinsius, quod cod. Bersm., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Stat., aliique Ciof. et veteres edd. confirmant. Vulg. *circumiere.* — *modum*, amplitudinem.

752. Conjunge: *nec non et cetera silva omnis* (h. e. ceterae arbores omnes) *tantum sub hac fuit, quantum herba sub illa sc. silva.*

753. *nec non — sub illa.* Ita optime Vulgata. Par. 2., Cant., Flor., Gron. 1., Hamb. 1., Medic. 1. 3. 4., Spir., Vrat. et multi H. *tanto — quanto.* Berol. et Rhen. *tanto — quantum.* Rott. *silva quantum f. h. sub illa.* Omnes (?) Ciof., II Bersm., plerique castigatiores Heins., Goth. 2. et pro v. l. 1., Dresd., Pal. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Vrat. et Zwicc. *fuit h. sub omni.* Erf. 1., Gron. 1. et unus Heins. *jacet h. sub omni.* Apparet Heinsianam scripturam *nec non et cetera tanto silva sub hac, silva quanto jacet herba sub omni*, licet aptam habeat sententiam, iterum e diversis diversissimorum codicum variantibus esse conflatam, itaque parum probabilem esse.

754. *Triopeïus*, Triopae filius (vid. ad v. 741.), ut infra (875.) filiam Triopae *Triopeïda* vocat. Callimach. H. Cer. Τριόπεω γόνος. Sed in scriptura hujus nominis suo more codices iterum

Abstinuit, famulosque jubet succidere sacrum
Robur, et, ut jussos cunctari vidit, ab uno
Edidit haec rapta sceleratus verba securi:
„„Non dilecta deae solum, sed et ipsa licebit
Sit dea, jam tanget frondente cacumine terram!““
„Dixit et, obliquos dum telum librat in ictus,
Contremuit gemitumque dedit Deoïa quercus,
Et pariter frondes, pariter pallescere glandes
Coepere ac longi pallorem ducere rami.
Cujus ut in trunco fecit manus impia vulnus,
Haud aliter fluxit discusso cortice sanguis,
Quam solet, ante aras ingens ubi victima taurus
Concidit, abrupta cruor e cervice profundi.
Obstupuere omnes, aliquisque ex omnibus audet
Deterrere nefas, saevamque inhibere bipennem.
Adspicit hunc „„Mentisque piae cape praemia,““ dixit
Thessalus, inque virum convertit ab arbore ferrum
Detruncatque caput, repetitaque robora caedit;
Editus e medio sonus est cum robore talis:

variant. *Triopeius* cod. Rhen. et ed. pr. et Ald. — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1. 2. et Zwicc. *Driop.*, c. gl. Dresd. *erichiton.* Vrat., Par. 1. 2. et edd. Venn. et alii vetusti libri *Dryopeius.* Ciof. et Heinsius de suis codd. tacent, qui *Dryopeius* plerique omnes habuisse videntur. Burm. notat „*Triopejus ab illa* Lov. et VIII alii;“ sed dubitari potest, numne suopte ingenio *Triopejus* scripserit et in codd. fuerit *Driopeius*: nam cod. Bersm., Berol. et Lips. 1. *Driopeius ab illa. Jahn.* Sed recepta scriptura satis confirmatur auctoritate Callimachi, qui eandem fabulam l. l. narravit. — Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1. et Zwicc. *nec tamen.* Atque ex his codicibus plerosque Heins. quoque *nec tamen* habuisse recte conjicitur.

758. *sed et ipsa.* Et dea suberat Hamadryas. 774. Eadem impietas v. 394.

760. *obliquos librat in ictus.* II, 311.

761. *Deoïa quercus* est quercus Cereris; nam Graecum nomen Cereris est Δηώ vel Δημήτηρ. Vid. ad VI, 114. — Ceterum *Deoïa* est correctio Viviani. (conf. v. 774.); nam Par. 2., Flor., Goth. 1. 2., Gron. 1., Hamb. 1., Medic. 2. 3., Neap., Nor., Lips. 2., Vat. 1. et VI Heins. *Deoida.* Fragm. Theat. et II Heins. *Theoida.* Mor. 1. et Pal. 1. *Deida.* Berol. et ed. pr. *Decida.* Nonnulli Heins. *iam decida*, vel *mox decida*, posterius etiam Sulm. 2. Pal. 2. in ras. *Dodonide.* II Bersm., Par. 1., Sulm. 1. pro v. l., II Vat. Ciof. et Zwicc. *Dodonia.* Unus Maff., Sulm. 1., Twisd. 1. 2., nonnulli Heins. et ed. Venn. *decidua.* Cod. Raph., Par. 1., Dresd., alter Maff., Rhen., Lips. 1., Vrat. et plurimi Heins. *de vulnere quercus*, quod falsum esse, apparet e v. 764.; nam ibi demum de vulnere et ejus effectu dicitur. Genuina videtur scriptura *decidua quercus.*

763. *pallorem ducere.* Conf. III, 485. Unus Maff., alter Sulm., Cant., unus Medic., unus Patav. et margo Gryph. *sudore madescere rami.* — 765. *discusso.* Heins. ex uno Stroz. temere edidit *discussa.* Conf. v. 643. — Plerique vetustiores (?) Heins., Cael., Stat. et Vat. Ciof., Goth. 2. et a 1. m. 1., Lips. 2., Par. 1. 2., Rhen., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *discusso sanguine cortex.*

767. *profundi.* Bas. 1., Berol., Dresd., Gron. 1. et V Heins. *profusus*, quod edidit Heinsius. Sed quid hoc est: *sanguis profusus solet fluere? Jahn.*

769. *deterrere nefas*, deterrere Erysichthona a facinore atque ita impedire nefas. Conf. VII, 423. *Gierig.* Cic. de Off. II. c. 18. *deterrere liberalitatem.* — Unus Medic., Sprot. et Rhen. *bipennim.* Unus Bas. et Urb. *securim.* Reliqui omnes *bipennem.*

772. *repetita caedit*, repetit robora, unde in virum se converterat, et ea caedit. Sed conf. V, 473. IV, 734.

773. Sic Ciofanus primus edidit, quod Heinsius sine omni annotatione de suis codd. servavit, et codd. nonnulli Ciof., Goth. 2., Bas., Rhen., Zwicc. et ed.

„Nympha sub hoc ego sum Cereri gratissima ligno,
Quae tibi factorum poenas instare tuorum
Vaticinor moriens, nostri solatia leti.““
„Persequitur scelus ille suum, labefactaque tandem
Ictibus innumeris, adductaque funibus arbor
Corruit, et multam prostravit pondere silvam.
Attonitae Dryades damno nemorumque suoque:
Omnes germanae Cererem cum vestibus atris
Maerentes adeunt, poenamque Erysichthonis orant.
Annuit his capitisque sui pulcherrima motu
Concussit gravidis oneratos messibus agros,
Moliturque genus poenae miserabile, si non
Ille suis esset nulli miserabilis actis,
Pestifera lacerare Fame. Quae quatenus ipsi
Non adeunda deae est: - neque enim Cereremque Famemque
Fata coire sinunt - montani numinis unam,
Talibus agrestem compellat Oreada dictis:
„„Est locus extremis Scythiae glacialis in oris,
Triste solum, sterilis, sine fruge, sine arbore tellus,
Frigus iners illic habitant Pallorque Tremorque
Et jejuna Fames: ea se in praecordia condat
Sacrilegi scelerata, jube, nec copia rerum
Vincat eam, superetque meas certamine vires.
Neve viae spatium te terreat, accipe currus,
Accipe quos frenis alte moderere dracones.““
„Et dedit. Illa dato subvecta per aëra curru
Devenit in Scythiam; rigidique cacumine montis -

pr. tuentur. Cod. Bersm. *Ed. est m. s. cum de rob. t.* Unus Sulm. *E. e m. sonus est tunc rob. t.* Berol., Lips. 2., Vrat. et ed. Ald. *Ed. et m. sonus est de r. t.*, quae scriptura exquisitior est. Sed nihil affirmari potest, utrum haec an recepta scriptura vera sit, donec codices accuratius excussi fuerint. — Goth. 1. et reliquae vett. edd. *Ed. e m. sonus est e rob. t.* Dresd. et Argent. *redditus a* (Arg. *en*) *m. s. est de r. t.* Cael., Dom., Maff. 1. 2., Lips. 1. *cum sonus auditur med. de r. t.*

774. *nympha*, sc. Dryas. Est autem ea fabula e persuasione superstitionis apud veteres, qua Dryades et Hamadryades in arboribus habitare credebantur et cum ipsis interire. Vid. Fast. IV, 231. Conf. Virg. A. III, 24 sqq.

776. *solatia leti*. Vid. ad V, 73. 191.

779. Nonnulli Heins. *prosternit*. Alii H. *corpore* v. *sanguine* v. *vulnere*.

780. *suoque*. Nam unam de sororibus ea arbore caesa amiserant. — Dresd., Goth. 1., Rhen., Vrat. et nonnulli Heins. *nemorisque*. Reliqui cum vett. edd. *nemorumque*, quod non apparet, cur editores mutarint.

783. *capitis motu*. I, 179. Agros autem cum messibus concussit Ceres, quia his rebus praeest. Conf. v. 604. 605.

788. *Cererem*, quippe deam frugum et abundantiae. V. 274. — Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1. 2., Vrat., maxima pars Heins. et ed. pr. *deae est*.

789. *numinis* pro collectivo accipiendum. — 790. *agrestem Oreada* est appositio illius *unam*.

793. *frigus iners*. II, 763. *ignavi frigoris*. Conf. II, 174. — Cod. Bersm., unus Leid. et ed. pr. *habitat*.

795. Berol. et multi (?) Heins. *ne copia*, frequenti in hac forma sententiae varietate. — 796. *certamine*, luctando contra me. — *meas vires*, meam abundantiam et earum effectum. Conf. I, 278.

798. *dracones*. Vid. ad V, 642. — Plurimi Heins., Berol., Dresd., Lips. 2. et a 1. m. 1. *moderare*. — 800. *cacumine*. Sic Cod. Bersm., codd. Const. Fanens., veteres Ciof., primi antiquorum

Caucason appellant - serpentum colla levavit,
Quaesitamque Famem lapidoso vidit in agro
Unguibus et raris vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore,
Labra incana situ, scabri rubigine dentes,
Dura cutis, per quam spectari viscera possent,
Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis,
Ventris erat pro ventre locus, pendere putares
Pectus, et a spinae tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis, et immodico prodibant tubere tali.
Hanc procul ut vidit; - neque enim est accedere juxta
Ausa - refert mandata deae, paullumque morata,
Quamquam aberat longe, quanquam modo venerat illuc,
Visa tamen sensisse famem; retroque dracones
Egit in Haemoniam versis sublimis habenis.
Dicta Fames Cereris, quamvis contraria semper
Illius est operi, peragit, perque aëra vento
Ad jussam delata domum est, et protinus intrat
Sacrilegi thalamos; altoque sopore solutum -
Noctis erat tempus - geminis amplectitur alis,
Seque viro inspirat, faucesque et pectus et ora

Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen. et Zwicc. — Vulg. *cacumina*.

802. Ad descriptionem istam Famis, insigne rursus phantasiae Ovidianae exemplum, conferatur imago Invidiae II, 760 seqq.

803. *raris*, cum nonnisi unius et alterius dentis fragmina haberet. — Unus Bon. *raras*, quod edidit Heinsius, sed jejunitas et inopia Famis ipsis *herbis* declaratur, et proba est scriptura vett. librorum plerorumque *raris*. Pal., Goth. 2., Lips., Thu., Zwicc. 2. XIV Heins. et ed. pr. *duris*. Bas. 4. *diris*. Ad illud *vellere* conf. XI, 123.

805. *situs* est squalor et sordida lanugo, qua res putrescentes obducuntur. VII, 290. Vid. ad Trist. V, 12, 2. — Cod. Bersm., Cael., Dom., Dresd., Goth. 1., Lips. 1. 2., unus Maff., Sulm. 1. 2., Urs., Vat. Ciof., Vrat., Zwicc., plerique Heins. et ed. pr. *scabrae r. fauces*. Reliqui cum edd. Venn., ut edidimus, nisi quod Genev. *livent rub. fauces*. II, 776., ex quo loco hic varietas nata videtur. Dentes conspiciuntur quales sint, fauces non item. Bach. commode affert Petron. de mut. reip. R. 274. de Discordia: *Stabant aerati scabra rubigine dentes*.

806. *dura*, densata, sucis exsiccatis. Conf. VII, 559. *Gierig*.

808. „*pro ventre* (solummodo) *erat ventris locus*." Conf. XIII, 564. — *pendere*, sicuti de virga, ut e sequentibus apparet. Ceterum iterum nimium est poetae ingenium.

810. *auxerat*, sc. in longitudinem. Gierig. interpretatur: *Macies fecerat, ut plures articuli in conspectum venirent*. — *tumebat*. Arond., Berol., Dom., II Heins. et margo Bersm. *rigebat*. Pedes et genua, si caro a corpore et cruribus decedit, tumescere videntur.

812. Similis horror Minervam invadit conspecta Invidia II, 766.

814. *quanquam* cum vi repetitur ad Famis violentiam declarandam. Vid. ad I, 595.

816. *in Haemoniam*, in Thraciam (II, 81.), unde erat egressa. Conf. 741. — De illo *sublimis* conf. VII, 222.

818. *vento*. Bas. 1., Hamb. 1., Medic. 2., Neap. et pro v. l. Flor. *vecta*, ex glossa. — 819. *delata;* nam erat Fames alata.

820. *sopore solutum*. Conf. 714. VII, 186. X, 369. XI, 612. 648.

821. *noctis erat tempus*. Sic Pal. 2., Erf. 1., Hamb. 1., Vrat. et X Heins. — Reliqui *noctis enim tempus*. — Deinde scripturam *alis* tuentur cod. Bersm., Bas. 3. 4., Dresd., Rhen., Lips. 1., Sulm. 1., Vrat., Zwicc., plurimi vett. Heins. et ed. pr. — Reliqui *ulnis;* non male. Pro scriptura *alis* afferri etiam potest v. 818., ubi per aëra venisse Famem poeta scribit. Conf. VI, 707.

822. „*seque* (i. e. edendi rabiem)

Afflat, et in vacuis spargit jejunia venis;
Functaque mandato fecundum deserit orbem,
Inque domos inopes, assuetaque vertitur antra.
Lenis adhuc somnus placidis Erysichthona pennis
Mulcebat: petit ille dapes sub imagine somni,
Oraque vana movet dentemque in dente fatigat,
Exercetque cibo delusum guttur inani,
Proque epulis tenues nequicquam devorat auras.
Ut vero est expulsa quies, furit ardor edendi;
Perque avidas fauces immensaque viscera regnat.
Nec mora, quod pontus, quod terra, quod educat aër,
Poscit, et appositis queritur jejunia mensis,
Inque epulis epulas quaerit, quodque urbibus esse,
Quodque satis populo poterat, non sufficit uni.
Plusque cupit, quo plura suam demittit in alvum.
Utque fretum recipit de tota flumina terra,
Nec satiatur aquis, peregrinosque ebibit amnes;
Utque rapax ignis non unquam alimenta recusat,

viro inspirat.“ Conf. v. 794. Simile quid est XI, 621. — Berol. *pectora.*

823. *spargit.* Sic Berol., Bas. 1., exc. Jur., Medic. 3., Lips. 1., Vat. 1., VIII alii Heins. et ed. pr., quod aptissimum est illis *vacuis* (ac diversis) *venis.* II Heins. *sparsit.* Gron., Pal., Rhen., Zwicc. et XI Heins. *peragat.* Iidem *ut* loco *et.* Reliqui *peragit.* Varietas e similitudine scripturae orta videtur. — *spargere* cum praep. *in* et abl. II, 801. VII, 638.

825. *antra.* Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. et pro v. l. 2., Hamb. 1. 2., Medic. 1., Par. 1. 2., Mor. 1., Rhen., Lips. 2., Zwicc., nonnulli Heins. et ed. pr. *arva*, quod librarii nimis curiosi e v. 802. repetisse videntur. — Cod. Briant. et vulg. *assuetaque vertitur antra.* Alter Bersm., reliqui Ciof., plurimi Heins., Jahni omnes et ed. pr. *assueta revertitur antra;* nisi quod codd. Jahni modo memorati *arva* habent. *Revertitur* ferri non potest, quia sic verba *assueta a.* accipienda essent pro appositione illius *domos inopes.* Atque eadem de caussa *arva* teneri non potest. Reliquum est *assuetaque vertitur antra.* Germanice: *und sie wendet sich nach armen Hütten und den gewöhnten Klüften.*

826. *somnus — pennis.* Somnus est deus alatus. Vid. Heyn. ad Tib. II, 1, 89. Prop. I, 3, 45.

Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis.

827. *mulcere* eleganter de somno. Conf. XI, 625. — *sub imag. somni*, somnians. IX, 474. — 828. *vana* pro adverbio, frustra. *Gier.*

829. *exercere* hoc loco fere pro fatigare. Conf. VI, 375. — *inani*, quia nonnisi in somnio adest.

831. *ardor edendi.* Infra 849. *flamma gulae.*

832. *immensaque.* Bene *immensa*, quia expleri et satiari haud poterant, quasi immensa essent. Erant immensa vorago. Mox v. 847. *altivoragine ventris.* Ib. 387. *vasta Polyphemi alvus.* — In describenda autem hac voracitate Callimachum expressisse videtur. *Gier.*

833. *educat*, alit. Imitatus est hunc locum Lucan. X, 155. *Infudere epulas auro, quod terra, quod aër, Quod pelagus Nilusque dedit.*

835. *quaerit*, desiderat. II, 239. Amor. II, 2, 43. de Tantalo: *Quaerit aquas in aquis.*

836. *quodque urbibus etc.* prodigialiter rem auxit. *Gier.* — Goth. 2., Vrat. et vett. edd. *pot. pop.* Dresd. *populo fuerat.* Heinsius tacite edidit: *pop. poterat*, quod cod. Bersm. et reliqui mei tuentur. *Jahn.*

837. *demittit in alvum.* Conf. XV, 105. VI, 651. — II Bersm., Goth. 2., Lips. 1., Vrat. et edd. Venn. *dimittit.* Lips. 2. et ed. pr. *dimersit.* Sed conf. v. 849. Callim. H. Cer. l. l. v. 69.

σχέτλιος, ὅσσα πάσαιτο, τόσων ἔχεν ἵμερος αὐτῆς.

838. *recipit.* Conf. IV, 440. et vid. Callim. v. 90.

Innumerasque faces cremat et, quo copia major
Est data, plura petit, turbaque voracior ipsa est:
Sic epulas omnes Erysichthonis ora profani
Accipiunt poscuntque simul; cibus omnis in illo
Causa cibi est, semperque locus fit inanis edendo.
Jamque fame patrias altique voragine ventris
Attenuarat opes; sed inattenuata manebat
Tum quoque dira fames, implacataeque vigebat
Flamma gulae. Tandem demisso in viscera censu
Filia restabat, non illo digna parente:
Hanc quoque vendit inops. Dominum generosa recusat,
Et vicina suas tendens super aequora palmas
„„Eripe me domino, qui raptae praemia nobis
Virginitatis habes!“ “ ait. Haec Neptunus habebat.
Qui prece non spreta, quamvis modo visa sequenti
Esset hero, formamque novat vultumque virilem
Induit et cultus piscem capientibus aptos.
Hanc dominus spectans „„O qui pendentia parvo
Aera cibo celas, moderator arundinis,“ inquit,

841. *faces*. Berol., Cael., Flor., alius Heins., exc. Jur., Mor., Rhen. et unus Sulm. *trabes*. Reliqui *faces*, quod mihi praeter majorem auctoritatem vett. librorum etiam sententiae bonitate praeferendum videtur. Non enim hic sermo est de incendio silvae, sed omnino de voracitate ignis, qui lignis alitur.

842. *petit*. Ita omnes fere codd. et vett. edd. Pauci codd. *cupit*, e v. 837. Unus Bersm., alter Erf. et unus Voss. *capit*. — *turbaque vorac. ipsa est*. III, 571. de amne: *et ab objice saevior ibat*.

843. *ora profani*. Vid. 820.

846. *fame* posteriori producta, ut V, 165. et XI, 369. — 847. Medic. 2., Bas. 4., Neap., Urb., III alii Heins. et ed. pr. *manebas*, quod temere edidit Heinsius. — *inattenuata*, non minuta, non satiata. De novo hoc vocabulo vid. VII, 356. et not. ad Trist. I, 5, 28.

848. *implacatae*, insatiabilis. Conf. XV, 94. Hor. Sat. II, 8, 4.

— — — — sic si grave non est,
Quae prima iratum ventrem placaverit esca.

Jam poeta ad proprium narrationis caput venit. Vid. v. 741. Burmannus conjecit *vigebas*, qua inductus causa non apparet.

849. *censu*, opibus, re familiari. Fast. I, 217.

In pretio pretium nunc est: dat census honores,
Census amicitias; pavper ubique jacet.

II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 1. 2., Vrat. et ed. pr. *et tandem*. Sed *et* rectius abest. Heinsius et Ciof. tacent. Deinde Vrat. et ed. pr. *dimisso*.

853. *qui raptae — habes*, qui nostrum pudorem rapuisti, delibasti. Nam praemia h. l. pro fructu sunt. — Pal. 2. *raptae qui*.

855. *modo*. „*quamvis ab hero sive domino ipsam* (praeeuntem) *sequente modo visa esset*.“ *modo* edd. Venn. et Ald., quod Heinsius tacite servavit. Leidensis et alter Heins. *nunc*. Reliqui Heinsii, Pal. 2., codd. Ciof. et Jahni omnes, item duo Bersm. et ed. pr. *ea*, quae scriptura mihi vera esse videtur, ut omnis orationis vis posita sit in verbis *visa esset*.

856. „*formamque ejus* (Mestrae) *novat* v. *mutat*.“ — Scripturam *cultus* poscit sententia et exhibent Pal. Dan. Heins., exc. Cal., unus Medic., pro v. l. Goth. 1. *Cultus* autem etiam ad instrumenta piscatoria referendus. *Gier*. — Pal. 2., omnes Ciof. et reliqui cum vett. edd. *vultus*. Male. Deinde *piscem* Par. 2., Berol., Flor., Hamb. 1., Medic. 1. 2., Neap., Lips. 2., Thu. et VI alii Heins. cum ed. pr. — Pal. 2. et vulg. *pisces*.

859. *aera*, aereos hamos. Fast. VI, 239.

Festa dies illis qui lina madentia ducunt,
Quique tegunt parvis aera recurva cibis.

Conf. Met. III, 586 seqq.

„Sic mare compositum, sic sit tibi piscis in unda
Credulus, et nullus, nisi fixus, sentiat hamos:
Quae modo cum vili turbatis veste capillis
Litore in hoc steterat - nam stantem in litore vidi -
Dic ubi sit: neque enim vestigia longius exstant.““
„Illa dei munus bene cedere sensit et, a se
Se quaeri gaudens, his est resecuta rogantem:
„„Quisquis es, ignoscas, in nullam lumina partem
Gurgite ab hoc flexi, studioque operatus inhaesi.
Quoque minus dubites, sic has deus aequoris artes
Adjuvet, ut nemo jamdudum litore in isto,
Me tamen excepto, nec femina constitit ulla!““
„Credidit et verso dominus pede pressit arenam,
Elususque abiit. Illi sua reddita forma est.
Ast ubi habere suam transformia corpora sensit,
Saepe pater dominis Triopeïda tradit. At illa
Nunc equa, nunc ales, modo bos, modo cervus abibat,
Praebebatque avido non justa alimenta parenti.
Vis tamen illa mali postquam consumserat omnem
Materiam, dederatque gravi nova pabula morbo;
Ipse suos artus lacero divellere morsu
Coepit, et infelix minuendo corpus alebat.
Quid moror externis? Etiam mihi saepe novandi

860. *Sic* in precibus et votis solemne, ubi alteri, quo paratius id quod ab eo petimus praestet, quae ipsi grata et exoptata sunt, vicissim optamus. XIV, 763. Vid. not. ad Trist. I, 9, 66. Proprium Latinis est, ut *sic* ipsas preces saepe antecedat, uti hoc loco; nam preces demum v. 862. sequuntur. Vid. not. ad Trist. II, 159. et Hor. Od. I, 4. ad Virgilium.

861. *credulus*. Conf. XIII, 934. Cod. Bersm., Cant., Dresd., Goth. 1. 2., Vrat., Zwicc. et nonnnlli Heins. *nullus*. Reliqui *nullos*, quod et ipsum ferri potest.

865. *sensit*. Berol., Pal. 2. et XII alii Heins. *sentit*, quod non video, cur cum his paucis codd. praeferendum putem, quum praesertim praeteritum *resecuta est* insequatur. — *a se se quaeri* dictum, ut II, 704. *Me mihi prodis*.

866. *resecuta*. Vid. VI, 36.

868. *studioque*, sc. piscandi. — *operatus*. VII, 746. *studiis operata Dianae*. Observatur a grammaticis participium temporis praeteriti verbi *operari* crebro pro praesenti poni. Vid. not. ad Her. IX, 35. et ad V, 113. et ad Met. VII, 746. Sed scripturam optimam *operatus* nonnisi Thu. et Medic. 3. servarunt. Nam Voss. *operosus*. Berol., Gron. et Sprot. *intentus*, ex gl. Dresd., Goth. 2., Lips. 1. 2., Rhen. et edd. Venn. *honeratus*. Vulg. *oneratus*.

869. *Sic — ut*. Prop. I, 18, 11.

Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes.

874. *sensit*. Rhen. et meliores (?) Heinsii *sentit*. — *suam Triopeïda*. *transformia*. Fast. I, 373. *transformis Proteus*.

875. *Triopeïda*, Triopae neptem; nam pater Erysichthonis Triopa fuit. Vid. ad v. 741. Edd. Venn., cod. Bersm., Goth. 1. 2. et Zwicc. *Driopeida*. Berol. *Driopida*. Dresd. et Lips. 1. 2. *Driopeia*, Vrat. *Dryopeia*. Unus Heins. *Triopaeam*. De reliquis Heinsii non liquet. - *tradit* i. e. vendit, quod exhibent VI Heins. et Gron. 1., ex glossa.

877. *non justa*, quia emptores fallebantur.

879. *dederatque — morbo*. V. 844. *cibus omnis in illo causa cibi est*. Sensus est: et ea materia *gravi morbo nova pabula sive incrementa dederat*. — Goth. 2. a corr. et Lov. *dederantque*.

880. *lacero*, dilacerante.

881. „*et eo quod minueret corpus, alere tentabat*.“ Nimis argute.

882. *externis*, sc. Mestra et Proteo. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Pal.

Corporis, o juvenes, numero finita potestas.
Nam modo, qui nunc sum, videor, modo flector in anguem,
Armenti modo dux vires in cornua sumo; —
Cornua, dum potui: nunc pars caret altera telo
Frontis, ut ipse vides.“ Gemitus sunt verba secuti.

2., Lips. 1. 2., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *novandi est*. Heinsius tacet.

883. *o juvenes*. Theseus, Lelex et ceteri. Vid. v. 728. — *numero finita*, quia in taurum tantum et anguem mutari poterat.

884. *flector*, mutor, sed ita, ut respiciat naturam serpentis. II, 138.— Cod. Bersm., Berol., Erf. 1., Grou. 1., Rhen., Vrat., II Heins. et ed. pr. *quod nunc sum*, quod sine causa edidit Heinsius.

885. *armenti dux*, taurus. — *vires in cornua sumo* i. e. colligo. Virg. G. III, 232. *irasci in cornua*, ibique Voss. et Wagner. Euripid. Bacch. 742. ταῦροι δ' ὑβρισταὶ χεὶς κέρας θυμούμενοι. *Bach*. — 886. *cornua dum potui*, quod est *in cornua dum potui*, sc. sumere, dum *cornua* habui, et non *unum tantum cornu*, ut nunc. Vis omnis posita est in plurali numero *cornua*. — Ceterum altero cornu fluvii deus spoliatus in certamine cum Hercule, ut in sequenti libro copiose narratur. — Scripturam *dum potui* praeter bonitatem sensus confirmant Arond., Berol., Flor., exc. Jur., Medic. 2., Neap., Par. 1, 2. et IV alii Heins. — Medic. 3. et Vat. 2. *dum gessi*. Reliqui cum vett. edd. *dum sumsi*, quod rectum videri posset, si *cornua sumo* et non *vires in cornua sumo* antecessisset.

887. *gemitus sunt verba secuti*. Illa *verba* referuntur ad magnam partem insequentis libri. Quare Heinsius male ex uno Zulich. delicias suas *sua verba* loco *sunt verba secuti* substituit, quod etiam propter omissum verbum *sunt* offendit, de testimonio veterum librorum ne dicatur.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER NONUS.

Quae gemitus truncaeque deo Neptunius heros
Causa rogat frontis; cum sic Calydonius amnis
Coepit, inornatos redimitus arundine crines:
„Triste petis munus; quis enim sua proelia victus
Commemorare velit? Referam tamen ordine. Nec tam
Turpe fuit vinci quam contendisse decorum est,'
Magnaque dat nobis tantus solatia victor.
Nomine si qua suo tandem pervenit ad aures
Deïanira tuas: quondam pulcherrima virgo
Multorumque fuit spes invidiosa procorum.
Cum quibus ut soceri domus est intrata petiti,

1. *Achelous narrat, se olim cum Hercule de Deïanira filia Oenei, regis Calydonis sive Aetoliae* (Vid. ad VIII, 260.) *et Althaeae, pugnasse variisque sumtis figuris tandem altero cornu privatum ac victum esse; quo facto Herculem Deïaniram duxisse, cornu autem sibi abruptum a Najadibus pomis ac floribus impletum Copiae deae sacratum esse.* Hyg. F. 31. Apollod. II. c. 7. Sophocl. Trachin. Strab. X. p. 458. Diod. Sic. IV. c. 34.

1. *Neptunius heros*, Theseus. Aethra enim juxta quosdam auctores Theseum non ab Aegeo rege Athenarum, sed a Neptuno peperit. Apollod. III. c. 15. Meurs. in Thes. c. 1. Ceterum haec verba arcte cohaerent cum fine libri octavi.

2. *Calydonius amnis*. Vid. ad VIII, 730.

3. *inornatos red. ar. crines*, ad morem deorum fluviorum. Conf. v. 100. XIII, 894. Virg. Aen. VIII, 33. Vellej. II. c. 83. — De accusativo *crines* vid. ad I, 332.

4. *munus*, officium. — *proelia* gravius quam lucta, certamen.

5. *referam — ordine*. Conf. V, 335.

6. De sententia hujus versus conf. V, 191. 73. II, 281. VIII, 776. XI, 604. XII, 80. XIII, 19. Aelian. Var. Hist. XIV. c. 4. Cic. Brut. I. de Hortensio: *cum quo certare erat gloriosius, quam omnino adversarium non habere.* — Berol., Pal., Zwicc., III Heins. et edd. Venn. et ed. Parm. *est* omittunt; reliqui *decorum est;* recte: nam nunc etiam decorum esse dicit.

8. *tandem*, post longum tempus, quo etiam minus memorabiles res longe propagantur. Nam illud *si qua* quoque declarat, non satis celebrem fuisse mulierem. De sensu totius versus conf. X, 560. — Ceterum expressus hic versus videtur e Virg. A. II, 81.

Fando aliquod si forte tuas pervenit ad aures
Belidae nomen Palamedis. . .

Conf. Met. XV, 497. X, 560.

10. *spes invidiosa procorum*. Conf. IV, 795. et XI, 88.

„„„Accipe me generum," dixi „Parthaone nate!""
„Dixit et Alcides; alii cessere duobus.
Ille Jovem socerum dare se famamque laborum,
Et superata suae referebat jussa novercae.
Contra ego „„„Turpe deum mortali cedere" " dixi -
Nondum erat ille Deus:- „dominum me cernis aquarum,
„„„Cursibus obliquis inter tua regna fluentem.
Nec gener externis hospes tibi missus ab oris,
Sed popularis ero et rerum pars una tuarum.
Tantum ne noceat, quod me nec regia Juno
Odit, et omnis abest jussorum poena laborum.
Nam, quo te jactas Alcmena matre creatum,
Jupiter aut falsus pater est aut crimine verus.
Matris adulterio patrem petis. Elige, fictum
Esse Jovem malis, an te per dedecus ortum."""
„Talia dicentem jam dudum lumine torvo
Spectat, et accensae non fortiter imperat irae,

12. *Parthaone natus*, Oeneus. (VIII, 542.), pater Deïanirae.

13. *Alcides*, Hercules ab adversario suo dicitur, licet filius esset Alcmenae et Jovis (VI, 112.), non Amphitryonis, qui filius fuit Alcei. Eodem modo v. 140. appellatur *Amphitryoniades*. Auctore Lactantio in argumento pater promiserat, se filiam daturum ei, qui lucta vicisset. Hinc ceteros proocs metu *cessisse* Herculi et Acheloo. Sed poeta properat ad eventum. — *alii*, ceteri.

14. *famamque laborum etc.* Juno odio et invidia Alcmenae pellicis, filio ejus Herculi per Eurystheum, filium Stheneli, regis Mycenarum, notos illos XII labores (v. 182 seqq.) imposuit. Inde *jussa novercae*, q. e. Junonis.

16. *dixi*. Unus Strozz. *duxi*.

17. *nondum erat ille deus*. Apotheosis Herculis infra v. 230 seqq. narratur. — Medic. 1. et 2., Neap., Nor. et II Heins. *regem me*. Par. 2. et multi (?) Heinsii *numen me*. Cael. et unus Sulm. *me numen*. Reliqui *dominum me*. Mirum est, Heinsium iterum, quod pauci libri habent, maluisse, quam quod plurimi et optimi; nam edidit *regem me*.

18. *inter tua regna*. Vid. ad VIII, 730. — *obliquis*, non rectis. Conf. II, 130. Goth. 1., Vat. 1. et III alii Heins. *intra*, quod temere edidit Heins.— Thu. *fluentum*, quod male idem invexit Heinsius. Germanice: *du siehst in mir eines der Wasser, welches . . . fliesst.* — Duo urget fluvius, quod dominus aquarum sit et quod in regno Oenei fluat.

19. *nec g. externis hospes missus ab oris*, ut Hercules, qui Tirynthe in Argolide (VI, 112.) venerat.

20. *rerum – tuarum*, regni tui, possessionum tuarum. VII, 509. Conf. XI, 216. — Lov. *pars priva*.

21. *nec odit et abest*, i. e. *et non odit et abest*. Conf. II, 42. Trist. V, 12, 63.

Nec possum et cupio non ullos ducere versus.

21. 22. Vid. not. ad v. 14. — *juss. poena laborum*, i. e. labores poenae loco impositi, non sponte suscepti. Dicta haec sunt ad minuendam gloriam illorum laborum. Vid. not ad v. 14.

23. Dilemmate admodum molesto premit Herculem. Jungendum autem: „*Nam Jupiter, quo te jactas, Alcmena matre, creatum, aut falsus pater est aut crimine verus.*" — *falsus*, fictus. Conf. I, 754. *crimine*, turpi adulterio, quod statim cum vi sequitur. — Lov. *quo tu*. Pal. 2., Par. 1. et vett. edd. et Bas. 1. a 1. m. *quo te*. Reliqui *quod te*, quod nunc vulgo editur, quod tamen teneri nullo modo potest: nam Herculis gloria ac nobilitas minime posita erat in Alcmena matre, sed in eo, quod Jupiter pater esset.

25. *matris adulterio patrem petis*, matrem turpem facis adulteram, ut Jovem habeas patrem.

27. *lumine torvo*. II, 752. — *jam dudum*, continuo. II, 843. *jam dudum petunt*. Virg. A. IV, 362.

Talia dicentem jam dudum aversa tuetur.

28. *non fortiter*. fortis enim animi est, irae temperare.

Verbaque tot reddit: „„Melior mihi dextera lingua.
„„Dummodo pugnando superem, tu vince loquendo!““
„Congrediturque ferox. Puduit modo magna locutum
Cedere; rejeci viridem de corpore vestem,
Brachiaque opposui, tenuique a pectore varas
In statione manus, et pugnae membra paravi.
Ille cavis hausto spargit me pulvere palmis,
Inque vicem fulvae tactu flavescit arenae;
Et modo cervicem, modo crura micantia captat
Aut captare putes, omnique a parte lacessit.
Me mea defendit gravitas, frustraque petebar,
Haud secus ac moles, quam magno murmure fluctus
Oppugnant: manet illa, suoque est pondere tuta.
Digredimur paullum, rursusque ad bella coimus,
Inque gradu stetimus, certi non cedere; eratque

29. *tot*, non nisi haec. XII, 469. — Berol., Goth. 1. 2., Zwicc. et edd. Venn. et Ald. *lingua est*. Heinsius *est* tacite delevit, quod II Bersm. et reliqui mei non agnoscunt. *Jahn*. Ad illa *melior mihi dextera lingua* cf. XIII, 9.

30. *dummodo etc.* Conf. XIII, 10 — 13.

31. *magna locutum*. Conf. I, 751. VI, 151.

32. *viridem*, ab aquae colore ductum epitheton. Cf. I, 275. et II, 12. — *rejicere*, h. l, pro *abjicere* est. Vid. ad I, 582. Eodem modo Virg. Aen. V, 421. de luctatore: *duplicem ex humeris rejecit amictum*. — Berol. *pallam*. Goth. 2. *dejeci*, ex glossa.

33. *varas*. Bersm. 2. et Vrat. *vanas*. Vivian. *curvas*. Stat. Theb. VI, 850. in descriptione certaminis:

Tum madidos artus alterno pulvere siccant,
Collaque demersere humeris, et brachia late
Vara tenent.

Adde Martial. VII, 31. Nam *varas* declarat projectas et recurvas.

34. De *statione* in luctantibus vid. Bernartius ad Stat. Theb. I, 148. ac de verbo *stare* hoc sensu vid. Brouckh. ad Prop. III, 12, 7.

35. *spargit pulvere*. quod fiebat, ut oleo infusus adversarius melius manu capi ac teneri posset, uti patet e Statii loco modo allato. Vid. Tertull. de Pall. p. 217. et Mercurial. de arte Gymn. I. c. 8. — Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 1. 2., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *sparsit*. Heinsius tacite edidit *spargit*, quod margo ed. Bersm., Berol. et Rhen. tuentur.

36. *flavescit*, quia arena flava. Etiam Martial. VII, 66, 5. *flavescere haphe*. Scilicet *haphe*, Gr. ἁφή, *tactus pulveris*. Vid. Gron. Obss. III. c. 18. p. 593. Unde apparet scripturam *tactu* h. l. veram esse, et quam Berol., Hamb. 2., Rottend., Zwicc. et III Heins. exhibent *jactu*, mendosam atque corruptam. Conf. P. Faber L. III. Agonist. c. 22.

37. *micantia*, quae celeriter movebantur. Fast. III, 36. *corque timore micat*. Etiam Hom. Od. VIII, 265. celerrimos motus saltantium vocat μαρμαρυγὰς ποδῶν, coruscationes, micationes pedum. Metaphora haud dubie a celeri ignis motu petita. De re Virg. Aen. V, 430.

Ille pedum melior motu, hic membris et mole valens.

Huc pertinet etiam Stat. Theb. VI, 861.

Collaque pectoraque et vitantia crura lacessit.

IV Heinsii codd. *trementia*, ex glossa. — *captat*, saepe capit, prehendit.

39. *petebar*. Lips. 1. et plurimi (?) H. *petebat*. *gravitas*, pondus ac moles corporis. — 41. Cod. Bersm., Goth. 2., Par. 1. et Zwicc. *oppugnat*. Heinsius tacite edidit *oppugnant*, quod Par. 2. et reliqui cum vett. edd. tuentur. Virg. A. X, 693. de Mezentio puguante:

Ille velut rupes, vastum quae prodit in aequor
Obvia ventorum furiis expostaque ponto etc.

manet, ut I, 288.

42. Heinsius tacite edidit *rursumque*, quod Goth. 2. et Rhen. exhibent. — *coimus*, congredimur. — 43. *gradus* idem quod status luctantium est. — *in*

Cum pede pes junctus, totoque ego pectore pronus
Et digitos digitis et frontem fronte premebam.
Non aliter vidi fortes concurrere tauros,
Cum pretium pugnae toto nitidissima saltu
Expetitur conjux. Spectant armenta paventque,
Nescia quem maneat tanti victoria regni.
Ter sine profectu voluit nitentia contra
Rejicere Alcides a se mea pectora; quarto
Excutit amplexus, adductaque brachia solvit,
Impulsumque manu - certum est mihi vera fateri -
Protinus avertit, tergoque onerosus inhaesit.
Si qua fides: - neque enim ficta mihi gloria voce
Quaeritur - imposito pressus mihi monte videbar.
Vix tamen inserui sudore fluentia multo
Brachia, vix solvi duros a pectore nexus;
Instat anhelanti, prohibetque resumere vires,
Et cervice mea potitur. Tum denique tellus
Pressa genu nostro est, et arenas ore momordi.

gradu stare opponitur orationi *de gradu dejici, moveri, depelli.* — *certi,* confirmati animo. Her. VII, 7.

Certus es ire tamen miseramque relinquere Dido.

Conf. Met. X, 394. 428.

44. *promus.* Vid. ad X, 652. Tyrtaeus p. 101.

Καὶ πόδα παρ' ποδὶ θεὶς, καὶ ἐπ' ἀσπίδος ἀσπίδ' ἐρείσας.

Conf. Hom. Il. XIII, 130.

46. Berol. et Rhen. *fortes vidi.* Hujusmodi taurorum proelium de formosa juvenca copiose et eleganter describit Virg. Georg. III, 217 sqq. Conf. Ovid. Amor. II, 12, 25 sqq. Virg. Aen. XII, 716.

Stat pecus omne metu mutum mussantque juvencae,
Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur.

47. *nitidissima* proprie de pulcritudine juvencarum; declarat enim et pinguedinem et inde orientem nitorem. *Gierig.* — 48. *conjux,* de vacca. Conf. I, 660. et Hor. Od. I, 17, 7.

49. Cod. Bersm., Goth. 2. et Zwicc. *tanti maneat.* Idem Bersm. et XII Heinsii codd. et nonnulli Naug. *belli.* Apud Virg. G. l. l. v. 228. taurus in tali proelio victus: *stabula adspectans regnis excedit avitis*

52. *adducta brachia* sunt adstricta, arctata, sive quibus Herculem ad se duxerat vel traxerat atque premebat. — Medic. *exuit.* Singuli Heins. *extulit, excitat, concutit.* — *Excutere amplexus* pro *exuere se amplexibus* dictum est, quomodo *excutere onus* Fast. I, 624. *excutere jugum* Fast. I, 624. et alia.

53. *certum est.* Heinsius tacite *est* omisit. — 54. *avertit,* a se vertit et ita rotavit, ut tergum ei obverterem, quod insiliret. Bas. 1., Berol., Gron. 1., Medic., Pal. 2. et plurimi alii Heins. *advertit.* Mendose. — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Pal. 2. et Rhen. *adhaesit.* — *onerosus* bene de Herculea mole. Conf. v. 273.

55. Goth. 1. *enim ficta nunc gl.* Goth. 2. *neque ficta mihi gl.,* sed superscriptum *neque enim.* Berol. *neque enim ficta mihi nunc gl.*

57. *inserui,* sc. inter brachia ejus et corpus sive pectus meum. — III Heins. et Bas. 3. *exserui.*

58. *nexus solvere* i. q. v. 52. *adducta brachia solvere.* Cod. Bersm., Bas. 1—4., meliores (?) Heins., Dresd., Goth. 1., Par. 1., Rhen., Lips. 1., Zwicc. et ed. pr. *a pectore.* Par. 2. et reliqui cum edd. Venn. et Parm. *a corpore.* Prius aptius est, Hercule in tergo ejus haerente, sic ut manus ejus in pectore connexae essent. — Ceterum versus 57. et 58. efficiunt protasin, a v. 59. incipit apodosis.

59. *resumere vires,* novas vires sumere. Conf. VIII, 883.

60. *potitur* penultima correpta. Vid. ad VII, 156. — 61. *arenas ore momordi.* Virg. Aen. XI, 418.

Procubuit moriens et humum semel ore momordit.

Inferior virtute, meas devertor ad artes,
Elaborque viro longum formatus in anguem.
Qui postquam flexos sinuavi corpus in orbes,
Cumque fero movi linguam stridore bisulcam;
Risit, et illudens nostras Tirynthius artes
„„Cunarum labor est angues superare mearum,“
Dixit „et, ut vincas alios, Acheloë, dracones,
„„Pars quota Lernaeae serpens eris unus echidnae?
Vulneribus fecunda suis erat illa, nec ullum
De centum numero caput est impune recisum,
Quin gemino cervix herede valentior esset.
Hanc ego ramosam natis e caede colubris
Crescentemque malo domui domitamque peremi.
Quid fore te credis, falsum qui versus in anguem

Est Homericum ὁδὰξ ἑλεῖν οὐδας. Vid. Heyn. ad Virg. A. X, 489.

62. *meas devertor ad artes*, sc. ad transformationes. Vid. VIII, 882 sqq. — Scripturam *devertor* exhibent cod. Bersm., vetustiores Heins., Berol., Dresd., Goth. 1., Rhen., Lips. 2. et Vrat. — Par. 1. 2. et reliqui *divertor*. Art. A. II, 425. *devertor ad medicas artes*. Remed. Am. v. 287.

— — *assuetas Circe decurrit ad artes.*

Conf. Art. A. II, 99.

63. *longum*. Conf. XI, 639. IV, 575. — 64. *qui* pertinet ad protasin. — *sinuavi*. Conf. III, 42.

65. *bisulcam*. VI Heins. *trisulcam*. Conf. IV, 587. III, 34. ibique not. Cf. etiam XV, 684. Plaut. Poen. V, 2, 74. *bisulci lingua quasi proserpens bestia*. — *movi*, vibravi.

66. *Tirynthius*, Hercules. VI, 112. VII, 410. — *illudere* cum dativo et cum accus. construitur. Virg. Aen. IX, 634.

— *i, verbis virtutem illude superbis.*

67. *cunarum labor*. Hercules infans in cunis duos a Junone immissos (v. 15.) serpentes manibus suis occidit. Aelian. H. A. XII. c. 5. Quint. Cal. VI, 202. Theocr. XXIV, 26.— 68. *ut*, fac, finge. Conf. II, 79.

69. *Lernaeae echidnae*. Unus ex XII Herculis laboribus fuit caedes Lernaeae (I, 597.) hydrae. Ea centum habebat capita, quorum si unum abscissum esset, duo (hinc *gemino herede* v. 72.) nova in ejus locum succrescerent. Senec. Herc. Oet. 93. *At quoties jacet Python in hydra?* Apollod. II. c. 5.

71. *de centum numero*. Cod. Bersm., Bas. 1. et III Heinsii *de capitum numero*. Alter Bersm., Dresd., Pal. 2. pro v. l., Rhen., Lips. 1. 2., Paris. 1. et a sec. m. 2., Zwicc., meliores (?) Heinsii, Bas. 4. in marg. et ed. pr. *de comitum numero*. Reliqui omnes et edd. Venn. *de centum numero*. Verisimile mihi videtur, poetam, cum monstrum illud centum capitum numero distingueretur et ἑκατογχέφαλον esset, alicubi etiam illius numeri expresse mentionem facere voluisse. Itaque duas priores scripturas librariis deberi, alteramque e similitudine scripturae, alteram e glossa esse natam. — *impune*, sine laboris ac periculi incremento.

72. Her. IX, 95.

Quaeque redundabat fecundo vulnere serpens
Fertilis et damnis dives ab ipsa suis.

73. *ramosam*, arboris ramosae similem, e qua capita tanquam rami exstarent. Conf. X, 21. et 349.

74. *domui domitamque*. Vid. ad I, 33. — *malo*, damno s. per damnum. — Incerta, licet ad sensum apta sit, scriptura *peremi*, quam Heinsius e II codd. primus recepit. Berol., Bas. 1. 4. *redegi*. Goth. 2. pro v. l. *resolvi*. Goth. 2., Medic. 4. et IX Heins. *subegi*. Cod. Bersm. *revici*. Lov., Pal. 1. et a 1. m. Par. 2.r *evinxi*, c. gl. Par. *in pulverem*. Arond. pro v. l. *repressi*. Alter Bersm. et V Heins. *reliqui*. Pal. 2., Par. 1. et reliqui cum vett. edd. *reduxi*, c. gl. Par. *ad nihilum*. Latet mendum.

75. *credis*. Heinsius etiam hoc loco, ut centum aliis cupidius induxit conjunctivum *credas*, quem Graev., Flor. et Leid. tuentur. Sed nihil dubitationis adest, et quid codices? — Ceterum animadverte copiam vel potius verbositatem poetae in verbis *falsum, alienae*,

Arma aliena moves? quem forma precaria celat?“ “
„Dixerat, et summo digitorum vincula collo
Injicit. Angebar, ceu guttura forcipe pressus,
Pollicibusque meas pugnabam evellere fauces.
Sic quoque devicto restabat tertia tauri
Forma trucis: tauro mutatus membra rebello.
Induit ille toris a laeva parte lacertos,
Admissumque trahens sequitur, depressaque dura
Cornua figit humo, meque alta sternit arena.
Nec satis hoc fuerat: rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit truncaque a fronte revellit.
Naïdes hoc, pomis et odoro flore repletum,
Sacrarunt, divesque meo Bona Copia cornu est.“
Dixerat; et nymphe, ritu succincta Dianae,
Una ministrarum, fusis utrimque capillis,
Incessit, totumque tulit praedivite cornu
Autumnum et mensas, felicia poma, secundas.
Lux subit; et, primo feriente cacumina sole,
Discedunt juvenes: neque enim, dum flumina pacem
Et placidos habeant lapsus, totaeque residant,
Opperiuntur, aquae. Vultus Achelous agrestes,

forma precaria. — De *falso angue* cf. III, 250. V, 11.

76. *quem forma pr. celat.* V, 326. *Et se mentitis superos celasse figuris.*

precaria, incerta. — De illo *arma aliena moves*, conf. V, 219

77. *summo collo*, ubi fauces, ut statim sequitur.— *angi* proprie de iis, quorum guttura comprimuntur, ut spiritum ducere nequeant. *Gierig.*

78. *guttura.* De accusativo illo vid. v. 3. 81. 238. et not. ad I, 332.

79. *pugnabam*, luctabar. Vid. II, 822.

80. *tertia:* nam in tres tantum formas se mutare poterat. Vid. VIII, 881 seqq. — *sic*, in serpentis forma.

81. *rebello*, bellum sive pugnam restauro, redintegro. — *Mutare* cum abl. vid. IV, 397. X, 157.

82. *induit*, injicit, implicat. — *toris.* Conf. II, 854.

83. *admissum*, incitatum, omnibus viribus currentem. Vid. ad I, 532. VI, 237. XI, 512. — Cod. Bersm., Arond., Cant., Dresd., Mor. 1., Rhen. et multi Heinsii *deprensaque.* Male. Sensus est: *vi depressit cornua et figit humo et me sternit arena.* Conf. v. 186.

85. *hoc.* Ambr. et Bonon. *id*, quod cupidius edidit Heinsius.

86. *truncæ*, ut fieret trunca.

87. *Naïdes*, Acheloi amnis vel Acheloi filiae.

88. *Bona Copia.* Hyg. F. 31. *cui* (Acheloo) *Hercules cornu detraxit, quod cornu Hesperidibus sive Nymphis donavit. Quod deae pomis replerunt et cornu Copiae appellarunt.* Conf. Apollod. II. c. 7. ibique Heyn. Hor. Carm. Saec. v. 59. *Apparetque beata pleno Copia cornu.*

89. Sequuntur mensae secundae (vid. ad 1.) et cum ad has poma apponerentur (VIII, 675.), poeta nympham donis autumni repletum *cornu* illud apponere facit. — Berol., Dresd., unus Heins., II Mor., Rhen. et Lips. 1. *at*, quod male induxit Heinsius. Vid. ad VI, 286. XI, 255. — *succincta*, quo expeditior esset in ministrando. Conf. VIII, 662.

90. *fusis capillis.* Conf. VI, 168.

92. *felicia*, excellentia. Conf. XIV, 627.

93. *lux subit*, ut VII, 634. *nox subit.* — *sol ferit* radiis suis, velut telis. Conf. VII, 804.

94. *juvenes*, Theseus comitesque laborum. Vid. VIII, 571 seqq. Illa *neque enim etc.* pertinent ad VIII, 549 — 559.

95. Bas. 4. in marg. *motaeque*, quod prave invexit Heinsius. — *totae resid.* est *plane resid. Residere* autem eleganter de iis, quae componuntur, sedantur. VII, 76.

Et lacerum cornu mediis caput abdidit undis.
Hunc tamen ablati domuit jactura decoris,
Cetera sospes habet; capitis quoque fronde saligna
Aut super imposita celatur arundine damnum.
At te, Nesse ferox, ejusdem virginis ardor
Perdiderat, volucri trajectum terga sagitta.
Namque, nova repetens patrios cum conjuge muros,
Venerat Eveni rapidas Jove natus ad undas.
Uberior solito, nimbis hiemalibus auctus,
Vorticibusque frequens erat atque impervius amnis.
Intrepidum pro se, curam de conjuge agentem
Nessus adit, membrisque valens scitusque vadorum;
„Officioque meo ripa sistetur in illa

97. *et lacerum.* Her. IX, 140. de eodem Acheloo:

Truncaque limosa tempora mersit aqua.

98. *hunc tamen. tamen* transitum efficit. Conf. v. 326. V, 200. 551. Sententia est: *Verumtamen hunc jactura decoris domuit* (decoris tantum jacturam fecit); *at Nessum ardor ejusdem virginis perdidit.* — Dresd. et unus Mor. *haud tamen.* Par. 1. 2., Zwicc. a corr., V Heins. et ed. pr. *hunc tantum.*

99. Alter Par. et pro v. l. Goth. 2. *erat*, quod temere edidit Heinsius. — *quoque.* Sensus est: *Attamen Achelous eo victus est, quod jacturam decoris fecit, in reliquis salvus erat; et hoc quoque capitis damnum* (amissum cornu) *fronde saligna aut arundine celat etc.*

100. *aut — arundine.* Conf. v. 3. — *damnum*, jactura.

101. *Nessus Centaurus, filius Ixionis Thessalorum regis, Deïaniram Herculis uxorem, quum eam per flumen Evenum portaret, vi ablaturus ab Hercule sagitta confossus est. Moribundus Deïanirae vestem cruore et sagittae illius veneno illitam dedit, quae irritamen amoris foret. Itaque quum postea Hercules Iolen Euryti, Oechaliae regis, filiam amaret, Deïanira ei per Lichan famulum vestem illam misit, qua veneni furore correptus Lichan prehensum in mare projecit, ubi in rupem mutatus est. Hercules in monte Oeta vivus in bustum se projecit igneque consumtus ab Jove inter deos translatus sive in deum conversus est.* Hyg. F. 34. et 36. Apollod. II, 7. Sophocl. Trachin. v. 500 seqq. Diod. Sic. IV. c. 36.

101. *ejusdem virginis*, Deïanirae. Nam virgo h. l. pro femina juvene est.

102. *terga.* Accus. Graecus. Conf. v. 81. et vid. ad I, 332. — *sagitta*, ab Hercule missa.

103. *patrios muros*, Tirynthem, ubi jussu oraculi habitabat Hercules. Apollod. l. l. Conf. VI, 112. VII, 410.

104. *Jove natus.* Vid. ad v. 23. et conf. VI, 112. — *Evenus*, amnis Aetoliae, qui Calydona praeterfluebat. VIII, 528. Lucan. VI, 208.

— *Meleagraeam maculatus sanguine Nessi*
Evenos Calydona secat.

105. Berol., Par. 2. pro v. l., Gron. 1., unus Medic. et Vrat. *uberius*, quod primus dedit Heinsius, commate post *solito* deleto. Sed recte habet scriptura omnium prope codicum et vett. edd. Verba *nimbis hiemalibus auctus* explicandi causa addita. Conf. v. 112. VI Heins. *nimbisque hiemalibus.* — *hiemalibus.* Fast. II, 390. *Albula — hibernis forte tumebat aquis.*

106. *vorticibusque frequens.* VIII, 329. Rhen. *fremens.*

107. *intrepidus pro se.* Conf. v. 241 et I, 182. — *cura de conjuge*, ut Trist. III, 11, 70. IV, 3, 17. — Cod. Bersm., Dresd., Goth. 2. et plurimi Heinsii teste Burmanno *habentem.* Sed *agentem* gravius est; et sic passim legitur. Vid. not. ad Her. XVI, 302.

108. *scitusque vadorum.* Fast. V, 54. *scita Thalia lyrae.* — Ceterum Nessus erat πορθμεὺς s. vector ad illum fluvium, qui trajicere viatores solebat. Soph., Strab., Paus. et Apollod. l. l.

109. „*et ait: haec officio meo. . ., tu viribus . .*“ — *sistetur* in ripa. *Sistere* construitur, ut *ponere* et *colle-*

Haec," ait „Alcide: tu viribus utere nando."
Tradidit Aonius pavidam Calydonida Nesso,
Pallentemque metu fluviumque ipsumque timentem;
Mox, ut erat pharetraque gravis spolioque leonis, –
Nam clavam et curvos trans ripam miserat arcus –
„Quandoquidem coepi, superentur flumina," dixit;
Nec dubitat, nec, qua sit clementissimus amnis,
Quaerit, et obsequio deferri spernit aquarum.
Jamque tenens ripam missos cum tolleret arcus,
Conjugis agnovit vocem; Nessoque paranti
Fallere depositum „Quo te fiducia" clamat
„Vana pedum, violente, rapit? Tibi, Nesse biformis,
Dicimus, exaudi, nec res intercipe nostras.
Si te nulla mei reverentia movit, at orbes
Concubitus vetitos poterant inhibere paterni.
Haud tamen effugies, quamvis ope fidis equina:
Vulnere, non pedibus te consequar." Ultima dicta
Re probat, et missa fugientia terga sagitta
Trajicit. Exstabat ferrum de pectore aduncum.
Quod simul evulsum est, sanguis per utrumque foramen

care. hinc etiam cum solo abl. III, 635., ut alibi *ponere*.

110. *Alcide*. Vid. ad v. 13.

111. *Aonius* Hercules appellatur, quia Amphitryon, putativus ejus pater (vid. ad v. 13.), Thebanus erat. Nam *Aonia* est Boeotia. I, 313. VII, 763. — *Calydonida*. Deïaniram. Vid. ad v. 1.

112. Alii editores versum hunc ante versum 111. ponunt. Verba *fluviumque — timentem* causam continent, cur *pavida* et *pallens metu* fuerit, itaque recte in fine, non in medio ponuntur. Atque optimum eum verborum ordinem exhibent cod. Dresd., Goth. 1., Par. 1. 2., vetustiores plerique Heins. et edd. Venn. et Ald.

113. *ut erat*. V, 601. VI, 132. 244. II, 272. — *spolioque leonis*. Hercules Nemeaei leonis occisi (vid. v. 197.) pelle impenetrabili tegebatur. Conf. III, 81.

114. *clavam*. *Clava* constans Herculis telum. Fast. II, 324. — Cod. Bersm., Goth. 1. 2., Par. 1., Lips. 1., Sulm. 1. et Zwicc. *jecerat*, ex gl. Vid. 118. Heinsius de suis codd. tacet.

115. *superentur*, nando trajiciantur.

117. *obsequio aquarum deferri* de eo dicitur, qui cursum et impetum aquarum sequitur. Art. A. II, 181.

Obsequio tranantur aquae: nec vincere possis
Flumina, si contra, quam rapit unda, nates.

118. *missos*. Versu 114. *miserat*.

119. *paranti*. Cod. Bersm., meliores Heins., Lips. 1., Par. 2. et ed. pr. *parante*. Medic., Pal. 2. et unus Heins. *parantem*. Reliqui omnes cum edd. Venn. *paranti*. Optime, Terent. Andr. III, 2, 11. *Illis quae sunt intus clamat de via*. Senec. Ep. 27. *Clamo mihi ipse: numera annos tuos*.

120. *fallere depositum*. *Depositum* est, quod alicujus fidei commissum est. Conf. V, 480.

121. *Nesse biformis*. Vid. ad II, 630. — *tibi dicimus* formula indignantis et minantis est. — 122. De illo *intercipe* conf. VIII, 292.

123. *orbes paterni*, patris rota. Ixion, pater Centaurorum, cum Junoni vim inferre parasset, in Tartaro rotae alligatus assidue volvi dicebatur. IV, 461. X, 42. — *at*, at certe. Conf. Virg. A. VI, 405.

125. *ope equina*, h. e. ope sive velocitate pedum equinorum, cum acumine dictum, quia Centauri inferiori corpore equi erant. II, 630. — *quamvis* cum indic. vid. not. ad v. 471. De constructione verbi *fidere* vid. ad X, 69.

126. *vulnere*, sagitta vulnifica. Virg. Aen. II, 529. *infesto vulnere insequitur*.

127. Pal. 2. et multi e vetustioribus Heins. et ed. pr. *res probat*.

129. *per utrumque foramen*; nam terga trajecerat, et ferrum de pectore exstabat.

Emicuit, mixtus Lernaei tabe veneni.
Excipit hunc Nessus, „Neque enim moriemur inulti,“
Secum ait; et calido velamina tincta cruore
Dat munus raptae, velut irritamen amoris.
Longa fuit medii mora temporis; actaque magni
Herculis implerant terras odiumque novercae.
Victor ab Oechalia Cenaeo sacra parabat
Vota Jovi; cum Fama loquax praecessit ad aures,
Deïanira, tuas, quae veris addere falsa
Gaudet et e minimo sua per mendacia crescit,
Amphitryoniaden Ioles ardore teneri.
Credit amans, venerisque novae perterrita fama
Indulsit primo lacrimis, flendoque dolorem
Diffudit miseranda suum; mox deinde „Quid autem
„Flemus?“ ait: „pellex lacrimis laetabitur istis.
„Quae quoniam adveniet, properandum aliquidque novandum est,
Dum licet et nondum thalamos tenet altera nostros.
Conquerar, an sileam? Repetam Calydona, morerne?
Excedam tectis, an, si nihil amplius, obstem?

130. *tabe veneni.* Sagittas suas Hercules sanguine Lernaeae hydrae (v. 69.) infecerat. Conf. III, 49. Itaque quicquid illis figebat, moriebatur.

131. „*Excipit hunc Nessus et secum ait:* (bene habet;) *non enim moriemur inulti.*“ De illa positione et conjunctione particulae *neque* conf. V, 414. 453. VIII, 203. 481. 560. X, 569.

132. *raptae*, quam rapere tentarat. — *velut irritamen amoris*, velut philtrum sive remedium, *quod vires defecto reddat amori*, ut est v. 54. *Irritare amores* est I, 462.

134. *medii temporis.* Conf. IV, 167. VIII, 652. — 135. *novercae.* Conf. v. 15. — *implere odium* est pro satiare, placare. Amat Ovidius diversa, ut h. l. *terras* et *odium*, eodem verbo conjungere. Sic alibi *verba et vela ventis dare*, *cum foedere solvere naves*, al. Vid. index in *dilogia.*

136. *victor ab Oechalia*, i. e. victor Oechaliae, ut *pastor ab Amphryso* Virg. Georg. III, 2. Sed rectius accipitur pro casu loci, ut VIII, 410. *obstitit — ab arbore ramus.* XV, 569. *ut victor domito remeabat ab hoste.* Strabone auctore (XIV.) Oechalia oppidum fuit Euboeae. Alii in aliam terram collocant, ut Apollod. II. c. 7. Conf. Mela II. c. 7. — Priorem sententiam sequitur Ovidius, uti patet ex *Cenaeo Jovi.* Cenaenm enim promentorium est Euboeae. Sophocl. Trach. v. 237.

ἀκτή τίς ἐστ' Εὐβοιΐς, ἔνθ' ὁρίζεται
βωμοὺς τέλη τ' ἔγκαρπα Κηναίῳ Διΐ.

Conf. ibid. v. 752. et 994. — 137. *vota* intellige, quae voverat, si Jupiter sibi adesset in urbe expugnanda. Ceterum Hercules expugnata Oechalia Iolen, caesi regis Euryti filiam captam amavit, ut statim sequitur. Goth. 2. et multi Heins. et edd. Venn. *pervenit.*

139. *e minimo.* Duo Heins. codd., Lips. 2. et ed. Ald. *e minima.* — De Fama vide elegantissimum locum XII, 39 seqq. Conf. Virg. A. IV, 173 sq.

140. *Amphitryoniaden.* Vid. ad v. 13.

141. *credit amans:* nam *credula res amor est*, ut legitur VII, 826.

143. *diffudit.* Bene *diffudit;* nam quae *diffunduntur*, in diversas partes funduntur, ea evanescunt. *Gier.* Her. VI, 61.

Flere licet certe: flendo diffundimus iram.

145. „*quae quoniam* (*huc*) *adveniet.*“ Sine omni causa Heinsius e Par. 2. et II aliis edidit *adventat.* — *novare*, de audaci vel inaudito facinore saepe apud Nasonem legitur.

146. *altera.* II, 513.

147. *Calydona*, patriam. Vid. 114.

148. „*an si nihil amplius* (faciam), *obstem?*“ Illa *si nihil amplius* explicantur versibus 149 — 151. — Scriptu-

Quid si, me, Meleagre, tuam memor esse sororem,
Forte paro facinus, quantumque injuria possit
Femineusque dolor, jugulata pellice testor?“
Incursus animus varios habet: omnibus illi
Praetulit imbutam Nesseo sanguine vestem
Mittere, quae vires defecto reddat amori;
Ignaroque Lichae, quid tradat nescia, luctus
Ipsa suos tradit, blandisque miserrima verbis,
Dona det illa viro, mandat. Capit inscius heros
Induiturque humeris Lernaeae virus echidnae.
Tura dabat primis et verba precantia flammis,
Vinaque marmoreas patera fundebat in aras;
Incaluit vis illa mali, resolutaque flammis
Herculeos abiit late diffusa per artus.
Dum potuit, solita gemitum virtute repressit:
Victa malis postquam est patientia, repulit aras,

ram *an si* tuentur cod. Bersm., Berol., Medic. 1., Par. 1., Rhen., Spir., Vrat., III Heins. et ed. pr. — Goth. 1., Lips. 1. 2. ac multi Heins. *ac si*. Alii Heins. *ut si*, *aut si*, *et sic*. Zwicc. *at si*. Dresd. et reliqui cum vulg. *an sic*.

149. De *Meleagro* vid. ad VIII, 260. Her. IX, 151.

Tu quoque cognosces in me, Meleagre, sororem.

memor esse Berol., unus Ambr., Par. 2., Flor. et alius Heins., exc. Langerm. et Leid. — Reliqui *Quid si me M. tuam memorem e. s.*, in qua scriptura aut *memorem* a *memoro* accipiunt et post *sororem* interrogandi signum ponunt, quod parum aptam praebet sententiam; aut *memorem* pro adjectivo accipientes, verbis: *jorte paro facinus* in parenthesi positis, reliqua ad *testor* referunt, contorta admodum constructione. — Lips. 1. 2., Zwicc. et vett. edd. *quod si*.

150. *possit*, valeat. — „*injuria*, sensus injuriae acceptae.“ *Gier.*

151. *jugulata*. Sic Heinsius tacite edidit, quod vetustum exemplum Raph. Regii, unus Sulm., II Bersm., Dresd., Berol., Goth. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et ed. pr. tuentur. — Alter Sulm., Vat. Ciof., V alii Heins., Goth. 1. et Lips. 2. *jugulanda*. Vulg. *vulgata*. Cod. Raph. Regii et unus Sulm. etiam *tester*.

152. Codd. Ciof., Dresd., Mor. 2. et Rhen. *illi*, sc. Herculi. Vulg. *illis*. minus eleganter. — 153. *Nesseo sanguine*. Vid. v. 133.

154. *defecto*, qui defecit. Cf. XIII, 477. Fast. III, 674. *Gier.*

155. *Lichae*. Vid. ad v. 98. — *Lichae* edidit Heinsius, quam scripturam hic et infra Par. 1. 2. et reliqui plerique tuentur. Dresd. ubique *Licas*. Vrat. h. v. *Lychas*, v. 211. 213. et 229. *Lycas*. Ed. pr. v. 155. 211. 213. *Lycas*, v. 229. *Lychas*. Edd. Venn. v. 155. 229. *Licas*, 211. 213. *Lichas*. — *luctus*, causam vel materiam luctus futuri.

156. Cod. Bersm., Strozz., Vat. et VI alii Heins. *dictis*.

158. *induiturque — virus*. Virus est accus. pro *venenatam vestem*. I, 332. Conf. IV, 483. VI, 568. — 159. Indutus illa veste sacra facit, quae ante (v. 136.) paraverat. — *primis*, initio sacrorum. De dilogia *tura dabat et precantia verba* conf. VI, 160. et not. ad VII, 248. et ad IX, 279. Virg. A. VII, 237. audacius:

Praeferimus manibus vittas et verba precantia —

Tib. III, 3, 2.

Blandaque cum multa tura dedisse prece.

Ut hic *precantia verba*, sic infra v. 215. *excusantia* et V, 105. *exsecrantia verba*.

160. *fundere* sine praepositione *ex* vel *de* etiam Virg. Aen. V, 98. Vid. ad v. 109. et index sub v. *ponere* et *mergere*.

162. *Herculeos*, Herculis. Conf. v. 153. — Cod. Bersm., Berol., Pal. 2., Lips. 2., Vat. Ciof., multi e melioribus Heinsii et ed. pr. *dilapsa*, e Virg. Georg. IV, 410. — 163. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1., Par. 1., Lips. 1. et Zwicc. *gemitum solita*.

164. *malis*, cruciatibus. Heinsius tacite *est* delevit. — Dresd., Lips. 1. 2., Vrat. et edd. Venn. *reppulit*. — In

Implevitque suis nemorosam vocibus Oeten.
Nec mora, letiferam conatur scindere vestem:
Qua trahitur, trahit illa cutem, foedumque relatu,
Aut haeret membris frustra tentata revelli,
Aut laceros artus et grandia detegit ossa.
Ipse cruor, gelido ceu quondam lamina candens
Tincta lacu, stridet coquiturque ardente veneno.
Nec modus est: sorbent avidae praecordia flammae,
Caeruleusque fluit toto de corpore sudor,
Ambustique sonant nervi; caecaque medullis
Tabe liquefactis, tollens ad sidera palmas,
„Cladibus," exclamat „Saturnia, pascere nostris;
„Pascere, et hanc pestem specta, crudelis, ab alto,
Corque ferum satia; vel, si miserandus et hostis,
Hostis enim tibi sum - diris cruciatibus aegram
Invisamque animam natamque laboribus aufer.
Mors mihi munus erit: decet haec dare dona novercam.
Ergo ego foedantem peregrino templa cruore
Busirin domui, saevoque alimenta parentis

sequentibus videndum poetae erat, ne quid heroi dolenti ipso indignum tribueretur. *Gier.*

165. Bas. 1., Berol., Flor., VII alii Heins. et ed. pr. *nemorosum*. Conf. v. 204. Her. IX, 147. Virg. Cul. v. 201. — Ceterum miraberis, quomodo Alcides, Jovi Cenaeo in Euboeae promontorio sacra faciens, *Oeten* (II, 217.) vocibus suis impleverit. Scilicet festinat poeta et corripuit s. contraxit labulam, omisso quomodo Hercules a Cenaeo in Oeten pervenerit. Vid. Apollod. l. l. Sophocl. in argum. Trach.

169. *grandia*, ingentia, ut alibi est. Huc pertinet Apollod. τὸν δὲ χιτῶνα ἀπέσπα προσπεφυκότα τῷ σώματι. συνεσπῶντο δὲ αἱ σάρκες αὐτῷ. Sophocles interprete Cic. Tusc. II. c. 8. *vestis lateri inhaerens morsu lacerat viscera*. Ceterum cum foeda hac Herculis morientis imagine conferatur Marsyae laniatio Met. VI, 387.

170. Conf. XII, 275 seqq. et Virg. Georg. IV, 172. — *quondam*, nonnunquam, in comparationibus imprimis solemne. Vid. VIII, 191. Eodem modo *olim*. Lucret. VI, 147.

Ut calidis candens ferrum e fornacibus olim
Stridit, ubi in gelidum propere demersimus imbrem.

Conf. XI, 508.

171. *stridet*. Berol., Flor., Neap., et III Heins. *stridit*. Causam formam antiquiorem apud Nasonem inducendi non video. Conf. VI, 646. XII, 279, ubi nulla varietas. Et notum est, Nasonem antiquam orationem raro affectare. Vid. ad Trist. I, 11, 19.

172. „*nec modus* (mali) *est*."

173. *caeruleus*, ab effectu veneni. Conf. I, 147. *lurida aconita*.

175. *caeca tabe*. Cf. III, 49. et 490. — Bas. 4., Goth. 1. et unus Heins. *tendens*, ut v. 293. et VI, 279. Reliqui omnes cum vett. edd. *tollens*.

176. *Saturnia*, Juno quae ei infesta et tot labores immiserat. V. 135. 22. I, 612. — *cladibus pascere nostris*. Cf. VI, 280 sqq.

178. *si mis.* — *hostis*. Conf. VI, 276. — Recta est conjectura Bothii *et hostis*. Aliter quae sequitur v. sequente explicatio: *hostis enim tibi sum* minus recta est. Vetusti libri omnes *hosti*.

180. *natam laboribus*. Dicitur etiam *natus in* et *ad labores*. Conf. XIV, 99. XV, 711. II, 223.

181. *decet — novercam, hoc* (mors) munus est noverca dignum. Conf. I, 147.

182. Ab hoc versu breviter tangit labores suos, ab Eurystheo, instigante Junone, ipsi impositos. Vid. Apollod. II. c. 5. ibique Heyn. — *ergo* indignantis ob labores frustra susceptos. *Gier.* Conf. VII, 172.

183. *Busiris*, rex Aegypti, hospites diis suis immolabat. Hercules eandem sortem subiturus regem cum ministris clava interfecit. Hyg. F. 31. Apollod. II. c. 5. — Heins. tacite edidit *Busirin*, quod Goth. 2., Rhen. et ed. pr. tuen-

Antaeo eripui, nec me pastoris Iberi
Forma triplex, nec forma triplex tua, Cerbere, movit?
Vosne, manus, validi pressistis cornua tauri?
Vestrum opus Elis habet, vestrum Stymphalides undae
Partheniumque nemus? Vestra virtute relatus
Thermodontiaco caelatus baltheus auro,
Pomaque ab insomni non custodita dracone?
Nec mihi Centauri potuere resistere, nec mî
Arcadiae vastator aper; nec profuit hydrae
Crescere per damnum geminasque resumere vires?
Quid, quod Thracis equos, humano sanguine pingues,

tur. Dresd. et Lips. 1. 2. *Busirī*. Reliqui fere *Busirim*.

184. *Antaeus*, filius Terrae, qui in Cyrenaica sive Libya habitabat et hospites secum luctari cogebat, novas semper, quoties terram attingeret, vires accipiens. Hercules a terra sublatum suffocavit. *Alimenta parentis* igitur sunt novae vires, quas a Terra matre acciperet. — *pastor Iberus* est Geryon, qui insulam Erytheam prope Iberiam incolebat, cui a poetis tria corpora tribuuntur. Τοισώματος βωτὴρ Ἐρυθείας Eurip. Herc. Fur. v. 420. Inter labores Herculi ab Eurystheo impositos (v. 15.) fuit etiam, ut Geryonis armenta abduceret. — Her. IX, 91.

Prodigiumque triplex, armenti dives Iberi
Geryones, quamvis in tribus unus erat.

185. *Cerberus*, triceps canis, custos inferorum (IV, 450.), ab Hercule jussu Eurysthei domitus et catenis constrictus vivus e tartaro abstractus est. VII, 410. — De illo *movit* vid. ad I, 55.

186. *taurum Cretaeum* (VII, 434.) Hercules ante Thesei cum eo pugnam ceperat vivumque ad Eurystheum perduxerat. — De *pressistis cornua* conf. not. ad v. 83. 84.

187. *Elis*, ubi sc. Hercules Augiae regis stabulum uno die purgavit inducto Alpheo amne. Hyg. F. 30. Apollod. l. l. Theocrit. XXV, 1—84. — *Stymphalides undae*. Stymphalus fuit lacus et fluvius Arcadiae, ubi aves ingentes rapacesque inveniebantur, quas Hercules Eurysthei jussu sagittis interfecit.

188. *Partheniumque nemus*. In Parthenio, monte Arcadiae, cerva fuit Dianae sacra, aureis cornibus et aereis pedibus, quam Hercules vulneratam ad Eurystheum perduxit.

189. *Thermod.* Hercules ad Thermodontem, Cappadociae flumen, Amazonas, quae ibi habitabant, devicit, et pretiosum reginae Hippolytes balteum asportavit. Justin. II. c. 4. Hyg. et Apollod. l. l.

190. *pomaque*. In hortis Hesperidum prope Atlantem arbor erat cum aureis pomis, a dracone custodita: quae Hercules dracone occiso abstulit. Conf. IV, 645. Multi codd. *concustodita*. Male. *ab insomni d. non custodita* cum acumine dicit, quia custos caesus erat. Heinsius nescio unde edidit *male custodita*, quod margo ed. Bersm. habet.

191. *Centauri*. Quum Hercules in Thessalia, apud Pholum Centaurum diverteret ceterique Centauri hostiliter irrumperent, plures eorum occidit, reliquos fugavit. — Formam contractam *mî* Ovidium hoc uno loco posuisse observat Jahn. Sed conf. XIII, 503. Quidam Heins. *nec tu* vel *nec non* quod etiam Bas. 1. a 1. m. exhibet. Unus Erf. *nec trux*.

192. *Arcadiae vastator aper*. Aper Erymanthius (II, 244.) monstrum horrendum fuit, quem Hercules vinctum humeris Mycenas ad Eurystheum tulit. — *hydrae*. Vid. ad v. 69. Hor. Od. IV, 4, 59. *per damna ducere opes*.

194. *Thracis equos*. Nor. a 1. m. *Thracas*, quod temere recepit Heinsius. Par. 2., Neap. et unus Voss. *Thraces*. Reliqui omnes cum vett. edd. *Thracis*. *Thrax* h. l. est Diomedes, rex Thraciae, qui equos suos hominum carne pascebat. Hos Hercules abduxit, aut cum ipso domino occidit. Her. IX, 67.

Non tibi succurrit crudi Diomedis imago,
Efferus humana qui dape pavit equos.

Pro *quid*, *quod* Berol., Par. 2., Cantabr., Flor., Goth. 2., Medic. 1. 2., Neap. et VII alii Heinsii: *quid, cum*, quod prave idem induxit Heinsius.

Plenaque corporibus laceris praesepia vidi,
Visaque dejeci, dominumque ipsosque peremi?
His elisa jacet moles Nemeaea lacertis,
Hac coelum cervice tuli. Defessa jubendo est
Saeva Jovis conjux; ego sum indefessus agendo.
Sed nova pestis adest, cui nec virtute resisti
Nec telis armisque potest: pulmonibus errat
Ignis edax imis, perque omnes pascitur artus.
At valet Eurystheus: — et sunt, qui credere possint
Esse deos?" Dixit, perque altam saucius Oeten
Haud aliter graditur, quam si venabula tigris

195. *vidi*, *visaque*. Vid. ad I, 33.

196. *dejeci* dictum ut *dejicere turres* apud Horatium Od. I, 2.

197. *moles Nemeaea*, vastus leo Nemeaeus, qui, cum telis impenetrabilis esset, ab Hercule suffocatus est. Hujus pelle posthac Hercules pro tegumento usus est. — *moles*. Sic Virg. A. III, 656. *vasta Polyphemi moles*. — *his lacertis*. Conf. XIII, 284. — *Nemea* pagus Argolidis. Cic. Tusc. II. c. 9. e Sophocle vertit:

O pectora, o terga, o lacertorum tori!
Vestrone pressu quondam Nemeaeus leo
Frendens efflavit graviter extremum halitum.

Post hunc v. addunt codices Ciof. duobus exceptis, cod. Bersm., Bas. 2. 4., plurimi (?) Heins., Goth. 1., Rhen., Zwicc. et edd. Venn. et Parm.

His Cacus horrendum Tiberino gurgite monstrum,

nisi quod cod. Bersm., Bas. 2. 4., codd. Ciof. et Rhen. *litore*, Goth. 1. et Bas. 1. *in litore*, codd. Heins. *His jacet* (vel *Cacus*) *h. T. litore m.* In Lips. 2. post v. 196. sic legitur: *His casus horr. tibero in litore monstrum.* Pal. 2. eum post v. 152. in marg. sic exhibet: *Hic jacet horrendum t. l. m.* Naugerius notat: „Quod post v. 197. legebatur carmen: *Hic Cacus* etc., quod et syllaba in *Cacus* repugnat et in plurimis antiquis libris non invenitur, ideo nos repudiandum arbitrati sumus. Sunt tamen qui retineant sed corrigant: quidam *his jacet*, quidam *Cacus et horrendum*. Videtur igitur Heinsius suorum codd. lectiones non accurate annotasse. Abest autem hic versus a codd. nonnullis Heins., Briant., Capr., Berol., Dresd., Goth. 2., Par. 1. 2., Lips. 1., Vrat. et ed. pr. In Sulm. 1. a manu rec. in margine tantum legitur. Mihi versus etiam ideo spurius esse videtur, quia Caci fabula est Italorum, de qua vid. interpp. ad Virg. Aen. VIII, 193 seqq., et quod nullus eorum auctorum, quos in reliquis sequitur, eam fabulam commemorat.

198. *hac coelum cervice tuli*. Ex vetusta fabula Atlas mons olim vir fuit (IV, 657 — 62.), qui coelum sustineret. Cum autem Hercules Atlantem ad asportanda mala Hesperidum misisset (v. 190.), ipse coelum interea sustinuit. — *defessa jubendo est*. Senec. Herc. fur. v. 41. *minorque labor est Herculi jussa exsequi, Quam mihi jubere; laetus imperia excipit.*

200. *sed nova pestis*. Vid. v. 161 seqq. — In Lips. 2. a v. 201. usque ad libri XI, 457. lacuna est.

201. *armisque*. Leid., Rhen. et IV Heinsii *armisve*, quod, ut permultis aliis locis, temere induxit Heinsius. — *Tela* et *arma* h. l. non distinguenda, sed conjuncta illi *virtute* opponuntur. „*Telis* vis infertur, *armis* corpus tegitur ac defenditur." *Gier.* — Bonon. *herbisve*. Dresd., Goth. 2., Lips. 1., Zwicc. et V Heins. *animisque*.

203. *Eurystheus*. Vid. ad v. 15. — „*et* (tamen) *sunt, qui* . . ." VII, 145. — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Rhen., Zwicc. *possunt*. Heinsius tacite edidit, quod reliqui Jahni et vett. edd. exhibent *possint*, perpetua prope in hac conformatione sententiae varietate, ut supra notavimus. — Pro recta scriptura: *at valet*, quam tenent codices Ciof., Berol., Goth. 1. 2., Lips. 2., Zwicc. et vett. edd., reliqui varia habent. II Heins. *aut*, Dresd. et I Heins. *et valet*. Cod. Bersm., Cant. et IV Heins. *id volet*. Alii *hoc volet*, *id velit*, *havolet*, *advolet*, *avolet*, al.

204. Flor., Goth. 1., Zwicc. a 1. m. et V Heins. *altum*. Zwicc. a corr. et reliqui omnes cum vett. edd. *altam*. Conf. v. 165. et 230.

205. *tigris*. Sic Flor. et Bas. 1. —

Corpore fixa gerat, factique refugerit auctor.
Saepe illum gemitus edentem, saepe trementem,
Saepe retentantem totas infringere vestes,
Sternentemque trabes irascentemque videres
Montibus, aut patrio tendentem brachia coelo.
Ecce, Lichan trepidum et latitantem rupe cavata
Adspicit; utque dolor rabiem collegerat omnem,
„Tune, Licha," dixit „feralia dona dedisti?
„Tune meae necis auctor eris?" Tremit ille pavetque
Pallidus, et timide verba excusantia dicit.
Dicentem genibusque manus adhibere parantem
Corripit Alcides, et terque quaterque rotatum
Mittit in Euboicas tormento fortius undas.
Ille per aërias pendens induruit auras;
Utque ferunt imbres gelidis concrescere ventis,
Inde nives fieri, nivibus quoque mole rotatis
Adstringi, et spissa glomerari grandine corpus:
Sic illum, validis jactum per inane lacertis,
Exsanguemque metu nec quicquam humoris habentem

Alter Hamb. *pardus*. duo Heinsii *cervus*. Reliqui *taurus*.

207. *trementem*. Unus Sprot. *frementem*, quod temere invexit Heinsius. „Jam intoleranda tabe exesum et ardentissima febri correptum heroem horror invaserat tremorque membra percurrebat." *Boisson*. De cumulatis illis participiis conf. VI, 639. XI, 39.

208. Berol., Genev., Rhen. et unus Heinsii *refringere*. Conf. X, 190. — *retentantem*. Conf. 166.

209. *trabes*, arbores, ut passim. Solet hoc accidere dolentibus, ut etiam iis rebus irascantur, quae neutiquam ad ipsorum dolorem aliquid contribuerunt. Hinc Hercules eodem modo, quo *trabes sternit*, etiam montibus irasci potest. *Jahn*.

210. *tendentem coelo*. Dativus cum verbis movendi, imprimis apud poetas frequens. Hor. Od.

Coelo supinas si tuleris manus.

patrio coelo. Hercules erat filius Jovis. Vid. ad v. 24.

211. *Lichan*. Vid. ad v. 155. Dresd., Lips. 1., Zwicc. et vett. edd. *Licham*. In edd. Ven. 1. et a. 1486. vss. 211 — 220. desunt, errore typographi.

212. *rabiem omnem*, summum rabiei gradum. Lucan. I, 207. *totam dum colligit iram*. Conf. Met. I, 234. — Cantabr., Domin., Goth. 1. et pro v. l. 2., Pal. 2. et VII alii Heinsii *collegerat ingens*.

213. *feralia*, fatalia, letalia.— *Licha*, posteriori syllaba longa. Conf. VIII, 550. IV, 643. Duo Heinsii *tulisti*, quod temere edidit Heinsius. *dedisti* est tradidisti. Unus Sulm. *furialia*, ex glossa.

214. *eris*. Langerm. *eras*.

215. *verba excusantia*. Cf. v. 159. V, 105. X, 511. — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Lips. 1., Zwicc. et ed. pr. *dixit*.

216. *genibus manus adhibere* est amplecti genua, quod erat supplicum. Claudian. R. P. I, 50. *genibus admovere manus*.

218. *in Euboicas undas*. Quomodo hoc a monte Oete fieri potuerit, ipse viderit poeta.

219. *pendens*, volans. Hyg. F. 36. *tunc Hercules Lichan, qui vestem attulerat, rotatum in mare jaculatus est: qui quo loco cecidit, petra nata est, quae Lichas appellatur.* — *aërias* h. l. altitudinem significat. Dixit etiam Lucret. V, 502.

221. *mole*, pondere suo. Heinsius pro bona omnium veterum librorum scriptura *mole*, conjecturam edidit *molle*, ut ad *corpus* referatur. Verum vix credibile poetam verba ita disjecisse. *Molle rotatis* ut, alii conjungi volunt, vix Latinum est.

222. *et spissa glomerari grandine corpus*, vernacule: *und (es) balle sich ein Körper dichten (harten) Hagels*: vel Latine *formari corpus spissae grandinis*. — 223. *per inane*, ut IV, 718. II, 506. — Berol. et Par. 2. *actum*, quod temere edidit Heinsius.

In rigidos versum silices prior edidit aetas.
Nunc quoque in Euboico scopulus brevis eminet alte
Gurgite, et humanae servat vestigia formae:
Quem, quasi sensurum, nautae calcare verentur,
Appellantque Lichan. — At tu, Jovis inclyta proles,
Arboribus caesis, quas ardua gesserat Oete,
Inque pyram structis, arcum pharetramque capacem
Regnaque visuras iterum Trojana sagittas
Ferre jubes Poeante satum, quo flamma ministro
Subdita; dumque avidis comprenditur ignibus agger,
Congeriem silvae Nemeaeo vellere summam
Sternis, et imposita clavae cervice recumbis
Haud alio vultu, quam si conviva jaceres
Inter plena meri redimitus pocula sertis.
Jamque valens et in omne latus diffusa sonabat,
Securosque artus contemtoremque petebat
Flamma suum: timuere dei pro vindice terrae.
Quos ita - sensit enim - laeto Saturnius ore
Jupiter alloquitur: „Nostra est timor iste voluptas,
„O superi, totoque libens mihi pectore grator,

225. *prior aetas edidit*, vetustas tradidit. XV, 445. VIII, 449. — *rigidos*. Berol., unus Medic., Rottend. et Rhen. *rigidas*. Naso prope constanter utitur genere masculino, ut Met. II, 706. VII, 107. X, 242., nisi quod Heinsius femininum multis locis temere supposuit, ut h. l. et v. 613. 303. XI, 45. et aliis. Conf. Trist. IV, 6, 14. ibique not.

226. *eminet*. Unus Pal. Gebh. *emicat*, quod pristino tempori aptum; sed juxta *nunc quoque* teneri non potest, et repugnant libri veteres. XV, 697. Deinde cod. Bersm., Dresd., Lips. 1., Vrat., Sulm. 1., plerique vetustiores (?) Heins. et ed. pr. *alto*. — *brevis*, non latus; nam si de altitudine accipias, repugnet illi *alte*: nisi malis *alto* legere: „*in Euboico alto gurgite*.“ Duo epitheta saepe uni nomini jungi supra notavimus.

231. *arcum*. Heinsius sine librorum auctoritate novavit *arcus*.

232. *visuras iterum*. Primum illae sagittae Trojam viderant, cum Hercules sub Laomedonte rege Trojam occuparet. Apollod. II. c. 6. Iterum deinde possidente Philocteta, cui Hercules moriens eas dedit, eam visurae erant, cum in fatis esset, ne sine iis Troja caperetur. XIII, 45. Hyg. F. 36. *Poeante satus* est Philoctetes, qui Poeantis filius fuit. Vid. index. De illo *arsuras iterum* conf. etiam II, 245.

233. *ferre*, sibi deportare, dictum ut *praemia ferre*. — *quo ministro*. Vid. Hyg. F. 36. Secundum alios auctores Poeas, vel Hyllus filius, vel ipse Jupiter pyrum accendit. — 235. *Nemeaeo vellere*, Nemeaei leonis. Vid. 197. — *agger* et *congeries silvae* de eodem pyro accipienda.

236. *clava* consuetum Herculis telum.

237. *jaceres*. Romani in conviviis jacere solebant et sertis sive coronis caput coronare. Hor. Od. I, 7, 22. Ad sententiam Lucret. III, 951.

Quur non ut plenus vitae conviva recedis,
Aequo animoque capis securam, stulte, quietem?

Conf. Hor. Sat. I, 117 sqq.

240. *securos*, qui sine cura sunt, intrepidos.

241. *timuere dei pro*. Vid. ad v. 107. — *vindice terrae*; nam Hercules eam a tot monstris virtute sua liberarat atque purgarat. Hinc Graecis ἀλεξίκακος et σωτὴρ dicitur. — Goth. 1. et Lips. 1. *dii*. Dii in versibus monosyllabum. Vid. Leop. Schneider Gramm. L. I. p. 68. — VII Heins. et margo ed. Vinc. *mundi*.

242. *Saturnius*. I, 163. — *laeto ore*, quod deos filii sui miserantes videret, ut statim sequitur.

243. *timor iste*, respondet illi *timuere* v. 241.

Quod memoris populi dicor rectorque paterque
Et mea progenies vestro quoque tuta favore est.
Nam quanquam ipsius datis hoc immanibus actis,
Obligor ipse tamen. Sed enim, ne pectora vano
Fida metu paveant, Oetaeas spernite flammas:
Omnia qui vicit, vincet quos cernitis ignes,
Nec nisi materna Vulcanum parte potentem
Sentiet: aeternum est, a me quod traxit, et expers
Atque immune necis nullaque domabile flamma.
Idque ego defunctum terra coelestibus oris
Accipiam, cunctisque meum laetabile factum
Dîs fore confido. Si quis tamen Hercule, si quis
Forte deo doliturus erit; data praemia nolet,
Sed meruisse dari sciet, invitusque probabit.“
Assensere dei; conjux quoque regia visa est
Cetera non duro, duro tamen ultima vultu
Dicta tulisse Jovis, seque indoluisse notatam.
Interea, quodcumque fuit populabile flammae,
Mulciber abstulerat; nec cognoscenda remansit
Herculis effigies, nec quicquam ab imagine ductum
Matris habet, tantumque Jovis vestigia servat.
Utque novus serpens, posita cum pelle senecta,
Luxuriare solet squamaque nitere recenti:
Sic, ubi mortales Tirynthius exuit artus,

245. *populus*, deorum turba. XII, 499.

246. *tuta favore*. Virg. Aen. V, 343. *tutatur favor Euryalum*.

247. *hoc*, sc. sollicitudines. — *immanibus*, admirabilibus, ingentibus. V, 678. et Trist. II, 335. — Flor., Medic., multi Heinsii et ed. pr. *datur*. Sed *datis* blandius est.

248. *obligor ipse tamen* vobis pro vestro favore, quem hac sollicitudine declaratis.

249. *Oetaeas*, pyrae in Oeta monte ex Oetae montis arboribus structae. V. 230.

251. *materna parte*. Herculis mater, Alcmena, mortalis erat. V. 23. — *Vulcanum potentem*, i. e. Vulcani s. ignis effectum. Vid. v. 263. et ad VII, 104

254. *defunctum terra*, h. e. vita in hac terra. — *oris*, in oras. Cf. v. 279.

257. *data praemia nolet*, est apodosis, sic: *is* (quidem) *data praemia nolet, sed . . probabit*.

260. *duro*, irato. Infra X, 609. *molli vultu*, q. e. placido. *Cetera non duro vultu audierat*, quia et ipsam miserebat Herculis. — *Ultima* sunt: *si quis — probabit*.

261. *notatam*. Sensus est: *et indoluisse se notatam s. significatam esse*. Dresd. et XIV Heins. *notata est*. Prave.

262. *flammae*. Ita cod. Bersm., Berol., Cant., Dresd., Lips. 1., omnes vetustiores Heins. et vett. edd. Vulg. *flamma*. — *populabile*, novum et ab Ovidio factum verbum. *Gier*. Vid. ad Trist. I, 5, 28. et ad Met. XI, 126.

263. *Mulciber*, cognomen Vulcani, per metonymian pro *igne*, ut v. 251. XIV, 533.

264. *ab imagine*, a similitudine ac natura. Gron. et Medic. *ab origine*, a correctore.

265. *Jovis vestigia*, partes quas a Jove patre habebat.

266. De hoc simili conf. not. ad VII, 237. — *novus serpens*. Virg. Georg. III, 437. *positis novus exuviis nitidusque juventa*. Tib. I, 4, 35. *serpens novus exuit annos*. Plin. H. N. VIII. c. 27. *Anguis hiberno situ membrana corporis obducta foeniculi succo impedimentum illud exuit nitidusque vernat*.

267. *nitere*, ut in illis Virgilii et Plinii locis *nitidus*. — Dresd., Ambros. et Palat. *virere*, quod temere edidit Heinsius. — De verbo *luxuriare* conf. VII, 292.

268. *Tirynthius*. VI, 112. VII, 410. — *exuit artus*. Conf. X, 105.

Parte sui meliore viget, majorque videri
Coepit, et augusta fieri gravitate verendus.
Quem pater omnipotens, inter cava nubila raptum,
Quadrijugo curru radiantibus intulit astris.
Sensit Atlas pondus. Neque adhuc Stheneleïus iras
Solverat Eurystheus, odiumque in prole paternum
Exercebat atrox. At longis anxia curis
Argolis Alcmene, questus ubi ponat aniles,
Cui referat nati testatos orbe labores
Cuive suos casus, Iolen habet. Herculis illam
Imperiis thalamoque animoque receperat Hyllus,
Impleratque uterum generoso germine. Cui sic
Incipit Alcmene: „Faveant tibi numina saltem,
„Corripiantque moras tum, cum matura vocabis
Praepositam timidis parientibus Ilithyian:

269. *parte sui meliore*, q. e. immortali. Conf. XV, 875. — Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Par. 1., Lips. 1. et Zwicc. *meliorque*. Heinsius tacite restituit *majorque*, quod Lips. 1., Vrat., Rhen. et vett. edd. tuentur. Deorum propria est excelsa corporis statura et grave pondus. — 271. *gravitate*, majestate. Conf. IV, 540.

271. *inter cava nubila*. Conf. V, 251. VI, 696.

272. Secundum Apollodorum nubes Herculem cum tonitru exceptum in coelum vexit. Ibi tenet magnum spatium inter Coronam, Ophiuchum, Lyram et Draconem. *Gier.*

273. *Alcmena Iolae, Herculis amicae, quae post Herculis mortem Hyllo ejus filio nupserat, narrat gravem Herculis partum, in coque Galanthida ministram suam in mustelam esse conversam.* Conf. Hom. Il. XIX, 95 seqq. Anton. Liber. c. 29. — *Sensit pondus* novi dei *Atlas*, sc. qui coelum humeris ferebat. Vid. ad v. 198. 53. et IV, 657 seqq. — De correpta priori syllaba in voce *Atlas* conf. IV, 772. VII, 464. VI, 468. et VIII, 121.

274. *Eurystheus Stheneleïus*, Stheneli filius (vid. ad v. 15.), *nondum posuerat iram, odiumque paternum* (in patrem conceptum) *in prole sive in posteris Herculis* (h. e. *in Hyllo* filio) *exercebat*. Apollod. II. c. 8. — *exercere odium in aliquo* et *in aliquem*. Vid. not. ad IV, 234.

276. *Argolis*, Alcmene, ut filia Electryonis, regis Mycenarum in Argolide. — *aniles*, nam jam anus erat Alcmene. VIII, 645.

277. *labores*, qui supra v. 182 seqq. enarrati sunt. — *testatos orbe*, quippe in toto terrarum orbe perpetratos.

278. *Herculis imperiis*, Hercule jubente.

279. *thalamoque a. receperat*. Conf. XIV, 78. et vid. not. ad v. 159. — Cod. Bersm., Berol., Goth. 2., Par. 1. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc., multi Heins. et ed. pr. *imperiis*. Plurimi Heinsii teste Burmanno cum edd. Venn. *imperio*, sed singularis illis *thalamoque animoque* originem debere videtur.

280. *germine*. Ita cod. Bersm., Berol., Goth. 2., Par. 1., Lips. 1., Rhen., Zwicc., vetustiores Heinsii. — Goth. 1. *gramine*. Arond., Cant., Dresd. et III Heins. *sanguine*. Par. 2. et vulg. *semine*. Difficile est affirmare, utrum genuinum sit *germine*, an *semine*, nisi quod *germine* meo quidem sensu elegantius est.

282. *corripiantque*, breves efficiant. — *matura*. Justin. XIII. c. 2. *quae* (Roxane) *exacto mense octavo matura jam ex Alexandro erat*. Eodem modo *maturis nisibus* Fast. V, 171. — Goth. 1. 2. *tunc*. — *moras corripiant*, celeriter adsint.

283. *Ilithyian*, ut VII, 695. *Orithyiae*. Amor. II, 13, 21. *precibusque meis fave Ilithyia*. De spondeo in quinto pede vid. not. ad I, 62. et V, 607. — *Ilithyia*, quae filia Junonis (Hes. Th. 922.) fuisse traditur, dea parturientium, quae Romanis *Lucina* et *Juno Lucina* dicta. Vid. v. 294. Fast. II, 449 sqq. III, 255. — Goth. 2., Vat. 1. et X Heins. *tumidis*. Par. 1. 2. et reliqui omnes cum vett. edd. *timidis*; multo elegantius.

Quam mihi difficilem Junonis gratia fecit.
Namque laboriferi cum jam natalis adesset
Herculis, et decimum premeretur sidere signum:
Tendebat gravitas uterum mihi, quodque ferebam,
Tantum erat, ut posses auctorem dicere tecti
Ponderis esse Jovem; nec jam tolerare labores
Ulterius poteram; quin nunc quoque frigidus artus,
Dum loquor, horror habet, parsque est meminisse doloris.
Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus,
Fessa malis tendensque ad coelum brachia, magno
Lucinam nixusque pares clamore vocabam.
Illa quidem venit, sed praecorrupta, meumque
Quae donare caput Junoni vellet iniquae.
Utque meos audit gemitus, subsedit in illa
Ante fores ara, dextroque a poplite laevum

284. *difficilem*, ad opem mihi ferendam. Contrarium *facilis* est v. 756. — *Junonis gratia*. V. 295.

285. *laboriferi* iterum labores illos (v. 277.) Herculis significat.

286. *sidere*, sole. Conf. VI, 341. IV, 169. — *decimum*. Vid. ad VIII, 500. — *premeretur*. Sol *premit* loca, quae subit aut accedit. XIV, 416. — Goth. 1., Flor., Medic. 4., Pal. 1., XV Heins. et ed. pr. *decimo*. Perperam.

287. *tendebat*. Conf. X, 506.

288. *tecti ponderis*. Her. VI, 120. *Dulce mihi gravidae fecerat auctor onus.*

tecti. Sic Goth. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., meliores Heinsii et ed. pr. Reliqui *tanti*, parum elegans repetitio *tectum pondus* est infans in utero, s. utero tectus.

289. Cod. Bersm., Goth. 1. 2., Par. 1., Rhen. et Zwicc. *jam non*. Bonon. et Medic. *laborem*.

291. Medic. 2., Neap. et Urb. *horror adit*. Vid. ad v. 152. Amat Ovidius hanc formam loquendi. Vid. VIII, 84. VII, 547. X, 81. Fast. II, 754. *habet pectora frigus*. — *pars est meminisse doloris*, dolor est meminisse. XII, 542. 543.

294. *Lucina* nomen Latinum deae parturientium. — *nixus pares*; pari enim nixuum numero felicem partum effici obstetrices opinabantur. Vid. Boettigeri Ilithyia oder die Hexe p. 36. Haec Jahn. Alii *Nixos* aut *Nixios* puerperii praesides fuisse volunt, a *nitendo* dictos. Festus: *Nixii dii tria signa appellantur in Capitolio ante cellam Minervae, genibus nixa, velut praesidentes parientium nixibus*. Etiam Nonius eos parientibus praefuisse tradit. In Twisd., qui *nixosque pares* exhibet, additum schol.: *Nexi* sunt dii, qui connectunt membra mulierum soluta ad partum, unde dicuntur *nexi*. *Nixus*que *pares* sunt duo fratres, dii partus, sicut et Lucinae. Ac *nixusque pares*, quod exhibent cod. Bersm., Graev., Goth. 1. 2., Zwicc. et ed. pr., multi recentiores editores ediderunt. Sed non deos intelligendos esse manifestum est e v. 295., ex quo nonnisi unam Lucinam advocatam esse ab Alcmena apparet. Igitur verba intelligenda de pari nixuum numero. Scripti vetustiores Heins. maxima ex parte: *nexusque p.* vel *nixusque; nexusque p.* etiam Dresd., Flor., Par. 1. et Rhen., c. gl. Dresd.: *Castorem et Pollucem*. — Medic. 1., Pal. 2., Lips. 1., Twisd. 1. a 1. m. et II Heins. *nexosque p.* Pal. 2. *nexusque partus* sed corr. *nixosque*. Unus Sulm. et unus Vat. Ciof. *ad nexusque p.* Twisd. 1., pro v. l. 2. *nexasque deas*. Spir. *nexasque pari*. Mss. Dan. Heins. *ad nisus pares*. Berol. *ad nixos pares*. Par. 2. et reliqui cum vett. edd. *ad nexos partus*, q. e. ad partus, qui retinebantur s. impediebantur.

295. *praecorrupta*, sc. ab Junone. — *meum caput*, meam vitam, salutem. Nam *donare alicui caput alicujus*, est alicujus gratia vitam ac salutem alicujus negligere. *Gier.* — 296. *iniquae*, mihi iratae.

297. „*in illa* (quam) *ante fores* (cernis) *ara*.“ – 298. Scripturam *a poplite* tuentur Priscian. VII. c. 18. 87., Rhen., VI Heins. et ed. pr. — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Lips. 1.,

Pressa genu, digitis inter se pectine junctis
Sustinuit partus; tacita quoque carmina voce
Dixit, et inceptos tenuerunt carmina partus.
Nitor, et ingrato facio convicia demens
Vana Jovi, cupioque mori, moturaque duros
Verba queror silices. Matres Cadmeïdes adsunt,
Votaque suscipiunt, exhortanturque dolentem.
Una ministrarum, media de plebe, Galanthis,
Flava comas, aderat, faciendis strenua jussis,
Officiis dilecta suis: ea sensit iniqua
Nescio quid Junone geri; dumque exit et intrat
Saepe fores, divam residentem vidit in ara,
Brachiaque in genibus digitis connexa tenentem,
Et ,,,,Quaecumque es," ait ,,dominae gratare: levata est
,,,,Argolis Alcmene, potiturque puerpera voto."""
,,Exsiluit junctasque manus pavefacta remisit
Diva potens uteri: vinclis levor ipsa remissis.

Zwicc. et complures Heins. *e popl.* Duo *in popl.* Pal. 2., Par. 1. 2. et vulg. *est poplite*, quod propter asyndeton vix ferendum est. Nam v. 299. Priscian. l. l., complures Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et ed. pr., *digitis*, ex quibus codd. conjici potest de Heinsianis et Ciofani. Atque, omisso *que*, etiam aptior est compositio verborum, Medic. 2. et VII Heins. *et digitis*. Cod. Bersm. et vulg. cum edd. Venn. *digitisque*. — 299. Pro *junctis* III Heins. *nexis*. VI codd. Prisciani: *vinctis*. — Ceterum hanc superstitionem illustrat Plin. N. H. XXVIII. c. 6. *assidere gravidis, vel quum remedium alicui adhibeatur, digitis pectinatim inter se implexis, veneficium est; idque compertum tradunt Alcmena Herculem pariente. Pejus si circa unum ambove genua; item poplites alternis genibus imponi.* — *pectine*, pectinatim, ad modum pectinis. — *genu* accus. Gr. I, 332.

300. *partus*. IV Heins., pro v. l. Goth. 2. et ed. pr. *nixus*. Nil mutandum; *partus* cum vi h. l. repetitur, ut *sustinuit*, ac *tenuerunt*. — *tacita*, leni, submissa.

301. *carmina*. VII, 167.

302. *niti*, de nisibus parientium. X, 508. Her. XXI, 100. — *ingrato Jovi*, sc. a quo conceperat.

303. *duros*. Dresd. et Mor. 1. *duras*. Reliqui *duros*. Vid. ad v. 225.

304. *Cadmeïdes*, Thebanae (VI, 217.): nam Alcmena uxor erat Amphitryonis, Thebanorum regis. VI, 112. — II Bersm., nonnulli Cief. et Heins., Goth. 1. et pro v. l. 2., Lips. 1. et Vrat. *loquor*.

305. *media de plebe*. Conf. V, 207. VII, 432. — *vota suscip.* Conf. VII, 449.

306. Ant. Liber. ex Nicandro tradit, hanc Galanthida (ipsi vocatur Galinthias) fuisse Proeti Thebani filiam. *Gier.* De hoc nomine vid. Schrader. Obss. c. 3. A Libanio c. 2. vocatur Ἀκαλανθίς. Sed ibi ut apud Ant. Liberalem Γαλανθὶς reponi jussit Schrader. Mutata enim est in γαλῆν, ad cujus nominis similitudinem γαλανθὶς factum est. Vid. ad VII, 399. *Jahn.*

307. *comas*. Vid. ad I, 332. — *flava comas* propter v. 320.

308. *iniqua Junone*. Conf. v. 295.

309. *nescio quid*, aliquid suspecti.

310. *in ara*. Conf. v. 297. — *divam*, Lucinam. 294.

312. *levata est*, sc. pondere, partu. Conf. v. 698. — *quaecunque es*. Conf. XIV, 378. I, 679. et Trist. I, 7, 1. *Si quis habes*, ubi vid. not.

313. *Argolis*. Vid. v. 276. - *potitur* hoc loco tertiae est. Vid. ad XIII, 130.

314. Cod. Gifan., meliores Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Vrat. et ed. pr. *exsiluit*. Vulg. *exsilüit*. Vid. ad VI, 658. Deinde Bas. 1. a 1. m., Medic. 1., Rhen., Zwicc. et VIII Heins. *patefacta*. Male. II Medic. *stupefacta*, ex glossa, ut est in Bas. 2.

315. *Diva potens uteri*. Supra V, 303. *Lucina potens*. Hor. III, 25. *Bacchus Naïadum potens*. — ,,*vinclis* illis, quae partum meum tenebant, *remissis*." *vincla* illustrantur versu praecedenti. Unus Bersm. *potens. vinclis uteri levor.*

Numine decepto risisse Galanthida fama est.
Ridentem prensamque ipsis dea saeva capillis
Traxit, et e terra corpus relevare volentem
Arcuit inque pedes mutavit brachia primos.
Strenuitas antiqua manet, nec terga colorem
Amisere suum; forma est diversa priori.
Quae quia mendaci parientem juverat ore,
Ore parit, nostrasque domos, ut et ante, frequentat.“
Dixit, et, admonitu veteris commota ministrae,
Ingemuit; quam sic nurus est affata dolentem:
„Te tamen, o genitrix, alienae a sanguine vestro
Rapta movet facies. Quid si tibi mira sororis
Fata meae referam? quanquam lacrimaeque dolorque
Impediunt prohibentque loqui. Fuit unica matri,—
Me pater ex alia genuit — notissima forma
Oechalidum Dryope: quam virginitate carentem
Vimque dei passam Delphos Delonque tenentis
Excipit Andraemon, et habetur conjuge felix.
Est lacus acclivis, devexo margine formam
Litoris efficiens, summum myrteta coronant.
Venerat huc Dryope fatorum nescia, quoque

317. *prensamque — capillis.* Conf. II, 476. — Cod. Bersm. et Dresd. *pressamque.* Bas. 4. *ipsam.* Graev. et Par. 2. *suis.*

318. Lips. 1. et Rhen. *a terra.*

319. *primos,* anteriores.

320. *strenuitas,* sedulitas atque mobilitas. Conf. v. 307. — *nec terga colorem etc.*, quia mustelae dorsum carnis colorem habet.

321. *priori.* Vulgo dicitur *diversus a.* Sed poeta *diversus* construxit ad similitudinem adjectivi *dissimilis,* cujus vim h. l. habet.

322. Naso hoc loco in usum suum convertit opinionem veterum, mustelam per os parere. Anton. Liberal. c. 1. Aelian. V. H. XII. c. 5.

323. *ut et ante.* Berol., Bas. 2. 4., Dresd., Zwicc. et nonnulli Heins. *velut ante.* Conf. XI, 118.

324. *Iole Alcmenae narrat, Dryopen sororem suam, quum parvulo filio Amphisso ramum loti, in quam Lotis nympha mutata fuerat, dedisset, et ipsam in lotum versam esse.* Conf. Anton. Liber. c. 32. Serv. ad Virg. Georg II, 84.

324. *dixit,* sc. Alcmena. V. 281. — *admonitu veteris ministrae,* ut VII, 480. *admonitus patrii luctus.*

325. *dolentem.* Unus Medic. *gementem,* quod temere recepit Heinsius. Nonnulli Heins. et edd. Venn. et Parm. *loquentem.* Par. 2. et nonnulli Heins. *paventem.* — *nurus,* Iole. Vid. ad 373.

326. *alienae a s.* Cod. Bersm., Dresd. a 1. m., Vrat. et meliores (?) Heins. *alienae sanguine.* Goth. 1. 2. *alienae a sanguine.* Rhen. *aliena e s.* Dresd. a correct. *aliena s.* Pal. 2. et reliqui omnes cum vett. edd. *alienae a sanguine,* quod genuinum videtur. Praepositionem *a* vero interpretes ejicere non debebant. — „*tamen* nectit orationem cum superioribus plane ut v. 98.“ *Gierig.*

327. *rapta facies.* Conf. VII, 289.

330. *pater,* Eurytos. Vid. ad v. 136.

331. *Oechalidum.* Oechaliae habitarat Dryope. Vid. ad v. 101. et 136.

332. *dei Delphos Delonque tenentis,* Apollinis, qui Deli natus (VI, 190 seqq.) et Delphis oraculum tenebat (I, 515 seqq.).

333. *excipit* in matrimonium. — *et habetur conjuge felix.* Conf. XI, 266. VI, 681. VII, 799.

334. Heinsius ex uno Medic. (cum quo consentit Goth. 2.) dedit *acclivi*, ut sit genitivus ad *litoris* referendus. Male. quod poeta generatim illis *est lacus acclivis* enuntiavit, verbis *devexo — efficiens* explicatur.

335. *summum myrteta cor.* Virg. Georg. II, 112. *litora myrtetis laetissima.*

336. *fatorum nescia,* nescia quid olim illo loco factum esset. 349. Conf. VIII, 241.

Indignere magis, nymphis latura coronas,
Inque sinu puerum, qui nondum impleverat annum,
Dulce ferebat onus, tepidique ope lactis alebat.
Haud procul a stagno, Tyrios imitata colores,
In spem baccarum florebat aquatica lotos.
Carpserat hinc Dryope, quos oblectamina nato
Porrigeret flores; et idem factura videbar: —
Namque aderam, - vidi guttas e flore cruentas
Decidere, et tremulo ramos horrore moveri.
Scilicet, ut referunt tardi nunc denique agrestes,
Lotis in hanc nymphe, fugiens abscoena Priapi,
Contulerat versos, servato nomine, vultus.
Nescierat soror hoc; quae cum perterrita retro
Ire et adoratis vellet discedere nymphis,
Haeserunt radice pedes. Convellere pugnat,
Nec quicquam nisi summa movet. Succrescit ab imo
Totaque paullatim lentus premit inguina cortex.
Ut vidit, conata manu laniare capillos,
Fronde manum implevit: frondes caput omne tenebant.
At puer Amphisos — namque hoc avus Eurytus illi
Addiderat nomen — materna rigescere sentit

337. ,,*nymphis* (quibus sacra illa myrteta) *latura coronas*. Conf. Hor. Od. III, 27. Pio igitur etiam consilio ac mente venerat.

339. *tepidi — alebat*, lactabat.

340. *Tyrios* (h. e. *purpureos*. VI, 222.) *flore suo imitata colores*. — De illo *imitata* conf. II, 2. et XIII, 818. Hor. Epist. II, 1, 207. *Lana violas imitata*.

341. *aquatica lotos*. Ita etiam Her. XV, 159., ut ab alia loto distinguatur. Hujus tria genera novit Plin. H. N. XIII. c. 27. Conf. Herodot. IV. c. 177. *Aquatica* autem ab Ovidio novata vox est. Conf. II, 853. X, 96.

344. *vidi guttas*. Conf. VIII, 760 seqq., I, 354 — 367. et Virg. A. III, 28. — Lips. 1., Vat. 1. et unus Heins. *de flore*.

345. *tremulo — horrore*. Prop. I, 5, 25. *Et tremulus moestis oricturfletibus horror*.

346. *tardi*, sero.

347. *obscoena Priapi*, obscoenitatem Priapi. Ob oculos habet enormem illam Priapi partem. Vid. Hor. Sat. I, 8, 5. Conf. Fast. I, 400. 415 seqq. et VI, 333. De Priapo vid. ad XIV, 640. — Naugerius correxit *Lotis*, quod Heinsius in Flor., uno Gron., Spir. et II vestustis codd. Lactantii in Argum. fabulae invenit. Idem Berol., ed. pr. et marg. ed. Bersm. exhibent. Goth. 2., Lips. 1. et Vrat. *Lothos*. Par. 1. 2. et vulg. *Lotos*. Perperam. Vid. Fast. I, 416. 423.

348. *servato nomine*, ut *Daphne* (I, 452 seqq.) et *Myrrha* X, 430 seqq. — *contulerat*, mutarat. XII, 145. IV, 278.

350. *ire et adoratis*. Sic pauci codd.: exc. Cal., Franc., Langerm., Urb. et unus Voss. — Flor., Spir., Vrat. et IV Heins. *iret adoratis*. Unus Medic. *ire et oratis*. Reliqui omnes *iret et oratis*. Sed receptam scripturam poscit ratio sententiae. I, 320. XI, 392.

351. Ad descriptionem hujus transformationis conf. I, 548 seqq. IV, 264 seqq. II, 349. et XI, 70 seqq. Ad *convellere pugnat* conf. II, 822.

352. *summa*, summam corporis partem.

353. *premit*, ambit cum notione premendi.

355. *tenebant*. Sic vetustiores Heins. magno numero, Berol., Goth. 2., Rhen., Zwicc. et ed. pr. — Cod. Bersm., Pal. 2., Par. 1. et 2. et vulg. *tegebant*. Prius certe aptius.

356. *Amphisos*. Ita Berol., Goth. 1., Par. 1. 2., Lips. 1., plerique Heins. et Lactantius in argum. — Goth. 2. et Rhen. *Amphissos*. Cod. Bersm., Dresd., Zwicc. *Amphrisos*. Vrat. *Amphrysos*. Vulg. *Amphisus*.

357. *addiderat*. Conf. V, 525. — *sentit* recte cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Zwicc., meliores Heins et ed. pr. — Vulg. *sensit*.

Ubera, nec sequitur ducentem lacteus humor.
Spectatrix aderam fati crudelis, opemque
Non poteram tibi ferre, soror; quantumque valebam,
Crescentem truncum ramosque amplexa morabar,
Et, fateor, volui sub eodem cortice condi.
Ecce, vir Andraemon genitorque miserrimus adsunt,
Et quaerunt Dryopen; Dryopen quaerentibus illis
Ostendi loton. Tepido dant oscula ligno,
Affusique suae radicibus arboris haerent.
Nil nisi jam faciem, quod non foret arbor, habebas,
Cara soror. Lacrimae misero de corpore factis
Irrorant foliis, ac dum licet oraque praestant
Vocis iter, tales effundit in aëra questus:
„„Si qua fides miseris, hoc me per numina juro
Non meruisse nefas! patior sine crimine poenam.
Viximus innocuae: si mentior, arida perdam
Quas habeo frondes, et caesa securibus urar.
Hunc tamen infantem maternis demite ramis,
Et date nutrici, nostraque sub arbore saepe
Lac facitote bibat, nostraque sub arbore ludat;
Cumque loqui poterit, matrem facitote salutet,
Et tristis dicat „Latet hoc in stipite mater.“
„Stagna tamen timeat, nec carpat ab arbore flores,
Et frutices omnes corpus putet esse dearum.
Care, vale, conjux, et tu germana paterque;
Quis si qua est pietas, ab acutae vulnere falcis,
A pecoris morsu frondes defendite nostras.

358. *ducentem*. Trist. I, 8, 43.
Quaeque tibi quondam tenero ducenda palato
Plena dedit nutrix ubera, tigris erat.
Alter Gron. et Vat. *sugentem*. — *lacteus humor*. Cf. XV, 79.

363. *genitor*, sc. Dryopes, qui erat Eurytus. — 364. Berol., Gron., unus Leid. et II alii Heins. *et quaerunt ubi sit Dryope, quaer.*, ab interpolatoribus, qui hanc dicendi libertatem poetae concedere nollent.

365. *tepido*, sc. a vita. Conf. v. 393, et X, 281. Bas. 1., Cant. et X alii Heins. *trepido*. — 366. *affusi*. Conf. v. 607. II, 343. III, 180. VIII, 540. — *suae*, in quam conjux et filia sua conversae erant.

367. Heinsius tacite edidit *habebas*, quod Berol., Goth. 1. et ed. Vinc. exhibent. De codd. Ciofani non liquet. Reliqui libri vett. *habebat*, quod genuinum videtur.

368. *factis*, passim legitur de mutatis. I, 566. II, 485. 589. — 369. *ac dum* plerique Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. et Zwicc. — Vulg. *et dum*. — *Ac dum* continuat praecedentem narrationem.

370. „*Vocis iter* etiam II, 828.“ *Gier*.

371. *hoc nefas*. „*hanc injustam poenam*.“ *Gier*.

372. *patior — viximus*. Transitus tales, a singulari ad pluralem, quod semel moneo, in hoc uno carmine sexcenti reperiuntur. — 375. *maternis ramis* ingeniose de eo temporis puncto, ubi ex parte mater ex parte jam arbor erat. *Gier*.

379. II Bersm., VIII Heins. et ed. pr. *hoc sub stipite*. — Dresd., Goth. 1., Par. 1., Lips. 1., Rhen. et Zwicc. *et dicat tristis*. — 380. *stagna*, Conf. 339. Bas. 2., Leid., Medic., Lips. 1., Vrat. et VI Heins. *signa*, quod ego invitis plurimis et optimis codd. et vett. edd. cum Heinsio edere non sum ausus, cum praesertim nec satis perspicuum sensum habeat. At stagnum et lotos ibi crescens matri pestifera fuerant.

383. *quis si qua*. Sic. Rhen., Urb. et VI alii Heins. — Reliqui *quis si qua*.

Et quoniam mihi fas ad vos incumbere non est,
Erigite huc artus et ad oscula nostra venite,
Dum tangi possum, parvumque attollite natum.
Plura loqui nequeo: nam jam per candida mollis
Colla liber serpit, summoque cacumine condor.
Ex oculis removete manus; sine munere vestro
Contegat inductus morientia lumina cortex.““
„Desierant simul ora loqui, simul esse; diuque
Corpore mutato rami caluere recentes.“
Dumque refert Iole factum mirabile, dumque
Eurytidos lacrimas admoto pollice siccat
Alcmene, flet et ipsa tamen; compescuit omnem
Res nova tristitiam. Nam limine constitit alto
Paene puer, dubiaque tegens lanugine malas,
Ora reformatus primos Iolaus in annos.
Hoc illi dederat Junonia muneris Hebe,
Victa viri precibus. Quae cum jurare pararet,
Dona tributuram post hunc se talia nulli,
Non est passa Themis; nam „jam discordia Thebae

385. *ad vos incumbere*, inclinari ad vos. — Rhen., Bas. 4., VI Heins. *mihi fas non est incumbere vobis*. Pal. 2. *mihi non fas est inc. vobis*. Cic. pro Mur. §. 53. *repentina voluntatum inclinatio, praesertim quum incubuit ad virum bonum*.

387. *possum*. Vetustiores Heinsii, Berol., Goth. 1., Pal. 2., Par. 1. 2., Lips. 1., Vrat. et ed. pr. *possunt*. *Possum* praeter majorem librorum auctoritatem confirmatur etiam bonitate sensus. — 388. Alter Stroz. *mihi jam*. Rhen. *jam jam*. Conf. 403.

389. Dicitur h. l. *condi cacumine*, ut *condi sepulcro*. Conf. 362. VII, 618. Prop. III, 17, 16.

Arboris in frondes condita Myrrha novae.

390. Sensus est: *Removete ex oculis meis manus*. (Morientium oculi clauduntur ab amicis circumstantibus. Quod pietatis munus cum pater et conjux etiam Dryopae praestare vellent, illa manus *ex oculis removere* jubet.): *nam sine illo munere vestro cortex inductus morientia lumina contegit*. Argutatur iterum poeta. — 391. Heinsius e scriptis edidit *contegat*, quod alter Bersm., Dresd., Goth. 2. a corr., Bas. 1. 2. 4., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et ed. pr. tuentur. Sed mihi conjunctivus h. l. vix videtur ferendus: sunt enim, ut recte animadvertit Jahn, haec verba non cogitantis aut optantis Dryopes, sed singulas mutationis partes sentientis easque describentis. Ut igitur dixit *serpit*, *condor*, sic *contegit* addit. Cod. Bersm., et Goth. 2. a 1. m. *conteget*.

393. *caluere*. Vid. ad v. 365.

394. *Iolaus Herculis comes* (VIII, 310.) *filius Iphiclis, qui frater germanus fuit Herculis, in juvenem mutatur*. Eurip. Heracl. 849 seqq. Pindar. Pyth. IX, 137. Apollod. III. c. 7.

394. *factum mirabile*, transformationem illam. Conf. IV, 271. et 747. VIII, 612. VII, 758. VIII, 96. Berol. et unus Medic. *fatum*. II Bersm., veteres Heinsii majori ex parte, Cael., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Rhen., unus Sulm., Vrat., Zwicc. et edd. Venn. et Parm. *mirabile*, fortasse ex VIII, 613. Vulgata *miserabile* confirmatur etiam versibus 395 — 397.

395. *Eurytidos*, ejus; nam Iole Euryti filia. Vid. ad v. 136.

396. *flet et ipsa tamen*. Construe: *dum Ioles lacrimas siccat, et ipsa tamen flet*; (ecce) *res nova etc.*

398. *dubia*, ut vix dignosceres, utrum lanugo adesset, nec ne. Conf. XIII, 754. IV, 400. 401.

399. *ora*, accus. Gr. I, 332. — *primos*, virides, juveniles. Conf. VII, 292 seqq. — *reformatus*, ut XI, 254.

400. *Hebe*, filia Junonis, dea juventatis, quam Hercules, inter deos relatus duxerat. Vir igitur h. l. Hercules est. Apollod. II. c. 7.

402. *post hunc*. Goth. 2. pro v. l., unus Leid., Medic. 2., Neap. et Rhen. *posthac*. Nonnulli (?) Heinsii *post haec*. Reliqui, ut edidimus.

403. *Themis* (vid. I, 321.) vaticina-

„Bella movent;“ dixit „Capaneusque nisi ab Jove vinci
„Haud poterit, fientque pares in vulnere fratres,
Subductaque suos manes tellure videbit
Vivus adhuc vates; ultusque parente parentem
Natus erit facto pius et sceleratus eodem,
Attonitusque malis, exsul mentisque domusque,
Vultibus Eumenidum matrisque agitabitur umbris;
Donec eum conjux fatale poposcerit aurum,
Cognatumque latus Phegeïus hauserit ensis.
Tum demum magno petet hoc Acheloïa supplex
Ab Jove Callirhoë, natis infantibus annos

tur transformationem, sc. Callirrhoes filios e pueris in viros mutatum iri. — *jam Thebae bella movent.* Oedipi, infelicis illius Thebanorum regis filii Eteocles et Polynices de regno certabant. Polynices ope VII ducum obsidebat urbem, VII portas habentem. XIII, 685. Ambo fratres in certamine se invicem occiderunt. Euripid. Phoeniss. Apollod. III. c. 6. — *discordia bella*, bella ex discordia fratrum orta.

404. *Capaneus*, Hipponoï filius, Argivus, unus e VII illis ducibus, gloriabatur, se vel invito Jove Thebas expugnaturum, quem cum murum conscenderet, Jupiter fulmine percussit. Hyg. F. 68. Veget. IV. c. 21. Serv. ad Virg. A. I, 28. Apollod. l. l.

405. „*et fratres, ante dissidentes et discordes, in mutua caede s. in mutuo vulnere, pares fient.*“ — Sulm. 2., II Vat. Ciof., ed. Ven. 2. et Ald. cum vulg. *fientque p. in vulnera.* Multi Heins. et Ciof., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 1., Bas. 1. 2. a 2. m. et reliquae edd. Venn. et Parm. *fientque p. in vulnere fr.* Sulm. 1. et margo ed. Vinc. *deflentque p. (in vulnera (?)).* II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1., Par. 1. 2., Vrat. et Zwicc. *deflentque p. in vulnere*, sed in Goth. 1. librarius in v. *deflentque* syllabam *de* obelo notavit, in Vrat. radendo fecit *deflentque.* Heinsius annotavit „*flebuntque* Flor. St. Marci. reliqui *deflentque*, vel *fientque in vulnere.*“ Ed. pr. *flebuntque pares in vulnere f.* Heinsius correxit *ibuntque pares in vulnera fratres.* Sed poeta eventum horum infelicium fratrum distincte declarasse videtur.

406. *subducta.* Rheu. *seducta*, quod male edidit Heinsius. Virg. A. III, 565.

Subducta ad manes imos descendimus unda.

407. *Vates* autem est Amphiaraus Argivus, qui cum sciret se ad Thebas perituram, noluit bello interesse. Persuasus tandem ab Eriphyla uxore, quam Polynices monili aureo corruperat, profectus ab terrae hiatu cum curru absorptus est.

408. „*natus* Amphiarai Alcmaeon matre *(parente)* occisa patrem *(parentem) ultus* (et sic) *eodem facto pius et sceleratus* (III, 5.) erit.“ Magnitudine hujus sceleris Alcmaeon perterritus *(attonitus malis)*, insania correptus *(exsul mentis)* multas terras pererravit. Quam insaniam poeta h. l. non malae conscientiae, sed vultibus Furiarum occisaeque matris umbrae tribuit. Hic quum ad se rediisset, repudiata quam primum duxerat Phegei filia, Alphesiboea s. Arsinoë, amavit Callirrhoën filiam Acheloï, ex qua duos filios suscepit. Nova conjux poscit (*aurum* h. e.) aureum illud monile (Hom. Od. XI, 326.), quod Phegei filiae donaverat, quod ab Phegeo accepit sed a filiis ejus occisus est. Sic aurum illud *fatale* (VIII, 478.) fuit. Capita tantum fabulae tangit poeta; hinc locus paullo obscurior est.

410. *Eumenidum.* Vid. ad VIII, 481.

412. *latus haus.* Vid. V, 126. — *cognatum*, quia Alcmaeon cum Phegeo affinitatem contraxerat. – Meliores Heins., Berol., Rheu. et vett. edd. *Phegeius.* Goth. I. *Flegeus.* Dresd. et Zwicc. *Flegeius.* Vulg. *Phlegeïus.*

413. *tum demum.* Interfecto Alcmaeone Callirrhoë a Jove petiit, ut infantibus filiis annos viriles largiretur ad patris caedem ulciscendam, quod impetravit. — Flor., Goth. 1., Rheu., Urb. et III alii Heins. *hos.* Cant., Vrat., Lips. 1., Zwicc. et quidam Heius. *hasc.* Quidam Heins. voculam omittunt. Vulg. *hoc*, quod praestat ceteris scripturis.

414. *annos addat*, sc. ut robusti et

Addat, neve necem sinat esse ultoris inultam.
Jupiter his motus privignae dona nurusque
Praecipiet, facietque viros impubibus annis.“
Haec ubi faticano venturi praescia dixit
Ore Themis; vario superi sermone fremebant,
Et, cur non aliis eadem dare dona liceret,
Murmur erat. Queritur veteres Pallantias annos
Conjugis esse sui, queritur canescere mitis
Iasiona Ceres; repetitum Mulciber aevum
Poscit Erichthonio; Venerem quoque cura futuri
Tangit, et Anchisae renovare paciscitur annos.
Cui studeat, deus omnis habet, crescitque favore
Turbida seditio; donec sua Jupiter ora
Solvit et „O nostri si qua est reverentia,“ dixit
„Quo ruitis? tantumne aliquis sibi posse videtur,

viri fiant. — 415. *ultoris*, Alcmaeonis qui patrem pie ultus fuerat. — Receptam scripturam Berol., Bas. 2., Briant., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Par. 2., Lips. 1., unus Sulm., Vrat., Zwicc., plurimi Heins. et edd. Venn. confirmant. — Flor., Goth. 1., Pal. 1., Par. 1., Rhen., alter Sulm., Urb., II Vat. Ciof., nonnulli Heins. et ed. pr. *neve necem sinat esse diu* (Goth. 1., Par. 1., Rhen., alter Sulm., unus Vat. Ciof. et margo ed. Vinc. *sui*) *ultoris* (Flor., Pal. 1., alter Sulm., idem Vat., Urb. et margo ed. Vinc. *victoris*. Par. 1., Rhen. et quidam Heins. *genitoris*) *inultam*. Neap. *neu genitorque necem sinat esse parentis inultam*. Alii Heinsii aliter.

416. *„Jupiter his precibus motus dona Hebes* (v. 399. 400.) *privignae et* (per filium suum Herculem) *nurus suae praecipiet* (jubebit) *et facict . . annis.“* — Hebe autem Jovis *privigna*, quia Juno eam absque viro pepererat.

418. *Byblis, Mileti filia, Cauni fratris amore ardens in fontem ejusdem nominis mutatur*. Ant. Liberal. c. 30. Hyg. F. 243. Parthen. c. 11. Etiam Aristocrit. et Apollon. Rh. fabulam narrarunt.

418. *faticanus*, qui fata canit, ab Ovidio novatum vocabulum. Infra XV, 436. est *faticinus*. Goth. 1., unus Sulm. et IV Heins. *vaticino*. Capr., Dresd., Pal. 2., Vrat. et quidam Heins. *fatidico*. — *venturi*, ut *futuri* v. 424.

419. *fremebant*. Conf. I, 199. Edd. Venn. *vano*. Codices omnes et ed. pr. *vario*. — 420. *eadem dona*, viriles annos et florentes.

421. *Pallantias* (XV, 191.) Aurora vocatur ut patruelis Pallantis, Titanis. — Aurora a diis Tithono quem amabat immortalitatem rogarat, sed omiserat perpetuam quoque ejus juventutem exorare. Quare hic senio turpiter contractus ab ea postea in cicadam transformatus est. Hyg. F. 270.

421. *queritur veteres annos*, queritur senio plane confectum. — 422. *mitis* frequens Cereris epitheton, quia Ceres mitioris cibi inventrix est. V, 497. — L. *mitis* servarunt II Bersm., Berol., Goth. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et plerique Heins. cum edd. Venn. — Par. 2. et vulg. *mitem*.

423. *Iasiona Ceres*. IV Heins. *Aesona flava Ceres*. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1., Par. 1. 2., X Heins., III Pal., Par. 1. *Iasona flava* (unus Pal. *nempe*. II Pal. *sancta*. Par. 1. *fronte*) *Ceres*. Thu. et III Heins. *Iasonaque alma Ceres*. V Heins. *Iasonaque Ceres*. Alii Heinsii aliter. Goth. 2., Zwicc. et ed. pr. *Iasona Ceres*, sed in Zwicc. rec. m. correxit *Easona flava Ceres*. Voluit sc. scribere *Esona*. Ed. Ven. 1. *Iasiona flava C*. Vrat. *Iasonia C*. Lips. *Lasiona C*. — Berol., Rhen. et reliqui cum vulg. *Iasiona Ceres*. Recte. Fuit autem Iasion Jovis et Electrae filius, qui a Cerere amatus est. Hom. Od. V, 125 sqq. Hesiod. Theog. v. 969. — *repetitum aevum*, ut anni repetantur s. repetitionem annorum sive juventutem. — 424. De *Erichthonio* Mulcibri (v. 263.) filio vid. II, 553. — Venus amabat *Anchisen* Aeneae patrem (XIII, 625.), qui adhuc aetate validus erat. Hinc *cura futuri*.

426. *cui studeat*, cui faveat, cujus rem agat. *Gier*.

427. *seditio*, tumultus, strepitus, fremitus. — *sua ora solvit*. I, 181.

429. Unus Mor. *tantumne sibi quis posse*, quod temere in textum recepit Heinsius.

Fata quoque ut superet? Fatis Iolaus in annos,
Quos egit, rediit; fatis juvenescere debent
Callirhoë geniti, non ambitione nec armis.
Vos etiam, quoque hoc animo meliore feratis,
Me quoque fata regunt; quae si mutare valerem,
Nec nostrum seri curvarent Aeacon anni,
Perpetuumque aevi florem Rhadamanthus haberet,
Cum Minoë meo, qui propter amara senectae
Pondera despicitur, nec quo prius ordine regnat."
Dicta Jovis movere deos, nec sustinet ullus,
Cum videant fessos Rhadamanthon et Aeacon annis
Et Minoa, queri. Qui, dum fuit integer aevi,
Terruerat magnas ipso quoque nomine gentes,
Tunc erat invalidus, Deïonidenque juventae
Robore Miletum Phoeboque parente superbum
Pertimuit, credensque suis insurgere regnis,
Haud tamen est patriis arcere penatibus ausus.
Sponte fugis, Milete, tua, celerique carina
Aegaeas metiris aquas, et in Aside terra
Moenia constituis positoris habentia nomen.

430. *Iolaus*. Vid. 397 seqq. — *fata quoque ut superet*. Ex superstitione veterum, imprimis Homeri, ipsi quoque di fatis inferiores sive subjecti erant. — *fata superare* est *fato superiorem* esse idque mutare posse. — *in annos rediit*. Conf. 399.

431. *juvenescere*. Alter Hamb. et unus Medic. *revirescere*, quod inscite recepit Heinsius. Nam recte quidem senex in puerum mutatus *revirescere* dicitur, at puer in juvenem mutatus, de quo h. l. agitur, non item. Ad rem conf. v. 414.

432. *non ambitione* (studio) *nec armis* (nec vi), referuntur ad v. 419—426. Plin. Ep. III, 9, 10. *ambitio et favor*.

433. „*vos etiam, et quo hoc meliore* (aequiore) *animo feratis, ipsum quoque me fata regunt*." — Heinsius tacite edidit *quoque hoc*, quod Rhen., Zwicc., ed. pr. et Ven. 2. tuentur. — Berol. *quoque haec*. Il Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1., Vrat. et reliquae edd. vett. *quoque ut hoc*. Vulg. *utque hoc*.

435. *Aeacus, Minos* et *Rhadamanthus* tres judices inferorum omnes filii Jovis erant. *Aeacus* Jovis et Aeginae. VII, 474. 615. *Rhadamanthus* et *Minos* filii Jovis et Europae. Apollod. III. c. 1. Met. II, 833 seqq. — *seri anni*, seniles anni. VI, 29.

437. Exc. Mur. et Sulm. *propter dura*. IV Heins. *propter multa*, et III *propter saeva*. ex glossis.

438. *ordine*, consilio, sapientia.

440. *videant* Cant., Goth. 2., Rhen., Zwicc. et VIII Heins. Codd. reliqui cum vett. edd. *videat*. Sed pluralem poscit sententia. Dura certe est constructione altera scriptura. — Plurimi (?) Heins. *annos*.

441. *integer aevi*, ab aevo. Hor. Od. I, 22. *integer vitae scelerisque purus*. Vid. ad VI, 137. Supra V, 50. est *integer annis*.

443. *Deïoniden*. Miletus Cretensis erat filius Apollinis et Deïones. De re vid. Pausan. Achaic. p. 524. Apollod. III. c. 1. Strab. XIV. p. 436. — Cod. Bersm., Zwicc., nonnulli Heins. et Dresd. *Deionideque*. Vrat., Franc. et plurimi Heins. et edd. Venn. *Deionidaeque*. Vulg. *Deïonidenque*.

446. *patrii penates* alibi de domo paterna, nunc de patria, regno. *Gier*.

448. *metiris*. VIII, 565. Virg. Georg. IV, 389. *metitur curru aequor*. — *Aegaeae aquae*, mare Cretam inter et Asiam. V, 648. Nam *terra Asis* est pro *Asia*. Ib. v. 648. Conf. Met. I, 62. V, 648.

449. *moenia — positoris habentia nomen*, sc. Miletum, quae est clarissima illa urbs Ioniae. Fast. II, 63. *templorum positor*; ab Nasone ut videtur formatum vocabulum.

Hic tibi, dum sequitur patriae curvamina ripae
Filia Maeandri toties redeuntis eodem,
Cognita Cyanëe, praestanti corpore nympha,
Byblida cum Cauno prolem est enixa gemellam.
Byblis in exemplo est, ut ament concessa puellae:
Byblis, Apollinei correpta cupidine fratris
Non soror ut fratrem, nec qua debebat, amavit.
Illa quidem primo nullos intelligit ignes,
Nec peccare putat, quod saepius oscula jungat,
Quod sua fraterno circumdet brachia collo,
Mendacique diu pietatis fallitur umbra.
Paullatim declinat amor, visuraque fratrem
Culta venit, nimiumque cupit formosa videri;
Et, si qua est illic formosior, invidet illi.
Sed nondum manifesta sibi est, nullumque sub illo
Igne facit votum; verumtamen aestuat intus.
Jam dominum appellat, jam nomina sanguinis odit,
Byblida jam mavult, quam se vocet ille sororem.
Spes tamen obscoenas animo demittere non est

450. *hic*, prope Miletum, ubi Maeander per Cariam et Ioniam defluens in mare Icarium exoneratur. Liv. XXXVIII. c. 13. De Maeandri flexibus conf. II, 246. VIII, 160. — *patriae ripae*, ripae patris.

452. *Cyanëe*. Par. 1., Dresd., Rhen. et vulg. *Cyanee*. Edd. Venn. *Cyaneae*. Berol. *Cyanea*. Multi Heins., Par. 2., Vrat. et Zwicc. *Cyane*. Cod. Bersm. *stat Cyane*. Goth. 1. 2. *thiane*. Pal. 2. *prociane*. Pal. 1. pro v. l. *Crineo*. Lips. 1. *Crineis*. Spir. et Thu. *Creneis*. Urb. *Cretei*. — Par. 2. pro v. l. *praestanti corpora forma*, quod cupidius arripuit Heinsius. Berol., Pal. 2., Par. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et Zwicc. *praestanti corpore forma*. Erf. 1., Flor., Medic. 2., Mor. 1., Neap., Pal. 1., Spir., Thu., Urb. et nonnulli Heins. *praestantia corpora forma*. Par. 1. et reliqui *praestanti corpore nympha*. Virg. A. I, 71.

Sunt mihi bis septem praestanti corpore nymphae.

453. Goth. 1., Par. 1. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et edd. Venn. ubique *Biblis*.

454. *Byblis filia Mileti Cauni fratris amore incensa in fontem sui nominis mutatur*. Ant. Liberal. XXX.

454. *in exemplo est* dictum ut Fast. IV, 243. *in exemplum venire*. Dicitur etiam *in exemplum esse*. Vid. Justin. XXIII. c. 3. — *concessa*. Cf. 638. Hor. Sat. I, 4, 113. *concessa venere uti*. — Ceterum honestam praefationem turpissimae rei praefigit.

455. *Apollineus* frater erat, ut ipsa *Apollinea*; nam Apollo a patre erat eorum avus. V. 444. Eodem modo idem *Maeandrius juvenis*, sc. ab ave materno, appellatur v. 574.

456. *qua debebat*, ut alibi *qua licet et possum*. Cf. v. 510. II, 105. — Cod. Bersm., Pal. 2. a corr. et Goth. 2. *quo*. — Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Zwicc., ed. pr. et haud dubie multi quoque Heins. et Ciof. *amabat*.

457. *nullos intell. ignes*, de illicito amore nihil sentit.

458. Cod. Bersm., Par. 2. et quidam Heins. *jungit*.

460. *pietatis f. umbra*. Juven. Sat. XIV, 109.

Fallit enim vitium specie virtutis et umbra.

mendax umbra est *fallens species*.

461. *declinat*, a recto et pietate. — Vetus cod. Pol., Gron. 1. et III Heins. *succrescit*.

462. *culta*, ornata, ut *cultus adulter* apud Horatium.

463. *nondum manifesta sibi est*, nondum clare intelligit, quo illa animi affectio tendat.

464. *sub illo igne*, sc. qualis tunc erat. — 465. *votum*, sc. ut potiatur amato.

466. *nomina sanguinis*, sororis. — *dominus* et *domina* in blanditiis amantium erant.

467. *Byblida mavult quam se vocet ille sororem* trajectio ut v. 707. *neque erat facti nisi conscia nutrix*.

468. *animo demittere*. Iterum dativus

Ausa suo vigilans; placida resoluta quiete
Saepe videt, quod amat, visa est quoque jungere fratri
Corpus, et erubuit, quamvis sopita jacebat.
Somnus abit: silet illa diu, repetitque quietis
Ipsa suae speciem, dubiaque ita mente profatur:
„Me miseram! tacitae quid vult sibi noctis imago?
Quam nolim rata sit! Cur haec ego somnia vidi?
Ille quidem est oculis quamvis formosus iniquis,
Et placet, et possim, si non sit frater, amare, —
Et me dignus erat; verum nocet esse sororem.
Dummodo tale nihil vigilans committere tentem,
Saepe licet simili redeat sub imagine somnus:
Testis abest somno, nec abest imitata voluptas.
Proh Venus et tenera volucer cum matre Cupido,
Gaudia quanta tuli! quam me manifesta libido
Contigit! ut jacui totis resoluta medullis!
Ut meminisse juvat! quamvis brevis illa voluptas,
Moxque fuit praeceps et coeptis invida nostris. —
O ego, si liceat mutato nomine jungi!
Quam bene, Caune, tuo poteram nurus esse parenti;
Quam bene, Caune, meo poteras gener esse parenti!
Omnia dî facerent essent communia nobis,
Praeter avos: tu me vellem generosior esses. —
Nescio quam facies igitur, pulcherrime, matrem;
Et mihi, quae male sum, quos tu, sortita parentes,

pro *in* et accusativo. Vid. ad I, 766. Cf. VIII, 188. — *demittere* plerique vett. Heins., Berol., Par. 2., Rhen. et edd. Venn. Vulg. *dimittere*, quod et ipsum sententia admittit.

469. *vigilans*, dum vigil est. — *resoluta quiete*. Conf. VII, 186.

470. *quod amat*. VII, 23. — *jungere corpus, pectora, caput, membra, amores, venerem, al.* de amplexibus venereis. II, 604. Her. III, 107. Remed. A. v. 407.

471. *jacebat*. Ita vetustiores Heinsii, Lips. 1., Vrat. et vett. edd. Reliqui *jaceret*. Veri similius est communem orationem librariis deberi. Vid. I, 686. II, 568. 782. VI, 12. IX, 125. et 540. XII, 312. et not. ad Trist. I, 2, 45.

473. *quietis species*, species per quietem oblatam, somnium. — *ipsa suae*. Vid. ad I, 101.

474. *noctis imago*. Conf. VIII, 827.

475. *rata sit*, vera sit, eventum habeat. — *quam nolim etc.* i. e. quantopere velim, veram non esse. Alii *quam* pro relativo accipiunt, sed tum legendum esset *quae*.

476. „*Ille quidem est oculis, quamvis iniqui sint, formosus.*“

477. *possim*. „*Possum* cum scriptis.“ *Heins.* Idem Dresd., Goth. 2. et Rhen. exhibent, ac locum quidem habere potest; sed causam novandi non video. Goth. 1., Bersm., Berol., Par. 2. et Vrat. *possem*, quo confirmatur scriptura *possim*.

478. *verum nocet esse sororem*. I, 662. XI, 219. — De illo *dignus erat* cf. v. 488. et I, 679.

481. „(nam) *testis abest ...*“ — *imitata voluptas*. Pont. I, 2, 45. *Somnia me terrent veros imitantia casus*. — Plurimi Heins. *voluntas*.

482. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 2., Lips. 1. et Zwicc. *et volucer tenera*.

483. *ferre gaudia*, ut *munera, praemia*. Vid. Lambin. ad Hor. Od. IV, 8. — *libido*. Quam libidinem in animo habeat, e versu sequenti apparet.

484. *contigit*, tetigit. Eleg. ad Liv. v. 9. *luctus contigit omnes*. — De *resoluta* vid. A. A. III, 793. et II, 683. — De repetitione illa v. 488. 489. vid. ad VI, 16. I, 325. — 488. Berol., Par. 1. 2. et multi vett. Heinsii: *quam bene tu nostro p.* Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *quam bene tu poteras nostro*.

491. *praeter avos*, praeter genus.

493. *et mihi*. Nonnulli Heins., Bersm., Berol., Lips. 1. et ed. pr. *at mihi*. Dresd. *sed mihi*. Goth. 2., unus Maff.,

Nil nisi frater eris. Quod obest, id habebimus unum.
Quid mihi significant ergo mea visa? - Quod autem
Somnia pondus habent? An habent et somnia pondus?
Dî melius! Dî nempe suas habuere sorores.
Sic Saturnus Opim junctam sibi sanguine duxit,
Oceanus Tethyn, Junonem rector Olympi. —
Sunt superis sua jura. Quid ad coelestia ritus
Exigere humanos diversaque foedera tento?
Aut nostro vetitus de corde fugabitur ardor,
Aut, hoc si nequeo, peream, precor, ipsa toroque
Mortua componar, positaeque det oscula frater! —
Et tamen arbitrium quaerit res ista duorum.
Finge placere mihi: scelus esse videbitur illi. —
At non Aeolidae thalamos timuere sororum.
Unde sed hos novi? Cur haec exempla paravi?
Quo feror? Obscoenae procul hinc discedite flammae,
Nec, nisi qua fas est germanae, frater ametur. —
Si tamen ipse mei captus prior esset amore,
Forsitan illius possem indulgere furori.
Ergo ego, quae fueram non rejectura petentem,

Par. 2., Sulm. 1. 2. *ei mihi.* Goth. 1., II Vatt. Ciof. et edd. Venn. et Ald. *hei mihi.* Zwicc. *heu.* Reliqui omnes *et mihi*, quae scriptura, praeter quod majorem habet auctoritatem codicum, mihi etiam elegantior videtur. — *male*, malo sive damno meo. II, 148.

494. „*id unum* (sc. cognatum sanguinem) *habebimus, quod nobis obest*, ne votis potiamur?“

495. *significant*, portendunt. Inde *significationes deorum.* Cic. Cat. II. c. 13.

496. *pondus.* Heroid. VII, 65. *nullum sit in omine pondus.*

497. *dî melius.* Conf. VII, 37. — *habuere* in matrimonio. — De *nempe* vid. ad II, 474.

498. *Saturnus.* I, 113. *Opis* sive Rhea fuit Saturni soror. Hyg. F. 139. Conf. Leop. Schneider gramm. Lat. I. p. 215. — Cod. Bersm., Rhen., unus Sulm., Vat. Ciof. et Zwicc. *junxit.*

499. *Oceanus* filius et *Tethys* filia Terrae et Coeli. II, 69. - *Junonem.* I, 612.

500. *sua*, ipsis propria et minus severa.

501. *exigere*, metiri, judicare, aestimare. — *foedera* de matrimonio accipienda.

503. *ipsa.* Meliores (??) Heinsii, Goth. 2. pro v. l. et ed. pr. *precor ante*, quod dedit Heinsius. *Ipsa* opponitur *ardori suo*, quod recte animadvertit Jahn.

504. *componar*, de mortuis proprie dicitur. — *componar positaeque.* Illud *positaeque* notionem verbi *componar* repetit, simplex compositi. Conf. VIII, 651. 52. et vid. not. ad I, 33. et 402.

505. *et tamen.* Paris. 1. et meliores (?) Heinsii *attamen.* Vulgata *et tamen* orationi deliberantis aptior est. — *arbitrium*, voluntatem. — *quaerit*, requirit.

507. *Aeolidae.* Aeoli filii VI duxere VI sorores. Hom. Od. X, 5.

τοῦ (Aeoli) καὶ δώδεκα παῖδες ἔσαν μεγάροις γεγάασιν,
ἓξ μὲν θυγατέρες, ἓξ δ' υἱέες ἠβώοντες·
ἔνθ' ὄγε θυγατέρας πόρεν υἱάσιν εἶναι ἀκοίτις.

Diod. IV. c. 8.

508. *paravi*, quaesivi, collegi.

509. *quo feror*, quo furore meo abripior, vel *labor*, ut est v. 520.

510. *qua.* Conf. v. 456.

513. *fueram*, fuissem. Cf. v. 606. — *rejectura*, producta syllaba *re*. Conf. II, 582. Virg. Aen. XI, 630. et passim. Terent. Phorm. IV, 4, 5. *Si altera illa magis instabit, forsitan nos rejiciet.* — Cod. Bersm., Berol., Dom., Dresd., Goth. 1., Par. 1., Rhen., Lips. 1., Sulm. 1. 2., unus Vat. Ciof., Zwicc., multi Heins. et ed. pr. *neglectura.* - Nonnulli Heins., Lips. 1., Rhen. et Vrat. *quem.* At *ipsa* versu proximo respondet priori *ego quae*; ut oppositum in subjecto sit, non in objecto, quod dicitur. *Baumg. Crus.*

Ipsa petam? — Poterisne loqui? Poterisne fateri?
Coget amor: potero; vel, si pudor ora tenebit,
Litera celatos arcana fatebitur ignes.“
Hoc placet, haec dubiam vincit sententia mentem.
In latus erigitur, cubitoque innixa sinistro,
„Viderit: insanos“ inquit „fateamur amores! —
„Hei mihi, quo labor? Quem mens mea concipit ignem?“,
Et meditata manu componit verba trementi.
Dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram:
Incipit et dubitat, scribit damnatque tabellas,
Et notat et delet, mutat culpatque probatque,
Inque vicem sumtas ponit, positasque resumit.
Quid velit, ignorat; quicquid factura videtur,
Displicet; in vultu est audacia mixta pudori.
Scripta „Soror“ fuerat: visum est delere Sororem,
Verbaque correctis incidere talia ceris:
„Quam, nisi tu dederis, non est habitura salutem,
Hanc tibi mittit amans. Pudet, ah pudet edere nomen;
Et si, quid cupiam, quaeris, sine nomine vellem
Posset agi mea causa meo, nec cognita Byblis
Ante forem, quam spes votorum certa fuisset.
Esse quidem laesi poterant tibi pectoris index
Et color et macies et vultus et humida saepe
Lumina, nec causa suspiria mota patenti,

515. *tenebit*, praecludet, vel *reprimet*, ut est VI, 583.

516. *arcana*, quae arcanum continet. Her. XVII, 265. *conscia mentis litera.*

517. *hoc placet.* Berol., Dresd., Zwicc. et multi (?) Heinsii *haec*, sed *hoc* et copiosius est et majorem habet auctoritatem vetustatis. — Castigatiores Heins, Goth. 1. 2., Pal. 2., Rhen., Zwicc. et ed. pr. *vincit*. Vulg. *vicit*.

521. *meditata*, in modo patiendi. Vid. ad VII, 727. — *componit* de conscribendo. — 522. *ferrum*, stilum ferreum, quo in *cera* h. e. in ceratis tabellis scribebant.

523. *damnat tabellas* pro improbat quae scripserat. — 524. *notat*, literarum notas facit, scribit. Her. I, 62. *digitis charta notata meis.*

525. *ponit positasque.* Vid. ad 504. et ad I, 33.

528. *soror.* Ex communi exordiendi epistolam formula ac modo, sc.: *Soror Cauno fratri salutem.*

529. *incidere* de stilo proprie dicitur. — Multi codd. Heinsii scripturam *correctis* corruperunt in *correptis*.

530. Pro: *Soror Cauno fratri salutem*, omissis nominibus *soror* et *frater* scribebat: *Quam nisi tu dederis etc. Salutem* autem duplici h. l. potestate accipiendum. Vid. not. ad Her. IV, 1.

Qua, nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem
Mittit Amazonio Cressa puella viro.

531. Cod. Bersm., veteres Ciof., Dresd., Pal. Gebhardi, Lips. 1., Vrat., Zwicc. et ed. Ven. 2. *pudet ha.* — 533. *posset agi mea causa.* Ex jure sumta oratio. Conf XIII, 6.

534. *quam spes etc.*, quam certa fuissem, me votorum compotem fore.

535. Diligenter colligit *laesi*, vulnerati Cupidinis telis pectoris indicia. Conf. Her. XI, 27. — Goth. 2., Rhen. et IX Heins. *poterant*. Reliqui omnes *poterat*, quod genuinum videtur.

536. *color.* Art. A. I, 729.

Palleat omnis amans, hic est color aptus amanti.

537. „*et suspiria* (cum tacita sedens aut inter sermones non tristes suspirarem) *non patenti causa mota.* Fast. I, 417. *absentes suspirat amores.* — Multi Heins. *nota*, et III *longa*. Conf. II, 778. III, 536.

Et crebri amplexus, et quae, si forte notasti,
Oscula sentiri non esse sororia possent.
Ipsa tamen, quamvis animi grave vulnus habebam,
Quamvis intus erat furor igneus, omnia feci, —
Sunt mihi dî testes - ut tandem sanior essem,
Pugnavique diu violenta Cupidinis arma
Effugere infelix; et plus, quam ferre puellam
Posse putes, ego dura tuli. Superata fateri
Cogor, opemque tuam timidis exposcere votis.
Tu servare potes, tu perdere solus amantem.
Elige utrum facias. Non hoc inimica precatur,
Sed quae, cum tibi sit junctissima, junctior esse
Expetit, et vinclo tecum propiore ligari.
Jura senes norint et, quid liceatque nefasque
Fasque sit, inquirant, legumque examina servent;
Conveniens Venus est annis temeraria nostris.
Quid liceat nescimus adhuc, et cuncta licere
Credimus, et sequimur magnorum exempla deorum.
Nec nos aut durus pater aut reverentia famae,
Aut timor impediet; tantum absit causa timendi.
Dulcia fraterno sub nomine furta tegemus.
Est mihi libertas tecum secreta loquendi,
Et damus amplexus et jungimus oscula coram: '
Quantum est quod desit? Miserere fatentis amorem,
Et non fassurae, nisi cogeret ultimus ardor,
Neve merere meo subscribi causa sepulcro."

538. *et quae — possent.* Conf. II, 430. 431. IV, 3. 334. — 540. Argumentis, quibus poterat, gravissimis utitur ad fratris animum flectendum. Vim mihi feci, ut insanum amorem restinguerem. A te uno sororis salus pendet, quae te unice amat. Quod peto haud inconveniens est annis nostris, et clam agi potest. *Gierig.* — Pro *animi* Rhen., Bas. 4. et pauci Heinsiani *animo*, quod male edidit Heinsius. Vid. ad III, 721. IV, 69. VI, 82. et passim. — Bonon., Flor. et ed. pr. *quamvis me jam gr. v. habebat.*

545. *superata*, postquam (autem tandem) superata sum, postquam succubui. — *dura*, obfirmato animo.

548. Zwicc. et quidam Heins. *non haec.* — 549. *junctissima*, sc. ut soror. — 551. *liceat* per leges, *nefas* per naturam. Vid. 748. Cic. pro Mil. c. 16. *quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret.*

552. *legum examina servent*, examinent, perstent examinare leges, ut *servare judicium suum*, in eo perseverare. *Gierig.*

553. *temeraria*, caeca, legibus et natura non coërcita.

555. *exempla deorum.* Conf. v. 497 seqq. et Terent. Eun. III, 5, 36 seqq. — 556. *durus*, severus. Conf. Hor. Epist. I, 1, 23. Opponitur *facilis.*

557. *absit causa timendi*; quae adesset, si non licitum sibi eum amorem existimarent. — Dresd., Bas. 1—4., Par. 2. et nonnulli Heins. *tantum adsit.* Cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Par. 1., Rhen., Zwicc., multi ex vetustioribus Heins. et ed. pr. *tantum sit*, quod aliis genuinum videtur. — Unus Gron. et Rhen. *impedient.* Vid. ad I, 162.

558. *dulcia — furta*, de clandestino amore passim. I, 606. Conf. Virg. Georg. IV, 346. — *fraterno* autem *sub nomine teguntur*, cum sub specie fraternae et sororiae caritatis celantur. Conf. Her. IV, 137 seqq.

561. *quantum*, quantillum, quam parum. Vid. IV, 74. XV, 468. — 562. *ultimus*, extremus, summus.

563. *neve merere, neve culpam suscipe, meo sepulcro causa subscribi.* Conf. Met. X, 198. XV, 128. Heroid. XVIII, 200. II, 145.

Inscribere meo causa invidiosa sepulcro.
Senec. de Brev. vitae c. 16. *vitiis auctores inscribere deos.* Grat. Cyneg. v. 107.

Talia nequicquam perarantem plena reliquit
Cera manum, summusque in margine versus adhaesit.
Protinus impressa signat sua crimina gemma,
Quam tinxit lacrimis, - linguae defecerat humor —
Deque suis unum famulis pudibunda vocavit,
Et pavidum blandita „Fer has, fidissime, nostro“
Dixit, et adjecit longo post tempore „fratri.“
Cum daret, elapsae manibus cecidere tabellae.
Omine turbata est, misit tamen. Apta minister
Tempora nactus adit traditque latentia verba.
Attonitus subita juvenis Maeandrius ira,
Projicit acceptas lecta sibi parte tabellas
Vixque manus retinens trepidantis ab ore ministri
Dum licet, o vetitae scelerate libidinis auctor,
Effuge,“ ait „qui, si nostrum tua fata pudorem
Non traherent secum, poenas mihi morte dedisses.“
Ille fugit pavidus, dominaeque ferocia Cauni
Dicta refert. Palles audita, Bybli, repulsa,

Auctoremque operi dignata inscribere magno.

Vid. not. ad VI, 74. — *causa* Graeca constructione; nam ex vulgari oratione scribendum erat *causam*. Ceterum aptam vides in verbis: *Miserere fatentis — — sepulcro*, ad commovendum conclusionem.

564. *reliquit*, defecit. — Goth. 1. et Medic. *properantem*, ex glossa. Trist. III, 7, 1.

Vade salutatum, subito perarata, Perillam
Litera.

II Bersm. *peragentem*. Par. 1. *dicentem*.

565. *summusque*. Sic Flor., Medic. 2., Neap., Pal. 1. et III Heinsii, quod recte dedit Heinsius. „*Summus*, ultimus versus in ipsa plaga locum non invenit, sed in margine adhaesit.“ Reliqui libri vett. *summoque*, nisi quod Vrat. *summaque*.

566. *crimina* pro epistola qua crimina continebantur. Cf. VI, 131. *gemma*, sc. anuli signatorii. De re Amor. II, 15, 16.

Neve tenax ceram siccave gemma trahat,
Humida formosae tangam prius ora puellae.

Vid. not. ad Trist. V, 4, 5.

567. *linguam* tacite edidit Heinsius, quod Goth. 1., Vrat. et ed. pr. tuentur. Vulg. *linguae*, quod genuinum esse existimo. Eadem varietas est II, 382. Vid. ad Trist. V, 13, 27. et Forcell. in v.

569. *pavidum*. Ita omnes Ciof., Bersm., plurimi vett. Heins., Dresd., Goth. 1. et pro v. l. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et ed. pr. Alter Bersm. *pavide*, ex glossa. *Pavidum* pro *pavide*, ut *certum vigilans* Hor. Sat. II, 5, 100. Vulg. *paullum*. Blanditiae autem illae intelligendae sunt in *fidissime* et in vultu et modo quo haec dixit. Vid. Ter. Adelph. V, 5, 4. — Cod. Bersm., Rhen., Vrat., plurimi vett. (?) Heins. et ed. pr. *feras*. Vulg. *fer has*. „*Fidus* honestius voc., quam *fidelis*. *fidus* enim amicus est, *fidelis* servus. Vid. Donat. ad Ter. Andr. III, 1, 2. Phorm. I, 2, 26. *Gierig*.

570. *longo post tempore*, quia ei invisum fratris nomen. V. 466. 528. Annotavit Burmannus, tres tantum codd. Heins. hanc scripturam tueri, reliquos habere *post longo t.*, quod etiam Bas. 3. habet.

572. *omine*. Conf. 595—597. — *apta*, opportuna. Conf. v. 611.

574. *Maeandrius juvenis*, Caunus. Vid. ad v. 455. — *attonitus*. Conf. X, 154.

575. *lecta sibi*, a se.

577. *in furore suo* famulum auctorem criminis appellat. Conf. v. 214.

578. *qui si nostrum — secum*. Nam movere suspicionem potuisset, se ne proderetur famulum interemisse; nam *trahere secum* h. l. fere est *sibi adjunctum habere*. Fast. IV, 662.

Nox venit et secum somnia nigra trahit.

pudor est res quae pudori est. Vid. index in v. — Deteriores Heinsii *quod si*.

579. *secum*. Ita meliores Heins., Berol., Dresd. et Lips. 1. — Vulg. *tecum*.

Et pavet obsessum glaciali frigore corpus.
Mens tamen ut rediit, pariter rediere furores,
Linguaque vix tales icto dedit aëre voces:
„Et merito: quid enim temeraria vulneris hujus
Indicium feci? quid, quae celanda fuerunt,
Tam cito commisi properatis verba tabellis?
Ante erat ambiguis animi sententia dictis
Praetentanda mihi. Ne non sequeretur euntem,
Parte aliqua veli, qualis foret aura, notare
Debueram, tutoque mari decurrere: quae nunc
Non exploratis implevi lintea ventis.
Auferor in scopulos igitur, submersaque toto
Obruor oceano, neque habent mea vela recursus.
Quid, quod et ominibus certis prohibebar amori
Indulgere meo tum, cum mihi ferre jubenti
Excidit et fecit spes nostras cera caducas?
Nonne vel illa dies fuerat vel tota voluntas,
Sed potius mutanda dies? Deus ipse monebat,
Signaque certa dabat, si non male sana fuissem.
Et tamen ipsa loqui nec me committere cerae
Debueram, praesensque meos aperire furores:
Vidisset lacrimas, vultus vidisset amantis;

582. *corpus*. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 2. pro v. l., Bas. 4. a l. m., unus Sulm. et nonnulli Heins. *pectus*. *Corpus* scriptura reliquorum codd. et vett. editionum omnium ad sententiam apta et recta est, itaque cum Heinsio novandi causam non video. *Corpus* apte respondet illi *mens*.

583. Conf. VI, 531. Her. XIII, 29.

Ut rediit animus, pariter rediere dolores.

584. *icto aëre*. Conf. III, 21. 706.

585. *et merito*. Incipit abrupte. Scilicet postquam multa cogitavit de repulsa, dolor in haec verba erumpit: *Et merito*.. Conf. VI, 687.

586. Thu. et Berol. *cur quae*.

587. *committere tabellis*, tradere fidei tabellarum. Vid. Amor. I, 12, 21.

588. *ambiguis*, alludentibus.

589. *praetentanda*. VIII, 7. — *sequi* de secundis ventis saepe legitur, et *secundus* dictum a *sequendo*. Construe: *ut aura seq. eunti*, (ante) *parte aliqua veli not.* (observare) *deb., qualis foret, et* (tum) *tuto mari* (si mare tutum esset) *lintcis dec., quae* (nunc) *non ante expl. ventis implevi*. — De verbo *decurrere* conf. X, 597.

591. Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Lips. 1., Zwicc. et ed. Ven. 1. *totoque*. Dresd. ab alia m. pro v. l. et vulg. *tutoque*, quod recte dedit Heinsius, qui de suis codd. tacet.

593. *auferor*. Sic II Bersm., Berol., Goth. 1., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc., Sulm. 1. 2., plerique Heinsii et ed. pr. — Dresd. et Goth. 2. *deferor*. Reliqui *nunc feror*. Amor. II, 4, 8.

Auferor ut rapida concita puppis aqua.

Submersaque obruor. Virg. A. I, 69. *submersasque obrue puppes*. Eodem modo Met. VIII, 720. *abdita texit ora*. Conf. III, 76. IV, 802. Vulg. *subversaque;* sed cod. Bersm., Briant., Sulm. 1. 2., plerique Heins. et Jahni codd. omnes *submersaque*, quod poscit sententia.

594. *neque*. Goth. 1. et edd. Venn. *nec*.

595. *certis*, perspicuis, non obscuris.

596. Heinsius tacite edidit *tum cum*, quod omnes codd. tuentur, praeter Goth. 1., qui cum vett. edd. *tunc cum*.

597. *caducas*, vanas. Fast. I, 181. *preces caducae*. — *excidit*. Vid. 571.

598. *fuerat*, fuisset. Conf. v. 513. — *voluntas*. Berol., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc. a rec. m. et vett. edd. *voluptas*. Heinsius tacite edidit *voluntas*, quod Zwicc. a. 1. m., Goth. 1. et ed. Bas. confirmant.

600. Goth. 2. et nonnulli Heinsii *certaque signa*. — *male sana*, insana, stulta. III, 474.

603. *vultus*. II Bersm., Berol., Cael., Dresd., Goth. 1. 2., Paris. 1. 2., Pal. 2., Sulm. 1. 2., Vrat., plurimi Heins. et ed.

Plura loqui poteram, quam quae cepere tabellae,
Invito potui circumdare brachia collo,
Et, si rejicerer, potui moritura videri
Amplectique pedes affusaque poscere vitam.
Omnia fecissem: quorum si singula duram
Flectere non poterant, potuissent omnia, mentem.
Forsitan et missi sit quaedam culpa ministri:
Non adiit apte, non legit idonea, credo,
Tempora, nec petiit horamque animumque vacantem.
Haec nocuere mihi: neque enim est de tigride natus,
Nec rigidos silices solidumve in pectore ferrum
Aut adamanta gerit, nec lac bibit ille leaenae.
Vincetur: repetendus erit, nec taedia coepti
Ulla mei capiam, dum spiritus iste manebit.
Nam primum, si facta mihi revocare liceret,
Non coepisse fuit; coeptum expugnare, secundum est.
Quippe nec ille potest, ut jam mea vota relinquam,
Non tamen ausorum semper memor esse meorum;
Et, quia desierim, leviter voluisse videbor,
Aut etiam tentasse illum insidiisque petisse, —
Vel certe non hoc, qui plurimus urget et urit

pr. *vultum*. Sed ea scriptura a librariis orta videtur, quos pluralis ille in uno homine offenderet. Sed vid. not. ad Trist. III, 1, 27. et ad III, 8, 9.

606. „*potui videri vitam mihi ipsa adimere velle*.“ — Heinsius temere et sine codicum auctoritate hunc versum post sequentem collocavit.

607. *affusa*. Conf. v. 366. VIII, 540.

609. Cod. Bersm., unus Ambr. et unus Heins. *poterant, poterant tamen omnia*.

611. *non adiit opte*. Conf. v. 572. De producta syllaba *it* verbi *adiit* et verbi *petiit* v. 612. vid. ad I, 114. et not. ad Trist. I, 10, 25. Goth. 1., Rhen. et Lips. 1. *apte non adiit*. Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1., Zwicc. et meliores Heins. *non legit*. Pal. 2. et vulg. *nec legit*. Sed prior scriptura efficacior et elegantior est.

613. Codd. Ciof., II Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Lips. 1., Zwicc. et vett. edd. *enim est*. Heinsius tacet.

614. *rigidos*. Paris. 1. 2., Rhen., Vrat., XII Heins. *rigidas*. Spir. *rigida silice*. Reliqui omnes *rigidos*. Vid. not. ad v. 225. Ceterum haec est frequens apud poetas ratio duritiem hominis declarandi. VII, 32. Her. VII, 37.

Te lapis et montes innataque rupibus altis
Robora, te saevae progenuere ferae.

615. *adamanta*. IV, 453. VII, 412.

616. *repetendus erit*, iterum tentandus erit. — *taedia coepti capere*, ut *gaudia, misericordiam capere*.

617. *dum spiritus iste manebit*. Virg. A. IV, 336.

Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.

618. *facta* i. e. quae hactenus feci. — Rhen., Lips. 1., Zwicc., plurimi Heins. et ed. Ven. 1. *fata*. — *facta revocare* est facta infecta reddere.

619. *expugnare*, pugnare usque ad finem, intentis viribus persequi, pugnando perficere. Liv. IV. c. 35. *summa vi expugnatum est ut tribuni crearentur. Expugnax herba* est XIV, 21. — Cod. Bersm., Dresd., Franc., Goth. 1. 2., Paris. 1. 2., Lips. 1., Zwicc., Vrat. et multi Heinsii *coeptum*. Reliqui *coepta*. Parum refert, utrum ponatur, et statuere difficile est.

620. „*nec ille potest . . ., et ego quia desierim . . videbor*.“ — 622. *leviter*, non furore correpta, quod excusatius.

624. „*vel certe credar* (opinionem movebo) . . .“ — *plurimus*, summa vi. — *urget et urit*. Plerique veteres Heinsii *urit et ussit* vel *ussit et urit*. Cod. Bersm., Cael., Goth. 1. 2., Paris. 1. 2., unus Sulm., Vrat. et Zwicc. *urit et ussit*. Berol., Lips. 1., Vat. Ciof. et II Heinsii *urget et ussit*. Rhen. *urget et ursit*. III Heinsii *urit et urget*. Alter Bersm., Pal. 2. et reliqui *urget et urit*. VIII, 350. *si te coluique coloque*. XII,

Pectora nostra, deo, sed victa libidine credar.
Denique jam nequeo nil commisisse nefandum:
Et scripsi et petii, temerata est nostra voluntas.
Ut nihil adjiciam, non possum innoxia dici.
Quod superest, multum est in vota, in crimina parvum.
Dixit, et - incertae tanta est discordia mentis -
Cum pigeat tentasse, libet tentare, modumque
Exit, et infelix committit saepe repelli.
Mox ubi finis abest, patriam fugit ille nefasque,
Inque peregrinâ ponit nova moenia terra.
Tum vero maestam tota Miletida mente
Defecisse ferunt, tum vero a pectore vestem
Diripuit, planxitque suos furibunda lacertos.
Jamque palam est demens, inconcessamque fatetur
Spem veneris: sine qua patriam invisosque penates
Deserit, et profugi sequitur vestigia fratris.
Utque tuo motae, proles Semeleïa, thyrso
Ismariae celebrant repetita triennia Bacchae:
Byblida non aliter latos ululasse per agros
Bubasides videre nurus, quibus illa relictis
Caras et armiferos Lelegas Lyciamque pererrat.
Jam Cragon et Limyren Xanthique reliquerat undas,
Quoque Chimaera jugo mediis in partibus ignem,

114. *valuit mea dextra valetque.* Sed ad sensum aptissima est vulgata, quam veteres edd. et haud dubie plurimi quoque codd. tuentur.

625. *hoc — deo*, Amore. I, 452 seqq.

626. Conf. III, 297. — Spir. *nefandi.*

627. Dresd. et IV Heins. *temerataque nostra.* Berol. et IV Heins. *temeraria nostra.* — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1. et plurimi Heins. *voluptas.* — *temerata*, polluta ac tarpata.

629. *in vota.* Conf. IV, 149.

630. *incertae*, dubiae, fluctuantis. Conf. v. 43. De re conf. etiam X, 445. — IV Heins. *incestae.*

631. *quum*, licet.

632. *committit repelli*, facit non sine culpa, ut repellatur.

633. *finis* tentaminum a sorore. — *patriam*, Miletum. Vid. 448 seqq.

634. *nova moenia*, Caunum urbem in valle Cariae. Vid. v. 664. Mela I. c. 16.

635. *Miletida*, Byblida, Mileti filiam. V. 446 seqq.

636. *tota defecisse mente.* Conf. X, 194. et V, 96.

637. *diripuit.* Scripti quidam Heins. et Rhen. *deripuit.* Bersm. et VI Heins. *dirupit.* Codd. longe plurimi et vett. edd. *diripuit*, quod vehementiae doloris aptius est, et corrupta illa scriptura: *dirupit*, etiam confirmatur. — *planxit*, percussit. Vid. ad II, 584. VI, 248. IV, 590.

639. *sine qua etc.* „*et sine ea invisam sibi patriam ac (invisos) penates deserit.*“ Omnes Ciof., plerique Heins., Par. 1. 2., et omnes Jahni: *sine qua.* II Codd. Bersm. *sine quo.* II Medicc. *pro qua.* Vulg. *si quidem.* Deinde Dresd. *miserosque.*

641. *proles Semeleïa*, Bacchus filius Semeles. III, 520. V, 329. — Ceterum furibundi saepe cum bacchantibus comparantur, nec imago illa, Bacchum thyrso suo furorem immittere, sine exemplo est. IV, 521 seqq.

642. *Ismariae Bacchae*, Thraces. II, 257. Nam in Thraciae monte Ismaro Bacchi iste cultus imprimis florebat. VI, 587., ubi etiam de illis trienniis mentio habetur. Berol. et II Heins. *triaterica*, VI, 587. — *repetita* dicuntur, quae statis temporibus celebrantur.

644. *Bubasides. Bubasus* oppidum ac regio Cariae. Herod. I. c. 174. Plin. H. N. V. c. 28.

645. *Leleges* gens Asiae minoris, Cariae vicina. Herod. I. c. 171. Strab. XIII. — De *Lycia* vid. VI, 317.

646. *Cragos* mons Lyciae. Plin. V. c. 27. *Limyra* oppidum et fluvius Lyciae. — *Xanthus*, fluvius Troadis. II, 245.

647. *quoque — jugo.* „*et jugum*

Pectus et ora leae, caudam serpentis habebat.
Deficiunt silvae, cum tu lassata sequendo
Concidis, et, dura positis tellure capillis,
Bybli, jaces, frondesque tuo premis ore caducas.
Saepe illam nymphae teneris Lelegeïdes ulnis
Tollere conantur; saèpe, ut moderetur amori,
Praecipiunt, surdaeque adhibent solatia menti:
Muta jacet, viridesque suis tenet unguibus herbas
Byblis, et humectat lacrimarum gramina rivo.
Naïdas his venam, quae nunquam arescere posset,
Supposuisse ferunt: quid enim dare majus habebant?
Protinus, ut secto piceae de cortice guttae,
Utve tenax gravida manat tellure bitumen,
Utque sub adventum spirantis lene Favonî

(reliquerat), *quo Chimaera . .*" — Berol., Lips. 1. et edd. Venn. et Ald. *jugum*, ab ignaris correctoribus. Trist. III, 2, 1.

Ergo erat in fatis Scythiam quoque visere nostris
Quaeque Lycaonio terra sub axe jacet.

Vid. not. ad Trist. I, 10, 31. — Pro *ignem* cod. Bersm., Cael., Dresd., Goth. 2., unus Sulm., Twisd. unus et pro v. l. alter, Urs., II Vatt. Ciof., Zwicc. et Pal. 2. *hircum*. Heinsius de suis codd. tacet. Atque scripturae *hircum* favet, quod monuerunt interpretes, non e mediis partibus sed faucibus eam ignem vomuisse. Etiam Lucret. V, 902.

Qui fieri potuit, triplici cum corpore ut una,
Prima leo, postrema draco, media ipsa chimaera,
Ore foras acrem flaret de corpore flammam?

qui locus expressus est ex Hom. Il. VI, 181.

Ηρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.

nam χίμαιρα Latine valet *capra*. Sed vera est scriptura codicum *ignem*. Nam idem legitur in Trist. IV, 7, 13.

— — — esse Chimaeram,
A truce quae flammis separat angue leam.

De Chimaera monstro illo Lyciae (VI, 340.) vid. etiam Hes. Theog. 319. Conf. Plin. H. N. II. c. 6. Hyg. F. 185. Apolod. II. c. 3. Mela I. c. 15.

649. *deficiunt silvae*, ut V, 463. *quaerenti defuit orbis.*

650. *concidis*. Cf. V, 117. Ox. *procidis*, ex Hor. Od. IV, 6, 11., ut videtur,

Ille (Achilles) — — —
Procidit late posuitque collum in
Pulvere Teucro.

651. *jaces*, cui respondet v. 655. *muta jaces*. Unus Medic., Rhen. et Lips. 1. *taces*, quod temere edidit Heinsius. — *caducas*, quae decidunt. VI, 396.

652. *illam*. Cant., Flor., Medic. 2., Neap., Lips. 1., Spir. et VII alii Heins. *saepe etiam*, quod perperam in textum induxit Heinsius; nam in transitu a secunda persona ad tertiam pronomen necessarium erat.

653. *moderetur*, modum ponat. Hanc scripturam confirmant Cant., Goth. 2., Hamb. 1., Medic. 3., Ox., Pal. 1., Vat. 1. et complures alii Heins. — Berol., Lips. 1. a corr., Zwicc. et multi alii Heins. *mederetur*. Lips. 1. a 1 m. et Vrat. *mederentur*. Ed. pr. *medeantur*. Vulg. *medeatur*.

654. *adhib. solatia.* Cf. III, 376.

655. Vrat. et IV Heins. *terit*, quod temere in textum recepit Heinsius. — 656. *humectat*. Virg. A. I, 465. *largo humectat flumine vultum*. — II Bersm., Berol., Rhen. et Lips. 1. *rivis*.

657. *his*, sc. ejus lacrimis. — *Naïdes* Lips. 1. et Vrat.; Dresd., Goth. 1. 2., Zwicc. et ed. pr. *Naiades*. Reliqui *Naiadas*. — 658. *dare — habebant*. Hor. Epist. I, 16, 23. *an melius quis habet suadere?* ubi vid. interpp.

659. Plin. H. N. XVI. c. 10. *Piceae plurimum fundit resinae eaque tota est superfusa*. — 660. *bitumen* in Babyloniorum potissimum finibus e terra exaestuabat. Justin. I. c. 2. — *gravida*, quatenus e sinu suo bitumen fundit. — 661. *utque* Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et edd. Venn. — Cod. Bersm. cum vulg. *utve*. Heinsius de suis codd. tacet. Ovidius plerumque similia per *et* vel *que* jungit. — Cod. Bersm., plurimi Heins., Goth. 1., Lips. 1., Zwicc. et ed. pr. *sub adventu*. Male. — *spirantis lene*.

Sole remollescit, quae frigore constitit unda:
Sic lacrimis consumta suis Phoebeïa Byblis
Vertitur in fontem, qui nunc quoque vallibus illis
Nomen habet dominae, nigraque sub ilice manat.
Fama novi centum Cretaeas forsitan urbes
Implesset monstri, si non miracula nuper
Iphide mutata Crete propiora tulisset.
Proxima Gnosiaco nam quondam Phaestia regno
Progenuit tellus ignotum nomine Ligdum,
Ingenua de plebe virum; nec census in illo
Nobilitate sua major, sed vita fidesque
Inculpata fuit: gravidae qui conjugis aures
Vocibus his monuit, cum jam prope partus adesset:
„Quae voveam duo sunt: minimo ut relevere dolore,
Utque marem parias. Onerosior altera sors est,
Et vires fortuna negat. Quod abominor, ergo
Edita forte tuo fuerit si femina partu, -

Conf. v. 569. — De *Favonio* vid. ad Trist. I, 2, 28. Interpp. ad Hor. Od. I, 4, 1. — 662. *consistere* in aqua glacie adstricta frequens. Vid. ad Trist. V, 10, 1. *ter frigore constitit Ister*, ubi vid. not.

663. *Phoebeïa*. Vid. ad v. 455.

664. Ambr. 1., Arond., alter Hamb., unus Heins., II Mor. et Rhen. *vall. imis*. Reliqui omnes cum vett. edd. *v. illis*. A. A. I, 283. tradit eam laqueo vitam finiise. Sed nunc agit de transformationibus.

665. *nigra*, a nigricante virore. Sic etiam Virg. Ecl. VI, 55. Cul. 138. *ilicis et nigrae species*.

666. *Iphis, filia Ligdi Cretensis, ut puer educatur, cumque adulta matrimonium initura esset, in juvenem mutatur*. Ant. Liber. c. 17.

666. *Cretaeas*, quia Cauni pater inde oriundus. V. 444. E Creta profectus nos eo reducit. *Gier.* — De *centum Cretae urbibus* vid. ad VII, 481 et XIII, 707. — *novi monstri*, novi miraculi, mirae transformationis. II, 367.

668. *propiora*, sc. in ipsa Creta. — Cod. Bersm., Berol., Cael., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., unus Sulm., unus Vat. Ciof., Vrat., Zwicc. et meliores Heins. *mutata*. Vulg. *mutato*. Perperam. Nam Iphis femina mutata erat. — *tulisset*, protulisset. Plin. VIII. Epist. 20. de miraculis naturae: *quae si tulisset Achaïa*.

669. *Gnos.* VII, 471. — *Phaestus* oppidum et regio Cretae. Hom. Il. V, 43. Plin. H. N. IV. c. 20.

670. *ignotum*. Unus Heins., Dresd., unus Leid. et pro v. l. Gron. 1. *ignoto*. Sed non probabile, insolentiorem scripturam librariis deberi, nec nisi perpauci scripturam *ignoto* tuentur. Nec nomen ignotum erat, sed ignotus erat Ligdus. Heinsius edidit *Ligdum*, quam scripturam Lactantius, II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Par. 1. 2., Lips. 1., Vrat., codd. Heinsii, et optimae edd. Venn. confirmant. Sic etiam iidem libri infra. Spir. *Ludum*. Ed. pr. *Lygdum* et *Lygdo*.

671. *census*, res familiaris, divitiae. Vid. III, 588. — *in illo*, apud illum.

674. *monuit*. Heinsius e V codd. edidit *movit*. Sed neutrum sententiae naturae aptum et elegans est. Itaque edidi scripturam omnium prope librorum.

675. *relevere*. Vid. v. 312. et 698. Heinsius, cum *labor* in parturientibus saepe dicatur, cum paucissimis codd. scribendum censuit *labore*. Cupidius, suo more.

676. *altera sors*, sexus femineus. III, 329.

— *ut auctoris sortem in contraria mutet*.
VI, 680.

totidemque crearat
Femineae sortis.

677. „*et fortuna negat vires. Ergo si forte, quod abominor* (quod absit), *partu tuo . . .*“ Medic. 1., unus Sulm., Vat. 1. et X Heins. *natura*, quod equidem praefero, ut sensus sit: conditio naturae mulieri negat vires, debilior est. Nam si *vires* rem familiarem intelligamus, ut opes ad collocandam filiam deesse sibi dicat, metuo ne nostros mores et rationem mulierum, quae nunc est, ad antiquitatem transferamus. Vid. Gron. Obss. II. c. 12.

Invitus mando; pietas, ignosce! - necetur."
Dixerat; et lacrimis vultum lavere profusis
Tam qui mandabat, quam cui mandata dabantur.
Sed tamen usque suum vanis Telethusa maritum
Sollicitat precibus, ne spem sibi ponat in arcto:
Certa sua est Ligdo sententia. Jamque ferendo
Vix erat illa gravem maturo pondere ventrem;
Cum medio noctis spatio sub imagine somni
Inachis ante torum, pompa comitata suorum,
Aut stetit aut visa est. Inerant lunaria fronti
Cornua cum spicis nitido flaventibus auro,
Et regale decus; cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubastis, variusque coloribus Apis,
Quique premit vocem digitoque silentia suadet,
Sistraque erant, nunquamque satis quaesitus Osiris,
Plenaque somniferis serpens peregrina venenis.

679. *pietas*, paternus sensus. — *necetur*. Penes patrem enim erat recens natum infantem aut tollere aut non tollere. Petit. Miscell. Obss. III. c. 16. *Gier*. Vid. ad v. 699.

682. *vanis* non ex mente supplicantis capiendum, sed ex mente poetae: *quae vanae forent*.

683. *ne spem ponat in arcto*, quod fiebat, si mas tantum servaretur. — *sibi*, Telethusae, ut patet v. 684. — *in arcto ponere* dictum, ut *in dubio ponere*, q. e. coarctare, angustis finibus circumscribere.

684. *certa*. Vid. ad X, 58. et cf. v. 630. — *ferendo vix erat*. Cf. XV, 403. — Codd. plerique et vett. edd. gravi corruptela *vixerat* v. *vexerat* v. *duxerat* v. *gesserat*. Goth. 2. et Bas. 4. verum exhibent *vix erat*.

687. *Inachis* est Isis numen Aegyptiorum, quae Io prius fuerat filia Inachi. Vid. ad I, 568 – 747. Hinc simulacrum ejus *βούκερων*. Hérod. II. c. 40. Ea dea etiam ut parientibus praeses colebatur (Amor. II, 13.), et cornibus novae lunae similibus, corona spicea et velamento tecta fingebatur. Plut. de Iside et Osir. — *comitata* in modo patiendi, ut saepe in his carm. Vid. index in v. — Scriptura *suorum* iis quae sequuntur confirmatur, atque eam tuentur cod. Bersm., Goth. 1., Medic. 1., Mor. 1., Pal. 2., Par. 2., Lips. 1. a rec. m., Zwicc. et plurimi Heins. — Alter Bersm., Berol. et VIII Heins. *suarum*. Non pauci Heins. et a 1. m. Lips. 1. *sororum*. Par. 1., marg. Par. 2. et reliqui cum vett. edd. *sacrorum*. — *pompa* etiam in hominibus pro agmine dici, docet Forcell.

690. *regale decus*, diadema. — *latrator Anubis*. Anubis et ipse numen Aegyptiorum, quod virili corpore, canino capite fingebatur. Prop. III, 9, 41. *latrans Anubis*.

691. *Bubastis*, numen Aegyptium, quod in Aegypti urbe Bubasto imprimis colebatur. Vid. ad V, 330. Scripturam *variusque* tuentur meliores Heinsii, Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et ed. pr.; nisi quod Dresd. *varius*, omisso *que*. Reliqui, qui perpauci esse videntur, *variisque*. Prior scriptura etiam exquisitior est. — *varius coloribus* ut supra *densus arboribus, ilicibus frequens*, al. Conf. XIV, 267. — *Apis*, numen Aegyptium, quod sub figura nigri bovis maculis albis distincti fingebatur. Plut. d. l. Solin. c. 134. Ammian. Marc. XXII. c. 14.

692. *quique etc.* Harpocrates Isidis ex Osiride filius fingebatur cum digito ori imposito, quod erat symbolum taciturnitatis. Plut. d. l.

693. *sistrum* crepitaculum aëneum *ἀπὸ τοῦ σείεσθαι*, a concutiendo, sic dictum. In superiori parte sculpta erat felis cum facie humana, in inferiori Isis. Usus ejus erat in sacris Isidis, ejusque sonitu Typhon terreri credebatur. namque Osiridis corpus a Typhone in XIV partes discerptum fuerat atque disjectum. Illas partes undique conquisitas sepeliit Isis. Itaque in horum deorum sacris mos fuit, ut sacerdotes cum fletu Osiridem quaererent, et deinde cum cantu redeuntes invenisse simularent. Plut. d. l. Minuc. Fel. XXI. c. 7. Inde h. l. cum acumine *nunquam satis quaesitus*.

694. *serpens peregrina*, aspis Aegyptia. *Peregrina* dicitur, quia Creta,

Tum velut excussam somno et manifesta videntem
Sic affata dea est: „Pars o Telethusa mearum,
„Pone graves curas mandataque falle mariti,
Nec dubita, cum te partu Lucina levarit,
Tollere quicquid erit. Dea sum auxiliaris, opemque
Exorata fero, nec te coluisse quereris
Ingratum numen.“ Monuit thalamoque recessit.
Laeta toro surgit purasque ad sidera supplex
Cressa manus tollens, rata sint sua visa precatur.
Ut dolor increvit, seque ipsum pondus in auras
Expulit, et nata est ignaro femina patri:
Jussit ali mater, puerum mentita; fidemque
Res habuit, neque erat facti nisi conscia nutrix.
Vota pater solvit, nomenque imponit avitum.
Iphis avus fuerat. Gavisa est nomine mater,
Quod commune foret, nec quenquam falleret illo.
Impercepta pia mendacia fraude latebant;
Cultus erat pueri; facies, quam sive puellae
Sive dares puero, fieret formosus uterque.

ubi res nunc agitur, nullas serpentes venenatas habebat. Solin. c. 11. — *somniferis*, quoniam ejus veneno sopiti homines moriuntur. Prop. III, 9, 53. Lucan. IX, 12. Vellej. II. c. 87. Jun. et Thu. *somniferi — veneni*, quod cupidius edidit Heinsius.

695. *tum*. Heinsius ad mutandum ubique pronus tacite edidit *cum*, quod etiam Berol. et Rhen. exhibent. Lips. 1. *et*. Cod. Bersm. et Pal. 2. *tunc*. Reliqui omnes *tum*. Optime. — *excutiuntur somno*, qui vi ac subito excitantur. XI, 678. — *manifesta* pro adverbio est.

696. *pars — mearum*. II, 426. XIV, 482.

697. *mandata falle mariti*, maritum falle, qui haec mandavit. Conf. 679. et 120. *Gier*.

698. *Lucina*. Vid. v. 294. — *nec*. Cod. Bersm. et multi Heins. *ne dubites*. Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Rhen., Lips. 1. et Vrat. *nec dubites*. Cant. et IV Heins. *ne dubita*. Reliqui omnes *nec dubita*.

699. *tollere* ad educandum, e moribus dictum veterum Romanorum. Recens natus infans ante pedes patris ponebatur, qui, si educari ac vivere vellet, *tollebat*. Vid. ad Trist. II, 294. Terentii Andria. I, 3. *quicquid peperisset decreverunt tollere*. Vid. ad v. 679. Ceterum Isis imprimis ut dea salutifera ab aegrotis colebatur; hinc h. l. *dea sum auxiliaris*. Conf. Tib. I, 3, 25 seqq.

701. *monuit*. Vid. v. 780 et XIII, 216.

702. *puras*, sc. lotas ante sacra et preces. Atque hanc scripturam tuentur II Bersm., Pal. D. Heins., Par. 1. 2., plurimi Heins. et omnes Jahni cum vett. edd. Vulg. *durasque*. — 703. *Cressa*, Iphis. Vid. 666 sqq.

705. Cod. Bersm., Dresd., Gron., Thu. et multi Heins. *patre*. Bas. 3., Lips. 1. *extulit*.

706. *fidemque res habuit* (credita est) sc. apud maritum.

707. *nutrix*. Vid. ad III, 278. De verborum ordine cf. v. 467. — Genev. *facto*.

708. *vota*. Conf. v. 675.

710. *quod commune foret*, ut tam nomen maris, quam feminae haberi posset.

711. *pia fraus*, quia e pietate et amore prolis profecta erat. — II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc., plurimi Heins. et edd. Venn. *indecepta*. Male. Cal., Bas. 1. inter lin., alter Hamb., Pal. 2., Par. I., V Heins. et ed. pr. *indeprensa*, non male. Vulg. *impercepta*, quod est *non percepta*, *non cognita*. Gron. 1. *imperfecta*. Exc. Jur. *intercepta*.

712. *cultus erat pueri*. Cf. VIII, 322.

713. Auson. Epigr. 105.

Dum dubitat natura, marem faceretne puellam,
Factus es, o pulcher, paene puella puer.

Tertius interea decimo successerat annus;
Cum pater, Iphi, tibi flavam despondet Ianthen,
Inter Phaestiadas quae laudatissima formae
Dote fuit virgo, Dictaeo nata Teleste.
Par aetas, par forma fuit; primasque magistris
Accepere artes, elementa aetatis, ab îsdem.
Hinc amor ambarum tetigit rude pectus, et aequum
Vulnus utrique dedit; sed erat fiducia dispar.
Conjugium pactaeque exspectat tempora taedae,
Quemque virum putat esse, suum fore credit Ianthe;
Iphis amat, qua posse frui desperat, et auget
Hoc ipsum flammas, ardetque in virgine virgo.
Vixque tenens lacrimas „Quis me manet exitus," inquit
„Cognita quam nulli, quam prodigiosa novaeque
Cura tenet veneris? Si dî mihi parcere vellent,
Perdere debuerant; si non et perdere vellent,
Naturale malum saltem et de more dedissent!
Nec vaccam vaccae nec equas amor urit equarum;
Urit oves aries, sequitur sua femina cervum.

714. Dresd. a 1 m. et IV Heins. *anno*.

716. *inter Phaestiadas*. Vid. v. 669. — *laudatissima*. Conf. II, 480. V, 59.

717. *Dictaeo*. Vid. ad III, 2. et 223. — *dote*. XI, 302. *dotatissima forma*.

719. *elem. aetatis*. Cic. de orat. I. c. 35. *puerorum elementa*.

720. *rude*, expers amoris, X, 636. — Cod. Bersm., Berol., Bas. 1., Goth. 2., Gron. 1., Medic. 2., Neap., Vat. 1., Vrat. et VI meliores Heinsii *ambarum*. Vulgo *amborum*. Erant ambae feminae, et Iphis et Ianthe. — *aequum vulnus*. Conf. IV, 62. VII, 803.

721. *dedit*. Gron. *tulit*, quod temere recepit Heinsius. — *vulnus dare alicui* non rara apud Nasonem oratio. Vid. not. ad Trist. V, 2, 14. — *fiducia*, sc. connubii, ut patet versu sequente.

722. „(nam) *Ianthe exspectat ... et quem virum ...*, *hunc suum credit fore*; (contra) *Iphis ..*" — *taedae*. Vid. ad I, 483. — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1., Zwicc. 1. et meliores (?) Heins. *conjugii*. Reliqui cum vett. edd. *conjugium*, quod dum codices accuratius excussi fuerint, retinendum putavi.

723. Ante Heinsium edebatur: *Quemque virum putat esse, suum fore credit Ianthe:* et credit Ianthe, eum quem virum putat esse, suum fore; eamque scripturam optimam omnes Jahni et reliqui, praeter Heinsianos (?), cum vett. edd. confirmant; nisi quod Berol. *quaeque*, Dresd. *quamque*, II Bersm., Zwicc., Vrat. et ed. pr. *virum fore*, Dresd. *virum sibi credit*. — Heinsius annotat „*virum putat esse virum* plerique veteres (?), *putat esse suum* Vat. 1., Arond. et multi alii. Unus meus *quamque virum putat esse virum*. Scribe: *quamque virum putat esse suum f. cr. I.*" Apparet Heinsianam scripturam nonnisi unius nescio cujus codicis auctoritate confirmari. Itaque vulgatam revocandam putavi.

724. *qua*. Ita cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Zwicc., meliores Heins. et ed. pr. — Vulg. *quo*. Prave. Nam Ianthe aperta et manifesta est femina.

725. *ardere in aliquo* pro *vehementer amare*, vid. VIII, 50.

727. *prodigiosa*, monstrosa, non naturalis. — *novae*, insolitae, inauditae.

729. Hoc dicit: *Si dî mihi parcere vellent*, h. e. mihi placidi esse vellent; *perdere debuissent*, (aut) *si non et perdere vellent, naturale saltem et solitum malum dare debuissent*. Sensus apertus et Ovidiani acuminis. Her. XXI, 58.

Me, precor, ut serves, perdere velle velis.

„Interitum Iphis lenius malum judicat eo, quo nunc laborabat." *Gier.* — II Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 1., Zwicc., nonnulli Heins. et ed. pr, *parcere debuerant*.

730. *de more* pro adjectivo est. Vid. ad I, 26. — *naturale*, non prodigiosum (V. 727.) et quod contra naturam esset, ut amor meus, feminae in feminam.

732. Dresd., Goth. 2. pro v. l., Jun., Thu. et XII Heins. *taurum*, ab imperitis librariis aut grammaticis. Dresd. a 1. m.

Sic et aves coëunt, interque animalia cuncta
Femina femineo correpta cupidine nulla est.
Vellem nulla forem! - Ne non tamen omnia Crete
Monstra ferat: taurum dilexit filia Solis,
Femina nempe marem. Meus est furiosior illo,
Si verum profitemur, amor. Tamen illa secuta est
Spem veneris, tamen illa dolis et imagine vaccae
Passa bovem est, et erat qui deciperetur adulter.
Huc licet e toto sollertia confluat orbe,
Ipse licet revolet ceratis Daedalus alis;
Quid faciet? num me puerum de virgine doctis
Artibus efficiet? num te mutabit, Ianthe? —
Quin animum firmas, teque ipsa recolligis, Iphi,
Consiliique inopes et stultos excutis ignes!
Quid sis nata, vides, nisi te quoque decipis ipsam;
Et pete, quod fas est, et ama, quod femina debes.
Spes est, quae capiat, spes est, quae pascat amorem:

et reliqui cum vett. edd. *cervum*. De tauro dictum est in illis *vaccam vaccae*.

734. Cant., Lips. 1., Vrat. a rec. m., Zwicc. et XIV Heins. *corrupta*. Berol., Dresd., Goth. 2. et V Heins. *feminea libidine*.

735. *nulla forem*. Mortem sibi imprecatur. *nullus sum* saepe apud Terent. pro *perii*. *Gier*. Vid. Ruhnk. ad Terent. Andr. III, 4, 21. Huc pertinet Mela II. c. 7. *Crete multis famigerata fabulis, adventu Europae, Pasiphaës et Ariadnae amoribus, Minotauri feritate fatoque, Daedali operibus et fuga etc.*

736. *filia Solis*, Pasiphaë, de cujus horrendo flagitio vid. VIII, 132.

737. *nempe*. Vid. ad II, 474. Hoc dicit: *illud tamen naturale habebat, ut femina marem amaret*.

738. *sequi spem* exquisitius est, quam habere, persequi spem. — 739. *imagine*, inclusa in imagine. *Gierig*.

740. *passa — est*. *Pati* de concubitu. Fast. II. 178. *passa Jovem est*. Conf. XV, 410. Art. A. III, 666. — *adulter*, taurus. Her. IV, 57.

Pasiphaë — decepto subdita tauro. Expressit nostrum locum Senec. Hippol. 115 seqq.

742. *revolet cer. Daedalus alis*, sc. qui ceratis alis Creta fugerat. Vid. VIII, 183. Commode vero Daedalus hic commemoratur, non solum quia *doctis* artibus clarus, verum etiam quia res in Creta acciderat.

743. *puerum de virg. efficiet*. Cf. V, 317. XIV, 313. II, 647. Dresd. *faceret*. — Cod. Bersm., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 1. et Vrat. *non me*. Sequenti etiam versu cod. Bersm., Dresd., Pal. 2., Lips. 1. et Vrat. *non te*. — *doctis*, artificiosis, ut *docta brachia* texentium VI, 60. *docta manus* sculptoris Fast. III, 832. *doctae manus* lyram pulsantis Amor. II, 4, 28. — Nonnulli codd. *dictis*.

744. „*num te, Ianthe, in marem mutabit?*“ — 745. *quin*, quine, cur non. VI, 539. — *firmas*, obfirmas. Fast. I, 497. *firmata mens*. Met. III, 689. *mentem firmat deus*.

746. *excutis ignes*. Conf. VII, 17. et X, 426. — 747. *vides*. Duo Bersm., multi e castigatioribus Heins., Berol., Goth. 1. 2., Lips. 1. 2., Vrat., Rhen. et Dresd. cum vett. edd. *vide*. Sed scripturam *vides* poscere videtur id quod additum est: *nisi te — ipsam*.

748. Illud *et — et* non jungit praecedentia, sed arctius jungit *pete et ama*. Nam haec est sententia: *vides, nisi te ipsam fallis, quid nata* (origine ac natura) *sis* (sc. femina): (quare) *et pete.. et ama, quod femina debes*. Cod. Bersm., Zwicc. et VI Heins. *id pete*. — *quod fas est*, quod res s. naturae lex permittit. Vid. ad 551. Cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2. et Zwicc. *debet*. Cf. VII, 765. 766.

749. *capiat*, concipiat, excitet. X, 249. — Cod. Bas. 1., Goth. 2. pro v. l. *faciat*, ex glossa. Berol., Goth. 1., Pal. 2., Par. 1. 2., Lips. 1., Vrat. et ed. pr. *pascit*. Zwicc. *capit*. Reliqui *pascat*. — Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Zwicc., nonnulli (?) Naug. libri *amantem*. II Bersm., Goth. 2. pro v. l. et reliqui *amorem*. Heinsius an-

Hanc tibi res adimit. Non te custodia caro
Arcet ab amplexu, nec cauti cura mariti,
Non patris asperitas, non se negat ipsa roganti:
Nec tamen est potiunda tibi; nec, ut omnia fiant,
Esse potes felix, ut dîque hominesque laborent.
Nunc quoque votorum nulla est pars vana meorum,
Dîque mihi faciles, quicquid valuere, dederunt;
Quodque ego, vult genitor, vult ipsa socerque futurus;
At non vult natura potentior omnibus istis;
Quae mihi sola nocet. Venit, ecce, optabile tempus,
Luxque jugalis adest, et jam mea fiet Ianthe:
Nec mihi continget; mediis sitiemus in undis.
Pronuba quid Juno, quid ad haec, Hymenaee, venitis
Sacra, quibus qui ducat abest, ubi nubimus ambae?"

notavit: „Piget diversas lectiones adscribere quae sunt plurimae. Nimirum sententias hic est locutus aliquis carnifex. Cave enim credas, hunc versum Nasonis esse." *Jahn.* Ego nihil in eo, quod ineptum sit, aut alienam manum prodat, invenire possum.

750. *res*, natura, sexus ratio. — *custodia* intelligenda est matris vel servi vel paedagogi. Huc pertinet Amor. III, 8, 61.

Me prohibet custos; in me timet illa maritum.

Conf. Hor. Epist. I, 1, 22. I, 2, 98.

751. *mariti.* Cod. Bersm., Dresd., Franc., Goth. 1., Vrat., XVIII Heins., ed. pr. et Parm. *magistri*, ab ineptiente sciolo si quid video. — *safer maritus* etiam Art. III, 611. Trist. II, 457. *incautus maritus.*

752. Dresd. et Lips. 1. *nec se.*

753. *potiunda* hoc loco ut saepius, positum est quasi *potior* regeret accusativum. — Cod. Bersm., Goth. 2., Pal. 2. et Zwicc. *non potiunda. Potiunda* etiam Berol., Cant., Goth 2., Rhen., Par. 1. et Thu. Vulg. *potienda.* — *ut*, fac.

755. *vot. nulla est pars vana.* Mihi sententiarum ordo hic esse videtur: *Nulla re a sponsa arceor; verumtamen ea potiri nequeo etc. Nunc quoque* (in ipso illo statu in quo nunc sum) *nulla pars eorum, quae in conjugio voveri solent, vana est. Etenim dii omnia, quae potuere, dederunt, et quod ego volo, volunt pater, sponsa et socer. At repugnat natura etc."* *Jahn.* Codices mire variant. Rhen. *nulla est pars vana.* Libri (?) apud Micyll. et ed. Bas. *pars nulla est vana.* Unus Par. 1. *pars una est vana* — Cod. Bersm., Berol., Dresd. a rec. m., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc., plerique Heins. et ed. pr. *nulla est pars una.* Multi Heins. *nulla est pars vera*, v. *spes una*, v. *spes tuta*, v. *spes ulla*, v. *res ulla.* IV Heins. *ulla est pars tuta.* Bas. 4. *nulla est spes tuta m.*, sed inter lin. *pars una.*

756. *faciles.* V, 559.

557. *quodque ego.* Ita cod. Bersm., Berol., Capran., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Neap., Paris. 1. 2., Lips. 1., unus Sulm., Vrat., unus Vat., multi alii Heinsii et vett. edd. — Rhen. *quod ego.* Cael. et II Vatt. apud Ciof. *quodque volo.* Alter Sulm. et vulg. *quod volo*, ex glossa. — Scripturam *vult ipsa soccrque fut.* confirmant Berol., Neap, Rhen., meliores Heins., nonnulli apud Ciof. et ed. pr. (Berol. *vultque ipsa*). Vrat. *vult et socer ipse fut.* Cod. Bersm., Cael., Capr., Pal. 2., Par. 1. 2., Sulm. 1. 2., III Vat. Ciof. et vulg. *socer et vult ipse f.* Sed *ipsa* sc. Ianthe, praecipua in hac re persona, omitti non potest.

760. *et jam mea fiet.* Medic. 3. et IV Heinsii *ut . . fiat*, quod cupide arripuit insolita quaeque captans Heinsius. Hanc autem dictionem etiam XII aliis locis Ovidio temere obtrusit. — Ceterum argutatur poeta suo more in illis: *mea fiet, nec mihi continget.* — *nec*, pro *nec tamen.* Vid. index in v. *et.*

761. *mediis sitiemus in undis.* Alludit ad fabulam Tantali, de qua vid. IV, 458. Amor. III, 12, 30.

Proditor in medio Tantalus amne sitit.

762. *pronuba Juno.* Vid. ad VI, 428, — *Hymen.* I, 480.

763. *ducat — nubimus. Ducit* maritus (II, 525. IX, 498.), *nubit* mulier. Cum igitur ambae essent feminae, am-

Pressit ab his vocem. Nec lenius altera virgo
Aestuat, utque celer venias, Hymenaee, precatur.
Quod petit haec, Telethusa timens modo tempora differt,
Nunc ficto languore moram trahit; omina saepe
Visaque causatur. Sed jam consumserat omnem
Materiam ficti, dilataque tempora taedae
Institerant, unusque dies restabat. At illa
Crinalem capiti vittam nataeque sibique
Detrahit, et passis aram complexa capillis
„Isi, Paraetonium Mareoticaque arva Pharonque
Quae colis et septem digestum in cornua Nilum,
Fer, precor," inquit „opem, nostroque medere timori.
Te, dea, te quondam tuaque haec insignia vidi,
Cunctaque cognovi, comitesque facesque sonumque
Sistrorum, memorique animo tua jussa notavi.
Quod videt haec lucem, quod non ego punior ipsa,
Consilium monitumque tuum est. Miserere duarum,

bas argute *nubere* dicit in instanti isto matrimonio.

764. *ab his*, post haec, ut VIII, 613. — *pressit vocem*. Conf. 692. — *altera v.*, Ianthe.

766. *Telethusa*, mater Iphidis. — Par. 1. *quae petit*.

767. *ficto languore*, ficto morbo, — *omina saepe etc. Omina* in nuptiis curiose observabantur. X, 5. Prop. IV, 4, 21.

Saepe illa immerito causata est omina Lunae.

Tib. I, 3, 17.

Sum causatus aves aut omina dira.

768. *consumserat*. Goth. 1. *confecerat*. Conf. VIII, 878.

769. *taedae*, nuptiarum. 722. 1, 483.

771. *vittam*. Conf. IV, 6. Goth. 2. *capitis*. — 772. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1., Pal. 2. et Vrat. *et sparsis*.

773. *Paraetonium*, oppidum Libyae Mareotidis cum amplo portu. Strab. XVII. p. 830. Ptolem. IV. c. 5. Mela I. c. 8. — *Marcotica arva*, agri circa Mareotida lacum in Aegypto. — *Pharos* parva insula prope Alexandriam. Mela II. c. 7.

774. *digestum*, divisum. Her. X, 67. *Crete centum digesta per urbes.* De VII ostiis Nili conf. V, 187. *Cornua* enim canales, alvei.

776. *te quondam*. Vid. v. 686 seqq.

777. Duo Bersm., Capr., Erf. 1., Flor. a 2. m., Mor. 1., Neap., Pal. 1. 3., Rhen., Spir., unus Sulm., Thuan., unus Twisd., Zwicc. et multi Heins. *sonitum comitantiaque aera*. Jun. et alius Heinsii *comitesque facesque sonumque*. Unus Mor. *sonitum resonantiaque aera*. Unus Bon. et a 1. m. Flor. *conit. comitesque facetas*. Berol. et unus Vat. Ciof. *sonitum comitesque tuorum*. Dresd., Goth. 1. 2. et Par. 1. *comites sonitumque facesque*. Paris. 2. et vulg. *sonitum comitesque facesque*. Quatuor posteriores scripturae repugnant versui 778. Varietas autem inde orta videtur, quod librarii, cum supra comites deae memorati essent, eosdem nec hoc loco omittendos esse censerent.

778. Zwicc. et ed. pr. *visa not*. Goth. 2. *verba not*. XV, 641.

779. *non punior ipsa*, non crucior conscientiae furiis. *Gierig*. Quod sc. factum esset, si filiam occidi vel exponi passa esset. — Cael. *quod nunc ego punior ipsa*. Male. Pal. 2., Par. 2., unus Sulm. et Vrat. *quod non ego ponor in ignem*. Pal. 2., Spir., Thu., Vat. 1. et VIII Heins. *quod non ego ponor in ignem* vel *igne*. Medic. 1. *thalamo quod non ego ponor*. Unus Bon., Flor., Hamb. 1. et unus Voss. *quod non ego punior ecce*. Arond., Berol. et Zulich. *quod non ego punior hoc est*. Neap. et unus Heins. *quod non ego pun. hocque*. Par. 1. et reliqui *quod non ego punior ipsa*.

780. *consilium monitumque tuum est*. Vid. v. 696 seqq. — IV Heins. et ed. pr. *munusque*. Berol. et Langerm. *meritumque*. Vrat. et IX Heins. *jussumque*. Pal. 2. et VIII alii Heins. *tuarum*.

Auxilioque juva.“ Lacrimae sunt verba secutae.
Visa dea est movisse suas, et moverat, aras,
Et templi tremuere fores; imitataque lunam
Cornua fulserunt, crepuitque sonabile sistrum.
Non secura quidem, fausto tamen omine laeta
Mater abit templo. Sequitur comes Iphis euntem,
Quam solita est, majore gradu; nec candor in ore
Permanet, et vires augentur, et acrior ipse est
Vultus, et incomtis brevior mensura capillis,
Plusque vigoris adest, habuit quam femina: nam quae
Femina nuper eras, puer es. Date munera templis,
Nec timida gaudete fide! Dant munera templis,
Addunt et titulum: titulus breve carmen habebat:
DONA PUER SOLVIT, QUAE FEMINA VOVERAT, IPHIS.
Postera lux radiis latum patefecerat orbem,
Cum Venus et Juno sociosque Hymenaeus ad ignes
Conveniunt, potiturque sua puer Iphis Ianthe.

782. Tremor templi, forium, ararum et similia erant signa praesentiae deorum. XV, 634. 671. Virg. Aen. III, 90.

Vix ea fatus eram, tremere omnia visa repente,
Liminaque laurusque dei, totusque moveri
Mons circum, et mugire adytis cortina reclusis.

Conf. Callim. H. Apoll. init. ibique interpp.

783. *imitataque lunam etc.* Vid. supra ad v. 687. — 784. *sonabile sistrum.* III, 358. *resonabilis Echo.* Cf. v. 686. Ceterum *sonabilis* vocabulum a Nasone novatum est, ut id genus permulta.

786. Ingeniose celeritatem mutationis et fidem voti declarat. Conf. XII, 203. — Cod. Bersm., Cael., Capr., Goth. 1., Par. 1., Sulm. 1., unus Vat. Ciof., Zwicc., XXX fere Heins. et ed. pr. *puer;* ab imperitis librariis. — Ceterum eleganter discrimen utriusque sexus descripsit, quatenus licebat poetae. De ceteris caste: *nam quae femina etc.* — 786. *majore gradu*, longioribus passibus. — *candor*, qualis est formosarum.

788. *acrior*, magis virilis, ut viri speciem referret; nam *tenerum* virgines habent.

789. *incomtis.* Vid. 771. 772.

790. *habuit quam femina*, quam cum femina esset, habuit. Heins. inscite conjecturam suam edidit *jam quae.* Nugas tradit, ut saepe, Plin. H. N. VII. c. 4. *Ex feminis mutari in mares non est fabulosum.* — *Ipse in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die L. Cossicium civem Thysdritanum.* — Bas. 3., Leid. et III alii Heins. *habet.* Conf. VI, 8.

791. *munera*, ἀναθήματα, quae ob auxilium praestitum grati animi causa in templo suspendebantur et deae potentiam declarabant. Tib. I, 3, 27. *Gier.*

792. *nec timida gaudete fide*, h. e. ita gaudete, ut posito omni timore fidem habeatis. Conf. X, 287. — Cod. Menard. *dubia.*

793. *carmen* etiam de inscriptione unius, duorum vel paucorum versuum passim. II, 326. XIV, 442. Virg. A. III, 285.

794. Vid. ad II, 326. — Heinsius tacite edidit *dona*, quod nonnulli codd. Ciof., II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Vrat., Zwicc. et ed. pr. tuentur et elegantius est, quam vulg. *vota.*

795. Conf. VIII, 1. — 796. *sociosque.* Sic Bas. 4. 3., Bas. 1. in marg., Gron. et IV Heinsiani, q. e. *maritalesque*; idque edidi, ne illud *ignes* necessaria explicatione careret.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER DECIMUS.

Inde per immensum croceo velatus amictu
Aëra digreditur Ciconumque Hymenaeus ad oras
Tendit, et Orphea nequicquam voce vocatur.
Affuit ille quidem; sed nec solennia verba,
Nec laetos vultus, nec felix attulit omen.
Fax quoque, quam tenuit, lacrimoso stridula fumo
Usque fuit, nullosque invenit motibus ignes.

1. *Orpheus, filius Calliopes Musae et Apollinis vel Oeagri regis Thraciae, vates clarissimus in tartarum descendit, Eurydicen uxorem suam, nympham Thracicam, serpentis morsu interemtam repetiturus. Ejus reditum ea lege impetrat, ne pone sequentem respiceret. Orpheus respicit et Eurydice evanuit.* — Eandem fabulam tractavit Virg. Georg. IV, 452 seqq., quem operae pretium est, cum hoc Nasonis carmine comparare. Hyg. F. 164. Apollod. I. c. 3.

1. *inde*, a nuptiis Iphidis et Ianthes in Creta. Vid. fin. L. IX. — *crocco*. Hunc colorem poetae Hymenaeo passim tribuunt, atque is color proprius nuptiarum fuisse videtur. Tib. II, 2, 18.

Flava conjugio vincula portat Amor.

Her. XXI, 162.

Et trahitur multo splendida palla croco.

Conf. Plin. H. N. XXI. c. 8. — *velare* a Nasone prope in omni tegumento dicitur. Vid. II, 23. et not. ad Trist. V, 5, 10. — *amictus*, i. q. *palla* Her. l. l.

2. *Ciconumque*. Vid. VI, 710. — Omnes Ciof., cod. Bersm., plurimi Heins., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1. et Zwicc. *aëra*. Pal. 2. et reliqui cum vett. edd. *aethera*. Sententia fert utrumque (III, 219.), sed *aëra* majorem habet auctoritatem veterum librorum.

3. *Orphea*, Orphei (I, 473.), qui ibi habitabat. — *vocatur*, sc. ad nuptias. Conf. v. 507. Lips. 1., Medic. et XI alii Heins. *rogatur*. Conf. VIII, 265. IX, 282, 294. X, 507. — *nequicquam*. „Sine fructu vocavit deum, ut nullum inde emolumentum redundaret ad conjugium suum.“ *Gier.*

4. *solemnia verba*, solemnes cantus et laetos, a quibus Hymenaeus εὐήχης dictus. — 5. *nec felix attulit omen*, non fecit ut laetum sponsis omen offerretur, quod felix conjugium portenderet. Vid. IX, 767. — 6. *lacrimosus fumus*, qui lacrimas habet, ciet. Conf. Hor. Sat. I, 5, 80. — *fax*. Hymenaeus cum face fingebatur. Hinc passim ei facem poetae addunt. Her. XXI, 160. Fast. II, 561.

7. *invenire*, ut saepe pro accipere, consequi. II, 729. Art. A. II, 441.

Sed tamen exstinctas admoto sulfure flammas
Invenit, et lumen quod fuit ante, redit.

Vid. Graev. ad Justin. XII. c. 8. — *motibus*, rotatione, jactatione. Vid. IV, 508. Her. II, 120. Amor. I, 2. *jactatas mota*

Exitus auspicio gravior: nam nupta per herbas
Dum nova Naïadum turba comitata vagatur,
Occidit in talum serpentis dente recepto.
Quam satis ad superas postquam Rhodopeïus auras
Deflevit vates; ne non tentaret et umbras,
Ad Styga Taenaria est ausus descendere porta,
Perque leves populos simulacraque functa sepulcris
Persephonen adiit inamoenaque regna tenentem
Umbrarum dominum, pulsisque ad carmina nervis
Sic ait: „O positi sub terra numina mundi,
„In quem decidimus quicquid mortale creamur,
Si licet et falsi positis ambagibus oris
Verba loqui sinitis; non huc, ut opaca viderem
Tartara, descendi, nec uti villosa colubris
Terna Medusaei vincirem guttura monstri:
Causa viae est conjux, in quam calcata venenum

face crescere flammas. — Ad sententiam conf. v. 278. 279. Unus Leid. et unus Voss. *utque fuit, nullos invenit.*

8. *gravior*, tristior. XIII, 506. — *auspicio*, quod nullum fuerat. Vers. 5.

9. *Naïadum turba;* nam ipsa erat de Naïadibus; aut secundum Virg. de Dryadibus. Pro *Naïadum* Bas. 2. in marg., Pal. 2. et alter Twisd. *Maenalidum.* — *comitata.* Conf. II, 441. IX, 687.

10. *occidit.* Franc., Par. 1. 2. et Strozz. *decidit*, quod ferri vix potest, quia non additum est *quo.* Cf. v. 18. — *recipere dentem*, ut *recipere hastam* V, 138. in eo qui hasta vulneratur.

11. *Rhodopeïus*, Thrax. II, 222. — *ad superas auras*, in terra, quod opponitur *umbris* versu subsequenti. Virg. Georg. IV, 486. *Eurydice superas veniebat ad auras.* — 12. *tentaret*, sollicitaret, periculum faceret, an flecti possent. XI, 239. *tentare precibus.*

13. *ad Styga.* Vid. I, 139. — *Taenaria porta.* Ad Taenarum (Maleam) Peloponnesi promontorium (II, 247.) specus erat, per quem descensus ad inferos esse credebatur. Conf. IV, 432 seqq. Orph. Argon. 41.

Ταίναρον ἠνίχ' ἔβην σκοτέην ὁδὸν Ἄϊδος εἴσω,
Ἡμετέρῃ πίσυνος κιθάρῃ. —

14. *leves populos*, sc. umbrarum. Hor. Od. I, 10, 18. *levis turba.* — *functa sepulcris.* Vid. ad IV, 435 seqq. — Dresd., Par. 1. 2., Rhen., Vrat. et edd. Venn. *sepulcro.* — 15. *Persephone* Graecum nomen Proserpinae, Cereris filiae, quam Pluto inferorum deus rapuit. V, 385 seqq. — *adiit* ultima producta. Vid. ad IX, 611. XV, 63. et index in v. *it.*

16. *pulsis*, pulsatis. Infra v. 40. generalius *movere nervos ad verba.* Conf. V, 340. — 18. *decidimus.* Cod. Bersm., nonnulli Ciof., meliores Heins. magno numero, Berol., Goth. 1. 2., Bas. 2. a 1. m., Rhen., Par. 1. 2., Zwicc. et ed. pr. *recidimus*, *re* syllaba producta, ut saepius. Quod si hic placita philosophorum respici a poeta intelligamus (Vid. Cic. Nat. Deor. II. c. 26.) ferri potest. Sed simplicior est scriptura reliquorum veterum librorum *decidimus.* Hor. Od. IV, 7, 14. *Nos ubi decidimus, quo pius Aeneas quo dives, Tullus et Ancus, Pulvis et umbra sumus.*

18. *quidquid mortale creamur.* Lucan. VII, 363. *quicquid hominum sumus.* Conf. Met. X, 32. — 19. *positis ambagibus*, sine ambagibus. Vid. IV, 233. et not. ad Trist. III, 11, 2. et ad Her. I, 50. — Lips. 1., Vrat., Zwicc. a 1. m. et quidam Heins. *scilicet.*

20. *viderem*, explorarem, specularer.

21. *villosa gutt. M. m.*, circumscriptio Cerberi, qui Echidna Medusae filia natus erat (IV, 501.) et villorum loco viperas habebat. Hesiod. Theog. 295 seqq. et 306. Vers. 349. *crinitas angue.* — *nec uti vincirem* . . . sc. ut olim Hercules fecerat, cum Cerberum e tartaro extrahere ab Eurystheo jussus esset. VII, 410 seqq.

22. *terna.* Cod. Bersm., Bas. 1. in marg., Vrat. et VI Heins. *torva.* — De tribus Cerberi capitibus poetae passim. Vid. v. 65. IV, 451. VII, 414.

23. *viae est.* Sic codd. et vett. edd. Heinsius, ut multis aliis locis, *est* omisit.

Vipera diffudit, crescentesque abstulit annos.
Posse pati volui, nec me tentasse negabo;
Vicit Amor. Supera deus hic bene notus in ora est:
An sit et hic, dubito; sed et hic tamen auguror esse,
Famaque si veteris non est mentita rapinae,
Vos quoque junxit Amor. Per ego haec loca plena timoris,
Per chaos hoc ingens vastique silentia regni,
Eurydices, oro, properata retexite fata!
Omnia debentur vobis, paullumque morati
Serius aut citius sedem properamus ad unam.
Tendimus huc omnes, haec est domus ultima, vosque
Humani generis longissima regna tenetis.
Haec quoque, cum justos matura peregerit annos,
Juris erit vestri. Pro munere poscimus usum.
Quod si fata negant veniam pro conjuge, certum est
Nolle redire mihi: leto gaudete duorum."
Talia dicentem nervosque ad verba moventem
Exsangues flebant animae; nec Tantalus undam
Captavit refugam stupuitque Ixionis orbis,

25. *posse pati volui*, frequens apud Nasonem oratio. Vid. Her. V, 86. Trist. II, 203. III, 5, 30. V, 2, 46. Met. II, 482. VI, 307. et conf. X, 132.

27. *dubito*, non certo scio. Conf. III, 611.

28. *rapinae*. Alludit raptui Proserpinae, de quo vid. V, 341 seqq. — Unus Vat. *veterem rapinam*, quod sine justa causa edidit Burmannus. Neque illud *mentita est* cum aliis interpretibus in modo patiendi accipiendum. — 29. *per ego haec loca*, pronomine inter praepositionem et casum posito ut saepe. Vid. not. ad Her. X, 73. Virg. Aen. IV, 314. *per ego has lacrimas — oro*. — Cod. Bersm., Dresd. et unus Heins. *vicit*. Goth. 2., Gron., Par. 1. et Thu. *vinxit*. — 30. *chaos* saepe inferorum domicilium, ut Hes. Theog. v. 700. ubi vid. Graev. Fast. IV, 600. *inane chaos*.

31. *properata*, praematura. — Illud *retexite* alludit filis Parcarum. II, 654. — Quinque Heins. et pro v. l. Goth. 2. *ret. fila*. Recte etiam dicitur *fata retexere*. Stat. Silv. III, 3, 20. Parcae dicuntur *celeres genitoris annos properasse*. Claudian. R. P. I, 52. *Parcae - quae seriem fatorum pol'ice ducunt*.

32. *debentur*, fato destinata sunt. — Cod. Bersm., Berol. et Medic. 1. *debemur*. Erf. 1., Flor., Medic. 3., Neap., Pal. 2., Spir., Vat. 1., VI alii Heins. et ed. pr. *debemus*. mendose. Reliqui *debentur*. Vers. 15. *quidquid mortale creamur*. Pont. I, 1, 77.

Hoc mihi si superi, quorum sumus omnia, credent.

Sed genuina scriptura videtur *debentur*, quia diversa quae vocantur subjecta sunt: *omnia* et (*nos*) *morati*. Ad sententiam conf. V, 343. Consol. ad Liv. v. 159.

Tendimus huc omnes, metam properamus ad imam;
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

Berol., quidam Heins. et margo ed. Colon. *ad imam*. Reliqui *ad unam*.

35. *longissima*, non de spatio sed de tempore accipiendum.

36. *matura*. Conf. XIV, 617. Prop. IV, 11, 17. *immatura*, quae moritur in flore aetatis. — 37. *juris erit vestri*. Conf. v. 724. — „*pro munere* nihil aliud poscimus nisi usum, non perpetuam possessionem." — 38. *veniam*, copiam conjugis. Hyg. F. 45. *Pandion Tereo veniam dedit*, filiam quam petebat comitem dedit. — *certum est*, destinatum est. IX, 684. De illo *nolle redire* vid. ad v. 132.

40–47. Jucunda descriptio ex imitatione Virg. d. l. et Hor. Od. II, 15. ubi Alcaeus et Sappho similiter movent inferos. De fabulis quae h. l. tanguntur vid. ad IV, 458 seqq.

42. *refugam*. Ab Ovidio novatum vocabulum. Her. XVIII, 181.

Velle quid est aliud fugientia prendere poma,
Spemque suo refugi fluminis ore sequi?

Leid. *profugam*. Pal. 1. *refluam*. —

Nec carpsere jecur volucres, urnisque vacarunt
Belides; inque tuo sedisti, Sisyphe, saxo.
Tunc primum lacrimis victarum carmine fama est
Eumenidum maduisse genas; nec regia conjux
Sustinet oranti nec, qui regit ima, negare,
Eurydicenque vocant. Umbras erat illa recentes
Inter, et incessit passu de vulnere tardo.
Hanc simul et legem Rhodopeïus accipit heros,
Ne flectat retro sua lumina, donec Avernas
Exierit valles; aut irrita dona futura.
Carpitur acclivis per muta silentia trames,
Arduus, obscurus, caligine densus opaca.
Nec procul abfuerant telluris margine summae:
Hic, ne deficeret, metuens, avidusque videndi
Flexit amans oculos; et protinus illa relapsa est,
Brachiaque intendens, prendique et prendere captans,
Nil nisi cedentes infelix arripit auras.
Jamque iterum moriens non est de conjuge quicquam
Questa suo: quid enim nisi se quereretur amatam?
Supremumque vale, quod jam vix auribus ille

orbis, rota. IX, 123. — *stupuit*, itaque stetit.

43. *carpere jecur*, ut IV, 217. *carpere pabula*. — *vacarunt*, sc. quum eas audiendi causa posuissent. Hor. Od. III, 11, 22.

— — *stetit urna paullum*
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.

44. *Belides* h. l. ut IV, 463. mediam syllabam corripit. Heroid. XIV, 73. producit. Conf. Virg. Aen. II, 82. Eodem modo Naso I, 588. priorem syllabam vocis *Io* produxit, Her. XIV, 103. corripuit. Vid. ad Met. II, 153.

45. *tunc*. Ita cod. Bersm., Goth. 1. 2., Lips. 1., Vrat. et vett. edd. Reliqui *tum*, quod tacite edidit Heinsius.

46. *Eumenidum*. IV, 451.

47. *sustinet negare*. Conf. IV, 447.

49. Praepositio *inter* postposita etiam supra legitur. — *de vulnere tardo*, Nasoni solemnis oratio. Trist. III, 3, 82.

Deque tuis lacrimis humida serta dato.

Cic. de Or. II. c. 61. *claudicante ex vulnere*. Conf. Met. III, 571.

50. *legem*, conditionem. Virg. Georg. IV, 487. *hanc dederat Proserpina legem*. — *Rhodopeïus heros* periphrasis est Orphei, ut v. 11. Atque eam scripturam II Bersm., Bas. 1., Berol., Dresd., Goth. 2., Mor. 1., Pal. 1., Par. 1., Vat. 1., complures alii Heins. confirmant. Vid. VIII, 324. 567., et sic passim. — *heros* autem Orpheus, quia Calliopes divae filius. Vid. v. 89.

51. *Avernas*. Avernus lacus Campaniae in Italia, ubi similiter aditus ad inferos esse fingebatur. Sed *Avernae valles* hoc loco in universum pro tartaro sunt (V, 540.) ne alia via, quam qua ingressus erat, Orpheus rediisse videatur. Vid. Virg. IV, 494. — 52. *aut*, alioquin. Vid. not. ad Trist. I, 8, 45.

53. Conf. IV, 432. Pro vulgari oratione *est trames* nunc exquisitius *carpitur trames* dicit. *Gier.* Zulich. *acclivus*, quod temere edidit Heinsius.

54. *caligine densus*, ut alibi *silvis densus locus*.

55. Unus Flor. *abfuerunt*, quod locum habere potest, cum penultimam quoque corripi constet. Vid. VI, 617. 585. et not. ad Her. VII, 166. At causa novandi non adest. Conf. v. 73. et VI, 585.

56. *ne deficeret*, ne defectis viribus relinqueretur.

57. *relapsa est*. Par. 1., Medic. 2. et IV alii Heins. *repulsa est*.

58. *prendi*, sc. ab Orpheo, ne relaberetur. — Cod. Bersm., Par. 2., unus Bonon., exc. Calandr. et Jur., Flor., unus Sulm. et ed. pr. *certans*. Sed non erat certandi tempus. — *captans*, extensa manu tentans.

61. *nisi se quereretur*. Berol. *si iterum sequeretur*. Nor. *nisi sequeretur am*. Medic. 1. 2., Spir. et VII Heins. *nisi se sequeretur*. Flor., Bas. 2. in marg., alter Twisd., Par. 1., multi vett. Heins. *enim nisi* (Flor. et alter Twisd., Bas. 2. in marg. *enim si*) *subsequeretur amatam*.

Acciperet, dixit, revolutaque rursus eodem est.
Non aliter stupuit gemina nece conjugis Orpheus,
Quam tria qui timidus, medio portante catenas,
Colla canis vidit: quem non pavor ante reliquit,
Quam natura prior, saxo per corpus oborto;
Quique in se crimen traxit, voluitque videri
Olenos esse nocens, tuque, o confisa figurae
Infelix Lethaea tuae, junctissima quondam
Pectora, nunc lapides quos humida sustinet Ide.
Orantem frustraque iterum transire volentem
Portitor arcuerat; septem tamen ille diebus
Squalidus in ripa Cereris sine munere sedit:
Cura dolorque animi lacrimaeque alimenta fuere.
Esse deos Erebi crudeles questus, in altam
Se recipit Rhodopen pulsumque aquilonibus Haemon.
Tertius aequoreis inclusum Piscibus annum

63. *revolutaque*. Ita cod. Bersm., vetustiores Heins. magno numero, Berol., Rhen., Par. 1. 2., Lips. 1., Vrat. et vett. edd., quod est *relapsa est* cum notione celeritatis. Vulg. *revocataque*.

64. *gemina nece*. Erat haec Eurydices mors quasi altera: nam primum mortua erat morsu serpentis. Conf. Virg. Georg. IV, 504. — *stupuit*. Her. VIII, 111. *saepe malis stupeo*.

65. *quam tria qui etc.* Haec comparatio aptissima duas continet transformationes: prima de viro est, qui quum Hercules Cerberum ex inferis abduceret (IX, 185.), solo monstri adspectu in lapidem mutatus est. Vid. Suid. in proverb. δειλότερος τοῦ παρακύπτοντος. Altera est haec. Cum Lethaea per superbiam formae iram deorum movisset, Olenus conjux oravit, ut ipse loco uxoris puniretur, quo facto ambo in lapides mutati sunt. Nec ista fabula alibi reperitur.

67. „*quam natura prior* (sc. hominis) *cum reliquit*." — *saxo — oborto*. II, 181. V, 202. Quidam Heins. *aborto*.

68. *quique . . tuque*. „*et quam qui . . et quam tu . .*"

69. *confisus*, quod vulgo cum ablat. construitur, ponitur etiam cum dat, ut *fisus* et *fidere*. XV, 826. VII, 290. IX, 378. Conf. IX, 125. — Berol., quidam Heins. et edd. Venn. *Olenus*. Veteres Heins. majori ex parte et ed. pr. cum vulg. *Olenos*. Ciof. tacet. — Dativum *figurae — tuae* confirmant cod. Bersm., codd. Heins., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1., Par. 1., Vrat., Zwicc., ed. pr. et ed. Ven. 1. Pal. 2., Par. 2., Twisd. 1. 2. et vulg. *figura tua*.

70. Flor. a 2. m., Medic. 2. et Strozz. 1. *Lethaee*. — 71. *humida Ide*. II, 218. *celeberrima fontibus Ida*, ubi vid. not. — *pectora*. Ita tacite edidit Heinsius, quod II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., unus Sulm. et unus Vat. Ciof., Vrat., Zwicc. et ed. pr. tuentur. Vulg. *corpora*, parum eleganter. — *junctissima pectora* sunt conjuges mutua caritate conjuncti. *Pectus*, ut *caput*, saepe de homine. — Zwicc. *Yda*.

72. Goth. 1., unus Mor. et Sprot. *transire parantem*. — 73. *portitor*, Charon qui manes sepultorum cymba super Styga in tartarum portabat. Virg. Georg. IV, 502.

— — *nec portitur Orci*
Amplius objectam passus transire paludem.

„*Septem*, arbitror quia septenarius numerus olim sacer (?) habebatur. IX, 292. V, 537. Apud Virg. septem menses sedet ad Strymonis undas. *Gierig*.

73. *arcuerat*. Scripturam germanam exhibent Par. 2., Berol., Rhen., Vrat., Thu. et III Heins. et ex emendatione Const. Fanens. ed. Vinc. Vulg. *arguerat*; inepte.

74. *in ripa*, Hebri. II, 257. De re cf. II, 381. — *Cereris sine munere*. Vid. ad I, 123. V, 642. et 655.

77. *Rhod.* v. 11. De *Haemo* vid. II, 219. Ac *pulsus aquilonibus* dicitur Haemus, quia Thracia sedes aquilonis fingitur. Vid. VI, 709. — Dresd., Goth. 1. et ed. Ven. 1. *Rhodopem*. — Dresd., Rhen. et III Heins. *Haemon*. Vulg. *Haemum*.

78. *inclusus Piscibus annus* est, quia signo Piscium clauditur sive finitur. Vid. v. 165. Trist. IV, 7, 2.

Finierat Titan; omnemque refugerat Orpheus
Femineam venerem, seu quod male cesserat illi,
Sive fidem dederat. Multas tamen ardor habebat
Jungere se vati; multae doluere repulsae.
Ille etiam Thracum populis fuit auctor, amorem
In teneros transferre mares, citraque juventam
Aetatis breve ver et primos carpere flores.
Collis erat collemque super planissima campi
Area, quam viridem faciebant graminis herbae;
Umbra loco deerat: qua postquam parte resedit
Dîs genitus vates et fila sonantia movit,
Umbra loco venit. Non Chaonis abfuit arbor,
Non nemus Heliadum, non frondibus aesculus altis,
Nec tiliae molles, nec fagus et innuba laurus,
Et coryli fragiles, et fraxinus utilis hastis,
Enodisque abies curvataque glandibus ilex,
Et platanus genialis acerque coloribus impar,

Bis me sol adiit gelidae post frigora brumae,
Bisque suum tacto Pisce peregit iter.

ubi vid. not. *Aequoreos* autem Pisces illos in coelo dicit, confundens cum piscibus animantibus. Eodem modo v. 127. *Cancer*, sidus, *litoreus* est.

79. *Titan.* I, 10.

80. *fem. venerem*, feminarum amorem. Virg. Georg. IV, 516.

Nulla venus, non ulli animum flexere hymenaei.

81. *fidem dederat*, juraverat hoc Eurydicae, se non aliam amaturum. — *ardor habebat.* Conf. VII, 800. IX, 291. Sabin. Epist. II, 56.

82. *repulsae*, *quod rep. essent.*

83. *fuit auctor transferre*, ut *ardor* (cupido) *se jungere*, pro gen. gerundii, ut apud poetas crebro. Vid. ad XV, 121.

85. Liv. XXI. c. 3. *Florem aetatis Hasdrubal patri Hannibalis fruendum praebuit.* Caeterum Phanocles scripserat Ἔρωτας, in quibus multa de Orphei *paederastia* exstabant, qui interciderunt.

86. *Orpheus queritur jacturam uxoris suae. Qui dum chordas lyrae suae tentat, arbores de loco moventur et attrahuntur, in quibus etiam quaedam transformationibus suis memorabiles, ut cupressus in quam Cyparissus, et pinus in quam Attis mutatus erat.*

86. *collis erat.* Vid. v. 77. — *planissima campi area*, planissimus campus. Cic. Verr. IV, 48. *in summo monte est aequata agri planities.*

87. *graminis herba* etiam apud Virg. Ecl. V, 26. Liv. l. c. 24., quia gramen herba est. Plin. H. N. XXIV. c. 19. *gramen ipsum inter herbas vulgatissimum.*

89. *dîs genitus.* Vid. ad v. 1. — *movit.* Mart. XII, 95. *fila lyrae movi.*

90. *umbra loco venit* cum vi respondet illis *umbra loco deerat* v. 88. *Venit* autem proprie capiendum: nam arbores sua sponte relictis sedibus suis ad Orphea venerunt. — *Chaonis — arbor*, quercus. *Chaonis* adjectivum a Chaonia Epiri regione, ubi fabulis inclytum quercetum Dodonaeum fuit. VII, 623. XIII, 716. Virg. G. I, 8. — Cod. Rhen. (?) et II Heins. *arbos.* Cf. IV, 459. X, 310.

91. *nemus Heliadum*, populi in quas Heliades Phaëthontis sorores mutatae erant. II, 340–366. — *aesculus* arbor maxima e quercuum genere, *quae quantum vertice ad auras Aetherias tantum radice in tartara tendit.* Virg. Georg. II, 291. Hinc h. l. *frondibus altis:* nam nonnullarum edd. scripturam *frontibus* codices non confirmant. Conf. XI, 108.

92. *innuba laurus* est, quia Daphne virginitatis studiosa in eam mutata fuerat. I, 452 567. Tibull. III, 4, 23. *casta laurus.* Cf. not. ad Met. VIII, 666.

93. *fraxinus utilis hastis.* Vid. V, 9.

94. *curvataque.* Exaggerat poeta. III Heins. *onerataque*, ex interpretamento.

95. *genialis*, laeta, laetam umbram praebens. Priscian. V. c. 3. et VI. c. 8. J. H. Voss. ad Virg. Georg. II, 70. *ministrantem platanum potantibus umbras.* — Quidam Heins. *genitalis.* Vid. IV, 14. XIII, 929. — *coloribus impar*, variis coloribus. Plin. H. N. XVI. c. 15. *crispo macularum discursu.*

Amnicolaeque simul salices et aquatica lotos,
Perpetuoque virens buxus tenuesque myricae,
Et bicolor myrtus, et baccis caerula tinus.
Vos quoque flexipedes hederae venistis, et una
Pampineae vites et amictae vitibus ulmi,
Ornique et piceae pomoque onerata rubenti
Arbutus, et lentae, victoris praemia, palmae,
Et succincta comas hirsutaque vertice pinus,
Grata deûm matri: siquidem Cybeleïus Attis
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.
Affuit huic turbae metas imitata cupressus,
Nunc arbor, puer ante deo dilectus ab illo,
Qui citharam nervis et nervis temperat arcum.

96. *amnicola* ab Nasone novata vox.— IX, 341. *aquatica lotos*, ubi vid. not.

97. *tenuesque myricae*. Fragm. Boxhorn. et unus Mor. *humilesque myricae* e Virg. Ecl. IV, 2. A. A. III, 691. *fragiles myricae*.

98. *bicolor myrtus*. XI, 234.— *baccis caerula tinus*. Plin. N. H. XV. c. ult. *Tinum silvestrem laurum aliqui intelligunt, nonnulli sui generis arborem. Differt color; est enim caerulea bacca.* Quo loco confirmatur haec conjectura Heinsii; nam codd. Flor., Medic., Spir., Vrat. et III Heins. *pinus;* Pal. 2., Par. 1. 2., Vrat. pro v. l. et reliqui cum vett. edd. *ficus*, quarum scripturarum posterior illis *baccis caerula* non convenit, et pinus memoratur v. 103. — De producta posteriori syll. vocis *myrtus* vid. ad XIV, 250. et XV, 634.

99. *flexipedes*. Ed. Ald. *flexibiles*. Sed omnes codd. et vett. edd. *flexipedes*, quod eleganter dicitur de hederis, quae flexis flagellis veluti pedibus aut brachiis ex se emissis arbores vicinas aut saxa amplectuntur. Plin. H. N. XVI. c. 34.

100. *amictae vitibus ulmi*. In multis Italiae tractibus vites non palis, ut apud nos, sed arboribus, inprimis ulmis alligabantur. XIV, 661 seqq. Pont. III, 8, 13.

Non hic pampineis amicitur vitibus ulmus.

Fast. I, 153. *modo formatis amicitur vitibus arbor*. Colum. V. c. 6. *vestita ulmus vitibus*. Vid. not. ad Trist. II, 143. et ad V, 3, 35. et Her. V, 47. — Berol. et margo ed. Bersm. *et amicae*.

102. *arbutus*. Vid. ad I, 104. et interpp. ad Virg. Eclog. III, 82. — *lentae*, flexibiles. Contrarium Art A. III, 691. *fragiles myricae*. — 103. *succincta comas*, h. e. nonnisi vertice folia et ramos habens, sic ut inferior pars trunci nuda sit. Plin. H. N. XVI. c. 10. easdem arbores *succinctiores* appellat. Conf. Met. XV, 603. De accus. *comas* vid. ad I, 332. — *hirsutis*, sc. ob folia acuta. Virg. Cul. 135.

— — — — edita pinus
Proceras decorat silvas hirsuta per artus.

104. *deûm matri*. Cybele deûm mater Attin Phrygium, quem amabat, in pinum convertit. Phaedr. III, 17, 4. Conf. Fast. IV, 223. Diodor. IV. — 105. *exuit hac hominem*, posuit in ea hominem, hominis figuram. Tacit. Ann. XIV. c. 52. *exuere magistrum*. Contrarium *induere* mortalem formam. XI, 202. Notum est et illud: *Exuit personam judicis, quisquis amicum induit*. Cf. Met. IX, 268. — *Hac* et *trunco illo* de eadem arbore intelligenda.

106. *metas imitata*, metarum formam habens. II, 2. *Meta* enim conus aut aliquid cono simile. Vid. Plin. H. N. XVI. c. 33. — Bas. 4. a 2. m. *numero*. De fabula vid. Serv. ad Virg. Aen. III, 64. et 680.

107. *nunc arbor, puer ante*, Cyparissus. — 108. *deo— ab illo qui— arcum*, ab Apolline. Vid. I, 518 seqq. — *temperat*, ad justum modum intendit. Hor. Od. IV, 3, 17. *testudinis strepitum temperare*. Prop. II, 25, 80.

Tale facis carmen docta testudine, quale
Cynthius impositis temperat articulis.

De repetitione illa dictum est ad I. — Amor. I, 15, 29.

Gallus et Hesperiis et Gallus notus Eois
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

Rhen. et ed. pr. *arcus*, quod tacite edidit Heinsius.

Namque sacer nymphis Carthaea tenentibus arva
Ingens cervus erat, lateque patentibus altas
Ipse suo capiti praebebat cornibus umbras;
Cornua fulgebant auro, demissaque in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo;
Bulla super frontem parvis argentea loris
Vincta movebatur, parilesque ex aere nitebant,
Auribus in geminis circum cava tempora baccae.
Isque metu vacuus naturalique pavore
Deposito celebrare domos, mulcendaque colla
Quamlibet ignotis manibus praebere solebat;
Sed tamen ante alios, Ceae pulcherrime gentis,
Gratus erat, Cyparisse, tibi. Tu pabula cervum
Ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undam,
Tu modo texebas varios per cornua flores,
Nunc eques in tergo residens, huc laetus et illuc

109. *Carthaea*, urbs insulae Ceae. VII, 368. Cea autem *Coryciis quondam celeberrima nymphis* Her. XX, 221., ubi vid. not. — Cod. Bersm. et a 1. m. Dresd. *jamque*. Pro *Carthaea* codd. Heinsii *Cretea*, *Cirthea*, *Carchia*, *Orchea*, *Archea*, *Cirrea*, *Corchea*, *Colchaea*. Dresd. et pro v. l. Goth. 2. *Cretea*. Vrat. *Carcea*. Goth. 2., Par. 1. 2., Lips. 1. et Zwicc. *Carchea*. Berol. *Charchea*. Reliqui cum vett. edd. *Carthea* vel *Carthaea*.

110. *altas*, quia ipsa cornua alta. Cf. Virg. Aen. I, 189. *Gierig*.

112. Cod. Bersm., Cael., unus Sulm., nonnulli Heins. et margo ed. Vinc. *demissa*, e Virg. Aen. VII, 278., ubi de equo:

Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

Alter Sulm., nonnulli alii Heins. et ed. pr. *diffusa*. Apulej. de deo Socratis: *Neque enim in emendis equis phaleras consideramus et baltei polimina inspicimus, et ornatissimae cervicis divitias contemplamur, si ex argento et auro et gemmis monilia variegata dependent, si plena artis ornamenta collo et capiti circumjacent, si frena caelata, si ephippia fucata, si cingula aurata sint.*

114. *bullae* proprie ornamentum erant puerorum nobilium, quae e collo in pectus dependebant. Macrob. Saturn. I. c. 6.

115. *parilesque*. Plerique meliores Heins., Dresd., Goth. 2., Medic. 4., Rhen., Twisd. 1. 2., Vat. 2., Lips. 1., Vrat. et vett. edd. *parilique*. Reliqui *parilesque*, recte. non enim ad vocem *aere* refertur adjectivum (tum enim sane *parilique* poeta scribere debuisset) sed pares et aequales, sc. arte ac magnitudine baccas fuisse significat. Sed nec scriptura *aere* satis firma a codicibus est, quam nonnisi Medic. 4., Vat. 2. et III alii Heinsiani tuentur. Berol., Goth. 2., Twisd. 1. 2. et nonnulli alii Heins. *nitore*, parum eleganter. Reliqui cum vett. edd. mendose *aetate*, ex VIII, 631.

116. *in geminis*. Ita cod. Bersm., plerique meliores Heins., Bas. 1—4., Berol., Dresd., Rhen., Lips. 1., Vrat. et ed. pr. Reliqui *e geminis*, minus eleganter, cum praecesserit *ex aere*.

118. *celebrare*, frequenter adire. — *mulcenda* i. q. plaudenda II, 866. Virg. Aen. VII, 490. *cervus manum patiens*.

110. *quamlibet ignotis*. Trist. I, 9, 24.

Sed tamen in duris remanentem rebus amicum
Quamlibet inviso Caesar in hoste probat.

Conf. IX, 476. XIV, 347. — *nova*, recentia.

122. *ad undam*. Sic Bersm., plerique Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Leid., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et ed. pr. Vulg. *ad undas*.

123. *texebas*. Bas. 2., Goth. 2. pro v. l., Hamb. 1., Medic. 1. 2., Neap., Spir. et IV Heins. *tendebas*. Fragm. Caes., Flor., Pal. 2., III Heins. et ed. pr. *sternebas*. Unus Leid. et pro v. l. Lips. 1. *spargebas*. Reliqui *texebas*. Virg. A. VII, 488.

Mollibus intexens ornabat cornua sertis.

124. *laetus*, gaudet enim Cyparissus frenando cervo. Goth. 1., unus Medic. et ed. Parm. *latus*, a ferendo: parum apte, ac parva auctoritate; et tamen sic edidit Heinsius. De oratione *frenare* cervum in

Mollia purpureis frenabas ora capistris.
Aestus erat mediusque dies, solisque vapore
Concava litorei fervebant brachia Cancri:
Fessus in herbosa posuit sua corpora terra
Cervus, et arborea frigus ducebat ab umbra.
Hunc puer imprudens jaculo Cyparissus acuto
Fixit, et, ut saevo morientem vulnere vidit,
Velle mori statuit. Quae non solatia Phoebus
Dixit, et, ut leviter pro materiaque doleret,
Admonuit? Gemit ille tamen, munusque supremum
Hoc petit a superis, ut tempore lugeat omni.
Jamque per immensos egesto sanguine fletus
In viridem verti coeperunt membra colorem;
Et modo qui nivea pendebant fronte capilli,
Horrida caesaries fieri, sumtoque rigore
Sidereum gracili spectare cacumine coelum.
Ingemuit tristisque deus „Lugebere nobis,
„Lugebisque alios aderisque dolentibus," inquit.
Tale nemus vates attraxerat, inque ferarum
Concilio medius turba volucrumque sedebat.
Ut satis impulsas tentavit pollice chordas,
Et sensit varios, quamvis diversa sonarent,

aliquem locum conf. XI, 681. et vid. not. ad Her. IV, 16.

125. *mollia*, quae facile flectebantur. — Martial. I. Ep. 106. *Paret purpureis aper capistris.*

126. *solisque vapore.* Vid. I, 432.

127. *Cancri* sidus sol ingrediebatur summa aestate. – *concava.* Vid. ad II, 83. 195. — De illo *litorei* vid. ad v. 78. et XV, 369.

128. *corpora*, pluralis poeticus, de quo vid. II, 326. Trist. I, 2, 49. et not. ad Trist. III, 1, 27.

129. *ducebat*, captabat. Virg. Ecl. I, 53. *frigus captabat opacum.* Dictum est ut *ducere animam.* Conf. VII, 809. Berol., Goth. 1. et Rhen. *ducebat frigus*, quod tacite edidit Heinsius.

132. *velle mori statuit.* Conf. v. 39. Her. XXI, 58. *perdere velle velis.* Catull. c. 91.

Nil nimium, Caesar, studeo tibi velle placere.

Conf. Tib. I, 2, 92. III, 4, 4. Cf. Met. II, 395. et vid. not. ad Her. l. l. De simili usu verbi *posse* vid. Met. VI, 307. et not. ad Her. XVII, 97. — *Phoebus.* Conf. v. 107. 108.

133. *pro materia.* III, 334.

136. *egesto.* Par. 1., Bas. 3. et multi alii Heins. *ejecto*, male. nam *egesto* h. l. est pro paullatim consumto vel exhausto, ut in Trist. *egerere dolorem.*

139. *horrida*, hirsuta. — *caesaries, comae* passim de frondibus arborum. Conf. v. 103. — *sumto*, accepto, ut V, 637. XIII, 605.

140. *gracili*, tenui.

142. *lugebisque alios*, nam cupressus inde facta est signum luctus, et ante funestam domum ponebatur (conf. Hor. Od. II, 14, 23. ibique interpp.), ne quis imprudens intraret. — *aderisque dolentibus.* Conf. I, 557 seqq.

143. *Orpheus ab arboribus, feris ac volucribus circumdatus primum canit, quomodo Jupiter sumta aquilae forma Ganymedem Trois filium rapuerit.* Apollod. II. c. 5. III. c. 12. Hom. II. XX, 232. — *attraxerat.* Med. et Par. 2. *contraxerat.* Sed notionem attrahendi poeta recte urgebat.

144. *medius - sedebat.* Conf. XIII, 780. De positione illius *que* conf. XIV, 30. Bas. 1. 2. a 1. m., Medic. 4., Par. 1., Rhen., Vat. 2. et III Heins. *turbae.* Reliqui omnes *turba.* Construe: *inque ferarum concilio turbaque volucrum medius sedebat.* Conf. Amor. II, 16, 13.

145. *pollice.* Conf. V, 339. Hor. Od. IV, 6. *pollicis ictum.*

146. *sonarent.* Gron. *sonabant.* Vid. not. ad IX, 471. Lips. 1. et ed. pr. *sonarant.*

Concordare modos; hoc vocem carmine movit:
Ab Jove, Musa parens, - cedunt Jovis omnia regno -
Carmina nostra move! Jovis est mihi saepe potestas
Dicta prius: cecini plectro graviore Gigantas
Sparsaque Phlegraeis victricia fulmina campis.
Nunc opus est leviore lyra, puerosque canamus
Dilectos superis, inconcessisque puellas
Ignibus attonitas meruisse libidine poenam.
Rex superûm Phrygii quondam Ganymedis amore
Arsit, et inventum est aliquid, quod Jupiter esse,
Quam quod erat, mallet. Nulla tamen alite verti
Dignatur, nisi quae portet sua fulmina terrae.
Nec mora, percusso mendacibus aëre pennis
Abripit Iliaden, qui nunc quoque pocula miscet,

147. *movit*. Conf. V, 112. et 322. Voss. *rupit*, quod recte in eo dicitur, qui diu silentium tenuit, sed huic loco parum accommodatum est. — Bas. 1. *sonos*, ex glossa.

148. Incipit carmen Orphei, quod usque ad finem libri pertinet. — *Ab Jove etc.* Theocr. XVII, 1.

Ἐξ Διὸς ἀρχώμεσθα, καὶ ἐς Δία λήγετε Μοῦσαι.

Virg. Ecl. 111. 60.

Ab Jove principium, Musae, Jovis omnia plena.

Vid. Fast. V, 111. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2. et Zwicc. *a Jove*. Pal., Lips. 1. et II Heinsii *Musa potens*. *Musa parens* accipi posset, ut di passim patres, parentes vocantur. Sed Orpheus filius erat Calliopes (Vid. ad v. 1.); itaque *parens* proprie accipiendum est.

149. *move*, ordire. XIV, 21. Vid. Bentl. ad Hor. Od. III, 7, 20.

150. *Gigantas*. Ita Par. 2., Cant., Erf. 1., Flor., Medic., Pal. 1., Rhen., Spir., Vat. 1., Vrat., Zwicc. et haud dubie multi Heins. Vulg. *Gigantes*. De *Gigantibus* vid. I, 152 seqq. Ceterum *grave plectrum* poetis tribuitur, cum argumentum grave, bella et res gestas deorum, heroum et regum dicunt; *levis lyra* (152.) aut *leve plectrum* (Hor. Od. II, 1, 40.), cum res leves et ludicras, velut amores, tractant.

151. *Phlegra*, postea Pallene, oppidum Thraciae s. Macedoniae, in quo Gigantomachian factam poetae fingunt. Virg. Cul. 27. Alii *Phlegraeos* campos prope Cumas ponunt. „Scilicet cum coloni Graeci terras istas incolere coepissent, fabulas Graecas illis locis alligarunt.“ *Gier*. Vid. Apollod. I. c. 6.

152. *puerosque*. Pueri illi quos in animo habet infra nominantur, ac sunt Ganymedes, Hyacinthus et Adonis. Inter puellas est Myrrha, cujus scelestum amorem et fata infra narrat.

154. *attonitas*, fascinatas, insanientes. XV, 326. IX, 574. Cod. Bersm., omnes fere (?) Heins., Par. 2., Lips. 1. et Zwicc. *poenas*. Reliqui *poenam*. Pluralis ortus esse videtur ex illo *attonitas*.

155. *Phrygii*, Trojani: nam Troas erat pars Phrygiae. Her. XVI, 197. ibique not. — *Ganymedes* filius erat Trois, Trojae regis (Apollod. III. c. 5.) et nepos Ili Trojani regis; inde *Iliades* dicitur v. 160. — II Bersm., Dresd., Goth. 1. 2. et Zwicc. *quondam Phrygii Ganym.*

157. *alite verti*. Vid IV, 45. et IX, 81. Sensus est: *et placuit mutari. Nullam tamen avem dignam judicavit in quam verteretur, nisi aquilam*. Aliter rem tradit Apollod. III. c. 12. Cfr. Hor. Od. IV, 4, 4.

158. *portet*. Omnes Viviani codd., Cael. 1. 2., Dresd., I Sulm., II Vatt. Ciof., Zwicc., plerique vett. Heins. et edd. Venn. *quae portat s. f. terrae*, nisi quod in quibusdam Heinsii conjunctivus est: *portet*. Eandem scripturam parva diversitate tuentur cod. Bersm., Par. 1., Goth. 1. 2., Rhen., alter Sulm., Lips. 1., Vrat., Pal. 2., Hamb. 1. — Reliqui cum ed. pr. *quae posset sua f. ferre*, nisi quod Arond. *possit*; quae scriptura librariorum inventioni parum similis esse videtur. Nihil enim Nasoni magis proprium est quam hujusmodi per verbum *posse* circumscriptiones. Vid. ad VI, 307. et ad Trist. II, 204. De aquila, *ministro fulminis alite* (Hor. Od.), poetae passim. XII, 560.

159. *mendacibus*, ut V, 326. *mentitus*, VI, 26. *falsus*.

160. *abripit*. Sic Berol., Flor., Spir., Urb., II Heins. et ed. pr. Recte: agitur

Invitaque Jovi nectar Junone ministrat.
Te quoque, Amyclide, posuisset in aethere Phoebus,
Tristia si spatium ponendi fata dedissent.
Qua licet, aeternus tamen es; quotiesque repellit
Ver hiemem, Piscique Aries succedit aquoso,
Tu toties oreris viridique in cespite flores.
Te meus ante omnes genitor dilexit, et orbe
In medio positi caruerunt praeside Delphi,
Dum deus Eurotan immunitamque frequentat
Sparten, nec citharae nec sunt in honore sagittae.
Immemor ipse sui non retia ferre recusat,
Non tenuisse canes, non per juga montis iniqui
Ire comes, longaque alit assuetudine flammas.
Jamque fere medius Titan venientis et actae
Noctis erat, spatioque pari distabat utrimque;

enim de raptu. Reliqui omnes *arripit*. — *pocula miscet*. Conf. XII, 318.

161. *invita*, illustratur versu 155.

162. *Orpheus porro canit, Hyacinthum filium Oebali Lacedaemoniorum regis, quum ab Apolline disco occisus esset, ab eo in hyacinthum florem esse conversum*. Apollod. I. c. 3. et III. c. 10. Hyg. F. 271. Eurip. Hel. 1381 seqq.

162. *Amyclide*, Lacedaemonie, ab Amyclis, Laconiae oppido. VIII, 314. Juxta quosdam fabulae auctores (Pausan. III. c. 1. et Apollod. III. c. 10.) Hyacinthus f. Amyclae Lacedaemonii regis fuit. Sed Ovidius eum Oebali filium fingit cum Hyg. F. 271. et aliis. Vid. v. 196. et Ib. v. 590. Apud Claud. R. P. II, 133. vocatur *natus Amyclis*. Palaeph. c. 4. Ἀμυκλαῖον μειράκιον, Fast. V, 223. ex alio Laconiae oppido *Therapnaeus* appellatur. Alii, forma vocis ducti, eum Amycliden vocari censent, ut Amyclae pronepotem, ut etiam Perseus IV, 672. *Abantiades* dicitur, qui fuit pronepos Abantis. Sed conf. v. 183. et XII, 209.

162. *in aethere*, in coelo, inter deos, ut Jupiter Ganymeden.

164. *qua licet*. Conf. II, 105. VIII, 352. — *aeternus*, quia hyacinthus flos quotannis renascitur. — *repellit*. Virg. Georg. IV, 51. *pulsam hiemem sol aureus egit sub terras*.

165. Ex Piscibus sidere (Vid. v. 78.) sol transit in Arietem mense Martio, et aequinoctio veris. — *aquosus*. Vid. ad v. 78.

166. *flores*. Leid. *vernas* (VII, 284.) quod repugnantibus reliquis libris omnibus male in textum receperunt.

167. *meus genitor*, Apollo. Vid. ad v. 1. — II codd. Bersm. et meliores (?) Heins. *ante alios*. Reliqui omnes cum vett. edd. *ante omnes*.

168. *in medio orbe positi - Delphi*. Idem de Delphis veteres passim. Liv. XXXVIII. c. 48. *etiam Delphos -, umbilicum orbis terrarum, Galli spoliaverunt*. Vid. interpp. ad Cic. de divin. II. c. 56. Met. XV, 630. Claudian. Praef. in Theod. Cons. — — *Jupiter*

Armigeros utrimque duos aequalibus alis
Misit ab Eois occiduisque plagis.

Parnassus (ubi Delphi) *geminos fertur junxisse volatus*.

Conf. Strab. IX. p. 276. — Unus Thu. *orbis in medio*.

169. *immunitam*. Sparten nullis moenibus munitam fuisse constat. — De *Eurota* vid. II, 247. — 170. Dresd. et Lips. 1. *Spartam*. Conf. v. 217. Her. I, 65.

Misimus et Sparten; Sparte quoque nescia veri.

nec cytharae etc. Vid. v. 108.

171. *sui*, quis esset, s. quod esset deus. Conf. v. 533 seqq. Idem obsequii exemplum est infra v. 535 seqq. Her. V, 19. Oenone Paridi:

Retia saepe comes maculis distincta tetendi;
Saepe citos egi per juga longa canes.

Conf. A. A. II, 189. Tib. I, 4, 50.

172. *iniqui*. Pont. IV, 4, 22. *asperitas loci iniqua*. — *tenuisse*, sc. funiculo, de quo supra dictum est.

173. *ire*. Dresd., Erf. 1. et V Heins. *isse*, quod non video cur editores scripturae reliquorum codd. et vett. edd. praeter Parm. omnium praetulerint.

174. *medius* cum genit. Vid. v. 233. et VI, 409. Conf. not. ad v. 144. De

Corpora veste levant, et suco pinguis olivi
Splendescunt, latique ineunt certamina disci.
Quem prius aërias libratum Phoebus in auras
Misit, et oppositas disjecit pondere nubes.
Recidit in solidam longo post tempore terram
Pondus, et exhibuit junctam cum viribus artem.
Protinus imprudens actusque cupidine lusus,
Tollere Taenarides orbem properabat; at illum
Dura repercussum subjecit in aëra tellus,
In vultus, Hyacinthe, tuos. Expalluit aeque,
Quam puer, ipse deus, collapsosque excipit artus,
Et modo te refovet, modo tristia vulnera siccat,
Nunc animam admotis fugientem sustinet herbis.
Nil prosunt artes: erat immedicabile vulnus.
Ut, si quis violas riguoque papavera in horto

Titane vid. I, 10. — De *venientis* conf. IX, 418.

176. *pinguis olivae.* Cod. Bersm., Rhen., Vrat., meliores (?) Heinsii et ed. pr. *olivi*, quod cur tam parva auctoritate vetustatis praetulerint editores, non apparet. Columell. I. c. ult. *suus olivae sucus oleum est.* Et *pinguis oliva* dicitur ut *pingue olivum.* Virg. Georg. II, 425. De more veterum, qui h. l. tangitur, ante ludos unguendi vid. not. ad Trist. III, 12, 21. et Gron. Diatr. in Stat. c. 25. Hor. Sat. I, 6, 123. ibique Heindorf. Virg. Georg. III, 281.

Exercent patrias oleo labente palaestras
Nudati socii.

Met. VI, 241. *opus nitidae juvenile palaestrae.* — „*levant veste* tanquam onere, elegantius quam vulg.: ponunt, exuunt vestes. Virg. Georg. II, 400. *nemus levare fronde. Gier.*

177. *lati — disci.* Discus orbis latus, et lentis formam referens.— Cod. Bersm., Goth. 2. a corr., Leid., Vat. et IV alii Heins. *laetique.* — 178. *libratum.* Prop. III, 14, 10. *disci pondus in orbe rotat.* Hom. Il. XXIII, 840. de eodem disco: ἧκε δινήσας.

178. *aërias auras.* Vid. IX, 219. *aëriae aurae* sunt altae.

180. *recidit.* Ita III codd. Gifanii, codd. Ciof., vetustiores plerique Heins., Bas. 1. 2. a 1. m., Berol., Goth. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 1., Zwicc. et vett. edd. — Perpauci codd. cum vulg. *decidit.* Vid. v. 18. IX, 513. Gron. *incidit.*

181. Conf. VIII, 29. De verbo *exhib.* conf. VI, 213.

182. *actusque — lusus*, ut vix exspectare posset, donec discus quietus jaceret. Pro *actusque* Berol., Par. 2., Erf. 1., Goth. 1. et pro v. l. 2., Gron., Hamb. 1., Med. 2. 3., Menag., Pal. 2., Neap., Spir., Thu., Vrat. et multi Heins. *artisque.* Dresd., Gron. et Pal. *tactusque.* Alii Heins. *raptusque, tactusque, captusque, laetusque, victusque, avidusque.* Deinde multi ex antiquis Heins, et ed. pr. *ludi*, a librariis, ut videtur, qui usitatiorem vocem praeferrent.

183. *Taenarides*, ut *Amyclides* pro *Lacedaemonius*, a Taenaro quod est Laconiae promontorium. V. 13.— Construe: *at illum dura tellus repercussit et subjecit in aëra, in vultus H. tuos.* Voss. vertit: *in die Höhe, grad' ins Gesicht.*— Receptam scripturam tuentur Medic. 1., Spir., Thu. et IV Heins. — Arg., Goth. 1. et Rhen. *repercusso ab aëre*, sine commoda sententia. Reliqui *repercusso in aëre*, quod omnino sensu caret. — Ad rem Martial. XIV, 164.

Splendida cum volitent Spartani pondera disci,
Este procul pueri; sit semel ille nocens.

186. *quam.* Bonon. 1. *ac.* — De illo *collapsos exc. artus* conf. XII, 423. II, 617 seqq. VII, 826.

188. *admotis — herbis*: nam Apollo erat inventor et praeses artis medendi. Vid. I, 521. II, 618. — *sustinet*, retinet. Senec. Consol. I. c. 12. *deficientis adolescentis spiritus in adventum meum sustinebatur.* Quinct. Declam. XII. c. 2. *non ut invisam animam sustineremus.* Vid. not. ad Her. I, 114. — 189. *nil prosunt artes.* Conf. II, 618.

190. *riguoque.* Arond., Neap., Rhen., Lips. 1., Vrat. et VI Heins. *riguove.* Pro vulg. *riguoque.* Iidem libri *papaver*, quod recipere non debebat Heinsius: neque enim illa elisio ingratum sonum ha-

Liliaque infringat fulvis haerentia virgis,
Marcida demittant subito caput illa gravatum,
Nec se sustineant spectentque cacumine terram:
Sic vultus moriens jacet, et defecta vigore
Ipsa sibi est oneri cervix humeroque recumbit.
„„Laberis, Oebalide, prima fraudate juventa,“
Phoebus ait „„videoque tuum, mea crimina, vulnus.
„„Tu dolor es facinusque meum; mea dextera leto
Inscribenda tuo est; ego sum tibi funeris auctor.
Quae mea culpa tamen? nisi si lusisse vocari
Culpa potest, nisi culpa potest et amasse vocari?
Atque utinam pro te vitam tecumve liceret
Reddere! Sed quoniam fatali lege tenemur,
Semper eris mecum, memorique haerebis in ore.
Te lyra pulsa manu, te carmina nostra sonabunt,
Flosque novus scripto gemitus imitabere nostros.
Tempus et illud erit, quo se fortissimus heros

bet, nec licet e nostro pronuntiandi modo talia judicare. Eodem modo idem Heins. Her. VIII, 73. pro *trans aequora ab hospite rapta* male novavit *trans aequor ab hosp. rapta*. Vid. not. ad Her. l. l. et ad Trist. II, 202. et conf. Met. II, 286. Sed cum in hac re illi veteres libri minime audiendi sint, suspectum quoque quod iidem exhibent *riguove*. Ceterum suavissimam hanc similitudinem poeta vel debet Homer. Il. VIII, 306. vel potius Virg. Aen. IX, 435. 436. Conf. Virg. Georg. IV, 130.

191. *virgis* i. e. culmis. Sic Arond., Berol., Briant., Dresd., Goth. 1., alter Maff. a corr., Medic. 2., Mor. 1., exc. Mur., Neap., Ox., Pal. 2., Par. 1., Rhen., Lips. 1., Sulm. 1. 2., reliqui Viv., multi Heins. et vett. edd., excepta principe. Reliqui *lignis*, *linguis*, *signis*. Gron. 1. et unus Medic. *truncis*.

194. *defecta vigore*. Conf. IX, 154.

196. *Oebalide*. Vid. v. 162. — *labi* de moribundis frequens. A. A. III, 742. Trist. III, 3, 44. *labentes oculi*.

198. Alludit Martial. XIV, 173.

Flectit ab inviso morientia lumina disco
Oebalius, Phoebi culpa dolorque, puer.

199. *inscribenda leto tuo*. XV, 178. *ipsos inscripsere deos sceleri*. Grat. Cyneg. 107.

Auctoremque operi dignata inscribere magno.

Vid. ad IX, 563.

200. Terent. Andr. V, 3, 25. *Ego me amare hanc fateor; si id peccare est, fateor id quoque.*

202. Cod. Bersm., Goth. 2., Rhen. et Zwicc. *tecumve*, quod recipere in textum non debebat Heinsius. Utrumque enim Apollo simul poterat optare, pro eo et cum eo mori.

203. *sed — tenemur*. Vulg. *quod — vetamur*. Berol., Dresd. et Pal. 2. *vetatur*. Codd. Ciof. omnes, plerique vett. Heins., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et edd. Venn. *quod quoniam — tenemur*. Par. 2., Goth. 1. 2., exc. Jur., II Leid., Rhen., XV Heins. et ed. pr. *sed — tenemur*. *Sed* etiam cod. Bersm., Bas. 2. et in marg. 3., Dresd., Pal. 2. et Arond. — *lege teneri* dicuntur, quos cogit lex aliquid facere vel omittere. *Gierig*. Ad rem conf. I, 661 seqq.

204. *haerebis*, semper versaberis. Cic. Phil. XIII. c. 3. *haerere in oculis*.

205. *te — sonabunt*. Anacr. I, 4. ἡ δὲ λύρα Ἔρωτα μοῦνον ἤχει. Phaedr. III, 16. *sonare cithara Apollinem*. Hor. Epod. XVII, 40.

206. *scripto imitabere*, inscriptos habebis. Conf. v. 215. Fast. V, 223.

Prima Therapnaeo feci de sanguine florem
Et manet in folio scripta querela suo.

Plin. N. H. XXI. c. 11. *Hyacinthum comitatur fabula duplex, vel luctum praeferens ejus, quem Apollo dilexerat, aut ex Ajacis cruore editi: ita discurrentibus venis, ut Graecarum literarum figura AI legatur inscripta*. Al Graecum est Latinum *ah*. Vid. v. 215.

207. *fort. heros*, Ajax. Haec Ajacis metamorphosis narratur XIII, 394 seqq. Virg. Ecl. III, 106.

Addat in hunc florem, folioque legatur eodem.“ “
„Talia dum vero memorantur Apollinis ore,
Ecce, cruor, qui fusus humi signaverat herbam,
Desinit esse cruor, Tyrioque nitentior ostro
Flos oritur, formamque capit, quam lilia; si non
Purpureus color his, argenteus esset in illis.
Non satis hoc Phoebo est; - is enim fuit auctor honoris; -
Ipse suos gemitus foliis inscribit, et AI AI
Flos habet inscriptum, funestaque litera ducta est.
Nec genuisse pudet Sparten Hyacinthon; honorque
Durat in hoc aevi, celebrandaque more priorum
Annua praelata redeunt Hyacinthia pompa.
At si forte roges fecundam Amathunta metallis,
An genuisse velit Propoetidas; abnuat aeque,
Atque illos, gemino quondam quibus aspera cornu

Dic quibus in terris inscripti nomina regum.
Nascantur flores.

Cod. Bersm., Berol., Goth. 2., Ox., Par. 1. pro v. l. et margo 2., Voss. et nonnulli Heins. *fort. Ajax*, ex interpretamento. Vid. ad v. 50.

208. Goth. 1. *addet* et Dresd. *legetur*. Conf. XIV, 147 seq. Virg. Ecl. VIII, 7. et Huschk. not. ad Tib. I, 4, 79. Ceterum eleganter illud dicit *se addat*, sc. quasi socium et comitem.

209. *vero Apollinis ore*. De Apolline fatidico vid. ad I, 491.

210. *signaverat*. Conf. XII, 125. — *humi* meliores Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et vett. edd., praeter ed. pr. — Ed. pr. et vulg. *humo*. Iidem meliores Heins., Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1., Lips. 1., Vrat. et Zwicc. *herbam*. Reliqui cum vulg. *herbas*.

211. *Tyrio — ostro*, purpura. VI, 222. VIII, 8. XI, 166.

213. *his*. Berol., Goth. 2. pro v., unus Heins., Rhen. et unus Voss. *huic*, ex interpretamento. Recte reliqui omnes *his*, quod non ad *flos* refertur, sed in universum et generatim dictum est. — *in illis*. Conf. II, 332. XIV, 269. Ceterum non esse hyacinthum vulgarem satis constat: nam nec color idem est nec eadem forma. Qui vero flos sit, inter doctos non constat. Vid. Voss. ad Virg. Georg IV, 137. et ad Eclog. II, 18. Plin. H. N. XXI. c. 26.

215. *et AI AI*. Variant codd. et vett. edd., qui exhibent *et ya*, *et ae*, *et ay*, *et ala*, *et hya*, al. Scripturam *et ai ai* tuentur aliquot Pol. libri, unus apud Viv., Cael. et unus Vat. Ciof., quam veram esse confirmatur XIII, 394 seqq. Mosch. III, 6. *νῦν ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ γράμματα καὶ πλέον AI AI βάμβαλε σοῖς πετάλοις.*

216. *ducta est*. *Ducere literam* de scribendo saepius apud Nasonem reperitur. Conf. I, 649. et not. ad Trist. III, 14, 32.

217. *genuisse*. Multi codd. et vulg. *gemuisse*. Sed vetustiores Heins., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et vett. edd. *genuisse*, recte: atque ei respondet *genuisse velit* v. 221.

218. *in hoc aevi*. Goth. 2. et Gron. *in hoc aevo*. Cod. Arg., Voss. et II Heins. *in hoc aevum*. Ab imperitis librariis. Lucret. II, 15. *Qualibus in tenebris tegitur hoc aevi*. Plin. Paneg. c. 6. *Solus ad hoc aevi paria fecisti*, ubi vid. Schwarz. — Ceterum Hyacinthia Lacedaemone quovis anno veris tempore per triduum celebrabantur.

219. *pompa* de imaginibus et aliis rebus quae pompa circumferebantur accipienda.

220. *Orpheus porro canit, Propoetidas ex Cypri urbe Amathunte a Venere in lapides, et Cerastas cornutos in tauros esse mutatos. — metallis*. Unus Gron., Dresd. et Rhen. *metalli*. Conf. v. 531. et VIII, 222. — *Amathus*, urbs Cypri, nobilis templo Veneris, quae inde *Amathusia* dicitur. Vid. Catull. LXVIII, 51. Tac. Annal. III. c. 62. Pausan. Boeot. p. 796. Virg. Aen. X, 51. Hujus urbis metalla passim memorantur. Vid. v. 531.

221. *abnuat*. Ita Heins. scite conjecit. Par. 1. et IV alii Heins. *abnuet*. Lips. 1. a corr., Zwicc. et multi Heins. *abnuit*. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 2., Rhen., Lips. 1. a 1. m., Vrat. et ed. pr. *annuit*. Reliqui

Frons erat: unde etiam nomen traxere Cerastae.
Ante fores horum stabat Jovis Hospitis ara,
Lugubris sceleris: quam si quis sanguine tinctam
Advena vidisset; mactatos crederet illic
Lactentes vitulos Amathusiacasve bidentes:
Hospes erat caesus. Sacris offensa nefandis,
Ipsa suas urbes Ophiusiaque arva parabat
Deserere alma Venus. „„Sed quid loca grata, quid urbes
„„Peccavere meae? Quod „dixit" crimen in illis?
Exsilio poenam potius gens impia pendat
Vel nece, vel si quid medium mortisque fugaeque.
Idque quid esse potest, nisi versae poena figurae?"
„Dum dubitat, quo mutet eos; ad cornua vultum
Flexit, et admonita est haec illis posse relinqui:
Grandiaque in torvos transformat membra juvencos.
Sunt tamen obscoenae Venerem Propoetides ausae
Esse negare deam: pro quo sua, numinis ira,
Corpora cum forma primae vulgasse feruntur;

annuat, quod etsi vitiosum est, tamen conjunctivum confirmat. — *an genuisse velit* respondet illi *nec genuisse pudet* v. 217.

223. *Cerastae*, a Graeco κέρας, quod valet *cornu*, dicti *cerastae*, *cornuti*. — De dictione *nomen traxere Cerastae* cf. XV, 96.

224. *Jovis hospitis*, s. hospitalis, a Graeco Ζεὺς ξένιος, cujus in tutela hospites.

225. Flor. *inlugubris celeri*. Medic. 1., Neap. et IV Heins. *inlugubri sceleris*. Medic. 3., Vat. 1., II Heins., exc. Jur., alter Hamb., Pal. 2., Par. 2. et in marg. 1. et vett. edd. *inlugubris sceleri*. Spir. *inlugubris seeleris*. Par. 2., Erf., Pal. 2. et VI Heins. *inlugubris celeris*. Arond. et Genev. *lugubris celeris*. Unus Leid. *lugubris celeri*. III Heins. et ed. Bas. *lugubris sceleri*. Pal. 2. a corr., Par. 1., Lips. 1. et reliqui *lugubris sceleris*, q. e. lugubris propter scelus. Genitivus est quem dicunt exeundi. Vid. ad II, 765.

227. *lactentes*. Dresd., Rhen., Lips. 1. et edd. Venn. *lactantes*. Porro Berol., Rhen. et Vrat. *Amathusiacasve*, quod tacite edidit Heinsius. Sed ferenda quoque scriptura omnium prope codd. et vett. edd. *quc*. De re vid. Serv. ad Virg. Aen. VI, 39.

228. „(sed) *hospes erat caesus*."

229. *Ophiusia*. Unde Cyprus Ophiusia dicta sit, non satis constat. Sunt qui a serpentium multitudine putent. Sed conf. Diod. Sic. V. c. 55. Strab. XIV. p. 651.

230. *urbes — meae*. Venus apud Cyprum nata ibique imprimis colebatur, et Amathunte, ut dictum, celeberrimum habebat templum. Hor. Od. I, 3. *Diva potens Cypri*, ubi vid. interpp.

231. Heinsius tacite edidit *quod crimen dixit*, quod cod. Bersm., Dresd., Goth. 2., Lips. 1. et Zwicc. tuentur. — Berol., Goth. 2., Rhen., Bas. 2. 3., Pal. 2., Vrat. et vett. edd. *quod, dixit, crimen*. Priorem scripturam, res si mei judicii esset, praeferrem. Sed unice codicum fide dijudicari debet.

233. Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *medium est*. Heinsius tacite omisit *est*, quod a Berol., Goth. 1. et Rhen. abest. *Jahn*. De constructione *medium mortisque fugacque*, vid. ad v. 174. — *fugae*, exsilii.

235. *ad cornua*. Vid. v. 222. — *mutare aliqua re* pro *in aliquam rem* supra vidimus.

238. *obscoenae*, turpes libidine.

239. *pro quo*. Ita Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Flor. a 2. m., Vat. 1., V Heins. et ed. pr. Flor. a 1. m. *pro quis*. Vulg. *pro qua*. Mendose.

240. *vulgasse feruntur*. Tac. Ann. XV. c. 72. de matre Nymphidii: *quae corpus decorum inter servos libertosque principum vulgaverat*. — Berol., Dresd. et Zwicc. *primo*. Cod. Bersm. *primum*.

Utque pudor cessit sanguisque induruit oris,
In rigidum parvo silicem discrimine versae.
Quas quia Pygmalion aevum per crimen agentes
Viderat, offensus vitiis, quae plurima menti
Femineae natura dedit, sine conjuge caelebs
Vivebat, thalamique diu consorte carebat.
Interea niveum mira feliciter arte
Sculpsit ebur, formamque dedit, qua femina nasci
Nulla potest, operisque sui concepit amorem.
Virginis est verae facies, quam vivere credas,
Et, si non obstet reverentia, velle moveri:.
Ars adeo latet arte sua. Miratur et haurit
Pectore Pygmalion simulati corporis ignes.
Saepe manus operi tentantes admovet, an sit
Corpus an illud ebur, nec adhuc ebur esse fatetur.
Oscula dat reddique putat, loquiturque tenetque;
Et credit tactis digitos insidere membris,
Et metuit pressos veniat ne livor in artus,
Et modo blanditias adhibet, modo grata puellis

241. *oris.* Pudoris signum sanguis in os congestus. Itaque impudentibus, quia nunquam erubescunt, Plin. Paneg. c. 25. *exsangue os* tribuitur.

242. *parvo discrimine*, cujus parvum discrimen est. Conf. VI, 62. — Ceterum contortus est ad mutationem transitus.

243. *Orpheus porro canit Pygmalionem artificem Cyprium statuae a se factae amore captum esse eamque statuam Veneris munere vitam accepisse.* Clemens Alex. Protrept. p. 50. Arnob. adv. gentes VI. p. 206. Philostr. Vit. Apollon. Tyan. V. c. 5. Cf. Meurs. in Cypr. II. et Apollod. III. c. 14.

243. *per crimen*, in libidinis turpitudine. V. 240. Sallust. Jug II. c. 4. *per luxum atque ignaviam aetatem agunt.* Scripturam *per crimen* exhibent cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1., meliores Heins. ed. pr., et Par. 2. glossae loco. Vulg. *per crimina.* Solis libris dijudicari debet. Nam hujusmodi elisiones Nasonem non fastidiisse supra notatum est ad v. 190.

245. Ex copia poetica ter idem dicit: *sine conjuge, caelebs, thalami consorte carebat.* VIII, 558. IX, 93.

248. *sculpsit.* Cod. Bersm., Ambr. 1., Rhen., Vrat., Medic. 2. et II alii Heins. *sculpit.* Flor. *scalpsit.*

249. *concepit amorem.* Conf. v. 252. II, 640. *concepit mente furores.*

250. *virginis — verae.* Pont. IV, 1.
— *similis verae vacca Myronis opus.*
Met. VIII, 195. Daedalus *veras imitatur aves.*

251. *si non obstet reverentia*, i. e. cura famae pudor. Vid. VII, 146. — *moveri* h. l. est *saltare*, ut apud Hor. A. P. v. 232.
Ut festis matrona moveri jussa diebus.
Lucret. IV, 772.
— *non est mirum simulacra moveri,*
Brachiaque in numerum jactare et caetera membra.
Gierig. Vid. Brouckh. ad Prop. IV, 5, 45.

252. *ars — arte sua.* Quint. Inst. or. I. c. 11. *Prima ars est, ne ars esse videatur.*

253. *ignes*, sc. amoris. — *simulati*, efficti. inde *simulacrum* 280.

254. *tentantes*, tactu explorantes. Conf. v. 282. VIII, 608. Phaedr. III, 10, 26. Ceterum ingeniose imaginationem artificis opus suum amantis notat.

255. *nec adhuc*, nec jam, nec amplius. — Gron. 1. *nec ebur tamen esse f.*

257. *insidere. Insidunt* digiti, cum pars carnis quam tangunt et premunt, iis cedit. Conf. v. 284. *Gierig.*

258. *livor*, color lividus, qui nimium premendo in carne exoritur.

259. *blanditias adhibet.* Conf. III, 376.

Munera fert illi: conchas teretesque lapillos,
Et parvas volucres, et flores mille colorum,
Liliaque pictasque pilas, et ab arbore lapsas
Heliadum lacrimas; ornat quoque vestibus artus:
Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo;
Aure leves baccae, redimicula pectore pendent.
Cuncta decent: nec nuda minus formosa videtur.
Collocat hanc stratis concha Sidonide tinctis,
Appellatque tori sociam; acclinataque colla
Mollibus in plumis tanquam sensura reponit.
Festa dies Veneris, tota celeberrima Cypro,
Venerat, et pandis inductae cornibus aurum
Conciderant ictae nivea cervice juvencae,
Turaque fumabant; cum munere functus ad aras
Constitit, et timide „„Si dî dare cuncta potestis,
„„Sit conjux opto“ - non ausus „eburnea virgo“
Dicere Pygmalion - „similis mea“ dixit „eburnae.““
„Sensit, ut ipsa suis aderat Venus aurea festis,
Vota quid illa velint; et, amici numinis omen,

260. *teretesque lapillos*. Cf. Amor. II, 11, 13.

261. Etiam Prop. III, 11, 27 seqq. inter munera, quae olim puellis ferebantur, refert *variam plumae versicoloris avem, violas, lilia et suis vestitas frondibus uvas*. Conf. Met. XIII, 831.

262. *liliaque pictasque*. Sic vett. libri Gifanii, codd. Ciof., II Bersm., Bas. 2., Cant., Erf. 1., Goth. 1. 2., Pal. 1. 2., Rhen., Thu., Urb., Vrat., multi Heins. et ed. pr. — Berol., Zulich., Dresd., Par. 1. et multi Heins. *liliaque et pictas*. Bas. 3. *lilia fert*. Par. 2. et vulg. *lilia perpictasque pilas*. Quae variantes omnes inventae a librariis videntur, quos offenderet productum illud *que*, de quo vid. v. 308. et not. ad I, 193. — *Pila picta*, h. e. versicolore, ludebant virgines Graecorum, ut Nausicaa apud Hom. Od. VI, 100. Vid. Boettig. Amalthea Tom. I. p. 24. Art. A. III, 361. Conf. not. ad v. 308. — 363 De *Heliadum lacrimis* h. e. electro, vid. ad II, 364. 340

264. *longa* augendi causa additum. Medic. II. et Heins. *longoque monilia* omisso *dat*. Perperam. Her. XXI, 89.

Ipsa dedit gemmas digitis et crinibus aurum.

265. *redimicula*, fascia, taenia, muliebre ornamentum capitis aut colli. Cic. Verr. V. c. 33. *Haec civitas mulieri redimiculum praebeat, haec in collum, haec in crines*. Vid. Fast. IV, 135. et Juv. Sat. II, 83, ibique interpp.

266. *nuda*, his ornamentis demtis.

267. *concha Sidonide*. Conf. v. 211. — 268. Berol., Jun., Vrat. et IV Heins. *inclinataque*.

270. *Veneris*. Strozzae 1. *Veneri*, dativum quem cupidius recepit Heinsius, ut tot aliis locis similibus permultis. Vid. VI, 82. 102. 604. 659. Vid. Praef.

271. *pandis*. Ita Rhen. et var. Goth. 2. Reliqui omnes *blandis*, quod sensu caret. Deinde cod. Bersm., Dresd., Par. 1. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc., plerique vetustiores Heins. et ed. pr. *inductae*. Vulg. *indutae*. Conf. VII, 161. Hor. A. P. 2. *varias inducere plumas*. — Bas. 4., Erf. 1., unus Heins., marg. Vinc., Mic. et Bersm. *Venerat, auratis ornatae cornua vittis*. Bersm., Mic. et Vinc. *sertis*. De re conf. v. 112.

272. *nivea*, quia nonnisi albae victimae caedebantur. Ceterum etiam hostias Veneri mactatas esse confirmat Hor. Od. I, 19. Tac. Hist. III. c. 3.

273. *munere*, sacrificio.

274. *„non ausus dicere: opto sit eburnea virgo conjux mea, dixit: conjux mea*, quae mihi olim erit, *opto sit similis huic eburnae*, q. e. *eburneae.*“

276. *eburnae* pro *eburneae* admodum frequens apud Nasonem adjectivi forma. Conf. Her. XI, 76. — Berol., Erf. 1., Ox. et multi (?) alii Heins. *eburneae*.

277. *aurea*, pulcra.

278. *amici numinis omen*: quod amici, propitii numinis omen erat.

Flamma ter accensa est apicemque per aëra duxit.
Ut rediit, simulacra suae petit ille puellae,
Incumbensque toro dedit oscula. Visa tepere est.
Admovet os iterum, manibus quoque pectora tentat,
Tentatum mollescit ebur, positoque rigore
Subsidit digitis ceditque, ut Hymettia sole
Cera remollescit, tractataque pollice multas
Flectitur in facies, ipsoque fit utilis usu.
Dum stupet et dubie gaudet fallique veretur,
Rursus amans rursusque manu sua vota retractat;
Corpus erat: saliunt tentatae pollice venae.
Tum vero Paphius plenissima concipit heros
Verba, quibus Veneri grates agat; oraque tandem
Ore suo non falsa premit, dataque oscula virgo
Sensit et erubuit, timidumque ad lumina lumen
Attollens, pariter cum coelo vidit amantem.
Conjugio, quod fecit, adest dea. Jamque coactis
Cornibus in plenum novies lunaribus orbem,
Illa Paphon genuit, de quo tenet insula nomen.“

279. Hoc omen frequenter memoratur apud poetas. Virg. Georg. IV, 384.

Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam,
Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit.

Vid. not. ad Her. XIX, 153. et ad Trist. V, 5, 12. Pont. IV, 9, 54.

Detque bonum voto lucidus omen apex.

280. „*ut rediit* a sacris domum.“ — *simulacra suae puellae*, simulatam (253.) s. arte factam puellam suam.

281. *incumb. toro.* Vid. 267—269. — De illo *tepere* conf. IX, 365.

282. *tentat*, ut v. 254.

284. *subsedit.* Unus Medic. et Rhen. *subsidit*, quod repugnantibus reliquis vett. libris omnibus, recipere non sum ausus: nam si perfecta inter praesentia et vice versa mutare velimus, nullus erit mutandi finis. De significatione verbi conf. v. 257. et I, 43. — *Hymettia.* VII, 702.

285. Plurimi (?) Heins. *multas quae p. tracta.* Cod. Bersm. et Goth. 2. *multasque p. tracta.* Zwicc. *multasque a p. tracta.* Ed. pr. *multumque a p. tractae.* Dresd. *multoque p. tacta.* Reliqui cum vett. edd., ut edidimus.

286. *fit utilis usu*, i. e. tractatione fit habilis s. tractabilis. — Pro vulg. *vertitur* II Bersm., Berol., Goth., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc., plerique meliores Heins. et vett. edd. *flectitur*, quod etiam magis proprium est.

287. Arond. et III Heins. *timide.* Cael. et Bas. 2. *modice.* Dom. et I Sulm. *modico.* Cod. Bersm. *medium.* Goth. 1. et pro v. l. 2., Pal. 2. a 1. m., Bas. 3., Par. 2., Vat. Ciof., Vrat., Zwicc. et multi Heins. *medio.* Reliqui cum vett. edd. *dubie*, q. e. adhuc dubitans.

288. Pal. 1. et IV Heins. *retentat.* Junge: *rursus rursusque*, ut *jam jamque, etiam etiamque*, al. De *retractat: corpus erat* cf. V, 214. — *retractat* respondet illi *tentat* v. 282.

289. *saliunt.* Conf. VI, 390.

290. *Paphius heros. Paphius* adjectivum anticipatum. Nam *Paphus* nomen postea demum ortum. Vid. v. 297. — *plenissima*, quae ex pleno pectore promanant. Sic *pleni fructus* q. e. copiosi. Pont. IV, 7, 17. *plena falce metere* A. A. II, 322.

291. *agat.* Ita Dresd., Goth. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et castigatiores Heinsii. — Reliqui *agit*, quod genuinum videtur, ut *quibus* sit pro *et iis.*

292. *non falsa*, sed vera ac viva.

293. *ad lumina*, ad lumen sc. coeli. Absurda recentioris grammatici: *ad oculos amantis*, interpretatio, ut et ratio et illa *cum coelo* v. 294. arguunt.

296. Conf. II, 453. VII, 197. 530. Prop. III, 5, 27.

— — — *unde coactis*
Cornibus in plenum menstrua luna redit.

297. *Paphon.* Ita Berol., Dresd.,

„Editus hac ille est, qui, si sine prole fuisset,
Inter felices Cinyras potuisset haberi.
Dira canam: procul hinc natae, procul este parentes;
Aut, mea si vestras mulcebunt carmina mentes,
Desit in hac mihi parte fides, nec credite factum,
Vel, si credetis, facti quoque credite poenam.
Si tamen admissum sinit hoc natura videri;
Gentibus Ismariis et nostro gratulor orbi,
Gratulor huic terrae, quod abest regionibus illis,
Quae tantum genuere nefas! Sit dives amomo,
Cinnamaque costumque suum sudataque ligno
Tura ferat floresque alios Panchaïa tellus,
Dum ferat et Myrrham. – Tanti nova non fuit arbor.
Ipse negat nocuisse tibi sua tela Cupido,
Myrrha, facesque suas a crimine vindicat isto:

Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc., plerique vetustiores Heins. et ed. pr. Vulg. *Paphum.* — *de quo.* Conf. I, 447. De *Papho* vid. Mela II. c. 7. ibique Tzsch.

298. *Orpheus canere pergit. Myrrha Cinyrae Cypri regis ex Cenchreïde uxore filia insano amore patris correpta est, qui cognito scelere quum stricto gladio eam persequeretur, illa a dis in arborem sui nominis mutata est.* Apollod. III. c. 14. Hyg. F. 58. 275. Anton. Lib. c. 34. Serv. ad Virg. A. V, 72. et Ecl. X, 18.

298. *editus hac ille est.* Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *editus hac,* sc. insula. Nomina loci in abl. sine praep. *in* apud Nasonem non rara. IV, 798. V, 364. — Farnabio cum edd. Venn. scribendum videbatur *hoc* sc. Papho, quo certe fabula quae sequitur praecedenti arctius jungitur. Sed nullis codd. ea scriptura confirmatur: nam codices Heinsii et Ciofani quoque, quamvis nihil de iis annotarint, exhibuisse videntur *hac.*

300. *dira,* horrenda et deorum ira immissa.— Cant., Medic., Rhen. et II Heins. *natae procul hinc.*

301. Cod. Bersm., Lips. 1., Vrat., plurimi Heins. et edd. Venn. *at mea mulcebunt,* ut II, 683. 302. Par. 2., Lips. 1., nonnulli Viv. et VIII Heins. *ne credite. — in hac parte,* in hac re.

305. *Ismariis,* Thraciae, ubi Orpheus canit. IX, 642. — *nostro orbi,* nostrae orbis parti. — *gratulor,* felicem praedico.

307. *sit dives,* valeant divitiae.

308. *costumque suum.* Par. 1., Goth. 1., Vrat. et Zwicc. *cinnamaque et costumque.* Vid. ad v. 262. — Cod. Bersm., Berol., Briant., Cael., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Sulm. 1. 2., II Vatt. Ciof., Vrat. et longe plurimi Heins. *suum.* Dresd. a 2. m., Ox., Urb., Vat. 1., VI alii Heins. et vulg. *suam.* Audiendi sunt codd. et Prop. IV, 6, 5. et Hor. Od. III, 1, 44. quoque *costum* habent genere neutro, quod etiam eo quod inter *amomum, cinnama* et *tura* positum est aptius videtur. — De costo vid. Plin. N. H. XII. c. 12.

309. *Panchaïa.* Ita Dresd., Rhen., Zwicc., meliores Heins. et ed. pr. — Goth. 2. et Lips. 1. *Pachaïa.* Reliqui *Panchaïca.* Conf. v. 478. Est autem *Panchaïa* Arabiae pars. Sunt qui insulam maris Erythraei ad Arabiae oram sitam faciant. Diod. Sic. V. c. 41. Sed vid. infra v. 478. Virg. Georg. II. c. 139.

Totaque turiferis Panchaïa pinguis arenis.
Nam tura solis Sabaeis, Arabiae populo, concessa, sudantia ex arboribus incisis. Plin. H. N. XII. c. 14. Virg. G. II, 117. ibique Voss.— *alios,* licet *tura, costum, cinn.* et *amomum* non e floribus sint, nam *floresque alios* est pro *et alioquin flores.*— Bas. 1. et III Heins. *varios.*

310. „*dum ferat et Myrrham,* documentum tam horrendi sceleris . .“ — Heinsius tacite edidit, ut plus viginti aliis locis, *arbos,* quod Berol. et Rhen. (?) tuentur. — *tanti.* II, 424.

311. Apud Hyg. et Lactant. in argum. Venus immittit Myrrhae istum furorem, quod mater ejus ausa esset se praeferre deae. Conf. v. 524. — *Myrrha* ab aliis dicitur Smyrna. Caussa est, quia arbor illa Graecis et μύῤῥα et σμύρνα dicta. Munker. ad Hyg. F. 58. *Gier.*

312. *facesque suas.* Conf. I, 461. —

Stipite te Stygio tumidisque afflavit echidnis
E tribus una soror. Scelus est odisse parentem;
Hic amor est odio majus scelus. Undique lecti
Te cupiunt proceres, totoque oriente juventus
Ad thalami certamen adest: ex omnibus unum
Elige, Myrrha, virum, dum ne sit in omnibus unus!
Illa quidem sentit foedoque repugnat amori,
Et secum „„Quo mente feror? Quid molior?“ inquit.
„„Dî, precor, et pietas sacrataque jura parentum,
Hoc prohibete nefas, scelerique resistite nostro: —
Si tamen hoc scelus est. Sed enim damnare negatur
Hanc venerem pietas, coëuntque animalia nullo
Cetera delicto, nec habetur turpe juvencae
Ferre patrem tergo; fit equo sua filia conjux;
Quasque creavit, init pecudes, caper; ipsaque, cujus
Semine concepta est, ex illo concipit ales.
Felices, quibus ista licent! Humana malignas
Cura dedit leges, et, quod natura remittit,
Invida jura negant. Gentes tamen esse feruntur,
In quibus et nato genitrix et nata parenti
Jungitur, et pietas geminato crescit amore.
Me miseram, quod non nasci mihi contigit illic,
Fortunaque loci laedor! — Quid in ista revolvor?
Spes interdictae discedite! Dignus amari
Ille, sed ut pater, est. — Ergo si filia magni

vindicat, defendit. *Senectutem a vitiis vindicare.* Cic.

313. *stipite*, i. e. torre. - *Stygio* opponitur illis *facibus Cupidinis*. De Styge vid. ad I, 139. — *afflavit* zeugma; nam *afflare stipite aliquem* non dicitur. — *tumidisque - echidnis*, serpentibusque veneno gravidis. De illo *tumidis* conf. I, 460.

314. *e tribus una soror*, e Furiis una. Vid. 349. et IV, 491 seqq.

316. *totoque oriente - adest.* Conf. II, 512.

318. *virum.* Med. 2. et Neap. *tibi.* Reliqui omnes *virum.* — Deinde vulg. *dum non.* Sed cod. Bersm., unus Ciof., Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *dum ne*, quod prohibenti aptius est. Sensus est: *dummodo omnibus unus absit, sc. pater, dummodo unum* (patrem) *excipias.* — Ludit iterum poeta parum apte in illis *ex omnibus unum*, et *in omnibus unus.* Conf. I, 325.

319. *foedo*, turpi, obscoeno.

320. Certamen pudoris cum libidine, ut VII, 10 seqq. VIII, 25 seqq. IX, 474 seqq.

321. *jura parentum*, i. e. quod a liberis parenti debetur.

322. *nostro.* Unus Goth. 2. *tanto*, quod Heinsius tacite edidit. Male, ut apparet ex illis *si tamen hoc scelus est.*

323. *negatur* h. l. construitur ut *dicitur.* Colum. VIII. c. 14. *negatur anser aliena excludere ova.* Pont. IV, 12, 16.

324. Dresd., Par. 2., Rhen., Zwicc. et quidam ex vetustioribus Heinsii *que* omittunt.

325. *nullo - delicto.* Fragm. Caes. et Rhen. *nullo dclectu.* Perperam. Verba *nullo delicto* respondent illi *damnare negatur*, et sequenti *nec turpe habetur.*

329. *malignas*, quae prohibent a natura concessa: ex mente dictum libidinosae.

330. *cura*, solertia. — *remittit*, poetice pro permittit, concedit. XI, 376.

333. *geminato - amore*, ad pietatem filialem amore sexus accedente. — Quidam Viv., pauci Heins. et ed. pr. *ut p. g. crescat.*

335. *fortunaque loci*, quod fortuito hic, non illis in gentibus nata sum. IV, 566. — *revolvor*, relabor, redit oratio.

336. Bas. 3. *tamen obscoenae.* — *dignus amari.* Vid. ad I, 240. et II, 42.

337. *magni*, potentissimi: nam Cinyrae opes in proverbium abierant. Tyrt. Carm. III, 6. *Εἰ πλουτοίη δὲ Μίδεω*

Non essem Cinyrae: Cinyrae concumbere possem;
Nunc quia jam meus est, non est meus, ipsaque damno
Est mihi proximitas? Aliena potentior essem! —
Ire libet procul hinc patriaeque relinquere fines,
Dum scelus effugiam. Retinet malus ardor amantem,
Ut praesens spectem Cinyram tangamque loquarque,
Osculaque admoveam, si nil conceditur ultra.
Ultra autem sperare aliquid potes, impia virgo,
Nec, quot confundas et jura et nomina, sentis?
Tune eris et matris pellex et adultera patris?
Tune soror gnati genitrixque vocabere fratris?
Nec metues atro crinitas angue sorores,
Quas facibus saevis oculos atque ora petentes
Noxia corda vident? At tu, dum corpore non es
Passa nefas, animo ne concipe, neve potentis
Concubitu vetito naturae pollue foedus!
Velle puta: res ipsa vetat. Pius ille memorque est

καὶ Κινυρέοιο πλέον. Vid. Pind. Nem. VIII. c. 20.

339. *nunc quia jam meus est.* Lang., Bas. 4., Goth. 1. et Rhen. *tam.* Male. Opponitur pater, quem dudum habebat, et maritus quem petebat. Sed acumen captat suo more.

340. *aliena*, h. e. aliena si essem, non filia. IX, 326. — De illo *potentior* cf. IV, 325. — *proximitas* etiam infra XIII, 154. Similia sunt *maximitas*, *optumitas*, al.

341. *patriaeque.* Cod. Naug. et unus Bon. *patriosque*, quod Heinsius temere recepit. — Prop. III, 20, 9.

Unum erit auxilium: mutatis Cynthia, terris,
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

342. *ardor.* Bersm., Dresd., exc. Jur., Mor. et XX alii Heins. *error*, quod fluxisse videtur e Virgiliano illo:

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

345. *sperare.* Mor., Medic. et VIII alii Heins. *spectare.*

346. *nec quot.* Ita multi Heins., Bas. 3., Berol., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Rhen. et margo ed. Vinc. — Ed. pr. *et quo*, in margine *quae.* Unus Medic. *aut quod.* Leid. *nam quod.* Cod. Bersm., codd. Ciof., plerique Heins., Dresd., Pal. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et edd. Venn. *et quod*; valde languida sententia. — *quot* refertur ad quatuor illa nomina, quae sequuntur. — *confundas.* Conf. VI, 586.

347. *pellex* matris; nam pellex dicitur uxoris, non mariti. Conf. I, 726. Vid. not. ad Her. XIV, 95.

348. *gnati* tacite edidit Heinsius, quod Berol., Cael., Dresd. a 1. m., Goth. 1. 2., Rhen., Zwicc. et ed. pr. confirmant. Vulg. *nati.*

349. *crinitas angue*, ut v. 21. *villosa colubris.* Vid. ad IV, 451 sqq. — Nonnulli Viv., Berol., Dresd., Par. 1. 2., Sulm. 1. 2., II Vatt. Ciof., Vrat., Zwicc., nonnulli Heins. et edd. Venn. *sacro*; e similitudine literarum *c* et *t* in codd. et *s* in verbo *metues*, ut videtur, orta varietate. Scripturam *atro*, quam tacite edidit Heinsius, nonnulli codd. Viv., reliqui codd. Ciof., II Bersm., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., multi Heins. et ed. pr. confirmant, et vero etiam bonitas sensus.

350. Thu. pro v. l. *quae.* Perperam.

351. *noxia corda*, homines sceleris sibi conscii.

352. *animo ne concipe*, ne meditare, ne cogita. Cf. v. 404. et VII, 22. Cic. Tusc. I. c. 30. *qui in republ. violanda fraudes inexpiabiles concepissent.* — Pro *potentis* quidam Ciof., nonnulli Heins. et margo ed. Bersm. *parentis.* Par. 2. *neve petendo concubitus vetitos.* — *Natura potens est*, quae multum valet, leges quas nemini violare licet praescribere potest. Hor. Sat. II, 1, 51. *Imperat hoc natura potens.* Vid. Met. IX, 757. et X, 603.

354. *memorque est.* Dresd., Rhen., Lips. 1. et edd. Venn. *est* omittunt, quod Heinsius tacite e textu ejecit. — *pius*, de paterno animo in filiam.

Moris et — o vellem similis furor esset in illo!““
„Dixerat; at Cinyras, quem copia digna procorum,
Quid faciat, dubitare facit, scitatur ab ipsa
Nominibus dictis, cujus velit esse mariti.
Illa silet primo, patriisque in vultibus haerens
Aestuat, et tepido suffundit lumina rore.
Virginei Cinyras haec credens esse timoris,
Flere vetat siccatque genas, atque oscula jungit.
Myrrha datis nimium gaudet; consultaque qualem
Optet habere virum, „„Similem tibi,““ dixit. At ille
Non intellectam vocem collaudat, et „„Esto
„„Tam pia semper!““ ait. Pietatis nomine dicto
Demisit vultus, sceleris sibi conscia, virgo.
Noctis erat medium, curasque et corpora somnus
Solverat: at virgo Cinyreïa pervigil igne
Carpitur indomito, furiosaque vota retractat,
Et modo desperat, modo vult tentare, pudetque
Et cupit, et quid agat, non invenit. Utque securi
Saucia trabs ingens, ubi plaga novissima restat,
Quo cadat in dubio est, omnique a parte timetur:
Sic animus vario labefactus vulnere nutat
Huc levis atque illuc, momentaque sumit utroque,
Nec modus et requies nisi mors reperitur amoris.

355. *moris*. Gron. 1., exc. Jur., Par. 2. et a 2. m. 1. et V Heins. *juris*, quod non apparet cur editores tam parva auctoritate receperint, quum scriptura librorum longe plurimorum ad sensum accommodatissima sit. *Pius* ad recti sensum spectat, *moris* ad actiones et facta, quae in oculos hominum cadunt.

356. *copia digna procorum*, h. e. *copia dignorum procorum*, h. e. qui omnes digni erant, quibus Myrrha nuberet.

357. *dubitare facit*. Conf. VII, 691.

358. *cujus velit esse mariti*. Conf. III, 283.

359. *patriisque*. Ita Arond., I Heins., Par. 1., Rhen., alter Twisd. et edd. Ven. 1. 2. Reliqui *patrisque*.

360. *rore*. Conf. XIV. 708.

361. *timoris*. Multi Heins. *pudoris*.

364. *similem tibi*. Cf. v. 274 — 276. — Dresd. et multi Heins. *optat*.

368. *noctis medium*, ut *summum montis* XIII, 909. — De illo *curasque et corpora - solverat* conf. VII, 347. 185. II, 312. et vid. ind. in v. *dilogia*. — Cod. Bas. 1., Dresd., Rhen., Pal. 2. et VII alii Heins. *que* omittunt. Bas. 3. *curasque a corpore*. — 369. *igne*. Berol., Erf., Pal. 2., Rhen., Spir., IV Heins. et ed. pr. *igni*. Reliqui cum vett. edd. *igne*. Vid. not. ad I, 53.

370. *retractat*, repetit secum. Conf. IV, 568. — *indomito*, ardentissimo. V, 41. — *furiosa*, nefanda. 314.

371. *pudetque et cupit*. Conf. VIII, 506.

372. *quid agat*. Berol., Jun. et Rich. *quod*, quod non apparet cur optimae scripturae *quid* Heinsius praetulerit. *Non invenit quid agat* est pro *nescit quid agat omnium*, quaecunque agi possunt. *non invenit quod agat* est *nescit illud* (cognitum illud vel usu probatum) *quod agat*. Vid. ad v. 637.

373. *trabs*, arboris truncus s. arbor, ut IX, 329. et passim. — Bas. 3. *cui*.

375. *vario*. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1. et Zwicc. *dubio*, ex glossa, ut videtur. Heinsius de suis codd. tacet. — *vario vulnere*, vario affectu et motu; ac respondet illi *plaga* v. 373.

376. *momenta*, movimenta, motus, inclinationes. Terent. Andr. I, 5, 31. *dum in dubio est animus, parvo momento huc illuc impellitur*. — Cod. Bersm., Lips. 1., Vrat. et IV Heinsii *utrimque*. — *sumere momenta* fere ut Flor. IV. c. 12. *sumere impetus*. Conf. II, 175. III, 545. 705. — *utroque*, in utramque partem. Prop. III, 12, 17.

377. *et requies*. Cod. Bersm., Bas. 4. et Dresd. *aut requies*, quod tacite edidit Heinsius. Zwicc. *nec requies*. —

Mors placet: erigitur, laqueoque innectere fauces
Destinat, et zona summo de poste revincta
„„Care vale Cinyra, causamque intellige mortis!“ “
Dixit, et aptabat pallenti vincula collo.
Murmura verborum fidas nutricis ad aures
Pervenisse ferunt, limen servantis alumnae.
Surgit anus reseratque fores, mortisque paratae
Instrumenta videns, spatio conclamat eodem,
Seque ferit scinditque sinus, ereptaque collo
Vincula dilaniat. Tum denique flere vacavit,
Tum dare complexus, laqueique requirere causam.
Muta silet virgo, terramque immota tuetur,
Et deprensa dolet tardae conamina mortis.
Instat anus, canosque suos et inania nudans
Ubera, per cunas alimentaque prima precatur,
Ut sibi committat, quicquid dolet. Illa rogantem
Aversata gemit. Certa est exquirere nutrix,
Nec solam spondere fidem: „„Dic,“ inquit „opemque
„„Me sine ferre tibi: non est mea pigra senectus.
Seu furor est: habeo quae carmine sanet et herbis;

modus. Senec. Controv. 20. *facilius in amore finem impetres quam modum*. Conf. IV, 258.

378. *erigitur*, sc. lecto. V. 368 seqq. Conf. I, 745,

379. *destinat*, constituit. VIII, 157.

380. *causamque int. mortis*. Arond., Berol., Bas. 3., Goth. 1. et unus Medic. *causamque te intellige m.*, ex interpretamento.

381. *pallenti* propter horrendum conatum. Conf. XIV, 734.

382. *fidas nutr. ad aures*. Vid. ad III, 278.

383. *servantis*, custodiae causa juxta cubiculum alumnae cubantis.

384. *mortisque paratae*. Infra v. 417. *coeptae mortis*. Gron. et unus Medic. *parata*. V Heins. et alter Medic. *parantem*. — 385. Bas. 3. *fores et mortis apertae*. *instrumenta*, laqueum. 378.

386. *seque ferit etc.*, quod summi doloris. IV, 590. 694. II, 584. VI, 248. — *sinus*, sc. vestimenti. V. 722.'

387. *flere vacavit*. Conf. VI, 585. — Plerique Viv., omnes Ciof., Dresd. a rec. m., Goth. 1. 2., Vrat., Zwicc. et quidam Heins. *vetavit*. Par. 2. et quidam Heinsii *paravit*. Reliqui *vacavit*. — Bas. 2. in marg. *tunc demum*. Cf. V, 34. 471.

388. *laquei*, sc. collo injecti, h. e. voluntatis laqueo sese interficiendi. V. 378.

391. *inania*, quae olim lactis plena alumnae dederat. Hom. Il. XXII, 79.

Μήτηρ δ' αὖθ' ἑτέρωθεν ὀδύρετο δακρυχέουσα,
Κόλπον ἀνιεμένη, ἑτέρῃφι δὲ μαζὸν ἀνέσχεν.

Ubi vid. interpp. Conf. Senec. Hipp. 246. et Herc. Oet. 925.

393. *quicquid dolet*, mera circumscriptio rei praesentis, non cogitatae. Cic. de Off. I. c. 25. *qui reipublicae praesunt, utilitatem civium sic tuentur, ut quaecunque agunt ad eam referant*. Vid. Zumpt. Gramm. Lat. §. 546. — Multi Heins. *roganti adversata*, posterius etiam Berol., Dresd., Vrat. et Zwicc. exhibent.

394. *certa est exquirere*. Conf. v. 38. 428. et IX, 43. Pont. IV, 6, 10. *certus eras pro me loqui*.

395. „*nec solam sp. fidem*, sed etiam opem ferre.“ — *fidem*, taciturnitatem.

396. *non pigra*, sedula, ad agendum acris.

397. *habeo quae*, novi (aliquam magam), quae etc. Dicit autem se ipsam. Atque eam scripturam tuentur plerique vetustiores Heins., Berol., Dresd., Rhen. et pro v. l. Goth. 2. — Zwicc. *habeo qui*. Goth. 2., Pal. 2. et reliqui *habeo quod*, quod sententia caret. — *furor*, sc. nescio unde excitatus. – *carmine* sc. magico, incantatione, ut passim. VII, 137. Lips. 1. *Seu furor est*, *habeo carmen quod sanet et herbas*, sed vocc. *est habeo* et litera *s* in *herbas* a rec. m. scripta sunt. *Herbas* exhibet etiam Rhen.

Sive aliquis nocuit: magico lustrabere ritu;
Ira deûm sive est: sacris placabimus iram.
Quid rear ulterius? Certe fortuna domusque
Sospes ab incursu est, vivunt genitrixque paterque.“ “
„Myrrha patre audito suspiria duxit ab imo
Pectore: nec nutrix etiamnum concipit ullum
Mente nefas; aliquemque tamen praesentit amorem,
Propositique tenax, quodcumque sit, orat, ut ipsi
Indicet, et gremio lacrimantem tollit anili,
Atque ita complectens infirmis membra lacertis,
„„Sensimus,“ inquit „amas: et in hoc mea - pone timorem -
„„Sedulitas erit apta tibi; nec sentiet unquam
Hoc pater.“ “ Exsiluit gremio furibunda, torumque
Ore premens „„Discede, precor, miseroque pudori
„„Parce!“ “ ait. Instanti „„Discede, aut desine“ dixit
„„Quaerere quid doleam. Scelus est quod scire laboras.“ “
„Horret anus, tremulasque manus annisque metuque
Tendit, et ante pedes supplex procumbit alumnae,
Et modo blanditur, modo, si non conscia fiat,
Terret, et indicium laquei coeptaeque minatur
Mortis; et officium commisso spondet amori.
Extulit illa caput, lacrimisque implevit obortis
Pectora nutricis, conataque saepe fateri,
Saepe tenet vocem, pudibundaque vestibus ora
Texit et „„O“ dixit „felicem conjuge matrem!“ “

398. *sive aliquis nocuit*, sc. arte magica. Tib. I, 8, 23.

Quid queror, heu! misero carmen nocuisse, quid herbas.

Lustratio magica etiam adhibebatur ad depellenda mala, ut morbos, al. Tib. I, 5, 11.

399. *placabimus iram.* Cod. Flor. *placabilis ira*, quod Heinsius mira novandi libidine, non justa ductus causa, in textum recepit, qui etiam sine libris vett. novavit *sive est ira deûm.*

400. *rear*, conjiciam, quod tibi acciderit.

401. *sospes ab incursu est.* Flor. a 2. m., Par. 2., Spir., Bas. 1. et 2. in marg. et Pal. 2. a 2. m. *sospes et in cursu est.* Flor. a 1. m. et Neap. *sospes it incursu est.* Reliqui *sospes ab incursu est.* Berol. cum glossa *ab adversitate. sospes ab.* Hor. Od. 1, 37, 13. *sospes navis ab ignibus.* — Deinde Dresd., Goth. 1., Lips. 1., Zwicc. et ed. pr. *vivit.* Reliqui *vivunt*, quod Heinsius tacite servavit. Conf. VIII, 327.

403. *nec nutrix — concipit ullum mente nefas. concipit* h. l. est suspicatur, ut Virg. Aen. IV, 501. *nec tantos mente furores concipit.* — Cod. Bersm., Goth. 1. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et edd. Venn. *etiam nunc.*

405. *quodcunque sit.* Ita Ambr. 1., Berol., Goth. 1., Gron. 1., Rhen. et IV Heins. — Reliqui cum vulg. *est. Sit* recte habet, ut de re ab loquente cogitata, non de facto; et pendet *quodcunque* ab oratione obliqua.

406. Fast. IV, 550. de Cerere:

Triptolemum gremio sustulit illa suo.

407. *membra.* Pal. 2. *colla.* Unus Medic. *nata*, ut sit vocativus. — *infirmis*, ex illo *anili* explicandum.

408. *in hoc*, in hac re.

410. *exsiluit.* Ita vet. lib. Gifanii, vetustiores Heins., Berol., Goth. 1. 2., Par. 2., Rhen. et ed. pr. — Vulg. *exiliit.* Vid. VI, 658.

418. *officium.* Conf. IX, 109. — *commisso*, sibi patefacto.

419. *extulit*, sc. e toro. Vid. v. 410.

422. *o felicem c. matrem.* His verbis libidinem suam significat. Laudat hunc locum et inter emphases, cum ex dicto aliquo latens aliquid eruitur, refert Quint. Inst. or. IX. c. 2.

Hactenus, et gemuit. Gelidos nutricis in artus
Ossaque – sensit enim – penetrat tremor, albaque toto
Vertice canities rigidis stetit hirta capillis,
Multaque, ut excuteret diros, si posset, amores,
Addidit. At virgo scit se non falsa moneri;
Certa mori tamen est, si non potiatur amore.
„„Vive," ait haec „potiere tuo . . . ." " non ausa „parente"
Dicere, conticuit, promissaque numine firmat.
Festa piae Cereris celebrabant annua matres
Illa, quibus nivea velatae corpora veste
Primitias frugum dant, spicea serta, suarum,
Perque novem noctes venerem tactusque viriles
In vetitis numerant. Turba Cenchreïs in illa
Regis adest conjux, arcanaque sacra frequentat.
Ergo legitima vacuus dum conjuge lectus,
Nacta gravem vino Cinyram male sedula nutrix,
Nomine mentito veros exponit amores,
Et faciem laudat. Quaesitis virginis annis,
„„Par" ait „est Myrrhae." " Quam postquam adducere jussa est,
Utque domum rediit: „„Gaude mea" dixit „alumna;
„„Vicimus!" " Infelix non toto pectore sentit

423. *hactenus, et.* Conf. II, 610. — Goth. 1. et Lips. 1. *gelidus.*

424. *sensit enim,* intellexit enim illorum verborum vim.

425. *vertice — capillis.* Virg. *Obstupui, steteruntque comae, vox faucibus haesit.*

426. *ut excuteret amores.* VII, 17.— *diros.* Vid. v. 300.

428. *certa mori.* Vid. v. 394.— Berol., Fragm. Caes., Gron. 1., XII Heins. et ed. pr. *amato.* Reliqui *amore,* quod genuinum mihi videtur; certe minus simile inventioni librariorum, quam l. *amato.* Conf. v. 439.

429. Conf. IX, 569. 570.

430. *numine,* per numen aliquod jurans. Gron. 1. *dicere, jurato promissaque numine firmat.*

431. *festa piae Cereris.* In animo habet annua sacra, quae in honorem Cereris θεσμοφόρου s. *legiferae* a multis Graeciae civitatibus, summa autem religione ab Atheniensibus, celebrabantur, Thesmophoria inde dicta. Agebantur autem a feminis ingenuis inde a die XIV mensis Pyanepsionis, qui erat mensium auctumnalium primus, per V dies. Mulieres ornatae erant *vestibus niveis* et per V illas noctes ac per IV proxime praecedentes *a Venere* abstinere debebant. Vid. interpp. ad Tib. I, 3, 26. et ad I, 6, 11. Prop. II, 33, 1.

433. *spicea serta* Cereri oblata, ut quae frumenta hominibus dederat.

434. *viriles.* Deteriores Heins. et ed. pr. *virorum,* ex interpretamento.

435. *Cenchreïs.* Vid. ad v. 299. Construe: *Cenchreïs regis conjux abest* (domo) *in illa turba s. inter illam turbam sacra illa celebrantium.* Liv. VI. c. 36. *Velitris in exercitu plebis magnam partem abesse.* Sed scripturam *abest,* quae nunc vulgo legitur, nonnisi Rott. et Pal. 1. tuentur. Berol., Goth. 2., Gron. 1., Par. 1., Pal. 2., Rhen. et II Heins. *abit.* Reliqui *adest,* quod genuinum videtur. Absentiae notionem vero ne desideres; quae ex tota sententia apparet. Pro *Cenchreïs* nonnulli Heins. *Cenereis.* Vrat. *Cyreneis.* Berol., Goth. 1., alter Paris. et Lips. 1. *Cinereis.* Vulg. *Cinyreis.* — *Cenchreïs* confirmatur etiam Hyg. F. 58.

437. Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 1. et cod. Bersm. *legitima est.*

438. *male sedula,* quia ejus noxia et scelerata sedulitas. Vid. not. ad Epist. Sab. I, 21. et index in v. *male.*

439. *nomine mentito.* Vid. V, 326.

443. *vicimus.* Conf. IV, 356. — Berol., Dresd., Goth. 2., Medic. 4., Bas. 3., Ox. et IV Heins. *corpore.* Male. Recte

Laetitiam virgo, praesagaque pectora maerent;
Sed tamen et gaudet: tanta est discordia mentis.
Tempus erat, quo cuncta silent, interque Triones
Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes:
Ad facinus venit illa suum. Fugit aurea coelo
Luna; tegunt nigrae latitantia sidera nubes;
Nox caret igne suo, primus tegis, Icare, vultus,
Erigoneque pio sacrata parentis amore.
Ter pedis offensi signo est revocata, ter omen
Funereus bubo letali carmine fecit.
It tamen, et tenebrae minuunt noxque atra pudorem,
Nutricisque manum laeva tenet, altera motu
Caecum iter explorat. Thalami jam limina tangit,
Jamque fores aperit, jam ducitur intus; at illi
Poplite succiduo genua intremuere, fugitque
Et color et sanguis animusque relinquit euntem.
Quoque suo propior sceleri est, magis horret, et ausi

autem *pectore* de sede sensus et affectuum. Repetitio vero illius vocis *pectus* in v. sequenti non quidem elegans, sed tamen apud Nasonem non urguenda.

445. *tanta est disc. mentis.* IX, 630.

446. *Triones.* I, 64. II, 528. 171.

447. *Bootes.* II, 147. Hoc sidus media nocte summum coelum attigit atque inde vergere incipit, *flectit plaustrum*, quod tunc obliquum temonem habet. *Gier.* Vid. Heyn Excurs. II. ad Virg. Aen. II. Lucan. II, 237.

Parrhasis obliquos Helice cum verteret axes.

Infra XI, 257. *inclinato temone.* Contra equi surgunt *elato temone.* Claud. Olybr. Cons. 4.

448. *fugit aurea — Luna.* Conf. v. 696. et IV, 488. Virg. Georg. I, 441. — *aurea Luna*, ut *aurea Phoebe.* II, 723.

450. *primus.* Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Par. 1. 2., Vrat., Zwicc. et meliores Heins. magno numero *primos.* Reliqui *primus*, q. e. omnium primus. *Primos* ambiguum est. *Primus* etiam aptius est praecedentibus: *Nox caret igne suo*, q. e. stellis. — *igne suo*, ipsi proprio et usitato. Commode etiam Icarum prae pudore se abscondentem inducit, cujus filia *Erigone* piissima in patrem fuerat. *Icarus* enim s. *Icarius* Atheniensis accepto a Baccho vino ab inebriatis, quos invitaverat, vicinis occisus a Jove inter sidera relatus ac Bootes s. Arcturus dictus est. Quo Erigone filia audito se suspendit, sed misertus Jupiter et ipsam sidus fecit nomine *Virgo.* Apollod. III. c. 14. Hyg. F. 130. 254. et Poet. Astron. II. c. 4. Tib. IV, 1, 9 seqq.

451. *sacrata*, inter astra elata. IX, 88.

452. *Offensio pedis* in limine, si quis ad propositum aliquod exiret, maxime sinistrum *signum* sive omen apud veteres. Her. XIII, 87.

Cum foribus velles ad Trojam exire paternis,
Pes tuus offenso limine signa dedit.

ubi vid. not. Vid. etiam interpp. ad Tib. I, 3, 19.

453. *funereus bubo.* Vid. ad VI, 431. V, 543. VII, 269. — *carmen letale*, malum exitum praesagiens.

454. Conf. VIII, 82.

455. *motu*, palpando, praetentando. XIV, 189. Tib. II, 1, 76. seqq.

Ad juvenem tenebris sola puella venit,
Et pedibus praetentat iter, suspensa timore,
Explorat caecas cui manus ante vias.

Virg. Mor. v. 6.

Sollicitaque manu tenebras explorat.

456. *caecum iter*, viam in tenebris. Conf. VII, 409. VIII, 158.

457. *intus* pro *intro*, ut Fast. VI, 586.

Nos tamen adductos intus agemus equos.

458. *succiduo poplite*, debili, vaccillante, labante, *defecto*, ut XIII, 477. Conf. Her. XIII, 24. A Nasone ut vide tur novatum verbum *sucoiduus.*

459. *relinquit.* Berol., Goth. 2., Rhen. et meliores Heins. *relinquit.* Reliqui *reliquit.* Cum *fugit* praecesserit, rectius sequitur *relinquit.*

460. *quo proprior —, magis.* Conf. III, 372. IV, 64. — Heinsius tacite omi-

Poenitet, et vellet non cognita posse reverti.
Cunctantem longaeva manu deducit, et alto
Admotam lecto cum traderet, „„Accipe: „dixit
„„Ista tua est, Cinyra!““ devotaque corpora junxit.
Accipit obscoeno genitor sua viscera lecto,
Virgineosque metus levat, hortaturque timentem.
Forsitan aetatis quoque nomine „Filia“ dixit,
Dixit et illa „Pater“, sceleri ne nomina desint.
Plena patris thalamis excedit, et impia diro
Semina fert utero, conceptaque crimina portat.
Postera nox facinus geminat, nec finis in illa est;
Cum tandem Cinyras, avidus cognoscere amantem
Post tot concubitus, illato lumine vidit
Et scelus et natam, verbisque dolore retentis
Pendenti nitidum vagina diripit ensem.
Myrrha fugit, tenebrisque et caecae munere noctis
Intercepta neci est, latosque vagata per agros
Palmiferos Arabas Panchaeaque rura reliquit,
Perque novem erravit redeuntis cornua lunae,

sit *est*, quod etiam Berol. et Rhen. omittunt. Dresd. et Lips. 1. *quoque suo sceleri est propior.*

462. *alto* augendi causa additum. — Quidam Heins. *deduxit.*

464. *devota*, exsecrationibus onerata, q. e. detestanda. — *corpora junxit* recte de turpi amplexu; atque ita II Bersm., nonnulli Ciof., Mss. Farnab., plerique Heins., Jahni omnes et ed. pr. — Vulg. *pectora.*

465. *sua viscera*, ut nos *sein eignes Blut.* V, 18. Tib. I, 6, 56. *nata sanguis est tuus.*

467. *dixit.* Castigatiores (?) Heins., Goth. 2., Par. 1. 2. et Vrat. hic et v. seq. *dicat.* Perperam. Berol. utroque loco a correct. *dicit.* — De *forsitan* cum indic. vid. not. ad Trist. IV, 2, 3. et ad Her. IV, 53.

468. *sceleri ne nomina desint*, ut scelus veris nominibus significetur, si propriis sese nominibus *filia* et *pater* vocent.

469. *plena*, gravida, ut Fast. IV, 634. Conf. Met. XI, 265. et III, 268. — *patris* conjungendum cum *thalamis.* — Arond. et VII Heins. *discedit.*

470. *concepta crimina*, foetum per crimen conceptum. *Gier.* Cf. III, 268.

472. *avidus cognoscere.* XIV, 215. *cupidusque moriri.* — Cod. Dresd. et Goth. 2. ubique *Cinaras.* Idem Pal. 2. v. 338. exhibet. Goth. 1. v. 299. *Cyneras.* Lips. 1., Vrat. et Zwicc. *Cynaras*, sed Lips. v. 299. 338. 343. 356. 380. 438. 472. Vrat. 338. Zwicc. 338. et 343. *Cinaras.* V. 369. Dresd. *Cinereia.* Lips. 1. *Cinareia.* Vrat. *Cinyreia.* Zwicc. *Cynereia.* Vid. ad v. 435. 712.

473. *illato.* IV Heins. *allato.* Serv. ad Virg. Ecl. X, 18. *Cupiens deinde videre vultus puellae lumen jussit inferri, visamque filiam cum gladio persequi coepit.* Conf. Met. XI, 680. Fast. II, 352. *illatis ignibus acta patent.*

475. *diripit.* Meliores (?) Heins., Par. 2., Rhen. et vett. edd. *deripit.* Sed scriptura *diripit* vehementiae et irae Cynarae accommodatior est: ac saepius hoc verbum eadem potestate in his carminibus legitur. Vid. ad VI, 387. — *pendenti*, suspensa. — *nitidum* fulgentem, sive ut Virg. IV, 580. *fulmineum.*

476. *tenebrisque.* Berol., fragm. Caes., Dresd., Gron. 1., Vat. 1., Zwicc. et multi (?) Heins. *tenebris*, omisso *que;* minus eleganter. Ad rem pertinet Virg. Aen. VIII, 657.

Defensi tenebris et dono noctis opacae.

477. *neci est.* Unus cod. Mor. et Rhen. *est* omittunt. — *intercepta.* Cf. VIII, 292. 433. IX, 122.

478. *Panchaeaque rura.* Vid. v. 309. — Cod. Berol., Bersm., Rhen., meliores Heins. et ed. pr. *relinquit.* Vulg. *reliquit*, rectius, quia perfectum praecedit et sequitur.

Cum tandem terra requievit fessa Sabaea;
Vixque uteri portabat onus. Tum nescia voti
Atque inter mortisque metus et taedia vitae
Est tales complexa preces: „„O, si qua patetis
„„Numina confessis, merui nec triste recuso
Supplicium; sed, ne violem vivosque superstes,
Mortuaque exstinctos, ambobus pellite regnis,
Mutataeque mihi vitamque necemque negate!““
Numen confessis aliquod patet; ultima certe
Vota suos habuere deos. Nam crura loquentis
Terra supervenit, ruptosque obliqua per ungues
Porrigitur radix, longi firmamina trunci,
Ossaque robur agunt, mediaque manente medulla
Sanguis it in sucos, in magnos brachia ramos,
In parvos digiti, duratur cortice pellis.
Jamque gravem crescens uterum praestrinxerat arbor,
Pectoraque obruerat, collumque operire parabat:
Non tulit illa moram, venientique obvia ligno
Subsedit, mersitque suos in cortice vultus.
Quae, quanquam amisit veteres cum corpore sensus,
Flet tamen, et tepidae manant ex arbore guttae.

480. *terra Sabaea* regio Arabiae felicis.

481. *nescia voti*, nescia quid optaret.

483. *complexa*. Arond. et VI alii Heins. *exorsa*. Recte habet omnium reliquorum codd. et vett. edd. auctoritate confirmata scriptura *est complexa*, q. e. *concepit*. XIV, 365. VIII, 684. — *patent numina*, ad quae facilis aditus est, quae propitia sunt.

484. *confessis*, qui ingenue culpam confessi sunt.

486. *ambobus regnis*, vivorum et mortuorum.

488. *ultima*, sc. illa de transformatione.

489. *suos*, aequos, propitios. IV, 373. Conf. XV, 821. — Cant., Pal. 1., Rhen., III Heins., Pal. 2. et Lips. 1. *nam* (Pal. 2. et Lips. *non*) *plura loquenti*. Leid. *non plura loquentis*. Reliqui *nam crura loquentis*.

490. *terra supervenit*, terra tecta sunt.

492. *robur agere* dicitur ut *radices agere*. Nam *robur* h. l. est *lignum*. — Cod. Arg., Dresd., Thys. et Zwicc. *media remanente*.

494. *duratur cortice*, in durum corticem mutatur. Similes puellarum in arbores mutationes sunt I, 548 seqq. II, 347., IX, 351 seqq., unde intelliges, etiam in simillimis rebus suaviter variare fecundum Nasonis ingenium. *Gierig*.

495. *praestrinxerat*. Quidam codd. Gifanii, Flor., Goth. 1., exc. Jur., Medic. 3., Ox., Rhen., Spir., VIII Heins. et ed. pr. *perstrinxerat*. Medic. 2. et Neap. *constrinxerat*. Vetus Gif. cod., Urb. et III Heins. *praestr*. II Heins. *praestruxerat*. Reliqui *praecinxerat*. *Perstrinxerat* non ferendum est, quod valet *prorsus penetrarat*; sin autem hoc factum, quomodo sub arbore crescere potuit infans. At *prae* refertur ad exteriora, ut in *praecingere* et similibus. Hinc *praestrinxerat*, q. e. velut vinculo cinxerat, verum videtur, cujus glossa *praecinxerat*. Ib. v. 551.

Utve Syracosio praestricta fauce poetae.

Tac. Ann. XII. c. 47. *implicare dextras pollicesque inter se vincere nodoque praestringere*. — *gravem*, gravidum. Vid. v. 505.

496. *obruerat*, penitus texerat, condiderat.

498. *subsedit*, se ipsa demisit, quo citius lignum superveniret. Vid. I, 43.

500. *flet tamen*. Etiam Lucret. I, 350. *flere* in sucis destillantibus: *uberibus flent omnia sucis*. Myrrha autem frutex Arabiae, ex quo inciso guttae manant, quae in odoratissimis et pretiosissimis unguentis habebantur.

Est honor et lacrimis; stillataque cortice myrrha
Nomen herile tenet, nulloque tacebitur aevo.
At male conceptus sub robore creverat infans,
Quaerebatque viam, qua se, genitrice relicta,
Exsereret. Media gravidus tumet arbore venter:
Tendit onus matrem, nec habent sua verba dolores,
Nec Lucina potest parientis voce vocari.
Nitenti tamen est similis, curvataque crebros
Dat gemitus arbor, lacrimisque cadentibus humet.
Constitit ad ramos mitis Lucina dolentes,
Admovitque manus et verba puerpera dixit.
Arbor agit rimas et fisso cortice vivum
Reddit onus, vagitque puer, quem mollibus herbis
Naïdes impositum lacrimis unxere parentis.
Laudaret faciem livor quoque: qualia namque
Corpora nudorum tabula pinguntur Amorum,
Talis erat; sed, ne faciat discrimina cultus,
Aut huic adde leves aut illis deme pharetras.

Plin. N. H. XII. c. 15. Dioscor. I. 64. Ovid. Art. A. I, 287.

Illius et lacrimis, quas arbore fundit odora,
Unguimur, et dominae nomina gutta tenet.

De illo *tepidae* conf. IX, 350. De re conf. II, 359 sqq. — Cod. Bersm. *e cortice*. Dresd. et nonnulli Heins. *ex cortice*. II Heins. *de cortice*. Rhen. et quidam Heins. *ex corpore*, alii *de corpore*.

501. Pro optima vulg. *cortice* Goth. 1., Pal. 2., Rhen., Lips. 1., quidam Heins. et ed. pr. *robore*. Alii Heins. *corpore*.

502. *nulloque*. Berol. et alter Strozz. *nullique*. — *herile*, dominae, ut Art. A. I, 288. *et domin ae nomina gutta tenet*.

503. *Orpheus porro canit, Adonidem Myrrhae filium in venatione ab apro occisum sanguinemque ejus a Venere in anemonen florem mutatum esse*. Apollod. III. c. 14. Interpp. ad Virg. Ecl. X, 18. Hyg. F. 248. 271.

503. *male*, scelesto amore.

504. *genitrice*, Myrrha quae jam arbor facta erat.

506. „*neque dolores sua verba habent*, h. e. declarari verbis possunt." — *tendit*, extendit. Cod. Bas. 1., Neap., Par. 1. 2. et Strozz. *ventrem*. — Goth. 1., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *neque*. Cod. Bersm. et reliqui *nec*. Heinsius tacet.

507. *Lucina*, quae parientibus praest. V, 304. IX, 283. 294. — *voce vocari*, ut v. 3. Conf. IX, 294.

508. *nitenti*, parturienti; nam *niti* est parturientium.

510. *mitis*, propitia, nam sponte, non vocata, adest laborânti. — Dresd., multi Heins. et ed. pr. *dolentis*.

511. *verba puerpera*, quae puerperium adjuvant. Sic *verba precantia* supra vidimus. De re conf. IX, 301.

512. *fisso*. Bas. 1., Caes., Erf. 1., Flor., Goth. 1., Par. 2., Ox. et Spir. *fissa*. — Cod. Ciof., mss. Farnab., II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Par. 1. et pro v. l. 2., Rhen., Vrat., plerique castigatiores Heins. et ed. pr. *fisso*. Reliqui *scisso*, nisi quod Lips. 1. et Par. 2. *scissa*. De genere masculino si qua fides codicibus habenda, non potest esse dubitatio. Ac *fisso* quoque rectius est quam *scisso*, quum partus latente Lucinae ope promoveretur. — Ad illa *rimas agit* conf. IV, 65.

514. *lacrimis parentis*, myrrhae succo. V. 501. — Ceterum illud *unxere* alludit ad lustrationem, quae in recens natis fieri solebat. Vid. Bartholin. de puerperio veterum p. 137 seqq.

515. *laudaret faciem livor quoque*. VI, 129. *non illud carpere livor possit*. Plat. de Republ. VI. c. 2. *οὐδ' ἂν ὁ Μῶμος τό γε τοιοῦτον μέμψαιτο*.

516. *pinguntur*. Franc. *ponuntur*. Pal. 5. *scribuntur*. — 517. *cultus* etiam de armis dicitur. Conf. II, 425. IX, 712.

518. *aut illis*. II Bersm., Berol.,

Labitur occulte fallitque volatilis aetas,
Et nihil est annis velocius. Ille sorore
Natus avoque suo, qui conditus arbore nuper,
Nuper erat genitus, modo formosissimus infans,
Jam juvenis, jam vir, jam se formosior ipso est;
Jam placet et Veneri matrisque ulciscitur ignes.
Namque pharetratus dum dat puer oscula matri,
Inscius exstanti distrinxit arundine pectus.
Laesa manu natum dea repulit; altius actum
Vulnus erat specie, primoque fefellerat ipsam.
Capta viri forma non jam Cythereïa curat
Litora, non alto repetit Paphon aequore cinctam,
Piscosamque Gnidon gravidamque Amathunta metallis;
Abstinet et coelo: coelo praefertur Adonis.
Hunc tenet, huic comes est, assuetaque semper in umbra
Indulgere sibi, formamque augere colendo,
Per juga, per silvas dumosaque saxa vagatur

Goth. 1. 2., Rhen., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *aut illi*. Reliqui *aut illis*, sc. Amoribus. Heinsius de suis tacet.

519. Amor. I, 8, 49.

Labitur occulte fallitque volubilis actas,
Ut celer admissis labitur amnis aquis.

Ex quo loco apparet, unde h. l. fluxerit varietas *volubilis* pro *volatilis* in cod. Leid. et V Heinsianis. Conf. Art. A. III, 65. et Fast. VI, 771. — *fallit*, transit, quin sentiatur. Conf. v. 528. Haud dissimili modo Trist. IV, 10, 114. *decipere diem*, q. e. transigere, ut non sentiatur. Vid. ibi not.

520. *ille sorore natus avoque suo.* Acumina captat suo more. Hoc autem loco exemplum habebat Sophoclis in Oedipo. Vid. supra v. 346 — 348. Scilicet mater ejus, cum ab eodem esset patre, etiam soror ejus erat, et pater per matrem quoque avus ejus erat.

523. *modo . ., jam . ., jam etc.* Cic. Tusc. I. c. 39. *Nonne*

Modo pueros, modo adolescentes,
in cursu a tergo insequens
Nec opinantes adsecuta est

senectus? — *se formosior ipso est, formosior est, quam ante fuerat*, sese ipse forma superabat. — Cod. Bersm. et VI Heins. *ipse*.

524. *matrisque ulciscitur ignes*, atque (ita) vetitum matris amorem (patris a Venere excitatum) ulciscitur. Namque dum puer pharetratus (Amor) matri (Veneri) oscula dat, inscius exstanti sagitta matris pectus distrinxit, quo ad amorem concitata est. Vid. Hyg. F. 58.

526. *distrinxit*. Meliores (?) Heins., Rhen., Lips. 1. et Vrat. *destrinxit*. Utrumque sensui accommodatum. Itaque majorem auctoritatem veterum librorum sequendam puto. Vid. ad VIII, 382. — Dresd. *instanti defixit*.

528. *specie*, quam species erat.

529. *Cythereïa litora*, Cythera, una e Cycladibus Veneri sacra. Vid. ad IV, 190. Eodem modo Apollo Delphos relinquit amore Hyacinthi v. 168.

530. *Paphos* oppidum Cypri, sed etiam ipsa insula nonnunquam Paphos appellata esse videtur. V. 297. Unde etiam Alcman Πάφον περιῤῥύταν dixit.

531. *Gnidos* urbs maritima Cariae cultu et templo Veneris nobilis. Mela I, c. 16. De *Amathunte* ejusque metallifodinis vid. ad 220. — Rhen. et Vrat. *gravidamve*, quod tacite edidit Heinsius. — Genev. et Par. 2. *metalli*. Jahni codd. omnes, Pal. 2. et reliqui vett. edd. et Priscian. I. c. 2. et II. c. 2. *metallis*. Vid. v. 220. — *Gnidon* exhibent Priscian. I. c. 2. II. c. 2., cod. Bersm., Goth. 1. 2., Bas. 1., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc., quidam Heins. et vett. edd. — Vulg. *Cnidon*. Vid. Priscian. I. c. 10. 57.

533. *hunc tenet*, non dimittit a se. — *assuetaque*. Et quae olim molli vitae adsueta erat, nunc durum venatum amat. — 534. *colendo*, ornando.

535. Scripturam *dumosaque saxa* Heinsius tacite edidit, quam plerique Viv., codd. Ciof., II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1., Rhen., Par. 1. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et ed. pr.

Nuda genu, vestem ritu succincta Dianae,
Hortaturque canes, tutaeque animalia praedae,
Aut pronos lepores, aut celsum in cornua cervum,
Aut agitat damas; a fortibus abstinet apris,
Raptoresque lupos armatosque unguibus ursos
Vitat et armenti saturatos caede leones.
Te quoque, ut hos timeas, - si quid prodesse monendo
Posset - Adoni, monet, „„Fortisque fugacibus esto:“
Inquit „in audaces non est audacia tuta.
„Parce meo, juvenis, temerarius esse periclo,
Neve feras, quibus arma dedit natura, lacesse,
Stet tibi ne magno tua gloria: non movet aetas
Nec facies, nec quae Venerem movere, leones
Setigerosque sues oculosque animosque ferarum.
Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri;
Impetus est fulvis et vasta leonibus ira,
Invisumque mihi genus est.“ Quae causa, roganti
„„Dicam,“ ait „et veteris monstrum mirabere culpae.

confirmant. *Dumosaque* etiam Goth. 2. — Cod. Bas. 2., II Heins. et pro v. l. Par. 2. *clivosaque*. Vulg. *dumos et saxa*.

536. *nuda genu*. I, 132. Scripturam *nuda genu* exhibent Bas. 2. 3. 4., cod. Raph. Regii, nonnulli Viv., nonnulli Heinsii, Dresd., Goth. 2., Par. 1., Rhen., Vrat. et ed. pr. — Reliqui Viv. libri, cod. Bersm., Bas. 1., Berol., Goth. 1., Gron. 1., Hamb. 1. 2., Pal. 2. pro v. l., Mor. 1., Urb. a rec. m., Vat. 1., Zwicc., complures Heins. et edd. Venn. et Parm. *usque genu*. Lips. 1. *pone genu*. Erf. *pene genu*. Flor., Medic. 1., Pal. 1. 2., Par. 2. et Twisd. 1. *fine genu*. Alii aliter. Codicum auctoritas vindicare videtur scripturam *usque genu*; antiquitatis ratio et consuetudo Nasonis *nuda genu*. Conf. Virg. A. I, 318.

Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis,
Nuda genu nodoque sinus collecta fluentes.

Conf. etiam Metam. I, 695. III, 156. VII, 35. — Forma antiqua *genus* apud Nasonem non reperitur.

537. *hortaturque canes*. Cf. III, 242. — Bas. 3. pro v. l. *citaeque*. — *animalia tutae praedae* sunt, quae sine periculo capiuntur.

538. *in cornua*, quod ad cornua. Conf. I, 720. XI, 753. — *proni lepores* sunt velociter currentes. Sic *proni anni, menses*, al. Vid. ad v. 652. Remed. Amor. v. 201.

Nunc leporem pronum catulo sectare fugaci.

Bas. 4. et nonnulli Heins. *parvos*.

539. *damas*. Lips. 1, Zwicc. et ed. pr. *dammas*. — Quidam Heins. codd. *aut* v. *sed* v. *et fortibus*. Zwicc. *et fort*.

543. *posset*. Rhen. et meliores Heins. *possit*. De melioribus codd., quando h. l. de scriptura agitur, quam in deliciis habet Heinsius, valde dubito. Vid. not. VI, 421. Et optima est vulgata *posset;* nam praesentia, quae antecedunt et sequuntur sunt historica. — *Adoni* postrema correpta, ut in nomine Graeco. Cf. v. 682. XIV, 14. — *fugacibus* pro *in fugaces*. XI, 753.

544. *non est — tuta*. Conf. II, 53.

545. *parce*, noli. XV, 75.

547. *stet ne — magno*. VII, 487. Her. VII, 47. *odia constantia magno*. — Var. lect. apud Viv. et edd. Venn. *stet tibi*. Heinsius tacite edidit *stet mihi*, quod II Bersm. et margo Vinc. tuentur. Mihi germana videtur scriptura *stet tibi*. Qui vere amat, unice sollicitus est de salute amati, ac de suo periculo jam dixit v. 545.

548. *nec quae — movere*. *Venerem* nunc ipsa de se dicit Venus. II, 518.

550. *fulmen*. I, 305. VIII, 289. XI, 389. — 551. Bas. 3. *vastisque*.

553. *monstrum culpae*, monstrosam culpam. II, 367. Ea transformatio v. 699 sequitur. — Scripturam *mirabere* tuentur plerique vett. Viv., Goth. 2. et

„„Sed labor insolitus jam me lassavit, et ecce
Opportuna sua blanditur populus umbra,
Datque torum cespes. Libet hac requiescere tecum“ “,
Et requievit humo, pressitque et gramen et ipsum;
Inque sinu juvenis posita cervice reclinis
Sic ait, ac mediis interserit oscula verbis:
„„Forsitan audieris aliquam certamine cursus
Veloces superasse viros. Non fabula rumor
Ille fuit: superabat enim; nec dicere posses,
Laude pedum formaene bono praestantior esset.
Scitanti deus huic de conjuge „Conjuge“ dixit
„Nil opus est, Atalanta, tibi: fuge conjugis usum.
Nec tamen effugies, teque ipsa viva carebis.“
Territa sorte dei per opacas innuba silvas
Vivit, et instantem turbam violenta procorum
Conditione fugat, „Nec sum potiunda, nisi,“ inquit,

pro v. l. 1., Medic. 1., Mor. 1., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Thu., Vat. 1. et complures alii Heins. — Dresd. in margine *miraberis*. Dresd. a 1. m. et reliqui cum vett. edd. *mirabile*.

557. *pressitque et gramen et ipsum*. Quomodo ipsum (sc. Adonin) presserit, versu seq. declaratur. De hoc usu verbi *premere* vid. V, 317. — Ceterum recte *humo* tantum ad *requievit* referunt, et *hac* magis absolute dictum esse volunt. *Jahn*. Her. IV, 97.

Saepe sub ilicibus Venerem Cinyraque creatum
Sustinuit positos quaelibet herba duos.

558. *reclinis*. Flor. *renidens*, cum glossa i. e. *ridens*. Plerique Heins., Erf. apud Zinzerling., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 1. et Vrat. *reclinis*. Duo Pal. et Mor. *recumbens*. Cod. Bas. et Medic. *reclinans*. Reliqui fere cum vett. edd. *reclivis*, q. e. *reclinis*. Varietas nata est e similitudine scripturae. Ac *reclinis* i. e. *reclinata* ad sensum aptissimum est. Verbis *posita cervice in sinu juvenis* declaratur quomodo reclinata fuerit, sc. sic ut Adonidem cum quo loquebatur intueri posset. Illustrat hunc locum Lucret. I, 34 — 38.

559. Multi codd. *labris*.

560. *Fabulae Adonidis alia inseritur: Atalantam, Boeoticam Schoenei* (v. 609.) *filiam, pedum velocitate insignem cum procis certamen instituisse, ea conditione ut qui cursu ab ipsa victus esset, occideretur, ac tandem ipsam ab Hippomene Boeotio Veneris ope superatam esse; quumque cum eo Cybeles fanum violasset, ambos in leones esse conversos.* Hyg. F. 185. Apollod. III. c. 9. Serv. ad Virg. A. III, 113. Theocr. Id. III.

560. *audieris*. Ita quidam Viv. libri, cod. Bersm., meliores Heins., Goth. 1., Bas. 4., Lips. 1., Dresd., Vrat. et ed. pr. — Reliqui *audieras*. De sententia conf. XV, 497. IX, 8.

562. *posses*. Heinsius tacite edidit *posses*, quod etiam Dresd., Goth. 1. et Bas. confirmant. Reliqui cum vett. edd. *possis*. Sed sensus postulat *posses*, ut XI, 570. Conf. IX, 288. VII, 85. VIII, 823.

563. Multi Heins. *formane bona*. Berol. in litura, Dresd. et Lips. 1. *formave bona*. Arond. et Gron. *formaeve bonae*. Reliqui omnes cum vett. edd. *formaene bono*, quod etiam exquisitius est. Praecessit enim *laude pedum*. Tib. II, 4, 35.

Heu quicunque dedit formam coelestis avarae,
Quale bonum multis addidit ille malis?

564. „*scitanti* (oraculum) *de conjuge* (de conjugio) . . .“

566. *nec tamen*. Cod. Bersm., Berol. et VIII Heins. *non tamen*. — *teque — carebis*. Obscure more oraculorum transformationem ejus vaticinatur. De converso in animal homine autem recte dicitur: *licet vivat, se ipso* (propria figura ac natura) *caret*.

567. *sorte*. I, 381. III, 130. IV, 643. XI, 412. — *per silvas*, in silvis hic et illic. IV, 405. Amor. III, 6, 90.

568. Medic. *ibat*.

569. „*fugat et: non sum potiunda inquit, nisi*..“ Her. XVI, 83. IX, 131. — Zwicc. a corr., Bas. 3. 4., Goth. 1.

„Victa prius cursu. Pedibus contendite mecum.
Praemia veloci conjux thalamique dabuntur,
Mors pretium tardis: ea lex certaminis esto.“
Illa quidem immitis; sed tanta potentia formae est:
Venit ad hanc legem temeraria turba procorum.
Sederat Hippomenes cursus spectator iniqui,
Et „Petitur cuiquam per tanta pericula conjux?“
Dixerat, ac nimios juvenum damnarat amores.
Ut faciem et posito corpus velamine vidit,
Quale meum, vel quale tuum, si femina fias;
Obstupuit, tollensque manus „Ignoscite,“ dixit
„Quos modo culpavi: nondum mihi praemia nota,
Quae peteretis, erant.“ Laudando concipit ignem,
Et, ne quis juvenum currat velocius, optat,
Invidiaque timet. „Sed cur certaminis hujus
„Intentata mihi fortuna relinquitur?“ inquit.
„Audentes deus ipse juvat.“ Dum talia secum
Exigit Hippomenes, passu volat alite virgo.
Quae quanquam Scythica non segnius ire sagitta
Aonio visa est juveni; tamen ille decoris
Mirator magis est, — cursus facit ipse decorem.
Aura refert oblata citis talaria plantis,

2., Rhen. et meliores Heins. *potiunda*. Vulg. *potienda*.

572. *pretium*, i. q. praemium. VIII, 503.

573. Alii verba: *tanta — formae est*, in parenthesi ponunt. Cod. Bersm., Dresd., Zwicc. et edd. Venn. *est* omittunt.

574. *ad hanc legem*, ad certamen in quo tam dura lex proposita erat.

575. Rhen. et IV Heins. *venerat*. Cf. XIII, 1. VI, 73. — *iniqui* sc. propter conditionem.

576. *cuiquam*, a quoquam. V. 585. XV, 319. — 577. Cod. Bersm., Goth. 2., Rhen., Par. 1., Lips. 1. et multi Heins. *condemnat*. Dresd. et VI Heins. *damnavit*. III et ed. pr. *damnabat*. Reliqui cum vett. edd. *damnarat*.

579. *quale meum*, sc. Veneris: *quale tuum*, Adonidis. Nam Venus haec Adonidi narrat.

582. Bas. 3. *peterentur erant*, et deteriores Heins., Goth. 2., Pal. 2. et ed. pr. *ignes*.

583. *velocius*, sc. illa.

584. *invidiaque timet*, et (prae) invidia sive invidendo aliis timet, ne quis velocius currat. Hanc optimam ac verissimam scripturam nonnisi margo ed. Gryph. e vet. codice, cod. Berol., Goth. 2. et Pal. 2. tuentur. Nor. *invidaque*. Reliqui omnes *invidiamque*, quod sensu caret; siquidem nondum erat, cur ipsi invidierent.

587. *exigit*, expendit, cogitat. Virg. Aen. IV, 475. *tempus secum ipsa modumque exigit*. Conf. XIV, 268. — Sequitur descriptio certaminis cursus, quacum conf. Hom. Il. XXIII, 740 seqq. Virg. A. V, 315. — *alite*, alato, celeri.

588. *Scythica*: nam Scythae arcu ac sagittis valebant. Conf. VII, 775 seqq. — Flor., Gron. 1. pro v. l., Medic. 1. 2., Neap. et Spir. *non secius*. Conf. VII, 770. — *ire*, currere, volare.

589. *Aonio — juveni*, Hippomeni Boeotio. Vid. ad v. 560. et I, 313. — *decoris mirator magis est*. Aliquot Viv. libri, Berol. et ed. pr. *decoris mirator magis, et c.* Goth. 1. *decoris miratur magis est, et c.* Edd. Venn. et aliae *decoris mirator magis est et c.* Reliqui Viv., Dresd., Goth. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. cum vulg. *decoris mirator magis est: cursus*. Apparet, scripturam *decorem miratur magis, et c.* nullam habere auctoritatem. Itaque antiquam eamque optimam revocavi. — Multi Heins., Goth. 2. et Zwicc. *decoram*. Sed *decorem* concinnius et elegantius est. Ad rem conf. VIII, 24 seqq. — Berol., Pal. 2., Lips 1., Zwicc. et ed. pr. *ille*.

591. *oblata*. Arond., Par. 2., Cant., Erf. 1., Goth. 2., Hamb. 1. 2., Medic. 2. 3. 4., Pal. 1., Par. 1., Lips. 1., Spir.,

Tergaque jactantur crines per eburnea, quaeque
Poplitibus subèrant picto genualia limbo;
Inque puellari corpus candore ruborem
Traxerat haud aliter, quam cum super atria velum
Candida purpureum simulem dat et inficit umbram.
Dum notat haec hospes, decursa novissima meta est:
Et tegitur festa victrix Atalanta corona.
Dant gemitum victi penduntque ex foedere poenas.
Non tamen eventu juvenis deterritus horum
Constitit in medio; vultuque in virgine fixo,
„Quid facilem titulum superando quaeris inertes?
Mecum confer!“ ait. „Seu me fortuna potentem
Fecerit: a tanto non indignabere vinci; -
Namque mihi genitor Megareus Onchestius, illi

Urb., Vat. 1., Vrat., plurimi Heins. et ed. pr. *oblata*. Vulg. *ablata*. — Pedes cum celeriter et alte jactaret, plantae tangebant talares vestes sive *talaria*, quae a ventis retro ferebantur, plantis offerebantur. Ad rem conf. I, 527 seqq.

592. *crines jact. per terga*. Cf. II, 673.

593. *genualia picto limbo*. Verba *picto limbo* pro adjectivo sunt verbi *genualia*. De *limbo* conf. II, 734. V, 51. Virg. A. IV, 137.

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

594. *ruborem trahere*, i. e. accipere. Conf. III, 482. II, 236. I, 412. — *puellari*, quo insignes sunt puellae. Ruborem illum mixtum candori aliis similitudinibus Naso illustrat III, 482. et IV, 331., aliis Tibull. III, 4, 33.

Ut cum contexunt amaranthis alba puellae
Lilia, ut auctumno candida mala rubent.

595. *velum*, aulaeum. Vela praetendi solebant atriis et cubiculis; hinc velarii servi, qui velorum curam habebant. De sententia conf. Lucret. IV, 73 — 84.

596. *similem*, et ipsam purpuream. Flor. *similatas inficit umbras*. Unde fluxit Heinsiana scriptura *simulatas inficit umbras*, vix sana sententia. Reliqui omnes et vett. edd. optime, *similem dat et inficit umbram*, nisi quod Spir. *similis dat inficit umbras*, Par. 2. et IV Heins. *simul edit et inf.* Medic. 1. et alius Medic. *simul edat et inf.*, Arond. *simul addat*, unus Bon. *similem datur*, Mor. 1., Par. 1., Rhen., Vrat. et VII Heins. *simul et dat et inf.*, Dresd. *similem dat et efficit umbram*.

597. *decursa novissima meta est*, decursum spatium ad ultimam stadii partem s. metam. Amor. III, 15, 1.

Quaere novum vatem, tenerorum mater amorum;
Raditur hic elegis ultima meta meis.

599. *ex foedere*, ex lege. Vid. v. 572. Conf. VII, 46.

600. *juvenis*, Hippomenes. Aliquot Viv., multi Heins., Par. 1. 2., Lips. 1., Zwicc. et edd. Venn. *juvenum*. Reliqui *juvenis*, ac recte persona, de qua nunc agetur, verbo *juvenis* iterum quasi in memoriam revocatur. Conf. v. 615. et 656. — *eventu*, qui h. l. interitus est.

602. *inertes*, segnes ad cursum, tardos. — De verbo *titulus* conf. IV, 645. VIII, 433.

603. *mecum confer* sc. certamen s. pedem s. gradum. — *potentem*, sc. ad cursum.

604. *a tanto etc.* Cf. V, 192. IX, 7.

605. *Onchestius*, ex Boeotiae urbe Onchesto, quae ab Onchesto Neptuni filio, cujus filius Megareus pater Hippomenis, nomen habebat. Pausan. Boeot. I. c. 39. et IX. c. 26. Munker ad Hyg. F. 185. Loci scriptura, qualem dedimus, confirmatur illis locis Pausaniae. Conf. Munker ad Hyg. F. 185., quam etiam II Heins., Berol., Par. 2., Rhen. et ed. pr. tuentur. De codd. Viv., Ciof. et Heins. fere nihil constat. Reliqui mire variant. Goth. 1. *Magareus Onchestius*. Goth. 2. *Macharcus*. Ed. Ven. 2. *Macareus*. — *Onchestius*. Cod. Const. Fanens. *Onchestus et illi*. Par. 1. *Megareus et Hesteius*. Dresd. *Meg. onestius*, a sec. m. corr. *Megareus et Acestus*. Zwicc. *Anchestrius*. Lips. 1. et ed. Ven. 2. *Achestius*. Ed. Ven. 1. *genito Megaresus: Echestius illi*. Lactantius in argumento: *Hippomenes Megarei filius ex progenie Neptuni*. De Heinsianis Burmannus: *Onchestius* est in duobus, *Cre-*

Est Neptunus avus, pronepos ego regis aquarum;
Nec virtus citra genus est. - seu vincar: habebis
Hippomene victo magnum et memorabile nomen.“
Talia dicentem molli Schoeneïa vultu
Adspicit, et dubitat, superari an vincere malit;
Atque ita „Quis deus hunc formosis“ inquit „iniquus
„Perdere vult, caraeque jubet discrimine vitae
Conjugium petere hoc? Non sum me judice tanti.
Nec forma tangor; - poteram tamen hac quoque tangi; -
Sed quod adhuc puer est. Non me movet ipse, sed aetas,
Sed quod inest virtus et mens interrita leti.
Quid, quod ab aequorea numeratur origine quartus?
Quid, quod amat, tantique putat connubia nostra,
Ut pereat, si me fors illi dura negarit?
Dum licet, hospes, abi, thalamosque relinque cruentos:
Conjugium crudele meum est. Tibi nubere nulla
Nolet, et optari potes a sapiente puella. —
Cur tamen est mihi cura tui tot jam ante peremtis?
Viderit! Intereat, quoniam tot caede procorum
Admonitus non est, agiturque in taedia vitae! —
Occidet hic igitur, voluit quia vivere mecum,
Indignamque necem pretium patietur amoris?
Non erit invidiae victoria nostra ferendae. —

stius in tribus, in aliis *Orchestius*, *Onchesteus*, *Orchestius*, *Anchestius*, et nescio quid magis varium?

607. *citra genus*, inferior genere.

609. *Schoeneïa*, filia Schoenei. Codd. (?) Ciof. hic. v. 660. *Coeneia*. Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Lips. 1., Zwicc., Vrat., Pal. 2. et ed. pr. *Ceneia*. Edd. Venn. hoc v. *Scaeneia* et infra *Ceneia*. — *molli*, placido; amantium enim omnia mollia, *voces*, *gestus*, *preces*, *corda*. Contrarium *durus* vid. IX, 260.

611. Sequitur elegans descriptio affectuum inter se pugnantium. Cf. VII, 10 sqq. — Mor. 1. et vulg. *dixit*; sed *inquit*, quod praestat, tuentur cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., meliores Heins. et ed. pr.

613. *non sum tanti*. Conf. v. 310. II, 414. et VI, 386. Her. I, 4. Tib. II, 6, 42.

Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.
Ovid. Trist. II, 209.

Non sum tanti, ut renovem tua vulnera –

615. *sed quod*. „*Non forma tangor, sed quod adhuc puer est.*“ Cod. Arg. et Mor. 2. *quid, quod*.

616. *interrita leti*. *Interritus* cum genit., ut II, 765. *metuendus*. I, 623. *anxia*. VI, 137. *secura*. V, 267. *felix*, VIII, 615. *ferox*, al. Vid. ind. in v. *adject*.

617. *aequorea*, Neptunia. A Neptuno sc. Onchestus, ab Onchesto Megareus (605.), a Megareo Hippomenes. Conf. IV, 213.

618. *connubia*. Secunda syllaba et producitur et corripitur. Vid. Forcell. in v. et cf. Met. VI, 428.

619. *fors* meliores Heins., Dresd., Goth. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc, et ed. pr. Vulg. *sors*. — Zwicc. et VII Heins. *dira*. Vulg. *dura*.

620. *cruentos*, qui cruenti, non sine vitae periculo, tibi sunt. V. 572.

622. *nolet*. Vulg. *nollet*. Arond., Par. 2., Goth. 1., Hamb. 1. 2., Pal. 1., Rhen., Lips. 1., Vrat. et VI Heins. *nolet*.

624. *viderit*, sibi causam imputet.

625. *agitur*, obcaecatus fertur s. rapitur. — *admonitus non est*. Justin. IV. c. 5. *Nicias ne Demosthenis quidem exemplo, ut sibi consuleret, admonitus*.

627. *pretium*. Conf. v. 572. — Exc. Langerm. *potietur*.

628. „*victoria nostra erit non ferendae invidiae*“. Genitivus pro adjectivo est. Vid. v. 691. et V, 9. Amor. III, 6, 21.

Sed non culpa mea est. Utinam desistere velles;
Aut, quoniam es demens, utinam velocior esses! —
Ah, quam virgineus puerili vultus in ore est!
Ah, miser Hippomene, nollem tibi visa fuissem!
Vivere dignus eras. Quodsi felicior essem,
Nec mihi conjugium fata importuna negarent;
Unus eras, cum quo sociare cubilia vellem.“
Dixerat; utque rudis primoque cupidine tacta,
Quod facit ignorans, amat et non sensit amorem.
Jam solitos poscunt cursus populusque paterque;
Cum me sollicita proles Neptunia voce
Invocat Hippomenes, „Cythereaque, comprecor, ausis
„Adsit“ ait „nostris, et, quos dedit, adjuvet ignes!“
Detulit aura preces ad me non invida blandas,
Motaque sum, fateor; nec opis mora longa dabatur.
Est ager, – indigenae Tamaseum nomine dicunt –
Telluris Cypriae pars optima, quam mihi prisci
Sacravere senes, templisque accedere dotem
Hanc jussere meis; medio nitet arbor in arvo,

Non eris invidiae, torrens, mihi crede, ferendae,
Si dicar per te forte retentus amans.

Plurimi Heins., Bas. 4. et 1. in marg. cum vulg. *ferenda*. Pauci Heins., Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *ferendae*.

631. Berol., Par. 1., Urb. et Spir. *at*. Perperam. Nam nihil h. l. praecedentibus opponitur, sed hoc versu votum, quod praecessit, comprobatur: et apte in hoc affectu *ah* repetitur. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2. *hic* et v. 632. *ha*. Berol. a corr., Zwicc. et ed. pr. etiam *fuisse*. Ad sententiam conf. VIII, 322.

633. *vivere dignus*. I, 240.

634. *fata i. negarent*. Vid. v. 564.

635. *sociare*, communicare. — Pro *vellem* Cant., Goth. 1., Pal. 1., Vat. 1. et X ex melioribus (?) Heins. *possem*. Sed *vellem* magis cupiditatem declarat.

636. *rudis*. IX, 720. *rude pectus*. — *primo cupidine*. *Cupido* masc. ut apud poetas non raro. Conf. VIII, 74. IX, 734. Hor. Od. II, 16, 15.

637. „*amat*, ignorans id quod facit, sc. se *amare*.“ Plerique meliores Heins., Berol., Dresd., Goth. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et ed. pr. *quid facit*, quod, etsi constat Ovidium nonnunquam in obliqua interrogatione indicativum ponere (Vid. ad Her. X, 86.), tamen edere non sum ausus. Caes., Goth. 1., Zwicc. et III Heins. *quid faciat*. Reliqui omnes *quod facit*. Vid. ad v. 372.

639. *me*, i. e. Venerem, quae loquitur. Vid. v. 579. — *proles Neptunia*. Vid. 617.

640. *Cithereaque comprecor*. „*et ait, Cytherea ..*“ De *Cytherea* pro *Venere* vid. IV, 190. Sed meliores Heinsii magna ex parte, nonnulli Viv., Berol., Dresd., Vrat., Goth. 2., Rhen. et ed. Ven. 1. 2. *Cytherei'a comprecor* (Ven. 1. *Cytherea*). Confirmant Gron. et Voss. *Cythereia nunc precor*. Leid. *Cyth. te precor*. Sed mihi ea varietas nata videtur a librariis, qui eam positionem particulae *que* non satis intelligerent, de qua vid. ad v. 569. Forma *Cytherea* saepius in his carminibus reperitur.

642. *aura non invida*, ut *invidus paries* IV, 73. *invida nox* IX, 486.

644. *Tamasus*, unde *Tamaseus*, urbs Cypri. Steph. Byz. Plin. H. N. V. c. 31. Codd. in scriptura valde variant, ut in rarioribus nominibus propriis fere ubique; ac cod. Bosch. et Thys. *Amasenum*. Zwicc. *Amassenum*. Vat. 1. *Damasithona*. Arond., Lips. 1. et ed. Ald. et nonnulli Ciof. libri *Damaseum*. Multi Heins. *Damascum*. Alii Heins. et vett. edd. *Damascenum*. Briant., Farn., Maff. 1. 2., Sulm. 1., Par. 1. 2., Berol. cum vulg. *Damasenum*.

645. *quam*. Lips. 1., Rhen. et VI Heins. *quem*, quod rectius est.

646. *templisque — meis*, et hanc dotem templis meis addidere.

647. *nitet*, ut v. 666. *nitidi pomi* et IV, 637. *frondes auro nitentes*. — Bas. 4. a 1. m., exc. Mur., I Sulm. et II alii Heins. *viret*.

Fulva comas, fulvo ramis crepitantibus auro.
Hinc tria forte mea veniens decerpta ferebam
Aurea poma manu, nullique videnda nisi ipsi,
Hippomenen adii, docuique, quis usus in illis.
Signa tubae dederant; cum carcere pronus uterque
Emicat et summam celeri pede libat arenam.
Posse putes illos sicco freta radere passu,
Et segetis canae stantes percurrere aristas.
Adjiciunt animos juveni clamorque favorque,
Verbaque dicentum „Nunc, nunc incumbere tempus,
„Hippomene: propera! Nunc viribus utere totis!
Pelle moram: vinces!“ Dubium, Megareïus heros
Gaudeat an virgo magis his Schoeneïa dictis.
O quoties, cum jam posset transire, morata est,
Spectatosque diu vultus invita reliquit!
Aridus a lasso veniebat anhelitus ore,
Metaque erat longe: tum denique de tribus unum
Fetibus arboreis proles Neptunia misit.
Obstupuit virgo, nitidique cupidine pomi
Declinat cursus, aurumque volubile tollit.
Praeterit Hippomenes: resonant spectacula plausu.

648. *comas*. Lips. 1., Vrat. et meliores Heins. *comam*. Ed. pr. *coma*. Vid. v. 103. et XI, 47. De accus. vid. I, 332. — *crepitantibus*. Virg. A. VI, 208. de simili arbore:

Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice, sic leni crepitabat bractea vento.

Conf. Aen. XI, 775. Ac recte dicitur in duris illis ex auro frondibus. Unus Leid. et Dresd. *radiantibus*.

651. *in illis* pro *illorum*. Vid. II, 332. VII, 682. IX, 670. XIV, 269.

652. *carcere*. Hujus nominis, si est pro repagulis, usitatior est pluralis. Sed Naso tamen illud saepe singulariter ponit, ut Trist. V, 12, 26. V, 9, 29. Her. XVIII, 166. Art. A. III, 395., al. Etiam Virg. A. V, 145. — *uterque*, Atalanta et Hippomenes. — *pronus*, ex habitu currentium. Vid. ad v. 538. Virg. A. V, 147. de aurigis: *proni in verbera pendent*.

653. *emicat* eleganter pro *se emittit*, *exsilit*. I, 27. 776. Huc pertinet Virg. A. V, 139.

Index ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes
Haud mora prosiluere suis —

Ed. pr. *summa sceleris pendebat harena*. Dresd. *sceleri*. — *libat*, tangit, dictum est ut Virg. Georg. IV, 54. de apibus: *flumina libent summa leves*.

654. *radere*, i. q. *destringere* IV, 562. — Cant., Dresd., Goth. 2., Vat., Pal. 4. et VII Heins. *celeri freta*. — *passu*, pede.

655. *stantes*, erectas, ut erectae manerent. Virg. A. VII, 808. de Camilla:

Illa vel intactae segetis per summa volaret
Gramina nec teneras cursu laesiset aristas.

Vid. Hom. Il. XX, 226. Apoll. Rh. I, 182 seqq.

656. Conf. Virg. V, 148 seqq. Hom. Il. XX, 766.

657. *incumbere*, omnibus viribus niti. Grat. Cyneg. v. 226.

Atque hic egressu jam tum sine fraude reperto
Incubuit . . . —

incumbere tempus ex more poetarum.

659. *Megareïus heros*, Hippomenes. Vid. ad v. 617. 605.

663. *aridus anhelitus*, ut *sicca vox* II, 278. — Castigatiores Heins., Berol., Goth. 1., Rhen. *e lasso*. Reliqui omnes cum vett. edd. *a*. Virg. V, 199. *tum creber anhelitus artus aridaque ora quatit*.

665. *fetibus arboreis*. Cf. XIV, 689.

667. *aurum volubile*, aureum pomum quod volvitur. Virg. *revolubile pondus*.

668. *spectacula*, locus unde specta-

Illa moram celeri cessataque tempora cursu
Corrigit, atque iterum juvenem post terga relinquit.
Et rursus pomi jactu remorata secundi,
Consequitur transitque virum. Pars ultima cursus
Restabat: „Nunc“ inquit „ades, dea muneris auctor!“,
Inque latus campi, quo tardius illa rediret,
Jecit ab obliquo nitidum juveniliter aurum.
An peteret, virgo visa est dubitare: coëgi
Tollere et adjeci sublato pondera malo,
Impediique oneris pariter gravitate moraque.
Neve meus sermo cursu sit tardior ipso,
Praeterita est virgo; duxit sua praemia victor.
Dignane, cui grates ageret, cui turis honorem
Ferret, Adoni, fui? Nec grates immemor egit,
Nec mihi tura dedit. Subitam convertor in iram,
Contemtuque dolens, ne sim spernenda futuris,
Exemplo caveo, meque ipsa exhortor in ambos.
Templa deûm matri, quae quondam clarus Echion
Fecerat ex voto, nemorosis abdita silvis,
Transibant, et iter longum requiescere suasit:
Illic concubitus intempestiva cupido
Occupat Hippomenen, a numine concita nostro.

tur. Vid. Liv. I. c. 35. *Gier.* Virg. Aen. V, 148.

Tum plausu fremituque virûm studiisque faventum
Consonat omne nemus.

669. *cessata*, intermissa, cessando consumta. Est autem participium audacter a poeta positum et contra consuetudinem illius aetatis. Fast. IV, 617. *cessatis arvis.* — 670. *corrigit*, compensat. *Cursum corrigere* Liv. XXIX. c. 27.

671. *remorata* in modo patiendi, ut supra v. 439. *mentitus.* — Ambros. *revocata.*

673. *auctor* genere feminino, ut VIII, 108. Her. XIV, 110. XV, 3.

675. *juveniliter*, vi juvenili. III, 626. *juvenili pugno.* Art. A. III, 733. *juveniliter arcum corripit.*

679. *cursu*, sc. Atalantae. IV Heins. *illo.* — Conf. I, 215. Par. 2. et ed. Bas. *ipse.* „Frigida sententia.“ *Gier.*

680. *duxit sua praemia.* Conf. IV, 757. De illo *ducit* non addito *uxorem* conf. II, 525. IX, 763.

681. *turis honorem.* Vid. ad VIII, 743. — Quidam Viv., Dresd. et Goth. 2. *dignaque.* Male. Latini quoque saepe affirmative quod vocant interrogant, ubi etiam *nonne* poni potest. Cic. pro Rosc. Am. c. 12. *Estne hoc illi dicto atque facto Fimbriano simillimum?* Vid. Kühner ad Cic. Tusc. II. c. 11. §. 26.

684. *contemtuque.* Alter Hamb. et II Medic. *contemnique*, quod repugnantibus reliquis tot codd. et vett. edd. recipere non debebat Heinsius. Nata varietas est ex interpretamento. Conf. VI, 130.

685. *meque ipsa*, non alius. Conf. VIII, 388. Atque eam scripturam confirmant cod. Bersm., Goth. 2., II Medic., Par. 1., Rhen. et II Heins. — Vulg. *ipsam.* Conf. XIII, 233. VII, 35. — *caveo*, prohibeo.

686. *deûm matri.* Vid. 104. — *Echion*, ille Cadmi socius in Thebis condendis. III, 126.

687. *nemorosis silvis.* I, 568. *est nemus, quod claudit silva.*

689. Dresd., Bas. 1 — 3. et plurimi Heins. *libido.*

690. Vetusti codd. Mariang. Accursii et IV Heins. *jam numine.* — Pro *Hippomenes* autem scriptum est *Hyppom.* in Vrat. v. 668. et 690., *Hypom.* in Lips. 1. v. 668., *Ypomenes* in Dresd. et Lips. 1. v. 575. 587. et 608., *Hypomanes* in Lips. 1. reliquis locis, *Ypomanes* in Zwicc. ubique, *Ippomanes* in Goth. 2. v. 575., *Hippomanes* in ed. Ven. 1. 2. ubique.

Luminis exigui fuerat prope templa recessus,
Speluncae similis, nativo pumice tectus,
Religione sacer prisca, quo multa sacerdos
Lignea contulerat veterum simulacra deorum.
Hunc init, et vetito temerat sacraria probro.
Sacra retorserunt oculos, turritaque Mater,
An Stygia sontes, dubitavit, mergeret unda.
Poena levis visa est: ergo modo laevia fulvae
Colla jubae velant, digiti curvantur in ungues,
Ex humeris armi fiunt, in pectora totum
Pondus abit, summae cauda verruntur arenae,
Iram vultus habet, pro verbis murmura reddunt,
Pro thalamis celebrant silvas, aliisque timendi
Dente premunt domito Cybeleïa frena leones.
Hos tu, care mihi, cumque his genus omne ferarum,
Quae non terga fugae, sed pugnae pectora praebent,
Effuge: ne virtus tua sit damnosa duobus.“

691. *luminis exigui*, obscuri. Conf. not. ad v. 593. De *recessu* conf. I, 177. Scripturam *luminis* multi codd. corruptam tenent in *liminis*.

692. *nat. pumice tectus*. Conf. III, 159.

693. Virg. A. VIII, 598. *Est ingens lucus — Religione sacer prisca.* Cic. Verr. IV. c. 33. *simulacrum summa atque antiquissima praeditum religione.* — Medic. 2. et Neap. *vota.* Spir. et pro v. l. Goth. 2. *vitta.*

694. *veterum deorum*, quorum simulacra vetusta.

695. *temerat*, polluit, violat. II, 592. — Urb. et alter Heins. *stupro.*

696. *sacra*, simulacra illa. Conf. XIII, 624. Ad rem vid. v. 448 seqq. Nam *retorserunt* est *converterunt ne viderent.* Conf. II, 770. Fast. III, 45. *Vestae simulacra feruntur Virgineas oculis opposuisse manus. Turrita* autem *mater* est Cybele, quippe *turritam coronam* sive *turrim* in capite gestans fingebatur. Fast. IV, 224. Lucret. II, 606.

Muralique caput summum cinxere corona,
Eximiis munita locis quod sustinet urbes.

Conf. Ovid. l. l. v. 219.

697. *Stygia — unda.* I, 139. Dicitur *mergere* cum solo ablativo, cum *in* et abl., cum *in* et accus. et cum *sub* et abl. — *sontes*, Hippomenem et Atalantam.

698. *levis*, h. e. nimis levis. „*ergo colla, quae modo laevia ac sine pilis fuerant, fulvae jubae velant* h. e. tegunt. De illo *velant* conf. v. 432.

700. *in pect. totum pond. abit:* leones enim pectus reliquo corpore crassius habent. Plin. H. N. VIII. c. 15. *colla armosque vestiunt jubae. — Leonum animi index cauda, immota ergo placidus, clemens blandientique similis, quod rarum est: crebrior enim iracundia ejus. In principio terra verberatur, incremento terga, ceu quodam incitamento, flagellantur. Vis summa in pectore.*

702. *iram*, trucem adspectum. Conf. II, 858. VI, 35. — *reddunt*, edunt.

704. *dente premunt*, mordent. Aliam causam, cur leones currui suo junctas habeat Cybele, affert Naso Fast. IV, 215.

Desierat. Coepi: cur huic (matri deûm) *genus acre, leones*
Praebent insolitas adjuga curva jubas?
Desieram. Coepit: feritas mollita per illam
Creditur: id curru testificata suo est.

Lucret. II, 600.

Hanc (Cyb.) *veteres Grajûm docti cecinere poetae*
Sublimem in curru bijugos agitare leones, —
— quia quamvis effera proles
Officiis debet molliri victa parentum.

Conf. Serv. ad Virg. A. III, 113.

705. Redit oratio ad v. 546 seqq.

706. *quae — praebent.* Ita Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Vrat., Zwicc. et meliores Heins. Reliqui *quod — praebent*, nisi quod Rhen. *quod — praebet.*

707. *virtus*, fortitudo, audacia.

„Illa quidem monuit, junctisque per aëra cygnis
Carpit iter; sed stat monitis contraria virtus.
Forte suem latebris, vestigia certa secuti,
Excivere canes, silvisque exire parantem
Fixerat obliquo juvenis Cinyreïus ictu.
Protinus excussit pando venabula rostro
Sanguine tincta suo, trepidumque et tuta petentem
Trux aper insequitur, totosque sub inguine dentes
Abdidit, et fulva moribundum stravit arena.
Vecta levi curru medias Cytherea per auras
Cypron olorinis nondum pervenerat alis:
Agnovit longe gemitum morientis, et albas
Flexit aves illuc. Utque aethere vidit ab alto
Exanimem inque suo jactantem sanguine corpus;
Desiluit, pariterque sinus pariterque capillos
Rupit, et indignis percussit pectora palmis.
Questaque cum fatis, „„At non tamen omnia vestri
„„Juris erunt," dixit „„luctus monumenta manebunt
„„Semper, Adoni, mei; repetitaque mortis imago
Annua plangoris peraget simulamina nostri;
At cruor in florem mutabitur. An tibi quondam
Femineos artus in olentes vertere mentas,
Persephone, licuit; nobis Cinyreïus heros

708. *junctisque — cygnis.* Vid. ad XV, 386. Hor. Od. III, 28, 15. (Venus) *Paphon junctis visit oloribus.* Conf. Met. IV, 615.

712. *juvenis Cinyreïus*, Adonis Cinyrae filius. Vrat. hic et v. 730. *Cynereius*, Goth. 2. *Cinareius*, Zwicc. *Cynareius.* Ed. Ven. 1. 2. hic *Cynar.* et infra *Ciner.*, Lips. 1. utroque loco *Ciner.* Dresd. hic *Ciner.* et infra *Cinareius.* Vid. ad v. 472.

713. *excussit.* Conf. XII, 98.

714. Gron., Ox. et Rhen. *et tecta.*

715. Par. 1. et V Heins. *tortosque. totos quam longos.* IV, 720.

716. *abdidit.* Conf. IV, 720.

717. *levi curru.* Conf. II, 531.

719. *agnovit longe.* Virg. A. X, 843. *Agnovit longe gemitum praesaga mali mens.*

721. *exanimem*, moribundum. Conf. Virg. A. IV, 672.

722. *sinum*, sc. vestimenti sui. – Cod. Bersm., Goth. 2., Lips. 1., Vrat. et meliores Heins. *sinus.* — Meliores Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 1., Vrat. et ed. pr. *desiluit.* Vulg. *desiliit.* Vid. not. ad IX, 314. — *pariter pariterque*, simul, uno eodemque tempore. Conf. XII, 36. VIII, 324. XI, 305. Trist. IV, 1, 13.

723. Conf. V, 472. VI, 248. IV, 590. — *indignis.* Vid. I, 508.

724. *at non.* Arond., Berol., Cal., Rhen. et VI Heins. *at non.* Reliqui *et non*, quod et ipsum ferendum; sed particula adversativa in hoc affectu melior est. Conf. VIII, 279. — De *queri cum aliquo* vid. I, 733. Cic. Verr. II. c. 23. *queri cum multis, ita ut fit, incipiunt.* Vid. ad Trist. III, 8, 39. — 725. Arond., I Medic. et Zulich. *inquit*, quod tam parva auctoritate edere non debebat Heinsius. Conf. XI, 250. — *vestri juris.* Conf. v. 37.

727. *peraget simulamina*, imitabitur. Significat autem Adonia, inter Phoenices orta, in quibus simulacra Veneris et Adonidis circumferebantur ritu funebri (inde *repetita*, q. e. repraesentata, *mortis imago*), mulieres laniabant capillos, percutiebant pectora palmis, additis reliquis luctus signis. Interpp. ad Theocr. Adoniaz. Meursii Graecia fer. s. v. Ἀδώνια. Manso ad Bion. I.

729. Mentho s. Mintha nympha amabatur a Plutone ideoque a Proserpina uxore ejus in mintham herbam mutata est, de qua Plin. H. N. XIX. c. 8. *Mentae nomen suavitas odoris apud Graecos mutavit, cum alioqui mintha vocaretur, unde nostri nomen declinaverunt. Grato menta mensas odore percurrit in rusticis dapibus.* Conf. VIII,

Invidiae mutatus erit?“ “ Sic fata cruorem
Nectare odorato sparsit; qui tactus ab illo
Intumuit, sic ut pluvio perlucida coelo
Surgere bulla solet. Nec plena longior hora
Facta mora est, cum flos de sanguine concolor ortus,
Qualem, quae lento celant sub cortice granum,
Punica ferre solent. Brevis est tamen usus in illo:
Namque male haerentem et nimia levitate caducum
Excutiunt idem, qui praebent nomina, venti.“

664. — Dresd., Goth. 2. et vett. edd. *mentas*.

731. *invidiae*, crimini erit. — *mutatus*, quod a nobis mutatus sit.

732. *sparsit*. Meliores Heins., Goth. 1., Lips. 1., Bas. 2. 4., Vrat. et a corr. Zwicc. *spargit*.

733. *pluvio*. Ita Bas. 4., 1. 3. et 2. in marg., Berol., Dresd., Rhen., Par. 1. in marg. et aliquot Viv. libri, quod tacite edidit Heinsius. Reliqui *fulvo*. Mendose. Ceterum paullo brevius et obscurius dictum. Sensum tamen vidit Regius: „Cum pluvia cadit in aquam, surgit bulla e guttis.“ *Gier. pluvio coelo*, ubi coelum pluvium est. — Cod. Bas. 3., Bersm., Dresd., Lips. 1., Zwicc. et ed. pr. *sicut*.

734. *plena*, integra.

735. *concolor*, ejusdem cum sanguine coloris, i. e. purpureus.

736. *qualem*. „*tali colore qualem*...“ — Rhen. *velant*. Cf. Fast. II, 819. VI, 579.

737. *Punica* sc. mala. Eodem modo Macrob. Sat. II. c. 15. *citrea alia praecarpuntur, alia interim maturescunt*. — Berol., fragm. Boxh., Gron. 1. et VII Heins. *grana*, a librariis, qui *Punica* etiam simpliciter dici aut nescirent aut nollent. Fast. IV, 607.

— — — *solvit jejunia granis,*
Punica quae lento cortice poma tegunt.

Conf. Pont. IV, 15, 8. Ad rem Lactant. Phoen. 125.

Principio color est qualis sub cortice levi
Mitia quem croceum Punica grana tegunt.

737. *in illo*. Vid. v. 651.

738. *male*, non firmiter. Conf. III, 730. IV, 27. Hor. Sat. I, 3, 31. *male in pede calceus haeret*. Nomen autem ejus est *anemone* (Windrose), a Graeco ἄνεμος, *ventus*; inde explicanda illa quae sequuntur *qui praebent nomina venti*. Plin. N. H. XXI. c. 23. *flos nunquam se aperit nisi vento spirante, unde et nomen accepit*. Ceterum *praestant nomina* tuentur Goth. 1., Hamb. 1., Medic. 1. 3., Ox., Twisd. 1., II Heins. et VII Heins. pro v. l. — Aroud. et Rhen. *praebent nomina*. Exc. Pol., nonnulli Viv., codd. Ciof. uno Briant. excepto, cod. Bersm., multi vett. Heins., Dresd., Goth. 2., Par. 1. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *praestant omnia*. Perpauci *praebent omnia*. *Omnia* mendosum est.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER UNDECIMUS.

Carmine dum tali silvas animosque ferarum
Threïcius vates et saxa sequentia ducit;
Ecce nurus Ciconum, tectae lymphata ferinis
Pectora velleribus, tumuli de vertice cernunt
Orphea percussis sociantem carmina nervis.
E quibus una, levem jactato crine per auram,
„En," ait „en hic est nostri contemtor!", et hastam

1. *Orpheus vates a mulieribus Ciconibus orgia celebrantibus ob sexus sui contemtum discerpitur. Caput ejus cum lyra Hebro flumine in mare fertur usque ad Lesbum insulam, ubi serpens dum morsum illi inferre conatur, ab Apolline in lapidem convertitur. Bacchae autem quae vatem occiderant a Baccho in arbores mutantur.* Apollod. I. c. 3. Virg. Georg. IV, 520. Hyg. P. A. II. c. 7. Pausan. IX. c. 30.

1. *Carmine tali.* Continetur carmen hoc X, 135—739. — *animosque ferarum* i. q. *sensibus ferarum* v. 42. Usus nunc est hac periphrasi quia animus sedes sensuum est. — Exc. Lang. et ed. pr. *silvasque.* Rhen. ab hoc versu usque ad XII, 556. lacunam habet.

2. *Threïcius vates,* Orpheus. Vid. ad X, 1. — *ducit,* trahit. Sed ante jam sequentes duxerat s. traxerat, nunc vero delinierat atque oblectarat. Verum poeta ad sensus loquitur. *Ducere* pro *trahere* in Orpheo etiam Hor. Od. I, 12, 11.

Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

Od. III, 2.

Tu potes tigres comitesque feras
Ducere.

Conf. Hor. A. P. v. 396. — Quidam Heins. *traxit* vel *duxit. traxit* etiam Goth. 1., Bas. 4., Zwicc. et ed. Vinc.

3. *nurus Ciconum,* nurus Thracum. Vid. ad VI, 710. X, 2. — *nurus* pro mulieribus omnino ut passim. II, 366. IX, 642. Cf. v. 69. — In Thracia autem orgia imprimis solemnia fuisse supra annotatum est. — *pectora tectae.* Vid. ad I, 332. — *ferinis velleribus.* Vid. ad IV, 6. — *tumuli de vertice.* Vid. ad X, 86 seqq. — *lymphata,* attonita, furore Bacchico correpta. Proprie *lymphatus* dicitur, cui in aqua visa nymphae imago insaniam sive furorem immisit. Fest. de verbor. signif. X. Cf. Hor. I, 37, 14. ibique interpp. — Bas. 2. *lymphatica fulvis.*

5. *percussis sociantem carmina nervis.* Conf. V, 340. I, 518. *per me concordant carmina nervis.* — *Orphea.* Vid. v. 23. V, 42. VIII, 273. XV, 856.

6. *levem — per auram.* Ita cod. Bersm., Dresd., Berol., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et meliores Heins. Goth. 1. pro v. l., Pal. 2. cum vulg. *leves — per auras.* Leid. *de quibus.* — *jactato* autem crine more Baccharum et omnino furore correptarum. III, 726. IV, 6.

7. *en hic est.* Par. 2., unus Med. et

Vatis Apollinei vocalia misit in ora,
Quae foliis praesuta notam sine vulnere fecit.
Alterius telum lapis est, qui missus in ipso
Aëre concentu victus vocisque lyraeque est,
Ac veluti supplex pro tam furialibus ausis
Ante pedes jacuit. Sed enim temeraria crescunt
Bella, modusque abiit, insanaque regnat Erinnys.
Cunctaque tela forent cantu mollita, sed ingens
Clamor et inflato Berecyntia tibia cornu
Tympanaque et plausus et Bacchei ululatus
Obstrepuere sono citharae. Tum denique saxa
Non exauditi rubuerunt sanguine vatis.
Ac primum attonitas etiamnum voce canentis
Innumeras volucres anguesque agmenque ferarum
Maenades, Orpheï titulum, rapuere, theatri;
Inde cruentatis vertuntur in Orphea dextris,

Rott. *hic hic est*. Conf. V, 10. — *nostri contemtor*. Vid. X, 79 seqq. — *hastam*, thyrsum. Vid. v. 27. et not. ad IV, 6. et III, 542. — 8. *vatis Apollinei*; nam et lyrae cantu, cui praeerat Apollo, praestabat Orpheus et Apollinis filius ferebatur. Vid. ad X, 1. 167.

9. *foliis praesuta*. Ejus cuspis pampino vel hedera obvoluta erat. Vid. v. 27. et Cerda ad Virg. Ecl. V, 31. Prop. II, 30, 38. *tecta cuspis*. Sed pro optima scriptura *praesuta* nonnulli Heins. codd. *praesumta*, *protecta*, *praecinta*, *praefulta*, *praefixa*, *pressura*, al. — *notam*, sc. rubicundam vel lividam. Sic Fast. II, 698. *terga notata*, quae habebant vestigia verberum.

11. lascivit iterum poetae ingenium. — *victus*, ut *mollitus* v. 15.

12. *pro tam furialibus ausis*, sc. vatem sacrum vulnerandi. Conf. VI, 84.

13. *sed enim*, ut I, 530. XIII, 141. X, 323.

14. *Erinnys*. Vid. v. 22. IV, 451. 490. I, 241. — De syllaba *it* ante vocalem producta vid. ad I, 114. — Bas. 2., Gron. et Thu. *vesanaque*.

15. *mollita*, sic ut Orpheo nocere non potuissent.

16. „*et tibia Berecyntia inflato* (ejus) *cornu* . . .“ Nam tibia Berecyntia in superiori parte curva erat vel cornu curvum habebat affixum. Vid. Vulp. ad Catull. LXII, 22. Hinc III, 530. *tibia adunco cornu*. Fast. IV, 181. *inflexo Berecyntia tibia cornu stabit*. Hor. Od. I, 18, 13. *Berecyntium cornu*. *Berecyntia* dicta a Berecynto monte Phrygiae ubi in Cybeles sacris inflabatur, unde ad simillima orgia Bacchi translata est. Hujus et tympanorum et cymbalorum sono in furorem agebantur Bacchae. Lucret. II, 620. Hor. Od. III, 15, 10. Cic. Div. I. c. 50. Hinc *furiosa tibia* Fast. IV, 341. Codd. *Berecyntia*. Vid. Spanheim ad Callim. H. in Dian. 246. — 17. De *tympanis* vid. ad III, 553. Plin. Epist. II, 14. haec Bacchanalia respiciens: *plausus tantum*, inquit, *ac potius sola cymbala et tympana illis canticis desunt*. — *plausus* intelligendi plausus manuum. — Unus Medic. et Ox. *tympanaque plausus*; errore librariorum. Conf. I, 105. — De hiatu illo *Baccheï ululatus* conf. v. 93. IV, 535. III, 184. II, 244. — Pal. 2. et Dresd. *et Baccheus* (Dresd. *Baccheius*) *ululatus*. De *ululatu* hoc vid. III, 528.

18. *obstrepuere sono*. Conf. IV, 392. — Par. 1. et Zul. *obstruxere sonum*. Par. 2. *obstupuere sonum*. Vulg. *obstrepuere sono*; nisi quod Caes., Bas. 4., Mor. 1., Pal. 2., Urb. et VIII alii Heins. *sonum*, unus Medic. et unus Voss. *sonos*, et alius Medic. *sonis*. Vid. Tib. II, 1, 86.

20. Libri manuscripti et vett. edd. omnes *etiam nunc*. Idem *ac*. — *attonitas*, obstupefactas, sc. etiamsi illa obstreperent et Maenades furerent. De hoc auditorum coetu sive corona vid. X, 143. *Maenades* autem sunt Bacchae a Graeco μαίνομαι q. e. *furo*. — 22. De illo *rapuere* conf. 37. 38. — *titulum*, gloriam, decus. X, 668. — *theatrum* h. l. est tota illa multitudo audientium. Hor. Od. I, 19, 41. — Margo ed. Gryph. et Bersm. *triumphi*, ab imperito librario.

Et coëunt, ut aves, si quando luce vagantem
Noctis avem cernunt, structoque utrimque theatro
Ut matutina cervus periturus arena
Praeda canum est, vatemque petunt et fronde virentes
Conjiciunt thyrsos non haec in munera factos.
Hae glebas, illae direptos arbore ramos,
Pars torquent silices. Neu desint tela furori,
Forte boves presso subigebant vomere terram,
Nec procul hinc, multo fructum sudore parantes,
Dura lacertosi fodiebant arva coloni;
Agmine qui viso fugiunt operisque relinquunt
Arma sui, vacuosque jacent dispersa per agros
Sarculaque rastrique graves longique ligones.
Quae postquam rapuere ferae, cornuque minaces
Divellere boves; ad vatis fata recurrunt,
Tendentemque manus atque illo tempore primum
Irrita dicentem nec quicquam voce moventem

24. *coëunt*, confluunt. Conf. III, 236.

25. *noctis avem*, noctuam, sed noctis avem ponere maluit, ut illi *luce* opponeretur. — *structo utrimque theatro*, circumscriptio amphitheatri: namque amphitheatrum forma ac specie ex duobus quasi theatris adversis constabat. In amphitheatro autem mane venationes (inde *matutina*), sub meridiem vero ludi gladiatorii edebantur. Vid. interpp. ad Grat. Cyneg. v. 223.

26. *ut*. Lips. 1., multi ex melioribus Heins. et ed. pr. *cum*. Par. 1. 2. *vel*. Reliqui cum edd. Venn. et Parm. *ut*. — Post hunc v. Berol. addit:

Jam morsu petitur cum circumquaque petentum.

Eundem v. Leidensis in margine sic exhibet:

Jam morsu petitur ccum tstaque prementem —

Fictus est e III, 249 seqq. et I, 533 seqq. *Jahn*. — *arena* instauratis ludis amphitheatra sive circus sternebatur; inde pro ipso circo ponitur.

27. *fronde virentes*. Arond., Cant., exc. Jur., Pal. 1. et X alii Heins. *virenti*.

28. *non haec in munera*, non haec in officia, non hunc in usum. Conf. V, 111. Virg. Aen. IV, 647. — 29. *direptos*. Gron. *decerptos*. Vid. III, 52. Heinsii non necessaria conjectura *dereptos*.

31. *presso*. Virg. Georg. 1, 45. *depresso*. — 33. *lacertosi* sunt quorum lacerti validi et robusti sunt.

34. *agmine*, sc. furentium mulierum.

35. *arma*. Virg. G. I, 160.

Dicendum et quae sint duris agrestibus arma.

vacuos, sc. cultoribus. — 36. Constant. Fanens. emendavit *sarculaque rastrique*, quod Heinsius tacite edidit et Goth. 1. 2., Par. 2., Lips. 1., Vrat. et ed. Ald. confirmant. Zwicc. *sarcula rastrique graves*. Dresd. *sarculaque et rastri graves*. Berol., Par. 1. et plerique alii codd. cum vett. edd. *sarculaque et rastrique graves*. — De producto *que* in arsi vid. X, 307., not. ad I, 193. et index in v. *que*.

37. *rapuere*. Vid. v. 22. — *ferae*, furentes. — Nonnulli Heins., unus Bersm., Bas. 1—3., Berol., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Vrat., Twisd. 1. 2. et ed. pr. *minaci*, quod edidit Heinsius. — „Scripsi *minaces* cum Bas. 2. a 2. m., Dresd., Lips. 1., Pal. 2., nonnullis (?) Naug. et reliquis libris vett., cum alioquin eo, quo poeta scripsit ordine, verba *cornu minaci* mihi necessario ad Bacchas referenda esse videantur. *Jahn*. — Jahnum secutus sum, quamvis *cornu minaci* etiam hoc verborum ordine ad *boves* referri posse putem. *Minaces cornu* autem i. q. cornu armatos, nisi quod gravius dictum est.

38. *divellere*. Ita Bas. 1., Berol., Cant., Erf. 1. 2., Goth. 1. 2., Ox., Pal. 1., Lips. 1., Vrat., Thu. et XII alii Heins. — Gron. *divisere*. Cod. Bersm., Goth. 2. pro v. l., Medic. et II Heins. *disiunxere*. Vulg. *divulsere*. Vid. ad VIII, 585. — *ad vatis fata*, ad vatis caedem. — *recurrunt*, quippe ad alia ante se converterant.

39. *atque illo*. Duo Heins codd. nescio qui *et in illo*. Conf. v. 87.

40. *nec quicquam voce moventem*,

Sacrilegae perimunt; perque os - pro Jupiter! - illud,
Auditum saxis intellectumque ferarum
Sensibus, in ventos anima exhalata recessit.
Te maestae volucres, Orpheu, te turba ferarum,
Te rigidi silices, tua carmina saepe secutae
Fleverunt silvae, positis te frondibus arbos
Tonsa comam luxit; lacrimis quoque flumina dicunt
Increvisse suis, obscuraque carbasa pullo
Naïdes et Dryades passosque habuere capillos.
Membra jacent diversa locis. Caput, Hebre, lyramque
Excipis, et - mirum - medio dum labitur amne,
Flebile nescio quid queritur lyra, flebile lingua
Murmurat exanimis, respondent flebile ripae.
Jamque mare invectae flumen populare relinquunt,

qui ejus dulcedine antea omnia, vel saxa et arbores et feras, moverat.“

41. *sacrilegae;* nam vates Musarum et Apollinis sacerdotes eorumque studia sacra. Vid. ad Trist. III, 2, 4. et ad Virg. Georg. IV, 476.

42. *ferarum sensibus.* Conf. v. 1.

43. *in ventos — recessit.* Virg. IV, 705.

Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

Met. V, 106. *medios animam exspiravit in ignes.*

44. *te maestae v. etc.* Virg. Georg. IV, 465.

Te, dulcis conjux (Eurydice), *te solo in litore secum,*
Te veniente die, te decedente canebat (sc. Orpheus).

45. *rigidi.* Bas. 4., Ambr. et II alii Heins. *rigidae,* quod temere edidit Heinsius. Vid. ad IX, 225.

47. *comas.* Cod. Bersm., Pal. 2., Vrat. et IV Heins. *comam*, quod tam parva auctoritate h. l. cupidius recepit Heinsius, uti etiam X, 648. De accus. vid. I, 332. Multi ex vetustioribus Heins. et ed. pr. *coma.* — Veteres autem in luctu saepe capillos tondebant et mortuis ponebant s. sacrabant. Conf. III, 506. Hoc nunc transfert ad arbores. — *lacrimis — — suis increvisse.* I, 584. *fletibus Inachus auget aquas. - pullo. Pullum* substantive dicitur, ut *album* a Virg. Georg. III, 56. Vid. ad IV, 621. *maculis insignis et auro.* Vid. interpp. ad Liv. IV. c. 25. — *carbasa*, palla carbasina. Erat autem carbasus proprie genus quoddam lintei tenuissimi. Virg. A. XI, 775. Curt. VIII. c. 9. Ad rem conf. etiam VIII, 780.

49. *Dryades.* III, 507. — Heinsius edidit *passosque*, quod plurimi Heins., codd. Viv., Vrat. a 1. m., Zwicc. et vett. edd. tuentur. Goth. 2. et a corr. Vrat. *passos.* Exc. Pol., cod. Bersm., Dresd. et Lips. 1. *sparsos.* Berol. et Goth. 1. *sparsosque.* Vid. not. ad Trist, I, 1, 12.

50. *diversa locis.* I, 40. 173. Virg. Georg. IV, 522.

Discerptum latos juvenem (Orphea) *sparsere per agros.*
Tum quoque, marmorea caput a cervice revolsum
Gurgite quum medio portans Oagrius Hebrus
Volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua,
Ah miseram Eurydicen anima fugiente vocabat,
Eurydicen toto referebant flumine ripae.

Hebre. Facinus admissum esse ad Hebrum Virgilius quoque auctor est.

52. *nescio quid flebile murmurat.* Her. XVIII, 82.

Alcyones
Nescio quid visae sunt mihi dulce queri.

Remed. A. v. 766.

Et mea nescio quid carmina dulce sonant.

Queri eleganter de flebili et molli sono lyrae, tibiae et avium. Lucret. IV, 588. *dulces querelas Tibia quas fundit.* Ad rem conf. V, 104 seqq. VI, 555—558.

53. Virg. Ecl. X, 8. *respondent omnia silvae.*

54. *invectae*, lingua et lyra. — *populare*, populi ejusdem unde Orpheus, h. e. Thraciae. I, 577. IX, 20.

Et Methymnaeae potiuntur litore Lesbi;
Hic ferus expositum peregrinis anguis arenis
Os petit et sparsos stillanti rore capillos.
Tandem Phoebus adest, morsusque inferre parantem
Arcet, et in lapidem rictus serpentis apertos
Congelat et patulos, ut erant, indurat hiatus.
Umbra subit terras et, quae loca viderat ante,
Cuncta recognoscit; quaerensque per arva piorum
Invenit Eurydicen cupidisque amplectitur ulnis.
Hic modo conjunctis spatiantur passibus ambo,
Nunc praecedentem sequitur, nunc praevius anteit
Eurydicenque suam jam tuto rescipit Orpheus.
Non impune tamen scelus hoc sinit esse Lyaeus;
Amissoque dolens sacrorum vate suorum,
Protinus in silvis matres Edonidas omnes,
Quae videre nefas, torta radice ligavit.

55. *Lesbi.* II, 591. — *Methymnaeae* a clarissima Lesbi urbe. — *potiri* hac potestate est etiam XII, 38. XIII, 729.

56. *expositum — os*, ejectum os sive caput. — Vulg. cum edd. Venn. et Parm., cod. Par. 1. et nonnullis Viv. *exposito — obstitit*. Sed vetus exemplar Mar. Accursii, cod. Bersm., Berol., Briant., Capran., Dresd., Goth. 1. 2., Joan., Lips. 2., Sulm. 1. 2., Twisd. 1. 2., Urs., Vrat. et IV Vatt. Ciofani, quidam Viv. et plurimi ut videtur Heinsii *expositum*. Iidem (excepto Sulm.), Cael. et Bas. 4. a corr. *os petit*. Inepta propemodum cum Baumgarten-Crusio appellanda est scriptura: *exposito obstitit*. Hinc vera mihi videtur omnium prope codicum lectio *expositum — os petit:* nam versum qui in paucis codd. et edd. Venn. post versum 57. legitur:

Lambit et hymniferos inhiat divellere vultus —

et qui in cod. Voss.:

Extemplo morsu cedit (lege *coepit*) *laniare ferino —*

codd. veteres Viv. emendati, optimi Heins., Bersm., Berol., Briant., Capr., Dresd., Goth. 1. 2., Joan., Par. 1. 2., Lips. 1., Sulm. 2., Twisd. 1. 2., IV Vatt. Ciofani, Vrat. et ed. pr. non agnoscunt.

57. *stillans ros*, aqua roris instar guttatim destillans, ut V, 635. *Gier.* Vrat., multi Heins. et ed. pr. *et sparso stillantes.*

58. *Phoebus*, quippe pater ejus et praeses vatum. Vid. X, 1. et 67. 68.

60. *congelat* h. l. transitivum est, ut et alibi. — De *indurat* cf. VII, 446. et IV, 744. — De transformatione conf. VI, 307. — *patulos hiatus.* Sil. III, 34. *patulus hiatus leonis.*

61. *quae loca viderat ante*, sc. cum ad inferos descendisset. Vid. X, 12 sqq.

62. *per arva piorum*, per campos Elysios, vel *arva beata*, ut Hor. Epod. XVI, 41. Cic. Phil. XIV. c. 12. *piorum sedem.* Conf. XIV, 111.

63. *ulnis.* Alter Twisd. *alis*, ex VI, 707. et VIII, 819. — Bas. 3. *trepidis.*

64. *conjunctis passibus*, juxta se et paribus passibus. Sic IV, 599. De Cadmo et Harmonia in serpentes mutatis: *juncto volumine serpunt.*

65. Alludit ad ea quae narrata sunt X, 50—63. — *anteit*, bissyllabum per synizesin. Conf. I, 77. VI, 113. 635. et not. ad Trist. I, 10, 9.

66. *jam tuto respicit*, sc. quod ante cum periculo fecerat eam amittendi. Vid. X, 50—57.

67. *Lyaeus*, Bacchus. IV, 11.

68. *sacrorum vate suorum;* nam Orpheus orgia Bacchi in Thraciam induxerat. V. 93. Apollod. I. c. 3. — *dolere aliqua re* etiam VI, 130. IX, 256. XIV, 242.

69. *matres Edonidas*, Thracas, ab Edonis, Thraciae gente. Steph. Byz. in v. Hor. Od. II, 7, 26. *non ego sanius bacchabor Edonis.* Edoni etiam montes Thraciae, ubi Bacchi orgia praecipue celebrabantur. Vid. ad Trist. IV, 1, 42.

70. *quae videre nefas.* Bas. 2., Dresd., Medic. 1., Par. 1., Lips. 1., exc. Jur. et VI alii Heins. *fecere.* „Non quae fecere nefas (caedem Orphei) tantum, sed omnes quae videre, quae adfuere.“ *Farnab.* Lactant. in argum. „*quae* caedi interfuerant Orphei.“ — De transformatione

Quippe pedum digitos, in quantum est quaeque secuta,
Traxit et in solidam detrusit acumine terram.
Utque suum laqueis, quos callidus abdidit auceps,
Crus ubi commisit volucris sensitque teneri,
Plangitur, ac trepidans adstringit vincula motu:
Sic, quaecunque solo defixa cohaeserat harum,
Exsternata fugam frustra tentabat; at illam
Lenta tenet radix exsultantemque coërcet.
Dumque ubi sint digiti, dum pes ubi, quaerit, et ungues,
Adspicit in teretes lignum succedere suras,
Et conata femur maerenti plangere dextra,
Robora percussit; pectus quoque robora fiunt,
Robora sunt humeri, porrectaque brachia veros
Esse putes ramos et non fallare putando.
Nec satis hoc Baccho est; ipsos quoque deserit agros,
Cumque choro meliore sui vineta Tymoli
Pactolonque petit, quamvis non aureus illo
Tempore, nec caris erat invidiosus arenis.
Hunc, assueta cohors, Satyri Bacchaeque frequentant;

conf. X, 490 seqq. IX, 351 seqq. — *torta.* X, 490. *obliqua radix.*

71. *in quantum*, quatenus s. ubi quaeque constiterat sequendo. — Heinsius tacite edidit, quod Bersm., Bas. 2. et Dresd. tuentur, *in quantum quaeque secuta est.* Reliqui omnes cum vett. edd., ut edidimus. — 72. *traxit*, sc. in longum sive in spatium. Conf. v. 176.

73. Construe: *et ut volucris, ubi crus suum laqueis, quos callidus auceps abdidit, commisit et teneri se sensit, plangitur ac etc.* — 74. *committere* nunc de ave, quae imprudens et inscia in laqueos incidit. — 75. *plangitur* autem est *agitat se* (conf. VIII, 528.) et alas diverberat. Senec. de Ira. III. c. 16. *Sic laqueos fera dum jactat adstringit, sic aves viscum dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt.*

76. *ut quaeque.* Ita Goth. 2., unus Pat., Vat. 1. et unus Voss. Reliqui cum vett. edd. *quaecunque*, quod mihi verum videtur.

78. *exsultantem*, exsultare conantem. — *lentus*, qui aegre aut omnino non movetur. Similes in arbores transformationes sunt I, 548 seqq. II, 346 seqq. IX, 349 seqq. X, 490 seqq.

80. *succedere.* Dresd. et multi Heins. *succrescere*, ut IX, 353.

81. Exspectes: *pectus quoque robur s. robora fit.* XV, 529. *unumque erat omnia vulnus.*

83. *porrectaque brachia veros.* Ita cod. Bersm., Berol., Briant., Dresd., Goth. 1. pro v. l., unus Maff., Par. 1., Lips. 1., unus Sulm., quidam Heins. — Goth. 1. *longosque br. veros.* Plurimi veteres Heins. *longos quoque br. veros*, vel *brachia tandem.* — *longos quoque brachia veros* etiam Goth. 2., Vrat. et ed. pr. — Alter Maff., Medic. 3., alter Sulm. et edd. Venn. *longos quoque br. vera.* Bas. 1. et Par. 2. *veros quoque br. longa.* Zwicc. *longos quoque br. ramos Esse putes veros.*

84. Heinsius tacite edidit *fallare*, quod Dresd. et nonnulli Viv. libri confirmant. Vulg. *fallere.*

85. *Midas rex Phrygiae a Baccho petit, ut quidquid tetigisset, in aurum verteretur; cumque voti compos factus fame periclitaretur, ab eodem Baccho in Pactolo fluvio sese abluere jubetur. Quo facto ille infelici munere liberatur, fluvius autem aurum vehere coepit.* Cf. Hyg. F. 191. Conon. apud Phot. c. 1. Serv. ad Virg. Aen. X, 142.

85. *hoc*, haec poena de Maenadibus sumta. — *ipsos — agros*, ubi ante libenter commoratus fuerat. — E Thracia nunc transimus in Lydiam et Phrygiam.

86. Jun., Pal. 2. et Par. 1. *spineta.* Quidam Heins., Cael., Goth. 2., Par. 2. pro v. l., Lips. 1., unus Sulm. et Vrat. *pineta.* Reliqui *vineta.* De Baccho hic sermo est. — De *Tymolo* et *Pactolo* vid. VI, 15. — *sui*, ipsi imprimis grati.

87. *non illo tempore*, ut mox factus est. Vid. 142. — 88. *caris*, pretiosis. — De *invidiosus* conf. IV, 795.

89. *Satyri* perpetui Bacchi comites. I, 193. — *frequentant*, celebrant, fre-

At Silenus abest. Titubantem annisque meroque
Ruricolae cepere Phryges, vinctumque coronis
Ad regem duxere Midan, cui Thracius Orpheus
Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo.
Qui simul agnovit socium comitemque sacrorum,
Hospitis adventu festum genialiter egit
Per bis quinque dies et junctas ordine noctes.
Et jam stellarum sublime coëgerat agmen
Lucifer undecimus; Lydos cum laetus in agros
Rex venit, et juveni Silenum reddit alumno.
Huic deus optandi gratum, sed inutile, fecit
Muneris arbitrium, gaudens altore recepto.
Ille, male usurus donis, ait „Effice, quicquid
„Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.“
Annuit optatis nocituraque munera solvit
Liber, et indoluit quod non meliora petisset.
Laetus abit gaudetque malo Berecyntius heros,
Pollicitique fidem tangendo singula tentat.

quentes adsunt. — Bas. 3., Gron. et IV alii Heins. *sequuntur*, ex IV, 25.

90. *at Silenus abest. Silenus* Bacchi educator (v. 101.) et princeps ejus comitatus. Hyg. F. 191. *Eo tempore Liber pater cum exercitum in Indiam duceret, Silenus aberravit, quem Midas hospitio liberaliter accepit, atque duci dedit, qui eum in comitatum Liberi reduceret.* Conf. Met. IV, 25. 26. — *titubantem.* Fast. VI, 677.

Nec mora, convivae valido titubantia vino
Membra movent, dubii stantque labantque pedes.

91. *vinctumque coronis.* Virg. Ecl. VI, 14.

Silenum pueri somno videre jacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho,
Serta procul tantum capiti delapsa jacebant,
Et gravis attrita pendebat cantharus ansa
Aggressi — injiciunt ipsis ex vincula sertis.

Goth. 1. 2., unus Maff., Par. 2. in marg., unus Sulm. et unus Vat. Ciof. et quidam Heins. *catenis.*

92. *Midan.* Justin. XI. c. 7. *Post hunc* (Gordium) *filius Midas regnavit, qui ab Orpheo sacrorum solemnibus initiatus Phrygiam religionibus implevit, quibus tutior omni vita quam armis fuit.* — Pro *duxere* solus Arond. *traxere.* — *Midan.* Vrat., Par. 1. 2. et meliores Heins. — Dresd. et Lips. 1. *Midā.* Vulg. *Midam.*

93. *Cecropio*, Atheniensi. VI, 70. De hiatu vid. v. 17. et not. ad VIII, 310. et IV, 534. II, 244. — Ceterum plures in vetere fabula memorantur Eumolpi, Thrax, Atheniensis ut h. l. et Eleusinius, cujus nomen in Eleusiniis clarum et unde Cereris sacerdotes *Eumolpidae* (C. Nep. Alcib.) appellati sunt. Vid. Heyn. ad Apollod. p. 337. Sed de his tribus Eumolpis, si tres fuerunt, fere omnia confunduntur.

94. XI Heins. et unus Gron. 1. *quem simul.*

95. *genialiter*, ita ut genio indulgeretur, laute et hilariter. *Gier.* IV, 14. X, 95. Fast. III, 523. *festum geniale.*

97. *Lucifer coëgerat stellarum agmen.* Vid. II, 114. — 98. Cod. Arg. *lentus.*

99. *juveni — alumno*, Baccho, cui aeterna juventus. Vid. ad IV, 17.

100. *facere arbitrium*, ut *facere copiam, potestatem* pro *dare. Gier.*

104. *munera solvit*, ut *fidem, dona solvere.* Conf. IX, 794. — Gron. et IV alii Heins. *optanti.*

105. *et indoluit.* Par. 1. *at indoluit.*

106. *Berecyntius heros*, Midas, qui filius fuisse dicitur deae Berecyntiae (V. 16.) s. Cybeles. Hinc *heros.* Hyg. d. l. — *gaudetque malo.* Conf. III, 292. — Cael., alter Hamb. et unus Sulm. et pro v. l. Stat. *datis.* Cant. et Par. 1. *dato.* Reliqui *malo.*

107. Berol. et alter Twisd. *pollicitamque*, quod recepit Heinsius. Medic. 3.

Vixque sibi credens, non alta fronde virentem
Ilice detraxit virgam: virga aurea facta est;
Tollit humo saxum: saxum quoque palluit auro;
Contigit et glebam: contactu gleba potenti
Massa fit; arentes Cereris decerpsit aristas:
Aurea messis erat; demtum tenet arbore pomum:
Hesperidas donasse putes; si postibus altis
Admovit digitos: postes radiare videntur.
Ille etiam liquidis palmas ubi laverat, undis,
Unda fluens palmis Danaën eludere posset.
Vix spes ipse suas animo capit, aurea fingens
Omnia. Gaudenti mensas posuere ministri,
Exstructas dapibus, nec tostae frugis egentes.
Tum vero sive ille sua Cerealia dextra
Munera contigerat: Cerealia dona rigebant;
Sive dapes avido convellere dente parabat:
Lamina fulva dapes admoto dente premebat.

pollicitoque. Exc. Jur. et unus Medic. *pollicitisque.* Reliqui omnes cum vett. edd. *pollicitique.* Her. VI, 110.

Cur tua polliciti pondere verba carent.

Quem locum et ipsum Heinsius temere mutavit. Vid. Praefatio. — „*polliciti fidem tentat*, periculum facit an fides habenda pollicito." *Gier.*

108. „*non alta ilice virgam fronde virentem detraxit.*"

111. *potenti*, vim in aurum mutandi habente. Sic alibi *potentes herbae, potentia verba.*

112. *Cereris*, cujus dona fruges. V, 655.

113. *demtum arbore.* Dicitur *demere arbore*, *ab* et *de arbore.* Her. XX, 9. *demtus ab arbore fetus.* Conf. Met. XIV, 689.

114. *Hesperidas.* Hesperidae custodiebant hortum in extremo occidente, ad Atlantem montem, in quo aurea poma crescebant. IX, 198. — *altis*, ut in regia. — Berol. et edd. Venn. *Hesperidas.*

117. *Danaën eludere*, quam Jupiter specie pluviae aureae eluserat et amplexus erat. IV, 611. VI, 113. Vrat. et VIII Heins. *deludere.* — *palmis*, a palmis. — Scripturam *posset* Berol., Dresd., Goth. 1., Zwicc. et sine dubio multi quoque Heins. et ed. pr. tuentur. Goth. 2., Vrat., Lips. 1, et haud dubie nonnulli Heinsii et edd. Venn. *possit.* *Posset* ad sententiam certe rectius est; ut loquatur de illo antiquo tempore, non de nunc praesente. Conf. VII, 85. VIII, 323. et IX, 288. Ceterum post hunc v. cod. Dresd., Par. 1. 2., Thu., Zwicc. et multi Heins. addunt:

Corporis et membris resplenduit aurea vestis.

118. *vix spes — capit.* Praeclare. vix cogitatione complecti potest omnia, quae aurea deinceps facturus est. *Gier.*

120. *exstructas*, copiam significat. Cic. Tusc. V. c. 21. *mensae conquisitissimis epulis exstruebantur.* — Far, ut facilius mola frangeretur, ante igni torrebatur. Fast. VI, 313.

Sola prius furnis torrebant farra coloni.

Virg. Georg. I, 267.

Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo,

Plin. H. N. XVIII. c. 2. H. l. autem est periphrasis *panis.*

121. *Cerealia munera.* V. 112.

123. *convellere*, morsu scindere, carpere.

124. *premebat.* Sic Flor., exc. Jur., Medic. 1. 3., Neap., Bas. 2., Par. 1. 2., Vrat. a 1. m., Pal. 2., complures alii Heins. et vett. edd. Confirmant II Leid. et Bas. qui *premebant.* Sensus est: *lamina fulva obducebat dapes, ubi dens admovebatur.* IX, 353. *lentus premit inguina cortex.* — Exc. Pol., II Ciof., Bas. 1. in marg., VIII Heins. *rigebant*, e v. 122. — Arond. et unus Mor. *negabat.* Medic. 2. *negabant.* Cod. Bersm., plerique Viv., III Ciof., multi Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2. et Zwicc. *nitebant.* Zwicc. a corr. cum vulg. *nitebat.* Perperam. Unus Leid. *carebant.*

Miscuerat puris auctorem muneris undis:
Fusile per rictus aurum fluitare videres.
Attonitus novitate mali, divesque miserque
Effugere optat opes, et, quae modo voverat, odit.
Copia nulla famem relevat; sitis arida guttur.
Urit, et inviso meritus torquetur ab auro.
Ad coelumque manus et splendida brachia tollens,
„Da veniam, Lenaee pater! Peccavimus;“ inquit
„Sed miserere, precor, speciosoque eripe damno!“
Mite deûm numen, Bacchus, peccasse fatentem
Restituit, factique fidem, data munera, solvit.
„Neve male optato maneas circumlitus auro,
Vade“ ait „ad magnis vicinum Sardibus amnem,
Perque jugum ripae labentibus obvius undis
Carpe viam, donec venias ad fluminis ortus,
Spumigeroque tuum fonti, qua plurimus exit,

125. *auctorem muneris*, Bacchum i. e. vinum, audaci sane metonymia. Conf. VIII, 666. XIII, 639. Trist. V, 5, 4. *Auctorem* autem *muneris;* quia Bacchus ei munus omnia in aurum mutandi dederat. V. 103.

126. *fusile*, a Nasone ut videtur novatum vocabulum.

127. „*divesque et* (tamen) *miser.*“ Conf. VIII, 506. XIV, 279. X, 371. et vid. not. ad Trist. V, 7, 57.

128. Par. 2. *quas*. Cic. ad Fam. II. 8. *complures dies nullis in aliis nisi de re publica sermonibus versatus sum, quae nec possunt scribi, nec scribenda sunt.*

130. *meritus*. Ita quidam Viv., Berol., Cael., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. Dan. Heins., unus Sulm., Vrat., plerique Heins. et vett. edd. — Par. 2. *merit.*, sed in marg. *vel merito*. Reliqui *merito*, minus bene, propter ambiguitatem.

131. *splendida*, auro radiantia, vel auro *circumlita*. Vid. v. 136.

132. *Lenaee*. Vid. IV, 14.

133. *specioso* cum acumine auri splendorem significans dicit poeta.

134. *deûm numen*. Virg. A. II, 623. *inimicaque Trojae numina magna deûm*. Ibidem v. 777. *sine numine divûm*. — *mitis* qui sinit sese exorari *Gier.*

135. *factique fidem*. *Bacchus solvit*, resolvit, irrita facit *data munera, quae fides facti* (i. e. eorum quae fecerat, effecerat) *fuerant*. *Gierig*. Sed hanc scripturam nonnisi Berol., Bon. 1., Mor. 1., alius Heins. et Par. 1. 2. tuentur. Medic. 2. et pro v. l. Neap. *pactique fide*. Gron. 1. *factamque fide*. Hamb. 1., fr. Theat., Zwicc., XII Heins. et ed. pr. *factaque fide*. Non male. Medic. 3., Pal. 2. et reliqui cum edd. Venn. *factique fide*, sine omni sensu. Heinsii conjectura est *pactamque fidem*; at eundem sensum continet recepta scriptura *factique fidem*. — *Solvit: neve*. Junge: *solvit et ait, ne maneas etc.* Conf. II, 33. et I, 151.

136. *male*. Conf. II, 148. — Scripturam *maneas* tuentur Arond., Dresd., Flor., Goth. 1., Neap., Pal. 2. aliique non pauci Heins. et ed. pr., quae multo elegantior est, quam vulgata *maneat*.

137. *Sardes* princeps Lydiae urbs, Croesi regia. Pactolus autem, quem h. l. in animo habet poeta, non tantum vicinus erat Sardibus, sed e Tmolo monte prorumpens mediam urbem perfluebat. Herod. V. c. 101. Strab. XIII. p. 625. Plin. H. N. V. c. 29.

138. *perque jugum ripae*. Par. 1., Thu. et II Heins. *perque jugum montis*, quod interpolator quidam propter voc. *jugum* finxit. *Jahn*. Recte autem pro alta ripa *jugum ripae* dicitur, quod reliqui codd. omnes et vett. edd. tuentur.

140. *spumigeroque*. Cod. Bersm., Lips. 1. et meliores Heins. *spumiferoque*. Sed cum nesciam, quot et qui illi Heinsii meliores sint, cum codd. longe plurimis et vett. edd. dedi *spumigeroque*. Vid. Lucret. V, 983. ibique interpp. — *qua plurimus exit*. Conf. VIII, 584. Eodem modo Virg. Aen. I, 419. de magno flumine *qui plurimus urbi imminet*. Ac sic poetae saepe *plurimus* pro *maximus* ponunt. Idem Virgilius *plurima cervix*.

Subde caput, corpusque simul, simul elue crimen.“
Rex jussae succedit aquae. Vis aurea tinxit
Flumen, et humano de corpore cessit in amnem.
Nunc quoque jam veteris percepto semine venae
Arva rigent auro madidis pallentia glebis.
Ille, perosus opes, silvas et rura colebat
Panaque montanis habitantem semper in antris.
Pingue sed ingenium mansit; nocituraque, ut ante,
Rursus erant domino stolidae praecordia mentis.
Nam, freta prospiciens, late riget arduus alto
Tmolus in adscensu, clivoque extentus utroque,
Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypaepis.
Pan ibi dum teneris jactat sua carmina nymphis,
Et leve cerata modulatur arundine carmen,
Ausus Apollineos prae se contemnere cantus,
Judice sub Tmolo certamen venit ad impar.
Monte suo senior judex consedit, et aures

141. *simul elue crimen.* Virg. A. VI, 741. *aliis sub gurgite vasto Infectum eluitur scelus.* Gron., Sprot. et Thu. *ablue.*

142. *vis aurea*, potestas aurum gignendi. — *succedit*, prope accedit. Conf. III, 165. Dicitur etiam *succedere aliquem locum.* Hyg. *cujus corpus aquam quum tetigisset, facta est colore aureo. Quod flumen nunc Chrysorrhous appellatur in Lydia.*

144. „*nunc quoque — arva rigent pallentia glebis, auro madidis.*“

145. De illo *pallentia* vid. v. 110. — Virg. A. X, 141.

— — — *ubi pinguia culta*
Exercentque viri, Pactolosque irrigat auro.

Senec. Phoen. 604. *opulenta Pactolus inundat auro rura.*

146. *Idem Midas cum iniquum judicium tulisset in cantus certamine Apollinis et Panis pro poena aures asininas accepit. Quod miraculum famulus, qui illud reticere non posset, cum scrobi in terra factae credidisset, s. immurmurasset, subito nata ex eo loco arundine divulgatum est.* Hyg. F. 191. Tzetz. ad Lycophr. v. 1401. Fulg. Myth. III. c. 9. Suidas in *Midas.*

147. *Panaque.* Vid. I, 699. — Arond., Flor., Goth. 2., Neap., Ox., Pal. 2., Thu., complures alii Heins. et pro v. l. Par. 2. *in arvis.* Vulg. *in antris.* Recte. Ut enim di marini in antris aequoreis, sic deus agrestis in antris montanis habitare recte dicitur. Vid. Callim. H. in Dianam v. 87 seqq.

148. *pinguis* de stoliditate et ingenii tarditate passim. Conf. Hor. Sat. I, 3, 58. Hinc etiam illud *crassa Minerva.* — *ut ante*, sc. cum optaret, ut omnia quae tangeret in aurum verterentur.

149. *stolidae.* Cod. Bersm., Goth. 1., Par. 2., Zwicc., multi Heins. et vett. edd. *stultae.* — *praecordia mentis* ponuntur pro corde, animo ac mente, ad Homericum ἐνὶ φρεσὶ θυμός. *Mens animi* Plautus et Catullus loquuntur. Vid. Schrader. ad Musae. p. 192. *Gier.* — *domino* i. e. qui ea haberet. Sic supra *dominus linguae.*

150. *prospiciens*, ex alto et longinquo desuper inspiciens. Mel. II. c. 7. *Pagasaeus sinus Scyron prospicit.* — Ox., Par. 1. 2., fragm. Theat., quidam alii Heins. et ed. pr. *alte.* Perperam.

151. Fragm. Theat. et II alii Heins. *in accessu.* Par. 1., Vrat. et optimi Heins. *extentus.* Vulg. *extensus.* — Inter Sardes et Hypaepas extenditur Tmolus, mons longus et altus. II, 217. VI, 15. Conf. Herod. I. c. 84. V. c. 100. Plin. H. N. V. c. 29. — 152. De *Hypaepis* vid. VI, 13. — *hinc*, septentrionem versus; *illinc*, meridiem versus.

153. *jactat*, laudat. Nam de cantu v. 154. dicitur. — 154. *leve*, levis argumenti. — De *cerata arundine* vid. I, 711. — Dresd., Goth. 1. et plurimi (?) Heins. *moderatur.* Virg. Ecl. X, 51.

Carmina pastoris Siculi modulabor avena.

155. *Apollineos*, Apollinis, qui deus tamen et cantus et Musarum praeses est. I, 518. — 156. *Tmolus* h. l. pro deo montis, ut supra I, 583 seqq. *Inachus* pro deo fluminis, ut alio loco *Achelous.*

157. *consedit*, more judicum. Conf.

Liberat arboribus: quercu coma caerula tantum
Cingitur, et pendent circum cava tempora glandes.
Isque deum pecoris spectans „In judice“ dixit
„Nulla mora est.“ Calamis agrestibus insonat ille,
Barbaricoque Midan - aderat nam forte canenti -
Carmine deliniit. Post hunc sacer ora retorsit
Tmolus ad os Phoebi: vultum sua silva secuta est.
Ille, caput flavum lauro Parnaside vinctus,
Verrit humum Tyrio saturata murice palla,
Distinctamque lyram gemmis et dentibus Indis
Sustinet a laeva, tenuit manus altera plectrum.

V, 317. XIII, 1. — 158. *aures liberat arboribus*, sc. quo clarius audire posset. Sil. I, 205. *frontemque immanibus umbris pinea silva premit.* — *coma caerula*, quia montes longinqui caeruleum colorem referunt. *Gier.*

159. *cava tempora;* nam tempora depressiora caeteris partibus. *Gier.* — Mor. 2. *baccae.*

160. Postquam Tmoli habitum descripsit cum vi pergit: *et hic . . .* — Par. 2. *inque.* Reliqui consensu omnes *isque.* Heinsii supervacanea conjectura est *inde.* — *in judice nulla mora est*, ut Virg. Ecl. III, 52. *in me mora non erit ulla.*

161. *insonat*, er brüllt auf . . Unus Medic. *intonat.*

162. *barbarico — carmine*, agresti; sed h. l. pro Phrygio est. Nam Phrygius cantus, qui nullos modulos habebat, barbaricus habebatur. Hinc poeta Phrygium deum canere fingit Phrygium carmen. Virg. Cir. 166. *barbarica buxus*, tibia Phrygia. Eurip. Iph. Aul. 576. Paris *βάρβαρα συρίζων ψρυγίων αὐλῶν.* Arist. Probl. sect. XIX. §. 49. — *aderat nam forte canenti* cum multis aliis auditoribus. V. 172. 173.

163. *sacer*, ut deus montis. Conf. VIII, 597. — Pro vulg. *deliniit* Flor. et Goth. 1. *delenit.* Berol., Goth. 2., Par. 1., Lips. 1., Zwicc. et ed. pr. *delinit.* Heinsius de suis codd. tacet. Cic. de Fin. I. c. 10. *blanditiis voluptatum deliniti.* Senec. de Benef. IV. c. 22. *delinitos admiratione.* — Scripturam *retorsit* tuentur Briant., Dresd., Goth. 2. pro v. l., unus Maff., Sulm. 1. 2., Vrat. a rec. m., nonnulli Heins. et ed. pr. — Plurimi Heins., Par. 1. 2., Vrat. a 1. m. et reliqui cum edd. Venn. mira ac turpi corruptione *resolvit.*

164. *vultum sua silva secuta est.* Iterum luxuriat poetae ingenium. Conf. v. 157. Stat. Silv. III, 1, 186. — Medic., Mor. et III alii Heins. *dominum.*

165. *lauro:* nam laurus Apollini sacra (I, 317.) et laurea corona ornamentum vatum est. — Ceterum est elegans descriptio Apollinis lyram pulsantis. Sed poeta in ea fere describit citharoedos suae aetatis. Auct. ad Herenn. IV. c. 47. *Uti citharoedus, cum prodierit, optime vestitus, palla inaurata indutus cum chlamyde purpurea, coloribus variis intexta et cum corona aurea magnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatissimam, auro et ebore distinctam, ipse praeterea forma et specie sit et statura apposita ad dignitatem.* Conf. Tibull. III, 4, 25 seqq.

166. *palla*, nostrum *Talar*, erat vestis longior deorum, vatum, citharoedorum. Tib. IV, 6, 13.

— *traxit vagus per pulpita vestem.* Vid. Christ. de imagg. Musarum. p. 5. et Brouckh. ad Tib. IV, 6, 13. Spanheim. ad Callim. in Apoll. 32. — *saturata murice*, imbuta colore purpureo. *Satur color* e Plinio notus. — De *Tyrio murice* vid. VI, 9. et V, 51. Longior illa vestis, quae fere dicitur, *fluere, defluere ad pedes, ferire pedes*, nunc verrit humum. Tib. d. l.

Ima videbatur talis illudere palla. Hor. A. P. 215. *traxit vagus per pulpita vestem.*

167. *distinctamque lyram.* Exc. Pol., Flor., Spir. et I Vat. Heins. *instructamque fidem.* Male. Cod. Bersm., Medic. 4., Pal. 1. Heins., Ox., X Heins. et ed. pr. *instructamque lyram.* Goth. 2. in marg., unus Medic., Par. 1. 2. *distinctamque fidem.* Reliqui fere cum vett. edd., praeter ed. pr., *distinctamque lyram* q. e. distinctis ac variis ornamentis variegatam, quae scriptura et elegantior est, et majorem auctoritatem habere videtur a veteribus libris. Apulej. Florid. I. de Apolline: *Quid quod et lyra ejus auro fulgurat, ebore candicat, gemmis variegatur.* — De *dentibus Indis* vid. VIII, 288.

Artificis status ipse fuit. Tum stamina docto
Pollice sollicitat: quorum dulcedine captus
Pana jubet Tmolus citharae submittere cannas.
Judicium sanctique placet sententia montis
Omnibus; arguitur tamen atque injusta vocatur
Unius sermone Midae. Nec Delius aures
Humanam stolidas patitur retinere figuram;
Sed trahit in spatium, villisque albentibus implet,
Instabilesque imo facit, et dat posse moveri.
Cetera sunt hominis; partem damnatur in unam,
Induiturque aures lente gradientis aselli.
Ille quidem celat, turpique onerata pudore
Tempora purpureis tentat velare tiaris;
Sed solitus longos ferro resecare capillos
Viderat hoc famulus. Qui cum nec prodere visum
Dedecus auderet, cupiens efferre sub auras,
Nec posset reticere tamen, secedit humumque

169. *ipse*. Cod. Bersm., Zwicc. et plures Heins. *iste*. Nonnulli Heins., Dresd., Lips. 1. et ed. pr. *ille*. Vera est vulgata *ipse*. Sc. postquam reliqua ornamenta et signa artificis enumeravit, eleganter concludit: *ipse quoque status artificis fuit*. — Dresd., Goth. 2. et Zwicc. *tunc*. — *stamina* intellige *chordas*, quae X, 89. *fila* dicuntur.

170. *sollicitat*, movet *pollice*. Supra *plectrum* commemoratum est. Sc. chordae pulpa digitorum pulsabantur, sed in clausulis ad pleniorem harmoniam plectro plures chordae uno ictu tangebantur. Vid. Gesner. ad Claudian. 34, 15.

171. „*citharae* Apollinis *cannas suas* h. e. fistulam suam (v. 154.) *submittere* est eas postponere, fateri eas inferiores esse lyrae Apollinis.

172. *sancti*, incorrupti, candidi.

174. *Delius*, Apollo, quia Deli erat natus. VI, 191. Hyg. F. *Apollo indignatus Midae dixit: Quale cor in judicando habuisti, tales et auriculas habebis. Quibus auditis effecit, ut asininas haberet aures.* — 175. Berol. et Goth. 1. *patitur stolidas*.

176. Diligenter et ingeniose describit naturam aurium asininarum. — *trahit in spatium*, extendit, longas facit. III, 20. — *albentibus* sive canis.

177. *instabiles*, mobiles, quales sunt aures asininae. — Scripturam optimam *imo*, q. e. ima parte, tuentur Pal. 2., Par. 1., Spir., Thu. et alius Heins. — Pal. 1. et II alii Heins. *ime*. Ambr., Par. 2., Flor. et Neap. *imas*, ex gl. Cantabr. *Midae*. Reliqui *illas*, minus eleganter. — De verbo *dare* cum infin. vid. ad I, 486. De tota dictione *dat posse moveri* II, 483. *posse loqui eripitur*, ubi vid. not.

178. *partem — in unam*, quod ad partem unam. Conf. I, 720. Hor. Sat. II, 2, 66. *in neutram partem miser*.

179. *induiturque aures*. Cf. v. 203.

180. *celat t. onerata pudore*. Ita Arond., Bon. 1., II Mor., Ox., I Voss. et Zul. — Bas. 1. et Pal. 2. *celare cupit* (Bas. *caput*) *turpemque pudorem*. Lips. 1. *celare cupit, turpique pudori*. Reliqui cum vett. edd. *celare cupit turpique pudore:* certe parum eleganter. — *pudor* h. l. pro dedecore est. Cf. v. 184. Her. XI, 79.

181. *tiara* s. mitra fuit pileus Phrygum cum fimbriis pendulis, quibus mento subligatis malae ac tempora obducebantur: ut auris Midae commode sub illo tegumento latere posset. Vid. Heyn. ad Virg. A. IV, 216. et IX, 616. *Gier.* Petron. fragm. XXVIII, 6.

Sic commisa verens avidus reserare minister
Fodit humum regisque latentes prodidit aures.
Concepit nam terra sonos calamique loquentes
Invenere Midam, qualem narraverat index.

182. *longos*, si longi essent. — *ferro*, forcipe. Isid. XX. c. 13. — 183. Bas. 4. *haec*.

184. *efferre sub auras*, vulgare. Virg. A. II, 158. *omnia ferre sub auras*. Met. III, 296. *exierat sub auras*.

Effodit et, domini quales adspexerit aures,
Voce refert parva terraeque immurmurat haustae;
Indiciumque suae vocis tellure regesta
Obruit et scrobibus tacitus discedit opertis.
Creber arundinibus tremulis ibi surgere lucus
Coepit, et, ut primum pleno maturuit anno,
Prodidit agricolam; leni nam motus ab austro
Obruta verba refert dominique coarguit aures.
Ultus abit Tmolo, liquidumque per aëra vectus
Angustum citra pontum Nepheleïdos Helles
Laomedonteïs Latonius adstitit arvis.
Dextera Sigeï, Rhoeteï laeva profundi

186. Zwicc. et X Heins. *conspexerat.* Dresd., Goth. 2., Lips. 1., plurimi Heins. et ed. pr. *aspexerat.* II Bersm. et reliqui cum edd. Venn. *aspexerit.*

187. *voce parva*, leni. Sic III, 382. *voce magna.* — *haustae*, effossae. XIII, 425. 426. Hinc *haurire* pro vulnerare.

188. *indicium suae vocis*, quod voce sua indicarat. — Cod. Bersm. et nonnulli Heins. *rejecta.* Bas. 2. gloss. „*retro jacta*", in marg. *rejecta.* Conf. VII, 243.

190. *creber arundinibus*, ut VIII, 328. *silva frequens trabibus.* III, 29. *specus virgis et vimine densus.*

191. *pleno*, exacto.

192. Illud *agricolam* cum acumine famulum illum declarat, qui terram foderat eique arcana verba, ut semina, commiserat. — Quae vocis interpretatio et orationis contextu et iis, quae sequuntur, confirmatur. Jahn *Midam* intelligit. Flor. *agricola.*

193. *obruta verba.* V. 189. *indicium obruit.* Auson. Epist. XXIII, 18.

Depressis scrobibus vitium regale minister
Credidit, idque diu texit fidissima tellus:
Inspirata dehinc vento cantavit arundo.

194. *Apollo et Neptunus Laomedontem in aedificandis Trojae muris adjuvant: quibus finitis quum ille pactam mercedem solvere nollet, terram Neptunus in freti formam convertit.* Apollod. II. c. 5. et 6. Hyg. F. 89. *Ut malorum finem impetraret, Laomedon Hesionen filiam oraculi responso ceto exponere jubetur, quam cum Hercules liberasset, atque et ipse mercede fraudatus esset, Trojam cepit Hesionenque Telamoni, comiti suo, concessit in conjugium, ex qua natus est Teucer.* Hom. Il. XXI, 443 seqq. Serv. ad Virg. A. I, 553. Apollod. et Hyg. l. l. Conf. Diod. Sic. IV. c. 42.

194. *Tmolo*, ubi illa facta erant. V. 85 seqq. — Langerm., Voss. pro v. l. et Goth. 2. *lapsus.* Par. 1. *victor.* Mor. *ultor.*

195. *Helle*, Athamantis et Nepheles filia, Phrixi soror, quum novercam fugeret, cum fratre in ariete per Hellespontum natans in illo freto periit eique nomen dedit. Apollod. I. c. 9. Hyg. F. 1—3. — *angustum pontum.* Plin. N. H. IV. c. 9. *Hellespontus VII stadiis Europam ab Asia dividens.* Trist. I, 10, 27. *per angustas vectae male virginis undas.*

196. *Laomedonteïs arvis*, arvis, ubi Laomedon rex erat, h. e. Troade. — *Latonius*, Latonae filius, Apollo. VI, 384. — Heinsius ex Mss. (?) edidit *Letoïus.* Goth. 2., Vrat. et edd. Venn. et aliae *Latoïus.* Berol., Dresd., Goth. 1., plurimi Heinsii, Lips. 1., Zwicc. et reliqui codd. cum ed. pr. *Latonius.* Dicitur *Letoïus* a Graeco Λητώϊος, *Latoïus* a Dorica forma Λατώϊος s. Λατῷος, et Latino modo *Latonius.* Forma quae maximam difficultatem habet *Latoïus* firmatur Hor. Od. I, 31, 18. (si ille locus lanus est), ubi est *Latoë* pro *Latoïe* a Dorica forma Λατῷος. Conf. A. Gell. N. A. XIII. c. 22. Sed quum Naso in nominibus Graecis nunc formis Graecis nunc Latinis utatur, cum longe plurimis et optimis codd. scribendum est *Latonius*, uti etiam Trist. V, 1, 57. legitur. Conf. v. 444. Met. I, 696. VIII, 394.

197. *Sigeum* et *Rhoeteum* sunt II promontoria Troadis. Mela I. c. 18. *Rhoeteum profundum* est mare ad Rhoeteum. — Vrat. et vett. edd. *Sigaei.* Hoc dicit: *inter Sigeum mare ad dextram et Rhoeteum ad sinistram ara etc.* — *profundi* pro substantivo ut v. 202. II, 267. Conf. not. ad II, 220.

Ara Panomphaeo vetus est sacrata Tonanti.
Inde novae primum moliri moenia Trojae
Laomedonta videt, susceptaque magna labore
Crescere difficili, nec opes exposcere parvas.
Cumque tridentigero tumidi genitore profundi
Mortalem induitur formam, Phrygioque tyranno
Aedificant muros, pacti pro moenibus aurum.
Stabat opus: pretium rex infitiatur, et addit
Perfidiae cumulum falsis perjuria verbis.
„Non impune feres!“ rector maris inquit, et omnes
Inclinavit aquas ad avarae litora Trojae,
Inque freti formam terras convertit, opesque
Abstulit agricolis et fluctibus obruit arva.
Poena neque haec satis est; regis quoque filia monstro

198. *Tonans.* Jupiter. II, 466. I, 170. — *Panomphaeus* a Graeco παν-ομ-φαῖος quod est *auctor omnis vaticinii.* Vid. Hom. Il. VIII, 250. ibique Eustath. *Panomphaeo* correctio est Raph. Regii. Nam libri apud Regium et Vrat. *Panopheo.* Reliqui fere omnes *Panopeo.* Lactant. in argum. *Jovis Panomphaei,* sed ibi quoque codices variant.

199. *moliri.* Conf. VIII, 301. Virg. A. I, 423. *pars ducere muros Molirique arcem.* — *novae,* nuper ab Ilo Laomedontis patre conditae. Vid. Hyg. et Apollod. l. l.

200. *susceptа* pro substantivo. Conf. I, 210. XIV, 92.

202. *tridentiger* (VIII, 596.) — *genitor profundi* est Neptunus. Stat. Achill. I, 61. *magni rector genitorque profundi.* Atque ita dì passim genitores, patres, vocantur earum rerum, quibus praesunt. Nonnulli Heins. *rectore;* alii *domitore.* Cod. Bersm., Dresd., Goth. 2., Vrat. et nonnulli Heins. *tridentifero,* ut VIII, 596.

203. *Phrygioque.* Ita cod. Bersm., meliores Heins., Berol., Goth. 1., Par. 2., Lips. 1., Dresd., Vrat. et Zwicc. — Goth. 2., Pal. 2., Par. 1. et vulgata *Phrygiaeque,* ex interpretatione. De *Phrygia* vid. ad X, 155. — De constructione *induitur m. formam* conf. v. 279. IV, 511. *recingitur anguem.*

204. *aedificant.* Nonnulli Viv., Vrat., deteriores Heins. *aedificat.* Cod. Bersm., Par. 1. 2., reliqui Viv., meliores Heins. et vett. edd. *aedificant.* Recte. — Qui *aedificat* exhibent Vrat., ed. Parm. et Ven. 11. 86., nonnulli Viv. et deteriores Heinsii, etiam *pactus aurum* habent. Nimirum una corruptio, ut saepe, peperit lateram. Meliores Heins., reliqui Viv. *pacti aurum* vel *pacto auro. Pacti aurum* etiam Dresd., Pal. 2., Par. 1., Lips. 1., Zwicc. et ed. pr. Sed Berol., Bas. 1. in marg., Bas. 2. 3., Goth. 1. 2., Par. 2. et ed. Venn. 2. *pacto auro.* Utrumque habere locum potest. Sed prius majorem habere videtur auctoritatem vetustatis. Hor. Od. III, 3, 22. *ex quo destituit deos mercede pacta Laomedon.*

206. *perfidiae cumulum* pro appositione est. Conf. v. 213. et XIV, 472. — *perjuria.* Conf. Virg. A. V, 810. IV, 542. — 207. Twisd. *infit.* — 208. *avarae,* propter avaritiam Laomedontis Trojae regis. Bas. 2. 3., Cael., Dresd., Goth. 2., Lips. 2., unus Sulm. et plerique reliqui Heinsiani *moenia,* e v. 215. ut videtur. — Hoc dicit poeta: *inclinavit aquarum vim ad litora Trojae* (Jam quid inde acciderit exponit) *et terras convertit in formam maris etc.* Amor. III, 11, 39.

Tum mare in haec magnus proclinet litora Nereus.

210. *arva.* Sic Berol., Cant., Dresd., Goth. 1. 2., Gron. 1., Pal. 1., Par. 1., Lips. 1., unus Sulm., Vat. 1. et plures alii Heins. — Reliqui *agros.*

211. *regis filia,* Hesione. Conf. IV, 669 seqq. et V, 18. Hyg. Fab. 89. *Neptunus cetum misit, qui Trojam vexaret. Ob quam causam rex ad Apollinem misit consultum. Apollo iratus ita respondit: si Trojanorum virgines ceto religatae fuissent, finem pestilentiae futurum. Quum complures consumptae essent, et Hesionae sors exiisset, et petris religata esset, Hercules et Telamon, quum Colchos Argonautae irent, eodem venerunt, et cetum interfecerunt, Hesionenque patri, pactis legibus, reddunt, ut, quum inde rediissent, secum in patriam eam abduceret, et equos, qui super aquas et ari-*

Poscitur aequoreo. Quam dura ad saxa revinctam
Vindicat Alcides, promissaque munera, dictos
Poscit equos; tantique operis mercede negata,
Bis perjura capit superatae moenia Trojae.
Nec pars militiae, Telamon, sine honore recessit,
Hesioneque data potitur; nam conjuge Peleus
Clarus erat diva, nec avi magis ille superbit
Nomine, quam soceri: siquidem Jovis esse nepotem
Contigit haud uni, conjux dea contigit uni.
Namque senex Thetidi Proteus „Dea" dixerat „undae,
„Concipe: mater eris juvenis, qui fortibus actis
Acta patris vincet, majorque vocabitur illo."
Ergo, ne quicquam mundus Jove majus haberet,
Quamvis haud tepidos sub pectore senserat ignes,
Jupiter aequoreae Thetidis connubia vitat,

stas ambulabant. Quod et ipsum Laomedon fraudavit, neque Hesionen reddere voluit. Itaque Hercules ad eos navibus comparatis, ut Trojam expugnaret, venit et Laomedontem necavit. — — Hesionen reciperatam Telamoni concessit in conjugium, ex qua natus est Teucer. — monstro aequoreo, dat. commodi.

212. *poscitur*, sc. oraculi responso. Vid. ad v. 194.

213. *dictos*, promissos, pactos. Fast. VI, 594. *dictas exige dotis opes*. Nonnulli Heinsiani *pactos*. — Erant autem equi immortales et qui super aquas et aristas ambularent, quos Troï pro rapto Ganymede (X, 155 seqq. XI, 756.) dederat Jupiter. Apollod. I. l. Hom. Il. XX, 145.

215. *bis perjura*, sc. in deos et in Herculem.

216. *nec pars militiae*, nec militiae socius. V. 575. — *Telamon*, filius Aeaci, pater Ajacis. VII, 476 sqq. De re vid. Hyg. l. l. ad v. 211. et Apollod. II. c. 6. Ex Hesiona Teucrum genuit Telamon.

217. *nam conjuge* etc. Similis transitio ad novam fabulam est IV, 609. — *conjuge diva*, Thetide, Nerei filia. — *potitur* penultima correpta, ut v. 339. VII, 155. IX, 60. Virgil. A. III, 56. Conf. Met. XIV, 641.

218. *avi*. Pater Aeaci, avi Pelei, fuit Jupiter. VII, 472. — 219. *socer* Nereus deus marinus. II, 268. — *nepotem*. Flor., Dresd., Goth. 1., unus Medic. et ed. pr. *nepoti*. Conf. VIII, 406. — 220. *haud uni*, sed multis. Ceterum quo jure huic uni, deam conjugem contigisse dicat, ipse viderit poeta.

221. *Peleus* (VII, 476), *a Jove Thetida filiam Nerei ducere jussus, dea, postquam assumtis variis figuris evadere tentarat, Protei* (II, 9. VIII, 734.) *arte atque consilio potitus est*. Apollod. III. c. 13. Hyg. F. 54. et P. A. II. c. 15. Eustath. ad Hom. Il. XXIV, 534.

221. Omnes fere codd. Mariang. Accurs., cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *dea dixerat undae*. Nonnulli libri Mar. Accurs. et reliqui nuper collati *praedixerat undae*. Heinsius nihil annotavit, nisi in nonnullis legi *udae*. — Ceterum Protei vaticinia passim commemorantur. Virg. G. IV, 392. Hom. Od. IX, 364 sqq.

222. *concipe*, nube, consequens pro antecedente. Conf. III, 268. — *juvenis* autem ille est Achilles. VIII, 309. — Exc. Langerm. et prior Strozz. *juveni*, quod temere recepit Heinsius. Vid. ad IX, 540. VIII, 157. 88. XIV, 371. X, 207. — Bas. 1. inter versus, Berol., Dresd., Goth. 2., Gron. 1., Medic. 1., Ox., V alii Heins. et marg. Par. 2. *actis*, quod concinnius et elegantius est quam vulg. *armis*. Her. VIII, 43.

Ille licet patriis sine fine superbiat actis,
Et tu quae referas acta parentis habes.

224. *Jove maj.* Conf. II, 62. Hyg. *ne si fortior nasceretur, Jovem de regno dejiceret.*

225. *quamvis - senserat*. De quamvis cum indic. vid. index in *quamvis*.

226. Jupiter igitur Thetidis connubium vitabat [illegible] filium gigneret, qui major esset ipso: siquidem Thetis parritua

Inque sua Aeaciden succedere vota nepotem
Jussit et amplexus in virginis ire marinae.
Est sinus Haemoniae curvos falcatus in arcus,
Brachia procurrunt: ubi si foret altior unda,
Portus erat; summis inductum est aequor arenis.
Litus habet solidum, quod nec vestigia servet,
Nec remoretur iter, nec opertum pendeat alga.
Myrtea silva subest, bicoloribus obsita baccis.
Est specus in medio, natura factus an arte
Ambiguum, magis arte tamen, quo saepe venire
Frenato delphine sedens, Theti, nuda solebas:
Illic te Peleus, ut somno vincta jacebas,
Occupat, et, quoniam precibus tentata repugnas,
Vim parat innectens ambobus colla lacertis.

erat filium, qui major esset patre. VI, 154. Itaque Peleum Aeaci filium nepotem suum (V. 219.) eam ducere jubet. — Cod. Bersm., Cael., Goth. 1, Pal. 2., Par. 2., unus Sulm., Vrat., Zwicc., plurimi Heins. et ed. pr. *fugit*. Par. 1., multi ex melioribus Heins. et reliqui *vitat*.

227. *in sua vota succedere* est connubio, quod ipse optabat, potiri. — Meliores Heins., Goth. 2., Bas. 1., Par. 1., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *in suaque*. — Zwicc. a corr., Par. 2. et reliqui *inque sua*.

228. *in amplexus ire* modeste concubitum declarat, ut VII, 616. *sub amplexus ire*.

229. *sinus* iste *Haemoniae* (I, 568.) est sinus *Maliacus* inter Thessaliam et Achajam. Plin. H. N. IV. c. 7. — Unus Heins *modicos*, ut videtur, ex Her. II, 131.

Est sinus adductos modice falcatus in arcus.

Aeacus quidem Aeginam tenebat (VII, 616. 474.); sed Telamon et Peleus cum Phocum fratrem occidissent (V. 267), Telamon Salamina venit, Peleus autem Phthiam in Thessalia ad sinum Maliacum, ubi ab Eurytione ducta ejus filia in regni partem adscitus est. Apollod. l. l.

230. *brachia*, extremitates litoris cornuum instar sinum ambientes. Vid. Cerda ad Virg. A. III, 533.

231. *erat*, esset. — *summis - arenis*. Hoc vult, tenui aqua arenam tectam fuisse.

232. *quod nec - servet*, quod fieri solet locis arenosis et limosis. *Gier.*

233. *pendeat*, quia alga pendet litore, ipsum litus *pendere alga* dicitur.

234. *myrtea silva*. Myrteta amant *litora*. IX, 335. — *subesse* pro *propinquum esse*, ut *sub* pro *prope*, *subire*, *succedere* pro *accedere*. Fast. II, 703. *hortus suberat*. — 235. Priscian. VI. c. 14. et cod. Bas. *et specus*.

236. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Zwicc. et ed. pr. *ambiguum est*. Heinsius *est* tacite omisit, quod a reliquis libris abest.

237. *frenato delphine sedens*. Nereïdes belluis marinis vehuntur. Tib. I, 5, 45.

Talis ad Haemonium Nereïs Pelea quondam
Vesta est frenato caerula pisce Thetis.

Conf. Stat. Theb. I, 130. Prop. III, 1, 46. III, 2, 6. et Met. II, 13.

238. *vincta*, ligata. Ita Bas. 1., Par. 2., Dresd., Erf. 1., Flor., Medic. 1., Vrat., VI Heins. et ed. pr., quod accommodatius est illi *occupat*, quam scriptura reliquorum veterum librorum *victa*, et exquisitius est. De discrimine harum scripturarum apposite disputat Handius ad Stat. Silv. I, 2., 242: Latini dicunt *vinctum somno*, qui dormit et somno ligatus jacet, sed *victum* qui lassitudini occumbit et somnum repellere non potuit. Neque igitur ipse dormiens vocatur *victus*, et verbum *vinciri* eandem habet vim, quam ubi de vino et mugicis artibus usurpatur.

239. *precibus tentata*. Amor. II, 3, 17.

Aptius ut fuerit precibus tentasse, rogamus.

Virg. Aen. IV, 113. *animum tentare precando*. — Bas. 4. et unus Bersm. *precibus quoniam*.

240. *colla*. Ox. et Pal. 2. *vincta*. Claud. R. Proserp. II, 369.

Mutuaque alternis innectite colla lacertis.

Conf. Trist. V, 3, 3.

Quod nisi venisses variatis saepe figuris
Ad solitas artes, auso foret ille potitus.
Sed modo tu volucris: volucrem tamen ille tenebat;
Nunc gravis arbor eras: haerebat in arbore Peleus.
Tertia forma fuit maculosae tigridis: illa
Territus Aeacides a corpore brachia solvit.
Isque deos pelagi vino super aequora fuso
Et pecoris fibris et fumo turis adorat:
Donec Carpathius medio de gurgite vates
„Aeacide," dixit „thalamis potiere petitis:
„Tu modo, cum gelido sopita quiescet in antro,
Ignaram laqueis vincloque innecte tenaci.
Nec te decipiat centum mentita figuras;
Sed preme quicquid erit, dum, quod fuit ante, reformet."
Dixerat haec Proteus, et condidit aequore vultum
Admisitque suos in verba novissima fluctus.
Pronus erat Titan inclinatoque tenebat
Hesperium temone fretum; cum pulchra relicto

241. *venisses ad solitas artes*. Conf. IX, 62. et VIII, 731 — 740.

242. *ausum* pro substantivo, ut X, 460. II, 328. — Bas. 4., Barb. et III alii Heins. *ausu*. — *auso potiri* habet etiam Virg. VI, 624.

243. *sed modo*. Hamb. 2. et unus Sulm. *nam modo*, ex VIII, 735., quem locum cum nostro confer. Vid. etiam Virg. Georg. IV, 397 sqq.

244. *gravis*, magna et immota.

247. *isque*. Bas. 3. et Lips. 1. in litura *inde*, quod tacite edidit Heinsius. Pal. 2. et unus Heins. *inque*. Multi Heins. et a corr. Pal. 2. *jamque*. Mor. *postque*. Reliqui et vett. edd. *isque*. Conf. v. 160. Ceterum eadem Aeneas Aen. V, 237. dis marinis vovet.

Vobis laetus ego hoc candentem in litore taurum
Constituam ante aras, voti reus, extaque salsos
Porriciam in fluctus et vina liquentia fundam.

249. *Carpathius - vates*, Proteus dicitur a Carpatho insula Aegei prope Aegyptum, in qua sedem habuit. — Vid. Voss. ad Virg. Georg. IV, 397. Protei vaticinandi facultas passim memoratur. Conf. supra v. 221.

250. *Aeacide*. Twisd. et unus Voss. *Aeacida*, quod, ut multis aliis locis, temere recepit Heinsius. Reliqui omnes *Aeacide*. Recte. Vid. ad VII, 798.

251. *quieseet*. Ita cod. Bersm., Goth. 1. 2, Par. 1. 2., multi Heins. et ed. pr. Recte; de re futura enim loquitur Proteus. Vulg. *quiescit*. Unus Bas., Gron. 1. et exc. Jur. *quieverit antro*. — Unus Bon., Flor., unus Medic. et ed. pr. *rigido*.

252. *laqueis vincloque*. Virg. Georg. IV, 405.

Verum ubi correptum laqueis vinclisque tenebis.

253. *nec te decipiat*, nec elabi patiare. Fast. I, 369. de Proteo, qui eandem naturam multas formas accipiendi habebat:

Decipiat ne te versis tamen ille figuris,
Impediant geminas vincula firma manus.

Par. 2., Zwicc. et X Heins. *ment. figuris*. — *mentita*, licet mentita sit. Conf. V, 326.

254. *preme*, usque ac tenaciter tene. — *reformet*, in priorem formam restituat. IX, 400. *reformatus in priores annos*. Virg. Georg. IV, 412.

Tanto, gnate, magis contende tenacia vincla,
Donec talis erit, mutato corpore qualem
Videris, incepto tegeret quum lumina somno.

256. *admisitque s. in verba nov. fluctus*. Conf. II, 363.

257. *pronus*, ad occasum versus. Conf. II, 67. — De *inclinato temone* vid. ad X, 447. *Titan*. I, 10. — Scripturam *tenebat* tuentur cod. Bersm., Bas. 1. 3. 4., Berol., Cael., Farn., Goth. 1., Lips. 1., Sulm. 1., Vrat., Zwicc., meliores Heins., III Ciofani et vett. edd. — Nonnulli codd. cum vulg. *pete-*

Nereïs ingreditur consueta cubilia ponto.
Vix bene virgineos Peleus invaserat artus;
Illa novat formas, donec sua membra teneri
Sensit, et in partes diversas brachia tendit.
Tum demum ingemuit „Neque“ ait „sine numine vincis“,
Exhibita estque Thetis. Confessam amplectitur heros
Et potitur votis ingentique implet Achille.
Felix et nato, felix et conjuge Peleus,
Et cui, si demas jugulati crimina Phoci,
Omnia contigerant. Fraterno sanguine sontem,
Expulsumque domo patria Trachinia tellus
Accipit. Hic regnum sine vi, sine caede tenebat
Lucifero genitore satus, patriumque nitorem
Ore ferens Ceyx, illo qui tempore maestus
Dissimilisque sui fratrem lugebat ademtum.

bat. Sed prius naturae rei accommodatius est, ac librariorum inventioni parum simile. *Tenebat* autem h. l. valet *tangebat* s. *attigerat.*

259. *Nereïs*, Thetis. Vid. ad v. 221. Vulg. *fluctu;* sed Berol., Briant., Cael., Dresd., Goth. 1. 2., unus Maff., Par. 1. 2., Lips. 1., Sulm. 2., Vrat. a rec. m., Zwicc., meliores Heins. et ed. pr. *ponto.* Unus Bon. ‖ Flor., Neap., Sulm. 1. et a 1. m. Vrat. *saxo.* — *consueta cubilia.* Vid. v. 235. sqq. Conf. Virg. Georg. IV, 429.

260. *vix bene* etc. II, 47. — Nonnulli Viv., Briant., Goth. 2., Par. 1., quidam Heins. et ed. Junt. *evinxerat.*

262. *sensit.* Heinsius praestantiores (?) suos *sentit* habere scribit, quod etiam Bas. 2. exhibet. Reliqui omnes cum vett. edd., *sensit.* — *tendit* extenta habuit, tendere vi coacta est, sc. ne resistere posset. De illo *tendit* conf. *signarat* XIII, 754. — Inutilis conjectura est *tendi.* Simillimam corruptionem vidimus ad I, 36. Par. 2., Goth. 2. et nonnulli Heins. *tendens Tum, denique* etc.

263. Junge: *ingemuit et ait: non.* . IX, 131. I, 456. — Cod. Bersm., Dresd. et edd. Venn. *tunc.* Male.

264. *exhibita est*, ut VI, 44. *Pallada exhibuit*, q. e. deposita falsa figura Palladis formam rursus ostendit. — *confessam.* III, 2. Jupiter *se confessus erat.*

265. *ingentique.* Ad magnitudinem ac fortitudinem referendum, qua excelluit Achilles. VIII, 309. *magni creator Achillis.* — *implet.* IX, 280. Hinc mulier *plena*, pro *gravida*, alibi.

266. *Peleus ob interfectum fratrem Phocum* (VII, 477.) *Aegina patria exsul venit ad Ceycem Trachiniorum regem, Luciferi filium. Is licet in summo luctu esset, eum excepit narratque Chionen fratris filiam quum pulchritudine sua superbisset, a Dianae sagittis transfixam, ac fratrem Daedalionem ab rupe sese dejecisse et in accipitrem mutatum esse.* Apollod. III. c. 12. 1. c. 7. Diod. Sic. IV. c. 72. Apollon. Rh. I, 93 seqq. Hyg. F. 200. Anton. Lib. c. 38.

266. Conf. IX, 333.

267. *Phoci.* Arond., unus Bas. et Langerm. *fratris.*

269. *Trachin* Thessaliae urbs in Phthiotide, sub Oeta monte prope sinum Maliacum. — Dresd., Goth. 1., Par. 2. et Vrat. *patriaque.*

270. *tenebat.* Ita Berol., Goth. 2., Par. 1. et in marg. 2., Lips. 1. et meliores Heins. — Reliqui cum vett. edd. *regebat.*

271. *patrium nitorem*, patrium splendorem. Vid. II, 722. *Lucifero genitore satus.* Hyg. F. 65. *Hesperi sive Luciferi et Philonidis filius.* Ceterum Ceyx Trachiniorum rex etiam Herculem hospitaliter acceperat. Diod. IV. c. 168. Pausan. Attic. p. 79.

273. *dissimilis sui*, non ea hilaritate, qua alias esse solebat. II, 381. Eleg. ad Liv. v. 85 sqq.

Vidimus attonitum fraterna morte Neronem
Squalida promissa flere per ora coma,
Dissimilemque sui, vultu prodente dolorem.

Quo postquam Aeacides fessus curaque viaque
Venit et intravit paucis comitantibus urbem
Quosque greges pecorum, quae secum armenta trahebat,
Haud procul a muris sub opaca valle reliquit;
Copia cum facta est adeundi prima tyranni,
Velamenta manu praetendens supplice, quis sit
Quoque satus, memorat: tantum sua crimina celat,
Mentitusque fugae causam petit, urbe vel agro
Se juvet. Hunc contra placido Trachinius ore
Talibus alloquitur: „Mediae quoque commoda plebi
„Nostra patent, Peleu, nec inhospita regna tenemus.
Adjicis huic animo momenta potentia, clarum
Nomen avumque Jovem. Nec tempora perde precando:
Quod petis omne feres, tuaque haec pro parte vocato,
Qualiacumque vides. Utinam meliora videres!“,

Hei mihi, quam toto luctus in ore fuit.

Ordo autem hic est: *postquam . . intravit, et . . reliquit; memorat* (quando?) *quum . . .*, *quis sit* etc.

274. Protasis pertinet usque ad v. 277., et apodosis incipit a verbis: *copia cum facta est.* Inscite alii post *reliquit* punctum ponunt.

276. Unus Berol. et ed. Junt. *et quae.* — *pecora* h. l. sunt minores bestiae, ut oves, caprae. Hinc *pecora* et *armenta* recte conjunguntur. *Greges pecorum* etiam Curt. V, 6, 15. *passim errantes pecorum greges reperere.* Virg. A. VII, 538. *Quinque greges illi balantum, quina redibant Armenta.* — *trahebat* elegans verbum, ad declarandum tardum incessum armentorum. — 277. *sub valle.* Tib. II, 3, 21. *caneret quum valle sub alta.*

278. *prima.* Ita Berol., exc. Cal., Cant., Goth. 2., Graev., Ox., Pal. 1. 2., Par. 1., Lips. 1., Vat. 1., X alii Heins. et ed. pr. — Reliqui *tecta tyranni.* Difficile est, utrum verum sit discernere; nisi quod *prima* insolentius est. Conf. VI, 447.

279. *velamenta*, vitta ramo oleagino ita circumdata, ut inde dependens manum obvolveret. Talem enim vittatum ramum *praetendere*, praeferre solebant supplices. Hom. Il. I, 14. Virg. A. VII, 237.

Praeferimus manibus vittas ac verba precantia.

VIII, 116.

Pacifieraeque manu ramum praetendit olivae.

XI, 100.

Jamque oratores aderant ex urbe Latina,

Velati ramis oleae veniamque rogantes.

VIII, 128.

Et vitta comtos voluit praetendere ramos.

Namque *velare* in hac re solemne. Vid. ad Trist. V, 5, 10. De hoc ritu vid. Heyn. ad Virg. A. VIII, 128.

279. *quis sit.* Meliores (?) Heins., Berol., Par. 2., Vrat. et ed. pr. *qui sit.* Sed vulgata *quis sit* Nasoni usitatior est. — Bas. 1. et Dresd. *qui sunt.*

281. *fugae*, exsilii. — Veram scripturam *mentitusque* Berol., Mor. 1., Lips. 1., multi Heins. et ed. pr. confirmant. Vulg. *mentiturque.*

282. *se juvet.* Bas. 3. *se recipi.* Her. 55. *te juvi portuque locoque.* — *Trachinius.* Ceyx. V. 270.

283. *commoda*, quaecunque aliquem usum habent, ut opes, pax, al. — De *media plebe* conf. IX, 670.

284. Unus Medic. et II Mor. *tecta.* — *patent*, quorum copiae in promtu sunt.

285. *momenta*, movimenta s. res quae me moveant. Sed scripturam *momenta* nonnisi unus Voss. et pro v. l. unus Gron. *tenent*, reliqui omnes cum vett. edd. *monumenta* v. *monimenta.* Liv. XXIX. c. 23. *haud parvum et ipsi tuendae Africae momentum adjecerunt societatem Syphacis regis.* — *huic animo*, sc. benigno et liberali.

286. *avumque Jovem.* Vid. ad v. 218. — Pal. 2., Lips. 1., Vrat. et ed. pr. *ne.* Vulgo *nec.* Heinsius tacet.

287. *vocato.* Cant., alter Hamb., Neap., Nor., Pal. 1., Par. 1., Urb., Vat. 1. et IV alii Heins. *videto.* Inepet. Goth. 2. *teneto.* Reliqui *vocato.*

288. *qualiacunque.* Trist. III, 15, 51.

Et flebat. Moveat tantos quae causa dolores,
Et Peleus comitesque rogant. Quibus ille profatur:
„Forsitan hanc volucrem, rapto quae vivit et omnes
Terret aves, semper pennas habuisse putatis:
Vir fuit, et quanta est animi constantia, tantum
Acer erat belloque ferox ad vimque paratus,
Nomine Daedalion, illo genitore creatus,
Qui vocat Auroram coeloque novissimus exit.
Culta mihi pax est, pacis mihi cura tenendae
Conjugiique fuit; fratri fera bella placebant.
Illius virtus reges gentesque subegit,
Quae nunc Thisbaeas agitat mutata columbas.
Nata erat huic Chione, quae dotatissima forma
Mille procos habuit, bis septem nubilis annis.
Forte revertentes Phoebus Majaque creatus,
Ille suis Delphis, hic vertice Cylleneo,
Videre hanc pariter, pariter traxere calorem.

Qualemcumque legas, venia dignare libellum,
Sortis et excusa conditione meae.

289. *tantos quae.* Bas. 4., cod. Bersm., Zwicc. et ed. Naug. *quae tantos*, quod tacite recepit Heinsius. — Reliqui libri *tantos quae.*

290. *et Peleus.* Veteres libri Gifanii, optimi (?) Heins., Vrat. a 1. m. et ed. Ven. 1. *Peleusque.* Sed nihil frequentius apud poetas quidem, quam *et - que.* Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1. et a corr. Vrat. *Peleus comitesque.* Ed. pr. *Peleus et com.*

291. *hanc volucrem rapto quae* etc. Accipitrem dicit.

292. *putatis.* Heinsius tacite edidit *putetis*, quod etiam cod. Bersm. et vett. edd. exhibent. Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et reliqui plerique omnes *putatis.* Recte. Vid. not. ad X, 467. et ad Trist. IV, 2, 3.

293. *quanta - tantum.* Codd. Heinsii *tanta - quantum*, vel *quanta - tantum.* Dresd. a 1. m., Bas. 4., Pal. 2., Lips. 1. et Vrat. *quanta - tantum.* Dresd. a 2. m. et reliqui omnes *tanta-quantum;* sed prior scriptura rectior est et emendatior. Heinsius hunc v. spurium esse censuit. Sed eum propter voc. *vir* necessarium esse Gierig recte annotavit, atque verba bene Latina esse Bothius vidit. *Jahn.*

296. *qui vocat Auroram*, quem sequitur Aurora, Lucifer. V. 271. Tib. I, 9, 62.

Dum rota Luciferi provocet orta diem.

Virg. A. II, 801.

Jamque jugis summae surgebat Lucifer Idae
Ducebatque diem.

Vid. Met. IV, 629. De illo *vocat* cf. v. 598.

297. *culta mihi. Miki* h. l. pro *a me* etiam concinnitatis causa positum est. — Pal., Par. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et VIII Heins. *cura mihi.* Cod. Bersm., omnes fere Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *tenendae.* Vulgo *tuendae.*

299. Heinsius tacite edidit *reges gentesque*, quod cod. Bersm., Goth. 1. 2., Lips. 1., Vrat. et ed. pr. tuentur. Vulg. *gentes regesque.*

300. *Thisbaeas*, a Thisbe urbe Boeotiae columbis clara. Jam Hom. II, 502. πολυτρήρων Θίσβη. Stat. Theb. VII, 261. *Dionaeis avibus circumsona Thisbe. Thisbaeas* autem *columbas* pro *columbas* universe. V, 606.

Ut solet accipiter trepidas agitare columbas.

301. *dotatissima.* IX, 715.

302. *mille procos habuit.* Codices Viv. *mille procos habuit* vel *mille procis placuit.* Posterius etiam duo Heins. et edd. Venn., sed fluxisse videtur ex Her. VII, 123. Reliqui omnes *mille procos habuit.*

303. *Maja creatus*, Mercurius. II, 685. Cur autem Apollo Delphis et Mercurius a vertice Cyllenes venerint, vid. I, 515. 713. IX, 332. — 304. De spondeo in quinto pede vid. ad I, 62.

305. *traxere calorem.* Vid. IV, 675. X, 594. Ad rem conf. VIII, 324.

Spem Veneris differt in tempora noctis Apollo;
Non fert ille moras, virgaque movente soporem
Virginis os tangit: tactu jacet illa potenti
Vimque dei patitur. Nox coelum sparserat astris:
Phoebus anum simulat, praereptaque gaudia sumit
Ut sua maturus complevit tempora venter;
Alipedis de stirpe dei versuta propago
Nascitur, Autolycus, furtum ingeniosus ad omne,
Qui facere assuerat, patriae non degener artis,
Candida de nigris et de candentibus atra;
Nascitur e Phoebo — namque est enixa gemellos —
Carmine vocali clarus citharaque Philammon.
Quid peperisse duos et dîs placuisse duobus
Et forti genitore et progenitore Tonante
Esse satam prodest? An obest quoque gloria multis?
Obfuit huic certe; quae se praeferre Dianae
Sustinuit faciemque deae culpavit. At illi
Ira ferox mota est, „Factisque placebimus!“ inquit.
Nec mora, curvavit cornu, nervoque sagittam
Impulit, et meritam trajecit arundine linguam.

307. *ille*, Mercurius. — De *virga* illa soporem movente vid. I, 675. 715. — Heinsius tacite edidit *non tulit*, quod Ambr., Berol. et Dresd. tuentur; sed tam parva auctoritate codd. in textum recipere non debebat Heinsius, quum praesertim tempus praesens et praecedat et sequatur. Fluxisse videtur ex X, 497.

308. *jacet*, sc. somno oppressa.

309. *sparserat*. Conf. II, 193. Hor. Sat. I, 5, 10.

Nox coelo diffundere signa parabat.
Gier.

310. *praereptaque*, *sc.* a Mercurio. Lucret. III, 909. *neque uxor Optima nec dulces occurrent oscula natei Praeripere.* — IV Heins., Goth. 1. et pro v. l. 2.,Bas. 2. a 1. m., Bas. 3. *praeceptaque*, quod idem Heinsius praepropere in textum recepit. Zwicc. a corr. et I. Heins. *praeruptaque.* — *Phoebus anum simulat.* Conf. III, 275. VI, 26. XIV, 655.

311. *maturus.* Conf. IX, 282. —

312. *alipedis dei*, Mercurii. I, 671.

314. *patriae - artis:* nam Mercurius callidissimus ad furta. Vid. ad II, 686. Hyg. F. 201. *Mercurius Autolyco, ex Chione quem procreaverat, muneri dedit, ut furacissimus esset nec deprehenderetur in furto: ut quidquid surripuisset, in quamcunque effigiem vellet, transmutaretur, ex albo in nigrum vel ex nigro in album, in cornutum ex mutilo, in mutilum ex cornuto* etc.

317. *carmine vocali*, cantu — *Philammon.* Vid. Pherecyd. Fragm. p. 112. ed. Sturz. Hyg. F. 161. et Apollod. I. c. 3. Plutarch. de Musica. p. 1132. *Philammon* edidit Heinsius, quod Par. 2., Vrat. et ed. Ald. tuentur. Nonnulli Heins. *Philemon*, *Pilemon*, *Palemon*, *Philamon.* Exc. Cal., Goth. 1. 2., Par. 1., Lips. 1., Zwicc. et vett. edd. *Philemon.* Berol. et Dresd. *Pilemon.*

319. *Tonante.* Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1., Lips. 1., Vrat. et meliores Heins. *Tonanti.* Dedimus *Tonante*, quia *Tonans* h. l. pro substantivo est ut Fast. IV, 585. VI, 33. 349. Met. I, 170. II, 466. XI, 198. — *genitor fortis* est Daedalion. Vid. v. 294. *Progenitor* non avus: nam avus erat Lucifer, hic filius Aurorae, Aurora filia Hyperionis s. Apollinis (?), hic filius Jovis. Unde apparet, quo sensu h. l. accipiendum sit *progenitor.* Quinque Heins. et Bas. 3. *nitenti.*

320. *an - obest.* Vid. ad VII, 582.

322. *sustinuit*, ausa est. — *culpavit*, improbavit, deteriorem sua esse pronuntiavit.

324. *curvavit cornu.* I, 455.

325. *impulit*, ut Virg. A. XII, 856. *nervo per nubem impulsa sagitta.* Cod. Bas. 2. et ed. pr. *expulit*, e VI, 259. VIII, 381. Virg. A. XII, 856. *nervo per nubem impulsa sagitta.*

Lingua jacet, nec vox tentataque verba sequuntur,
Conantemque loqui cum sanguine vita reliquit.
Quam miser - o pietas! - ego tunc patruoque dolorem
Corde tuli, fratrique pio solatia dixi!
Quae pater haud aliter, quam cautes murmura ponti,
Accipit, et natam delamentatur ademtam.
Ut vero ardentem vidit: quater impetus illi
In medios fuit ire rogos, quater inde repulsus
Concita membra fugae mandat, similisque juvenco
Spicula crabronum pressa cervice gerenti,
Qua via nulla, ruit. Jam tunc mihi currere visus
Plus homine est, alasque pedes sumsisse putares.
Effugit ergo omnes, veloxque cupidine leti
Vertice Parnasi potitur. Miseratus Apollo,
Cum se Daedalion saxo misisset ab alto,
Fecit avem, et subitis pendentem sustulit alis;

326. *jacet* sc. immota s. emortua est. Cui apte adjiciuntur illa: *nec vox — sequuntur.* — Thu. et VI alii Heins. *tacet:* minus recte propter sequentia. — De illo *verba sequuntur* conf. I, 647.

328. *quam miser — patruoque.* Nonnulli Heins. *quam misero o pietas.* Unus Pal. *quem misero o. p.* Plerique (?) Heins. *quam misero pietas.* Codd. Viv. omnes, Briant., Cael., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 1. 2., Lips. 2., Sulm. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd. praeter ed. pr. *quam miser o pietas.* — Ed. pr. et Sulm. 1. *quam miser amplexans*, a correctore. Scribendum igitur est vel *quam miser — o pietas* vel *quam misero — o pietas.* Utrumque sententiae rationi convenit. Sed scriptura *quam miser — o pietas* multo majorem habet auctoritatem vetustatis. — Briant., Cael., Goth. 1., Pal. 2., Sulm. 1. 2., Zwicc. et edd. Venn. *tunc.* Dresd. *nunc.* Heinsius edidit *tum*, quod Lips. 1. 2., Vrat. et Rhen. et haud dubie multi quoque Heins. et alii tuentur. Denique Medic. 1., IV alii Heins. et pro v. l. Par. 2. et Rottend. *patruique.* Arond., Bas. 1., Berol., Bon. 1., Fragm. Boxh., Goth. 1., Jun., Medic., Par. 1. 2., Vat. 2. et Vrat. *patruoque.* Reliqui *patrioque*, nisi quod Bersm. et nonnulli Heins. *patriumque.* E quibus scripturis *patruique* parum auctoritatis habet; itaque lectio *patruoque*, quae confirmatur ab omnibus iis codd. qui *patrioque* exhibent, vera esse videtur. Conjungendum autem: *quam miser et quam patruo corde. — patruum cor* est quale patruum decet.

329. Bon., Bas. 3., Thu. et II alii Heins. *solamina.* X, 132. — *pio*, unice filium amanti itaque vehementissime lugenti.

330. *haud aliter quam cautes.* Virg. A. VI, 470.

Nec magis incepto vultum sermone movetur,
Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.

331. *delamentari* a Nasone videtur novatum compositum, ut multa hujus generis. Vid. ad v. 375. et ad Trist. V, 4, 40. Illud *de* autem vim intendendi habet, ut *e* in *emirari* apud Hor. Od. I, 5, 8.

332. *ardentem* sc. in rogo.

334. *concita*, concitata, ut IV, 706. *concita navis.* Fast. IV, 461. *concita cursu fertur.* Similiter *incitus.* Cic. *inciti delphini.*

335. *pressa*, cui impressa sunt spicula. — Arond., Bas. 1., Berol., Medic. 4., Ox., VIII alii Heins. et ed. pr. *laesa*, ex interpretamento.

336. *qua via nulla, ruit.* Ita Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Par. 2., Vrat., Zwicc. et edd. Venn. — Briant., Dresd., Pal. 2., Lips. 1., Sulm. 2. et XIV Heins. *fugit.* Reliqui *fuit. Fuit* mendosum est; *ruit* naturae rei convenientius (conf. V, 166), nec elegans oratio est: *fugae mandat et fugit. — jam tunc mihi currere visus est.* Conf. II, 586 seqq.

337. *plus homine* magis quam pro hominis natura.

339. *Parnasi.* I, 317. — *potitur* paenultima correpta, ut supra. Vid. index.

341. *pendentem*, ut penderet. Conf. VI, 667. — De illo *subitis*, q. e. subito natis, conf. II, 349. et V, 121. 560. — Cod. Bersm., Gron. 1., Hamb. 1., exc. Jur., Vrat. et X Heins. *sustinet.*

Oraque adunca dedit, curvos dedit unguibus hamos,
Virtutem antiquam, majores corpore vires.
Et nunc accipiter, nulli satis aequus, in omnes
Saevit aves, aliisque dolens fit causa dolendi.“
Quae dum Lucifero genitus miracula narrat
De consorte suo; cursu festinus anhelo
Advolat armenti custos Phocëus Anetor,
Et „Peleu, Peleu, magnae tibi nuntius adsum
„Cladis!“ ait. Quodcumque ferat, jubet edere Peleus;
Pendet et ipse metu trepidat Trachinius heros.
Ille refert: „Fessos ad litora curva juvencos
„Appuleram, medio cum sol altissimus orbe
Tantum respiceret, quantum superesse videret,
Parsque boum fulvis genua inclinarat arenis,
Latarumque jacens campos spectabat aquarum,
Pars gradibus tardis illuc errabat et illuc,
Nant alii celsoque exstant super aequora collo.
Templa mari subsunt nec marmore clara nec auro,
Sed trabibus densis lucoque umbrosa vetusto:
Nereïdes Nereusque tenent. Hos navita templi

343. *virtutem antiquam.* Vid. v. 294. 319.

344. *nulli.* Plurimi Heins., Berol., Dresd., Vrat. et ed. pr. *nullis.* Reliqui omnes *nulli.* Sed *nullis* suspectum est, propterea quod *satis* a *s* orditur.

345. „*et dolens* (ob filiam amissam) *aliis fit causa dolendi.*“

346. *Dum Peleus apud Ceycem moratur, Psamathe in ultionem occisi filii Phoci gregibus Pelei* (V. 276. 277). *lupum immittit rapacissimum. Thetis Psamathen mitigat, quae lupum illum in saxum mutat.* Ant. Liberal. F. 38.

346. *Lucifero genitus*, Ceyx. V. 271. — *miracula.* Conf. III, 673.

347. *de consorte suo*, generaliter dictum pro *de fratre suo*, Daedalione. VIII, 444. XIII, 663. Pont. III, 2, 48. De uxore est *consors* Met. VI, 94.

348. *Phocëus*, e Phocide. V, 276. — *armenti custos.* Conf. v. 276.

349. *et, Peleu etc.* Arond. et IV alii Heins. *heu, Peleu.* Unus Voss. *eu (en) Peleu.* Bas. 3. et III Heins. *o Peleu.* Reliqui cum vett. edd. *et Peleu.* Heinsius in novandi libidine et affectuum studio sibi constans dedit, *heu Peleu.* Vid not. ad Trist. IV, 10, 119.

350. *quodcunque ferat.* XIV, 527. Virg. A. II, 74. *Hortamur ari — quidve ferat memoret. — edere*, eloqui, fari. V. 362. IX, 225.

351. *Trachinius heros*, Ceyx. Vid. 269 sqq. *Pendet*, suspenso ac sollicito, quid illud sit, animo est. — Ceterum Berol. et multi Heins., quidam libri apud Bersm. *trepidus Tr. heros.* Dresd., Goth. 1., Par. 2., Zwicc., Lips. 1., Vrat. et vetustiores Heins. *trepidat* (Zwicc. *trepidatque) Tr. her.* Cod. Bersm. *trepidata Tr. her.* Pal. 2., Par. 1. et reliqui vett. edd. *trepidi Trachinius oris.* De vera scriptura non potest esse dubitatio.

353. *appuleram*, egeram. — Sequitur periphrasis meridiei. Conf. II, 187 seqq. I, 592.

355. Bene boum quiescentium habitum notat; *inclinatis* enim illi *genibus* capiteque fere immoto eundem fere locum spectant, ut nunc *lat. camp. aquarum*, vastum mare. *Gier.*

356. *campos.* Medic. 3., Bas. 4., Neap. et IV alii Heins. *campum.* Virg. A. X, 214. *campos salis aere secabant.* Conf. Met. I, 41. 315.

357. *errabat.* Virg. A. I, 185. *Navem in conspectu nullam, tres litore cervos prospicit errantes.*

359. *templa.* Pluralis dignitatem addit; nam de uno templo nunc sermo est. — *subsunt*, prope adsunt. Nam falso alii confirmant domum illam sub mari fuisse; tum enim custos pecoris eam non vidisset: ne de arboribus et luco et quae infra dicantur, loquamur. Vid. v. 234 seqq. *nec marmore clara nec auro.* Conf. II, 2.

360. *trabibus*, arboribus, ut passim.

361. *Nereus.* I, 302. II, 11. *Na-*

Edidit esse deos, dum retia litore siccat.
Juncta palus huic est, densis obsessa salictis,
Quam restagnantis fecit maris unda paludem.
Inde fragore gravi strepitus loca proxima terret,
Bellua vasta, lupus, silvisque palustribus exit,
Oblitus et spumis et crasso sanguine rictus,
Fulmineus, rubra suffusus lumina flamma.
Qui, quamquam saevit pariter rabieque fameque,
Acrior est rabie: neque enim jejunia curat
Caede boum diramque famem finire, sed omne
Vulnerat armentum, sternitque hostiliter omnes.
Pars quoque de nobis funesto saucia morsu,
Dum defensamus, leto est data. Sanguine litus
Undaque prima rubet, demugitaeque paludes.
Sed mora damnosa est, nec res dubitare remittit.
Dum superest aliquid, cuncti coëamus, et arma,

vita, piscator. — Maff. 1. 2., Par. 2., Lips. 1., Sulm. 1., Vrat., III Heins. et edd. Venn. *ponti*. Male. — 362. *edidit*, sc. mihi.

363. *obsessa*, penitus cincta et inclusa: XV, 717. — *densis* autem recte de ferae latebris. Nam Goth. 1., Par. 1. et quidquam Heins. *raris*. — *palus — paludem*. Solet ita substantivum post relativum repeti, etiam ubi oratio minime ambigua. *Gier*.

365. *inde*, a palude illa densis obs. salictis. — Ad descriptionem illam ferae conf. VIII, 282 et 340 seqq. — Cod. Const. Fanens. et Langerm. *fragore gravi strepitans*. Exc. Cal. *fr. gravis crepitans*. Dresd., Goth. 2., Par. 2., Vrat., Spir., nonnulli Heins. et ed. pr. *fragore gravi, strepitu*. Bersm. *fr. gravis strepitu*. Berol., Goth. 1., Pal. 2., Par. 1., Zwicc. et nonnulli Heins. *fr. gravis strepitus*. Reliqui *fragore gravi strepitus*. *Strepitans* caret auctoritate vetustatis. Nec ferenda scriptura *fragore gravi, strepitu*, nec *fr. gravis strepitus*, sed vox *gravis* suum *s* ab vocabulo *strepitus* accepit. *Strepitus* autem h. l. nominativus est.

367. De accusativis *rictus* et *lumina* vid. ad I, 332. et conf. IV, 97. Pro *et crasso* Ox., Pal. 2. et IV Heins. *et spisso*, ex interpretamento. Virg. Aen. V, 469. *crassum cruorem ore rejectans*.

368. *fulmineos*. Par. 2., exc. Cal., Goth. 1., Gron. 1., Sulm. 1. et VIII Heins. *fulmineos* ut ad *rictus* referatur et *horridos dentes* significet. Reliqui sum vett. edd. *fulmineus*, quod subobcurum est. Fast. II, 231.

Sicut aper, silvis longe Laurentibus actus,
Fulmineo celeres dissipat ore canes.

De *fulminibus* in apris vid. I, 305. VIII, 289. X, 550.

Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri.

rubra suff. lumina flamma. Conf. III, 33. VIII, 284.

369. De producta penultima in *fameque* conf. VIII, 846.

370. *neque enim*. „*neque enim hoc agit, eo intentus est, ut famem sedet, cui rei vel unus bos caesus sufficeret; sed etc.*“

371. *finire*. Gron. 1., Vat. 1. et VI Heins. *satiare*. Cant. pro v. l. *saturare*. Jur., Bas. 3., Ox., Pal. 2. et multi Heins. *sedare*. Par. 1. *lenire*, mera interpretamenta insolentioris illius *finire*, quod reliqui codd. omnes cum vett. edd. tuentur. Hor. Epist. II, 2, 146.

Si tibi nulla sitim finiret copia lymphae.

372. *omnes*. Flor., Bas. 2. 4. et unus Heins. et ed. Ven 1. *omne*. Vrat. *omni*. Reliqui *omnes*, sc. boves. Recte. Est enim constructio ad sensum. Conf. VII, 131. et I, 162.

375. *unda prima*. Conf. II, 871. — Pro *rubet* Bas. 2. et Rottend. *rubent*, quod male dedit Heinsius. Vid. ad I, 92. — *demugitae*, mugitu impletae. *Demugitus* a Nasone ut videtur novatum vocabulum. Vid. ad v. 331. et not. ad Trist. V, 4, 40.

376. *nec dubitare remittit*, dubium et fluctuantem cunctari prohibet. Conf. X, 330.

377. *cuncti coëamus, et arma*. Ita cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1., Lips. 1., Vrat., Zwicc.,

Arma capessamus conjunctaque tela feramus!“
Dixerat agrestis, nec Pelea damna movebant,
Sed, memor admissi, Nereïda colligit orbam
Damna sui inferias exstincto mittere Phoco.
Induere arma viros violentaque sumere tela
Rex jubet Oetaeus, cum quîs simul ipse parabat
Ire; sed Alcyone conjux excita tumultu
Prosilit, et, nondum totos ornata capillos,
Disjicit hos ipsos, colloque infusa mariti,
Mittat ut auxilium sine se, verbisque precatur
Et lacrimis, animasque duas ut servet in una.
Aeacides illi: „Pulchros, regina, piosque
„Pone metus; plena est promissi gratia vestri.
Non placet arma mihi contra nova monstra moveri;
Numen adorandum pelagi est.“ Erat ardua turris,
Arce locus summa, fessis loca grata carinis:

plerique Heins. et ed. pr., quae oratio vividior est, quam vulgatae *coëamus ad arma*. Conf. XII, 241. Sed tamen si per codices liceret, revocarem *ad arma*, et anadiplosin illam restituerem, de qua vid. I, 639. 335. III, 207. IX, 452. XII, 172. XIV, 223. 24.

378. *capessamus — feramus*. Conf. XIII, 224. *dares — parares*. XIII, 379. *fatis — paratis*. III, 251. *finita — vita*.

379. *agrestis*, pastor. V. 348.

380. *admissi*, commissi, facinoris s. fratricidii sui. V. 267. I, 210. — *colligit*, suspicatur, existimat. — *Nereida*. Psamathen, Nereï filiam, ex qua Aeacus Phocum genuerat. Vid. ad v. 346.

381. *damna sui*. Intellige: sed colligit, Nereïda orbam damna illa quae sibi occidendis gregibus inferret (hinc *sui*), Phoco inferias mittere. — Vetustiores codd. Heins., *sua* vel *sui*. *Sui* etiam cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1., Lips. 1., Vrat. et Zwicc. atque inde colligi potest de Heinsianis. Par. 2. *sua*. Vulg. *suo*. Sed *suo* si scribitur, obscurum est illud *damna*. *Sua* auctoritate caret. Hinc dedimus *sui*, quod etiam longe majorem codicum auctoritatem habet. — *Inferiae*, piacula, quae dis manibus placandis feruntur. Hor. Od. II, 1, 27. *Juno victorum nepotes inferias retulit Jugurthae*. XII, 3.

383. *rex Oetaeus*, Ceyx Trachinius, quia Trachin contermina Oetae (II, 217.) monti. Quidam libri apud Regium et plurimi (?) Heins. et Dresd. *aetherius*, quod est *coelestis originis*, ut v. 445. idem Ceyx *sidereus conjux* appellatur. Sed illa auctoritate non ad mutandum commoveor.

384. *excita*, sc. ex intima aedium parte ac gynaeceo. — De scriptura *Alcyone* vid. ad v. 416.

385. Codd. Viv. *totos* v. *tortos*. Multi Heins. *tortos*. Vulg. *totos*. Valer. Max. IX. c. 12. *Cum ei* (Semiramidi) *circa cultum capitis occupatae nuntiatum esset, Babylona defecisse, jam parte crinium adhuc soluta protinus ad eam expugnandam cucurrit*.

386. *disjicit* de turbatis capillis frequens est. Her. XII, 63. *disjectamque comas*. — Lips. 1. et V Heins. *discutit*. Cael., II Vat. Ciof. et IV Heins. *dissipat*. III Heins. *discidit*. — *infusa* de cupide amplexante etiam Her. II, 93. Similiter *affusa* IX, 366. Ed. Ald. *infixa*.

387. *sine se*, ipsa non comite.

388. *animasque — duas*, vitas duas. Conf. III, 473. XII, 229. Tib. IV, 4, 21.

Phoebe, fave, laus magna tibi tribuetur, in uno
Corpore servato restituisse duos.

389. *Aeacides*, Peleus Aeaci filius. VII, 477. — *pulchros*, honestos eoque decoros. Conf. XIII, 263.

390. *plena est promissi gratia vestri*, h. e. satis superque gratum mihi (vos, Ceyx et Alcyone) fecistis, quod promisistis auxilium. — Dresd., Medic. et X alii Heins. *gratia nostri*.

391. *monstra*, Pluralis auget. V. 359. — Pro *moveri* Berol., Vrat., Zwicc. plurimi (?) Heins. et vett. edd. *movere*.

393. *arce locus summa*. Bas. 3. *arce patens summa*. Vat. 1. *arce focus*. Twisd. 2. a 1. m. *phocus*. Cod. Const. Fan., Pal. 2. et Urb. *arce loci*. Optima est scriptura recepta eaque tantum

Adscendunt illuc, stratosque in litore tauros
Cum gemitu adspiciunt vastatoremque cruento
Ore ferum, longos infectum sanguine villos.
Inde manus tendens in aperti litora ponti,
Caeruleam Peleus Psamathen, ut finiat iram,
Orat, opemque ferat. Nec vocibus illa rogantis
Flectitur Aeacidae; Thetis hanc pro conjuge supplex
Accepit veniam. Sed enim irrevocatus ab acri
Caede lupus perstat, dulcedine sanguinis asper,
Donec inhaerentem lacerae cervice juvencae
Marmore mutavit. Corpus praeterque colorem
Omnia servavit. Lapidis color indicat, illum
Jam non esse lupum, jam non debere timeri.
Nec tamen hac profugum consistere Pelea terra
Fata sinunt: Magnetas adit vagus exsul et illic
Sumit ab Haemonio purgamina caedis Acasto.
Interea fratrisque sui fratremque secutis
Anxia prodigiis turbatus pectora Ceyx,
Consulat ut sacras, hominum oblectamina, sortes,

non omnium vett. librorum. Qui scripturam *locus* mutandam existimant, quia *loca* sequatur, Nasonis rationem parum intelligunt. Conf. v. 359. 361. IV, 525. 527. XII, 117. 118. — *fessis — carinis.* Conf. VI, 519.

396. *ferum.* *Ferus* h. l. pro substantivo est, ut VIII, 355. 422. et 400. *Vastator*, ut multa hujusmodi, pro adjectivo. Vid. X, 540. XV, 368. Conf. I, 230.

397. *aperti*, oculis longe lateque patentis. IV, 527. VIII, 165.

398. *caeruleam.* Vid. II, 8.

400. Thetis Psamathes soror.

401. *accepit*, impetravit. — *sed enim irrevocatus.* Dresd., Goth. 2., Par. 1. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc., vetustiores Heins. et ed. pr. *sed enim revocatus.* Quod si verum sit, quod dubito, intelligendum: *quamvis ab Psamathe revocatus esset, inhibere jussus esset.* Sed revocavi scripturam plurimorum codicum et edd. Venn. *irrevocatus ab acri caede*, quod est: *indesinenter, sine fine caedens.*

403. *inhaerere* de mordente bestia etiam I, 535.

404. *corpus praeterque colorem.* Sensus est: *corpus et, praeter colorem, omnia servavit*, uti apparet e sequentibus, ubi de solo mutato colore disseritur. Atque ita codd. Vivian. et Ciof., plurimi Heins., Dresd., Par. 1. et ed. Naug. — Medic. 2. et II Heins. *corpus Psamateque colorem.* Goth. 2., Pal. 2. et Par. 2. marg. *mutavit Psamate praeterque colorem.* Multi Heins. et reliqui codd. *corpus pariterque colorem.* Varietas illa orta videtur ex insolentiori illa positione particulae *que*, quae tamen non sine exemplo est. — *mutare aliqua re.* Vid. v. 742. IX, 81.

408. *Magnetes* Thessaliae gens ad montem Pelium, ubi Iolcos.

409. *ab Haemonio — Acasto. Haemonius* est pro *Thessalus.* I, 568. Diod. Sic. IV. c. 72. Peleum occiso socero Eurytione ab Acasto purgatum tradit. Ovidius igitur ut saepe diversa miscuit. Vid. Apollod. III. c. 13. Fast. II, 39.

— — — *ipsum quoque Pelea Phoci*
Caede per Haemonias solvit
Acastus aquas.

410. *Ceyx fratris fato anxius Trachine ad Apollinem Clarium in Asia profectus naufragio periit; cujus morte per nocturnam Morphei speciem Halcyone cognita ad litus decurrit ejectoque mariti corpore in mare se praecipitat et in avem sui nominis mutatur, quod idem Ceycis corpori accidit.* Apollod. I. c. 7. Hyg. F. 65. Serv. ad Virg. G. I, 399.

411. *pectora.* Vid. ad I, 332. — 412. *oblectamina*, quia oracula homines spe felicioris eventus confirmant et oblectant. — De *sortibus* vid. I, 381. X, 567. et de *Clario deo* vid. ad I, 516. et Tacit. Ann. II. c. 54. ibique Ruperti. De Delphico Apollinis oraculo omnia nota sunt. Vid. I, 515.

Ad Clarium parat ire deum: nam templa profanus
Invia cum Phlegyis faciebat Delphica Phorbas.
Consilii tamen ante sui, fidissima, certam
Te facit, Alcyone. Cui protinus intima frigus
Ossa receperunt, buxoque simillimus ora
Pallor obit, lacrimisque genae maduere profusis.
Ter conata loqui, ter fletibus ora rigavit,
Singultuque pias interrumpente querelas
„Quae mea culpa tuam," dixit „carissime, mentem
„Vertit? Ubi est, quae cura mei prior esse solebat?
Jam potes Alcyone securus abesse relicta?
Jam via longa placet, jam sum tibi carior absens?
At, puto, per terras iter est, tantumque dolebo,
Non etiam metuam, curaeque timore carebunt.
Aequora me terrent et ponti tristis imago, —
Et laceras nuper tabulas in litore vidi;
Et saepe in tumulis sine corpore nomina legi.
Neve tuum fallax animum fiducia tangat,
Quod socer Hippotades tibi sit, qui carcere fortes
Contineat ventos et, cum velit, aequora placet:
Cum semel emissi tenuerunt aequora venti,
Nil illis vetitum est, incommendataque tellus

413. Par. 1. et Lips. 1. *profanis*. — *Profanus*: nam non modo obvios cogebat secum certare victosque necabat, sed ipsos deos provocando lacessebat. Schol. Hom. Il. XXIII, 660.

414. *Phlegyae*, Boeotiae gens, hostilibus incursionibus factis proximas civitates vexasse ipsumque oraculum Delphicum Phorba duce (XII, 322.) diripuisse traduntur. Pausan. Boeot. IX. c. 36. et Heyn. ad Apollod. III. c. 5. — Unus Bas. (?) et unus Voss. *faciebant*, quod temere recepit Heinsius. Vid. ad I, 92. et 320.

415. *certam facit*. Vid. VI, 268. XIV, 289. Virg. A. III, 179.

416. *Alcione*. Sic edd. Venn., Ald., cod. Vrat., Lips. 1. 2., Dresd., Goth. 1. 2. et hand dubie codd. Heins., Ciof. et Viv. tantum non omnes. Vulg. *Halcyone*. Eadem est ratio v. 384.

417. *buxoque simillimus — pallor*. IV, 134.

420. *singultu*. Rem. Amor.

Ruptaque singultu verba loquentis erant.

Vid. Trist. I, 3, 42.

422. *prior*. Goth. 2. pro v. l., Arond. et VI alii Heins., item Berol. et Bas. 3. *prius*, quod sine justa causa recepit Heinsius. — *vertit*, abalienavit a me.

423. *securus*, sine cura.

425. *at puto*. Sibi ipsa objicit, ad quae a v. 427 respondet. Conf. II, 566. — *puto* posteriori syllaba correpta ut II, 566. et passim. Vid. not. ad Trist. V, 4, 46.

426. *curae*, desideria.

427. *ponti tristis imago*, cogitatio ponti, quem mihi ante oculos pono cum omnibus terroribus suis. Tac. Hist. IV. c. 58. *horret animus tanti flagitii imagine*. Conf. Met. VIII, 508. I, 724. et Virg. A. VI, 405.

428. *tabulas*, fragmina.

429. *in tumulis sine corpore*, in cenotaphiis. Vid. ad VI, 568. — *in tumulis — nomina legi*. Quint. Inst. or. VII. c. 3. *nomen tumulo; quem* (in litore) *exstruxerant, inscripserunt*. Confer v. 706. XII, 2. 3.

431. *quod socer Hippotades;* nam Halcyone filia erat Aeoli, regis ventorum, Hippotae filii. Inde *Aeolis* v. 444. Hyg. et Apollod. l. l. Virg. A. I, 52.

— — *Hic vasto rex Aeolus antro*
Luctantis ventos tempestatisque sonoras
Imperio premit ac vinclis et carcere frenat.

Conf. Met. IV, 663.

433. *tenuerunt*, occuparunt. Lucan. IX, 118. *Inde tenens pelagus — Eurus*.

434. *incommendata* est, igitur ratio ejus non habetur, illi non parcitur. A Nasone ut videtur novatum vocabulum. — *nil illis vetitum est*, nil pro vetito habent. V, 273.

Omnis et omne fretum; coeli quoque nubila vexant,
Excutiuntque feris rutilos concursibus ignes.
Quo magis hos novi; - nam novi, et saepe paterna
Parva domo vidi - magis hos reor esse timendos.
Quod tua si flecti precibus sententia nullis,
Care, potest, conjux, nimiumque es certus eundi;
Me quoque tolle simul, certe jactabimur una,
Nec nisi quae patiar metuam, pariterque feremus
Quicquid erit, pariter super aequora lata feremur."
Talibus Aeolidis dictis lacrimisque movetur
Sidereus conjux; neque enim minor ignis in ipso est.
Sed neque propositos pelagi dimittere cursus,
Nec vult Alcyonen in partem adhibere pericli,
Multaque respondit timidum solantia pectus:
Nec tamen iccirco causam probat. Addidit illis
Hoc quoque lenimen, quo solo flexit amantem:
„Longa quidem est nobis omnis mora; sed tibi juro
Per patrios ignes, - si me modo fata remittant, -
Ante reversurum, quam luna bis impleat orbem."

435. Lucret. I, 279.
Sunt igitur ventei nimirum corpora caeca,
Quae mare, quae terras, quae denique nubila coeli
Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant.
Goth. 1. 2., Zwicc., Vrat. et edd. Venn. *fretum est.* — Bas. 4. in marg. *verrunt.*

436. *excutiunt* — *ignes.* De ventis fulminis et tonitruum causis vid. ad VI, 696. et I, 56. et Lucret. VI, 95 seqq.

437. *paterna*, quippe erat Halcyone filia Aeoli. — 438. *parva*, cum parva puellula adhuc essem. — *magis hos.* Illud *hos* cum vi respondet illi *quo magis hos novi*, quam orationis formam Naso amat. Vid. not. ad Trist. II, 255. Pal. 2., Vrat., Par. 1. 2., Urb., Neap. et plures alii Heinsii *magis hoc*, quod a librariis esse videtur, qui *hoc* vel *eo* post *quo magis* desiderarent. Conf. X, 460. — In Pal. 2. et Vrat. superscriptum *hos*, quod reliqui codd. et vett. edd. tuentur.

440. *certus* et cum infinitivo construitur, velut IX, 43. Her. VII., et ut adjectivum quod genitivum regit (v. 415.), cum gerundio in genitivo.

441. *tolle* sc. navi aut in navem. Hor. Sat. II, 6, 41. *quem tollere rheda vellet iter faciens.* Cic. ad Q. F. II, 10. *Ut te proficiscens non tollerem in rhedam.* — *jactabimur*, sc. fluctibus.

442. *nec nisi quae patiar metuam.* Senec. Ep. 13. *Nescio quomodo vana magis perturbant. Vera enim modum habent; quidquid ex incerto venit, conjecturae et licentiae patentis animi traditur. Gier. Feremus* et *feremur*, activum et passivum, cum vi sibi respondent, licet h. l. diversum habeant sensum.

444. Duo Heins. *Aeolidos.* Sed Ovidius in Graecis nominibus nunc Graeca utitur declinatione nunc Latina. Conf. not. ad v. 196. ad Her. VI, 81.

445. *sidereus*, est Luciferi filius. Vid. v. 271. — *minor ignis*, minor ardor amoris. — Cod. Dresd. et marg. ed. Bersm. *nec enim.*

447. Goth. 1. *Alcyonem.* Dresd., Vrat. et Lips. 1. *Alcyonē.*

449. *nec tamen iccirco causam probat*, nec tamen efficere potest, ut causa, res sive consilium ab ea probetur. — Goth. 1. 2., Pal. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *non tamen.* Heinsius tacite edidit *nec tamen*, quod Lips. 1. 2., Dresd. et Rhen. tuentur.

451. Berol., Dresd., Goth. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *quidem est.* Heinsius tacite *est* omisit, quod a codd. Bersm. et Lips. 1. abest. - *Jahn.* Goth. 1. *quidem nobis est o. m.*

452. *per patrios ignes*, per patris mei Luciferi ignes s. lumen. — Par. 2., Bas. 1. et meliores (?) Heins. *remittent*, quod quamquam spem reditus certius enuntiat, invitis prope omnibus vett. libris retinere non sum ausus.

453. Her. II, 37.

His ubi promissis spes est admota recursus,
Protinus eductam navalibus aequore tingi
Aptarique suis pinum jubet armamentis;
Qua rursus visa, veluti praesaga futuri,
Horruit Alcyone lacrimasque emisit obortas,
Amplexusque dedit, tristique miserrima tandem
Ore „Vale!“ dixit, collapsaque corpore toto est.
At juvenes, quaerente moras Ceyce, reducunt
Ordinibus geminis ad fortia pectora remos,
Aequalique ictu scindunt freta. Sustulit illa
Humentes oculos, stantemque in puppe recurva
Concussaque manu dantem sibi signa maritum
Prima videt, redditque notas. Ubi terra recessit
Longius, atque oculi nequeunt cognoscere vultus;
Dum licet, insequitur fugientem lumine pinum.
Haec quoque ut haud poterat, spatio submota, videri;
Vela tamen spectat summo fluitantia malo.
Ut nec vela videt, vacuum petit anxia lectum
Seque toro ponit. Renovat lectusque locusque

Cornua cum lunae pleno quater orbe coissent,
Litoribus nostris ancora pacta tua est.

454. *spes est admota*, adjuncta, facta. Curt. IX, 9, 7. *quo propius spes admovebatur.* Met. VI, 631. *admovere blanditias.* Liv. VI. c. 10. *terror est oppidanis admotus.* XLIII. c. 10. *spes cupiditati admota.* — Jun. *admissa.* Par. 2. *addicta.*

455. *eductam navalibus.* Naves post adventum trahebantur in terram, ubi in navalibus lignis subjectis stabant. Cum iis opus esset, eductae navalibus in mare retrahebantur. III, 661. VI, 445.

456. *armamentis*, velis, remis, rudentibus et omni instrumento. Virg. Aen. III, 472. *classem velis aptare jubebat.* VIII, 80. *remigioque aptat biremes.* Conf. Hom. Od. I, 280. — Nonnulli Heins. et pro v. l. Goth. 2. *armarique.* — De spondeo et quadrisyllabo in fine hexametri vid. ad I, 62.

460. *toto.* Berol., Dresd. et Goth. 1. *tota*, quod tacite edidit Heinsius. Conf. XIV, 700. IX, 484. Pal. 2., Par. 1. 2., Lips. 1. 2., Vrat., Rhen. cum vett. edd. *toto est.* — Ad illud *collapsa* conf. X, 186. Her. II, 130.

Linquor et ancillis excipienda cado.

461. *juvenes*, remiges. — *quaerente moras*, ut solent qui aegre ab aliquo divelluntur atque discedunt. Her. II, 93. Trist. I, 3, 55 seqq. — *aet* nullis libris vett. confirmatur.

462. *ordinibus geminis.* Biremem dicit. Virg. A. V, 119. de triremi:

— — — *triplici pubes quam* (navim) *Dardana versu*
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.

463. *aequali.* Vid. ad III, 618. et Sil. VI, 212. 361. — 464. *in puppe recurva.* Cant., Flor., Medic. 1., Spir. et VI alii Heins. *in puppe relicta.*

465. *concussa*, agitata, jactata. Conf. II, 50. Her. X, 39.

— — *ut saltem cernere posses,*
Jactatae late signa dedere manus,
Candidaque imposui longae vela lamina virgae —

466. *ubi terra recessit. Recedere* loco eleganter dicuntur, a quibus ipsi celeri cursu abimus. Virg. A. III, 72. Sil. II, 157. Met. VIII, 139. et VI, 512. — Ad totum locum a v. 466 — 471. conf. Her. XIII, 17 — 24.

469. *submota.* Berol. et nonnulli Heins. *semota.* Vid. not. ad Trist. III, 4, 41.

470. *fluitantia.* Plin. Pan. c. 81. *non ille fluitantia vela oculis sequitur.* Prop. de velis theatrorum III, 18. *pleno fluitantia vela theatro.* — Cant. *volitantia.* Bas. 4. *pendentia.* — *vacuum*, sc. marito. X, 437.

472. *locusque.* Conf. VI, 320. Trist. IV, 3, 23.

Tunc subeunt curae, dum de lectusque locusque

Alcyones lacrimas, et quae pars admonet absit.
Portubus exierant et moverat aura rudentes;
Obvertit lateri pendentes navita remos,
Cornuaque in summa locat arbore, totaque malo
Carbasa deducit venientesque excipit auras.
Aut minus aut certe medium non amplius aequor
Puppe secabatur, longeque erat utraque tellus;
Cum mare sub noctem tumidis albescere coepit
Fluctibus et praeceps spirare valentius eurus.
„Ardua jamdudum demittite cornua," rector
Clamat et antennis totum subnectite velum!"
Hic jubet; impediunt adversae jussa procellae,
Nec sinit audiri vocem fragor aequoris ullam.
Sponte tamen properant alii subducere remos,
Pars munire latus, pars ventis vela negare,
Egerit hic fluctus aequorque refundit in aequor,

Tangit, et oblitam non sinit esse mei.

toro abl. loci sine praep. Conf. v. 746.

473. *Alciones* Flor., unus Medic., unus Voss. et nonnulli codd. — Prisc. IX. c. 7. *Halcyonae*. Vulgo *Halcyones* vel *Alcyones*. Vid. ad v. 384. Conf. VI, 5. Deinde codd. Viv. *abstit* v. *absit* v. *abstat*. — Priscian. IX. c. 7., cod. Bersm., exc. Cal., Medic. 1. 3., Vat. 1. et XII alii Heins. *abstit*, quod mirum est quosdam philologos cum Prisciano probasse. — Zwicc. *astat*, sed pr. man. corr. *astit*. Berol. et Sulm. 1. *abstat*. Vrat. pro v. l. *obstat*. Quidam Heins. *obstat*, *obstet*, *obsit*. Par. 1. 2., Vrat. et reliqui *absit*. — *quae pars*. Trist. I, 2, 44. de conjuge:

Dimidia certe parte superstes ero.

474. Goth. 1. 2., Vrat., Lips. 1. 2. et ed. pr. *portibus*. — *moverat aura rudentes*, quo admonebantur nautae, ut velis uterentur. *Ita que obvertit* . . .

475. *remos lateri obvertere* i. q. iad latus ponere remos transversos, ne undis frangantur, quod est i. q. remigare desinere. Conf. III, 676.

476. *cornua*, sc. antennae, quae est lignum transversum, cui alligantur vela. Virg. A. III, 549.

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

arbore, ut v. 551. Virg. A. V, 504. *arbore mali*.

477. *excipit*. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 1. 2., Lips. 1. 2., Vrat., meliores Heins. et vett. edd. *accipit*. minus recte. Quint. Declam. XII, 16. *omnes excipe auras*. Quod captamus, recte si obviam venit, *excipi* dicitur. Conf. not. ad VIII, 228. et VI, 232. — De illo *deducit* conf. III, 663.

478. Sequitur tempestatis descriptio, quae singula diligenter apteque ad horrorem incutiendum recenset, sed etiam luxuriantis ingenii lusus nonnullos habet nec modum servat. Praeivit Nasoni Hom. Od. V, 299 seqq. Virg. A. I, 81 seqq. III, 194 seqq. Conf. Trist. I, 2. I, 4.

479. *utraque tellus:* Trachin et Ionia. Vid. v. 410 seqq. — *longe erat*, longe remota erat. Vid. Schwarz ad Plin. Pan. c. 25.

480. *albescere*, quod est indicium advenientis tempestatis. Virg. A. VII, 528.

481. *eurus* (I, 61.) adversus est e Graecia in Asiam navigantibus. *Gier.*

482. *jamdudum*, illico, confestim: quod adverbium frequenter imperative jungitur. Conf. XIII, 457. Art. A. II, 457. Her. XIX, 118. XX, 80. Virg. A. II, 103. *jamdudum sumite poenas*. — Heinsius tacite edidit *demittite*, quod Goth. 2., Vrat. a. corr. et ed. Ven. 2. tuentur. Zwicc. *demittere*. Lips. 1. 2. et ed. pr. *dimittere*. Berol., Dresd., Goth. 1., Vrat. a 1. m. et ed. Ven. 1. *dimittite*. Proprium in hac re verbum est *demittere:* sed etiam *dimittere* dici potest.

483. *et antennis — velum*, et vela involuta antennis alligate. — Lips. 1. 2., Zwicc. et ed. pr. *subnectere*.

484. *impediunt jussa* explicatur versu, qui sequitur.

486. *subducere*, retrahere, ne a fluctibus frangantur.

487. *munire latus*, ne aqua intrare possit. — *negare*, subtrahere.

488. *egerit* sc. e navi. — *aequorque effundit in aequor*. Argutatur suo more.

Hic rapit antennas. Quae dum sine lege geruntur,
Aspera crescit hiems, omnique a parte feroces
Bella gerunt venti fretaque indignantia miscent.
Ipse pavet, nec se, qui sit status, ipse fatetur
Scire ratis rector, nec quid jubeatve velitve:
Tanta mali moles tantoque potentior arte est.
Quippe sonant clamore viri, stridore rudentes,
Undarum incursu gravis unda, tonitribus aether;
Fluctibus erigitur coelumque aequare videtur
Pontus et inductas adspergine tangere nubes;
Et modo, cum fulvas ex imo vertit arenas,
Concolor est illis, Stygia modo nigrior unda,
Sternitur interdum spumisque sonantibus albet.
Ipsa quoque his agitur vicibus Trachinia puppis,
Et nunc sublimis, veluti de vertice montis,
Despicere in valles imumque Acheronta videtur;
Nunc ubi demissam curvum circumstetit aequor,

489. *rapit*, raptim detrahit. — *sine lege*, sine ordine. II, 204. I, 477.

490. *hiems*, tempestas. 521. — Dresd. et vetustiores Heins. *e parte*. Vulg. *a parte*.

491. *bella gerunt venti*. Conf. I, 60.

492. Vetustiores Heins., Goth. 1., Lips. 1. 2., Vrat. a 1. m., Zwicc. et ed. pr. *qui sit*. Vulg. *quis sit*.

493. *velitve*. Bon., Erf. 1., Franc., Thu. et VII alii Heins. *vetetve*, quod ego repugnantibus omnibus libris reliquis retinere non sum ausus. Nec tautologia intoleranda inest in *jubeatve velitve*, ut opinantur alii. Trist. I, 2, 31.

Rector in incerto est nec quid fugiatve petatve
Invenit: ambiguis ars stupet ipsa malis.

494. *tantoque*. Multi veteres (?) Heinsii, etiam Par. 1. 2. et cod. Bersm. *totaque*, quod Heinsius, qui id plerumque quod paucissimi codices tenent, melius judicat, recepit. *Tantoque* et concinnius et vim addit. Multi codd. *tantaque*. Mendose. — 495. Virg. A. I, 87.

Insequitur clamorque virûm stridorque rudentum.

496. Bas. 1. *tonitrubus*.

497. Trist. I, 2, 19.

Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum,
Jam jam tacturos sidera summa putes.

Quantae diductae subsidunt aequore valles!
Jam jam tacturas tartara nigra putes.

498. *tangere*. Unus Mor. *tinguere*, ex III, 86. — *inductas*, sc. ponto. Cf. I, 263.

499. *vertit*. Bas. 1. 2., Pal. 2. et VII alii Heins. *verrit*. Reliqui cum vett. edd. *vertit*, quod genuinum videtur. Trist. I, 4. 6.

Eruta que ex imis fervet arena vadis.

Fast. III, 590.

Assiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus
Vertitur et canas alveus haurit aquas.

500. *Stygia*. Vid. I, 189.

501. *sternitur*. Sterni, στορεῖσθαι, solemne de mari tumido, cum sedatur. *Gierig*. Virg. A. V, 820.

Subsidunt undae, tumidumque sub axe tonanti
Sternitur aequor aquis.

Her. XIX, 160.

Sternet et aequoreas aequore nata (Venus) *vias.*

albet. Conf. v. 480.

502. *Trachinia puppis*. Vid. v. 410.

503. *et nunc sublimis* etc. Virg. A. III, 564.

Tollimur in coelum curvato gurgite et idem
Subducta ad manes imos desidimus unda.

Goth. 1. et Gron. *et modo*.

505. *curvum*, ab undarum forma, i. q. *sinuatum* 553. Virg. l. l. *curvato gurgite*. Idem Georg. IV, 361.

Curvata in montis faciem circumstetit unda.

Conf. Met. XV, 509. Hom. Il. IV, 426. κυρτὸν κῦμα. κυρτωθὲν Od. XI, 242.

Suspicere inferno summum de gurgite coelum.
Saepe dat ingentem fluctu latus icta fragorem,
Nec levius pulsata sonat, quam ferreus olim
Cum laceras aries ballistave concutit arces.
Utque solent, sumtis incursu viribus, ire
Pectore in arma feri praetentaque tela leones:
Sic, ubi se ventis admiserat unda coortis,
Ibat in arma ratis, multoque erat altior illis.
Jamque labant cunei, spoliataque tegmine cerae
Rima patet, praebetque viam letalibus undis:
Ecce cadunt largi resolutis nubibus imbres,
Inque fretum credas totum descendere coelum,
Inque plagas coeli tumefactum ascendere pontum.
Vela madent nimbis, et cum coelestibus undis
Aequoreae miscentur aquae, caret ignibus aether,
Caecaque nox premitur tenebris hiemisque suisque.
Discutiunt tamen has praebentque micantia lumen

507. *icta latus.* De accusativo illo vid. ad I, 332.

508. *nec levius* etc. Trist. I, 2, 47.

Nec levius tabulae laterum feriuntur ab undis,
Quam grave balistae moenia pulsat onus.

olim, fere, nonnunquam. Conf. VIII, 191 et IX, 170.

510. *incursu*, impetu invasionis s. invadendi. Conf. VIII, 339. IX, 152. Atque ita exhibent Par. 1. 2., Bas. 1., Lips. 1. et edd. Venn. — Reliqui fere omnes *in cursu*, minus recte; non enim declarare poeta voluit, in quo loco vel tempore, sed qua re vires sumtae essent. Confirmatur haec interpretatio illis: *se ventis admiserat unda coortis.* Medic., Pal., Vat. et I Heins. *in cursus*, manifesta corruptela.

511. *praetentaque tela.* Conf. III, 83. et VIII, 340. Atque ita Berol., Dresd., Par. 1., Vrat., Zwicc. et plurimi Heins. — Lips. 2., Par. 2. et vulg. *protentaque.*

512. *se admiserat*, impetum, vim sumserat, incitata erat. Amor. I, 8, 50.

Ut celer admissis labitur amnis aquis.

Virg. Aen. XI, 272. *admissis petierunt aethera pennis.* Conf. Her. II, 114. Met. I, 532. VI, 237. — Scripturam *admiserat* tuentur Bon. 1., Mor. 1., Par. 1. 2., Spir., Thu. et IV alii Heins. — Flor. *amiserat.* Bas. 2. pro v. l. *commiscuit.* Reliqui cum vett. edd. *commiserat.*

512. *ventis coortis* h. e. ventis interruptis, interdum ac deinde majori vi sublatis. — Franc. et Pal. 2. *coactis.*

513. *arma* ratis, armamenta ratis, quam periphrasin delegit, ut hunc locum illis: *in arma*, versu 511., aptaret.

514. *cunei*, subscudes. Scheffer. de milit. nav. c. 6. Cerae vel picis usus etiam ad rimas obstruendas; sed cera v. pice etiam tabulae oblinebantur. Hinc passim *ceratae naves.* Her. V, 42. Conf. Met. XIV, 532. — 515. *rima patet* etc. Virg. A. I, 122.

— *Laxis laterum compagibus omnes*
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.

516. *largi.* Pal. 2., Par. 1., margo Bas. 2., Berol. *late.*

517. *totum descendere coelum.* Eodem modo Virg. Georg. I, 324. de ingenti pluvia: *ruit arduus — aether.* Idem *coeli ruinam* dixit.

518. *ascendere.* Ita Goth. 1., Lips. 2., nonnulli Heins., ed. pr. et Pal. 4. — II Heins. *surgere.* Pal. 2., Par. 1. 2., plurimi Heinsii et reliqui *scandere.* Certe *ascendere* aptius illi *descendere.*

519. Post tam horribilia *phaenomena* male additur, *vela maduisse. Gierig.*

520. *ignibus*, sideribus.

521. *premitur.* Conf. VII, 529.

522. *micantia.* Cod. Bersm., Bas. 2. 4., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Lips. 2., Vrat. a 1. m., Zwicc. et multi Heins. et ed. pr. *minantia.* Vrat. a corr. *minatia.* Medic. 2., Pal. 1., Spir., Urb. et II Heins. *minacia.* Sed mihi rectior videtur vulgata *micantia.* agitur enim nunc de lumine fulminis. — 523. *ardescunt* quoque de lumine accipiendum.

Fulmina, fulmineis ardescunt ignibus undae.
Dat quoque jam saltus intra cava texta carinae
Fluctus; et ut miles numero praestantior omni,
Cum saepe assiluit defensae moenibus urbis,
Spe potitur tandem, laudisque accensus amore
Inter mille viros murum tamen occupat unus:
Sic, ubi pulsarunt celsi latera ardua fluctus,
Vastius insurgens decimae ruit impetus undae;
Nec prius absistit fessam oppugnare carinam,
Quam velut in captae descendat moenia navis.
Pars igitur tentabat adhuc invadere pinum,
Pars maris intus erat. Trepidant haud segnius omnes,
Quam solet urbs, aliis murum fodientibus extra,
Atque aliis murum, trepidare, tenentibus intus.
Deficit ars animique cadunt, totidemque videntur,
Quot veniunt fluctus, ruere atque irrumpere mortes.
Non tenet hic lacrimas, stupet hic, vocat ille beatos,
Funera quos maneant, hic votis numen adorat,

524. *dat saltus*, ut II, 165. et III, 599. — *texta* sunt tabulae vel trabes contextae v. compactae, ut XIV, 530. Nam *texere* de trabibus jungendis imprimis in navium fabricatione frequens est. Serv. ad Virg. A. II, 16. Hinc ut aliae res, in quibus *texere* dicitur, sic etiam aptatae tabulae, trabes ac latera navis *texta* vocantur. XIV, 531. Unde etiam textrinum apud Ennium locus dicitur, ubi naves fabricantur. Cf. Trist. I, 4, 9. Catull. LXIV, 10. — Arond., Bas. 4. et Leid. *transtra*. Zwicc. et II Heins. *tecta*. Berol., Goth. 1., Par. 1. 2., Lips. 1. 2. et XII Heins. *inter cava*.

525. *numero praestantior omni*, fortior ceteris commilitonibus omnibus. *Gier*. Conf. III, 624.

526. *assiluit*. Ita Priscian. X. c. 9. Dresd., Goth. 1. 2., Par. 2., Lips. 1. 2., Vrat., Zwicc., vetustiores Heins. et ed. pr. Recte. Vid. not. ad VI, 658. Vulg. *assiliit*. — *defensae*, quae fortiter ab hoste defenditur.

527. *spe potitur* is qui id assequitur, quod speravit: est enim *spes* pro re sperata. Conf. IX, 313. — De *potitur* paenultima correpta vid. ad XIII, 130. et IX, 313.

529. *celsi*. Bon. 1., Erf. 1. 2., Mor. 1., Thu. et VIII alii Heins. *aores*. In Flor. et Neap. vetus script. erasa est. Bersm. et V Heins. *navis*. II Heins. et in marg. Par. 2. *puppis*. Par. 2. et IV ex vett. Heins. *coeli*. Reliqui omnes *celsi*, quod illi *ardua* apte respondet.

530. *decimae impetus undae. Decimae*, decumanae q. e. vastissimae. Erat enim apud Rom. vetus opinio, e nonnullis rebus decimam quamque esse maximam. *Decumana ova dicuntur et decumani fluctus*, quia sunt magna: nam et ovorum decimum majus nascitur, et fluctus decimus fieri maximus dicitur. Plin. Trist. I, 2, 49.

Qui venit hic fluctus, fluctus superemine omnes,
Posterior nono est undecimoque prior.

Lucan. V, 672. Sil. XIV, 121. ibique interpp. Val. Fl. II, 54. Graeci tertium quemque fluctum majorem habebant. quam τριχυμίαν vocabant. Vid. Stallb. ad Plat. de Rep. V. c. 17. et interpp. ad Eurip. Troad. v. 82.

533. *pars igitur*: sc. maris. — II Heins. *tendebat*.

534. *haud segnius*. Heinsius et h. l. ut multis aliis sine omni caussa conjecturam induxit *haud secius*.

538. *mortes*, mortis pericula sive genera. Stat. Theb. VI, 793.

Mille cavet lapsas circum cava tempora mortes.

Cic. Tusc. I. c. 48. et 49. *clarae* et *optabiles mortes*. Eodem modo mentes, irae, valetudines, quietes, al. Vid. Kühner. ad Cic. Tusc. IV. c. 2. §. 3. — Pal. 2., unus Sulm., Zwicc. et multi Heins. *montes*. — Arond., Bas. 1., Flor., Neap. et V alii Heins. *veniant*, quod iterum sine omni caussa recepit Heinsius. Vid. ad VII, 173.

539. Angor navigantium varie se prodens.

540. *funera*, exsequiae, sepulcra in

Brachiaque ad coelum, quod non videt, irrita tollens
Poscit opem; subeunt illi fratresque parensque,
Huic cum pignoribus domus, et quod cuique relictum est.
Alcyone Ceyca movet, Ceycis in ore
Nulla nisi Alcyone est, et, cum desideret unam,
Gaudet abesse tamen. Patriae quoque vellet ad oras
Respicere inque domum supremos vertere vultus;
Verum, ubi sit, nescit: tanta vertigine pontus
Fervet, et inducta piceis e nubibus umbra
Omne latet coelum, duplicataque noctis imago est.
Frangitur incursu nimbosi turbinis arbor,
Frangitur et regimen, spoliisque animosa superstes
Unda, velut victrix, sinuataque despicit undas.
Nec levius, quam si quis Athon Pindumve, revulsos
Sede sua, totos in apertum everteret aequor,

continente; cum naufragi insepulti in litore jaceant, aut piscibus esca fiant, quae tristissima sors videbatur ex veterum persuasione superstitionis, insepultorum manes non in defunctorum sedes pervenire posse. Vid. ad Trist. I, 2, 53 seqq.

541. *quod non videt*; *caret enim ignibus aether etc.* 520.

542. *fratresque parensque.* Ita Goth. 2., Vrat., Zwicc. et meliores Heins. — Cod. Bersm., Berol., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 1.2., Sulm. 1. 2. et alii Ciof. et vett. edd. *fraterque parensque.* Dresd. et ed. Ald. *materque paterque.* Codd. Viv. *materque paterque*, vel *fraterque parensque.* Vulgo *materque parensque*, quae scriptura librariorum inventioni multo similior est quam *fratresque parensque.* — De illo *subeunt* conf. II, 755. et vid. not. ad Trist. I, 3, 1.

543. *cum pignoribus*, cum liberis. Conf. II, 134. — Berol., Dresd., Goth. 2., Lips. 1. 2. et plurimi Heins. *et quodcunque rel.*

545. Dresd. *illam.*

547. *supremos*, supremum.

549. *fervere* de turbato mari saepe dicitur.

550. *duplicataque noctis imago est.* Conf. v. 521. — Berol., Goth. 2., Pal. 2., Par. 1. 2., Lips. 2., unus Sulm. et multi Heinsii, *mortis imago est.* Dresd. omittit *est.* Heinsius tacet.

551. *arbor*, malus. Heinsius e conjectura edidit *arbos.*

552. *superstes.* IV Heins. *superstans.* Nonnulla exemplaria Const. Fanens., Barb., Cal., Par. 1. *superstat.* Codd. Ciof., reliqui Const. Fan., Bas. 1., Berol., Cant., Erf. 1., Flor., Hamb. 1. 2., Med. 1. 3. 4., Neap., Pal. 1., Par. 2., Lips. 2., Urb. et plurimi Heins. et vett. edd. *superstes.* — Cod. Bersm., Pal. 2., Goth. 1. 2., Bas. 3. 4. et reliqui *superbit.* Sed praeter tantam auctoritatem vett. librorum, *superstes* nescio quid antiquum habet et a librariorum inventione alienum. Stat. Theb. VIII, 471. *stat fronte superstes Lancea. Superstans* ex interpretamento natum videtur. — *spoliis* i. e. malo et regimine fractis.

553. *sinuataque despicit undas.* Erf. 1., alter Strozz. et alter Twisd. *sinuatas.* Unus Heins. et Zwicc. *sinuata.* Lips. 1. *sinuosaque.* Berol. et Pal. 2. *sinuatusque.* Par. 1. 2. et reliqui omnes cum vett. edd. *sinuataque.* Recte. Est autem *sinuatus* h. l. idem q. v. 505. *curvus*, Virg. Georg. IV, 361.

Curvata in montis faciem circumstetit unda.

sive ut glossa cod. Vrat. interpretatur: *habens magnos sinus.* Jungendum autem: *et animosa spoliis unda superstes sinuataque despicit undas reliquas.* — Cant. *alnos*; Bas. 2. in marg. *arva*, a librariis ut videtur, qui imaginem illam, undam velut victricem supereminere alias easque quasi despicere dici, non satis intelligerent.

554. *Athon Pindumve*, pro montibus quibuscunque altissimis, de quibus vid. II, 217. I, 570. — Berol., Goth. 1. 2., Lips. 1. 2., Vrat. et meliores Heins. *Pindumve.* Vulg. *Pindumque.*

555. *everteret in aequor* i. q. inverteret et mitteret in aequor. Conf. I, 231. X, 125. — Goth. 2. et IV Heins. *mitteret.* Dresd., Zwicc. et nonnulli Heins. *verteret.* Arond. et II Heins. *verterit.* Lips. 2., Bas. 4., meliores (?) Heins. et ed. pr. *everterit.* Mendose. Nam *ever-*

Praecipitata cadit, pariterque et pondere et ictu
Mergit in ima ratem: cum qua pars magna virorum
Gurgite pressa gravi neque in aëra reddita, fato
Functa suo est. Alii partes et membra carinae
Trunca tenent. Tenet ipse manu, qua sceptra solebat,
Fragmina navigii Ceyx, socerumque patremque
Invocat heu frustra. Sed plurima nantis in ore
Alcyone conjux; illam meminitque refertque;
Illius ante oculos ut agant sua corpora fluctus,
Optat, et exanimis manibus tumuletur amicis.
Dum natat, absentem, quoties sinit hiscere fluctus
Nominat Alcyonen, ipsisque immurmurat undis.
Ecce super medios fluctus niger arcus aquarum
Frangitur, et rupta mersum caput obruit unda. —
Lucifer obscurus, nec quem cognoscere posses,
Illa nocte fuit; quoniamque excedere coelo
Non licuit, densis texit sua nubibus ora.
Aeolis interea tantorum ignara malorum
Dinumerat noctes, et jam, quas induat ille,
Festinat vestes, jam quas, ubi venerit ille,
Ipsa gerat, reditusque sibi promittit inanes.
Omnibus illa quidem superis pia tura ferebat;
Ante tamen cunctos Junonis templa colebat,

terit si dicitur, rei eventus adhuc exspectatur; de re cogitata dicitur *everteret*. Conf. III, 660. 661.

556. *cadit*. Goth. 1. et IV Heins. *ruit*, a librariis qui hanc orationem alibi legisse se meminissent. – 558. Dresd., Goth. 2., Lips. 1, 2., Vrat. et ed. pr. *in aëre. in aëra reddi*, iterum emergere. — *pressa*, depressa, demersa.

558. *fato functa*. Conf. v. 583.

559. *membra*. Virg. A. IX, 122. *membra carinae*, ut membra aedificii. Plin. epist. II, 17. *dormitorium membrum*. Cic. ad Q. Fr. III, 1. *cubicula et ejusmodi membra*. *Gier*.

562. *plurima* pro maxime, saepissime reperitur. Fast. II, 272.

Arcadiis plurimus ille jugis.

Her. II, 32.

Quique erat in falso plurimus ore deus.

Conf. v. 547. – Berol., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 2., Zwicc. et ed. pr. *in ore est*. Sed *est* non necessarium est, quia h. l. sententia non concluditur. Heinsius de suis codd. tacet. Dresd., Vrat. et Farnab. *Alcyone est conjux*.

563. *refertque*, in mentem revocat. XV, 451. I, 165.

567. *immurmurat*. Conf. v. 53.

568. *niger arcus aquarum*, nubes nigra et plena aquarum. *Arcus* autem de nubibus, ut *cava nubila* apud Virg. A. IX, 670.

— — — *quum Jupiter horridus austris*
Torquet aquosam hiemem et coelo cava nubila rumpit.

569. *mersum obruit*, mersit et obruit. Conf. IX, 593. Virg. A. I, 69. *submersas obrue puppes*. Conf. Met. I, 303.

570. *Lucifer obscurus* etc.; nam Lucifer Ceycis pater. Conf. X, 448 seqq.

571. *excedere coelo*, sc. ne miserum filii exitum videret. Alter Reg. *excedere Olympo*, quod cupide arripuit Heinsius. Nos sequuti sumus auctoritatem vett. librorum.

572. Cod. Bersm., Goth. 2., Lips. 2. et plurimi Heins. *sua texit*. Vulgo *texit sua*.

573. *Aeolis*, Aeoli filia. V, 444.

574. *dinumerat noctes*. Her. II, 7.

Tempora si numeres, bene quae numeramus amantes etc.

575. *festinat*, festinanter texit. Vid. IX, 587.

576. *inanis reditus*, quem falso nobis promittimus, speramus. *Gier*.

577. *pia*, quae pio animo offeruntur s. adolentur.

578. *Junonis*, ut quae nuptiis et matrimonio praesidebat. Her. II, 41. *toris*

Proque viro, qui nullus erat, veniebat ad aras,
Utque foret sospes conjux suus utque rediret,
Optabat, nullamque sibi praeferret. At illi
Hoc de tot votis poterat contingere solum.
At dea non ultra pro functo morte rogari
Sustinet, utque manus funestas arceat aris,
„Iri, meae“ dixit „fidissima nuntia vocis,
„Vise soporiferam Somni velociter aulam,
Exstinctique jube Ceycis imagine mittat
Somnia ad Alcyonen, veros narrantia casus.“
Dixerat; induitur velamina mille colorum
Iris, et arcuato coelum curvamine signans
Tecta petit jussi sub nube latentia regis.
Est prope Cimmerios longo spelunca recessu,
Mons cavus, ignavi domus et penetralia Somni,
Quo nunquam radiis oriens mediusve cadensve

quae praesidet alma maritis. Conf. IX, 796. 762. VI, 428. — *colere templa*, adire templa ibique et preces et sacra facere. *Venerari templa* dixit Virg. A. III, 84. *Gier.*

579. *nullus sum* oratio Latina pro *perii.* Vid. v. 684. IX, 735.

582. *hoc*, ut nullam ipsi praeferret.

583. *pro functo morte*, pro eo, qui morte s. fato functus erat. Conf. v. 558. Duabus caussis movebatur dea ut certiorem faceret Alcionen de morte mariti, primum ne diutius falleretur pia conjux, deinde ne arae suae polluerentur *manibus funestis*, funere pollutis, quod posterius paullo argutius dictum est. — Goth. 1., Par. a m. 2., Lips. 1., Zwicc. et plurimi (?) Heins. *functi.* Inepte. — Berol. et Bas. 1. *ast.*

585. *Iri - nuntia.* Vid. ad I, 270.

587. *somnia Ceycis imagine*, quae imaginem habeant.

588. *narrantia.* Cod. Bersm., Bas. 1. et VIII Heins. *imitantia*, quod fluxit ex Pont. I, 2, 45,

Somnia me terrent veros imitantia casus.

Reliqui omnes cum vett. edd. *narrantia.* Recte. Somnia enim, quae Ceycis formam sumserunt, infra Halcyonae veros ejus casus narrant ut Juno imperarat.

589. *induitur vel. mille colorum.* Vid. I, 270. XI, 632. et XIV, 830. Virg. A. V, 609.

Illa viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli visa cito decurrit tramite virgo.

Conf. VI, 63 seqq.

590. *arcuato*, in formam arcus flexo. — Variant codd. inter *arcuato* et veterem scripturam hujus nominis *arquato.* Nam Berol., Coel., Goth. 2., Par. 1., II Vat. Ciof., Vrat. et multi Heins. *arcato.* Lips. 2. *archato.* — Codd. Gifanii et a 1. m. alter Sulm. *arcuto.* Cod. Bersm., Briant., Capran., Par. 2., Lips. 1., unus Sulm. et alter a corr., Zwicc., nonnulli Heins. *arcuato.* Dresd. *arctato.* Multi Heins. *arguto*, *alato*, *arcano*, *aequato*, *al.* Codd. Viv. *arquato* v. *arcato* v. *arcuato.* Pol., unus Medic., Pal. 1., Goth. 1. et ed. pr. *arquato.* Virg. A. V, 609.

Illa viam celerans per mille coloribus arcum
Nulli visa cito decurrit tramite virgo.

591. *jussi - regis*, Somni. *jussi*, quem adire jussa erat. Conf. XV, 680. — Graev., Gron. 1., Medic. 4., Rottend., et Bas. 2. *sub rupe*, quod cupidius recepit Heinsius. nam situs et natura domus Somni infra sequitur. Pal. 2. et II Heins. *sub nocte.* Reliqui omnes *sub nube.* Conf. Hom. Odyss. XI, 15.

592. *recessu.* Conf. I, 177. Fast. I., 555.

— *longis spelunca recessibus ingens.*

Cimmerii gens fabulosa, in cujus sedibus subterraneis et caliginosis introitus ad inferos patere tradebatur. Conf. Tib. IV, 1, 64 seqq. et Stat. Theb. X, 84 seqq. Hom. Od. XI, 13 seqq. qui est fons hujus fabulae. Conf. Val. Flacc. VII, 398. — Unus Gron. *longi recessus.*

594. *cadere* de sole s. Phoebo (I, 10.), stellis et die frequens est. IV, 627.

Phoebus adire potest. Nebulae caligine mixtae,
Exhalantur humo dubiaeque crepuscula lucis.
Non vigil ales ibi cristati cantibus oris
Evocat Auroram, nec voce silentia rumpunt
Sollicitive canes canibusve sagacior anser.
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami
Humanaeve sonum reddunt convicia linguae.
Muta quies habitat; saxo tamen exit ab imo
Rivus aquae Lethes, per quem cum murmure labens
Invitat somnos crepitantibus unda lapillis.
Ante fores antri fecunda papavera florent
Innumeraeque herbae, quarum de lacte soporem
Nox legit et spargit per opacas humida terras.
Janua ne verso stridorem cardine reddat,

596. *dubiaeque crepuscula lucis.* „*Crepuscula* non exhalantur. Itaque rursus duo diversa vocabula uni verbo addidit. *dubiae lucis* IV, 400.“ *Gier.* Goth. 2., Gron., unus Sulm. et alii Heins. *noctis.*

597. Junge: *vigil ales cristati oris.* q. e. gallus gallinaceus.

598. *evocat.* Conf. v. 296. IV, 630. Virg. Georg. I, 388.

Tum cornix plena pluviam vocat improba voce.

Fast. I, 455.

Nocte deae Nocti cristatus caeditur ales,
Quod tepidum vigili provocat ore diem.

599. *solliciti.* Liv. V. c. 47. *canes sollicitum ad nocturnos strepitus animal. — canibus sagacior anser.* Conf. not. ad II, 538. et ad VIII, 686. — II Heins. et Hamb. 1. *sollicitaeve.*

600. Post hunc versum Capr., Bas. 2. 3. 4., Dresd., Goth. 1., Maff. 1. 2., Par. 2. a 2. m., unus Sulm., unus Vat. Ciof. et multi Heins. addunt:

Garrula nec Progne stertentia pectora mulcet.

nisi quod in Goth. et Pal. *non*, in nonnullis Heins. *stridentia* v. *certantia*, in Sulm. *efflentia* cum gl. *stridentia*, in Maff. 1. 2. et Vat. *corpora* legitur. In Zwicc. et ed. pr. idem versus post v. sequentem scriptus, in altero post v. 604. insertus. *Jahn.* Spurius videtur hic versiculus; est enim ineptus post illa generatim enuntiata *non fera, non pecudes, non - rami*, nec apte omnino strepitus sive garrulitas hirundinis memoratur. Neque vero illud *mulcet* tolerandum: nam si mulcet Progne, ut recte observat Heinsius, stertentia pectora, nihil causae est, cur hinc ablegetur.

601. *convicia*, clamores ac strepitus. — Goth. 1. *humanave sono.* Goth. 2., Mor., Zwicc. et XV Heins. *humanaeve sono.*

603. *aqua Lethes* h. l. aqua, quae ut Lethe fluvius inferorum (VII, 152.) oblivionem omnium rerum affert. — Quia dormientes rerum et curarum obliviscuntur, rivum Lethes ante Somni aulam fingit. Apud Virg. G. I, 87. ipse Somnus est *Lethaeus;* apud Orph. H. 84, 8. est frater Lethes. Trist. IV, 1, 47.

Utque soporiferae biberem si pocula Lethes,
Temporis adversi sic mihi sensus abest.

aquae Lethes duo genitivi juxta positi ut Her. VII, 136.

Et nondum nati (infantis) *funeris auctor eris.*

Cic. pro Mur. *auctor beneficii populi Romani.* Vid. not. ad Her. l. l. — *rivus per quem.* Hor. Epist. I, 10, 21.

— (aqua) *per pronum trepidat cum murmure rivum.*

Conf. Od. II, 3, 11.

605. *papavera.* Fast. IV, 547. *somnique papavera causas.* Virg. Georg. I, 78. *Lethaeo perfusa papavera somno.* Hinc Somnus pingebatur cum papavere.

606. *lae*, sucus lacteus, qualis est papaveris, al.

608. *janua ne.* Berol., Goth. 1., Bas. 2. et VII alii Heins. *janua quae.* Male. Dicit nullam omnino januam propter periculum, ne crepitaret, domo *tota* fuisse. Hinc etiam *custos in limine nullus.* Conf. XII, 45. — Heinsius dedit *quae.* Lips. 1. a 1. m., Vrat. et Zwicc. *nec.* — De *verso cardine* conf. IV, 93.

Nulla domo tota, custos in limine nullus;
At medio torus est ebeno sublimis in antro,
Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipse deus membris languore solutis.
Hunc circa passim varias imitantia formas
Somnia vana jacent totidem, quot messis aristas,
Silva gerit frondes, ejectas litus arenas.
Quo simul intravit, manibusque obstantia virgo
Somnia dimovit; vestis fulgore reluxit
Sacra domus, tardaque deus gravitate jacentes
Vix oculos tollens, iterumque iterumque relabens
Summaque percutiens nutanti pectora mento,
Excussit tandem sibi se, cubitoque levatus,
Quid veniat, - cognovit enim - scitatur. At illa:
„Somne, quies rerum, placidissime, Somne, deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministeriis mulces reparasque labori,
Somnia, quae veras aequant imitamine formas,
Herculea Trachine jube sub imagine regis

609. Dresd., Goth. 2., Zwicc. et ed. pr. *tota est*. Heinsius tacite omisit *est*, quod a cod. Bersm., Goth. 1., Lips. 1. 2. et Rhen. abest, nisi quod Goth. 1. *nulla est tota domo*. *Jahn*.

610. *ebeno*. Abl. instrumenti. nam *ebeno* est pro sponda ex ebeno facta. — Goth. 1., Vrat., Zwicc. a 1. m. et vett. edd. *in medio*, ex VIII, 657. — Medic. 1. *in atra*, quod temere induxit Heinsius.

611. *velamine*, stragulo. Flor. *atque color*. — *tectus pullo velamine*, stragulo atro, ut adeo totus lectus esset *unicolor*, quod ita compositum est ut *versicolor*, *atricolor*. Conf. VIII, 855-859. *Gier*.

612. *membris languore solutis*. Cf. v. 648. VII, 186. Eodem modo *voluptate*, *gaudiis*, *languore*, *morte solvi*, *resolvi* dicitur.

615. *ejectas*. Ita recte cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Lips. 1. 2., Vrat., meliores Heins. et ed. pr. — Codd. Ciof. et vulg. *ejectat*.

616. *virgo*, Iris. — *manibusque - dimovit*, ut qui per densa virgulta incedit. Sed si jacebant somnia, non commode poterant manibus dimoveri.

617. Gron. et IV Heins. *refulsit*.

618. *sacra*, quia Somnus deus. — *jacentes*, languentes, victos.

621. *excussit sibi se*. Argutatur suo more: Somnus ipse se ex se ipso (somno) excussit, fere ut VIII, 822. de Fame, *seque viro inspirat*. Conf. v. 701. — *cubitoque levatus*. Languidus sopore Somnus non surgit, sed qua est dormiendi cupiditate, cubito tantum levatur, conspecta dea.

622. *cognovit*. Bas. 2., IV alii Heins. et ed. pr. *cognorat*, quod tam parva auctoritate recipere non debebat Heinsius. Conf. X, 214. 424. XIII, 315. Bas. 3. et II Heins. *cognoscit*.

623. Goth. 2., Lips. 1. a 1. m. et XV Heins. *placidissima*.

624. *qui corpora duris*. Bas. 1. in marg., *qui corda diurnis*, quod temere induxit Heinsius. — IV Heins. *qui membra diurnis*, ex IV, 215. Conf. VIII, 83.

625. *reparasque labori*. Conf. IV, 216.

626. *quae aequant* h. e. quae hoc proprium habent ut aequent: hinc positus est indicativus. — Arond., Berol., Goth. 2., Pal. 2., Vrat. et complures Heins. *aequent*, q. e. *ut aequent*, ut v. 647. *qui peragat*. Male. Certe nihil causae Heinsius habebat optimam vulgatam *aequant* mutandi.

627. *Trachine*. V. 282. — *Herculea*, quia Hercules ibi versatus est, quod tamen post hoc tempus accidisse constat. Itaque poeta per prolepsin hoc epitheto usus est. Scripturam *Herculea Trachine* confirmant Bas. 1. 4., cod. Bersm., Vrat., Goth. 2. et plurimi Heins. — Dresd. *Herculea - Tracinna*. Zwicc., Lips. 1. et ed. Ven. 1. *Herculeam Trachine*. Reliqui fere et ed. pr. *Herculeam Trachina*. Mendose.

Alcyonen adeant, simulacraque naufraga fingant.
Imperat hoc Juno.“ Postquam mandata peregit
Iris, abit: neque enim ulterius tolerare soporis
Vim poterat; labique ut somnum sensit in artus,
Effugit et remeat per quos modo venerat arcus.
At pater e populo natorum mille suorum
Excitat artificem simulatoremque figurae,
Morphea. Non illo jussos sollertius alter
Exprimit incessus vultumque sonumque loquendi;
Adjicit et vestes et consuetissima cuique
Verba. Sed hic solos homines imitatur; at alter
Fit fera, fit volucris, fit longo corpore serpens.
Hunc Icelon superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat. Est etiam diversae tertius artis,
Phantasos. Ille in humum saxumque undamque trabemque,
Quaeque vacant anima, fallaciter omnia transit.
Regibus hi ducibusque suos ostendere vultus
Nocte solent, populos alii plebemque pererrant.
Praeterit hos senior, cunctisque e fratribus unum
Morphea, qui peragat Thaumantidos edita, Somnus
Eligit; et rursus molli languore solutus
Deposuitque caput stratoque recondidit alto.
Ille volat nullos strepitus facientibus alis
Per tenebras, intraque morae breve tempus in urbem

628. *simulacraque naufraga fingant*, et simulacra Ceycis naufraga q. e. quae naufragium fecerint, fingant.

630. *soporis vim*. Iris sentit soporem, ut VIII, 812. nympha, quae Famem adierat, famem. — Bonon. 3. *vaporis*, quod cupide arripuit Heinsius.

632. *per quos - venerat arcus*. Conf. v. 590. Male igitur XI Heins. et Bas. 4. a 1. m. *per quas - auras*.

633. *pater*, Somnus. *populus natorum*, ut VI, 198. de XIV Niobes liberis.

635. *jussos*. Bas. 4., margo 3., Goth. 1., Zwicc. et ed. pr. *non illo quisquam soll.*, Dresd. *veros*, ex librariorum inventione. — Deinde Dresd., Par. 2. et Lips. 1. *sollertior*.

637. *cuique*. Ita cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Lips. 1., Vrat., nonnulli Heins. et ed. pr. — Reliqui *quaeque*, nisi quod Dresd. *cui quam*. Non potest esse dubium, utra scriptura genuina sit.

639. *longo corpore serpens*. Conf. IX, 63.

640. Ut *Morpheus* a Graeco μορφή, *figura*, sic *Icelos* a Gr. εἴκελος, *similis*, quia simulat figuras, et *Phobetor* a Gr. φοβήτωρ, quia perterrefacit homines. Veram horum nominum scripturam primum restituit Raphael Regius. „*Hunc Icelon* vel *Iceon* vel *Itacon* Politiano teste. *Vivian.* Scripti *Itacon*, *Itecon*, *Atecon*, *Eliton*, *Itelon*, *Yceton*, *Ycaton* et nescio quae monstra. *Phebetora*, *Phabetora*, *Phebetona*, *Phlebotora*, *Phlebetona*, al. *Burm.* Ed. Ven. 2. Ald. *Icelon*. Goth. 1. 2., Lips. 2., Par. 2. et edd. Venn. *Phebetora*, proxime vero. Reliqui pejora ac monstra exhibent.

642. *trabem*, arborem, ut passim. Vid. index in v.

643. *fallaciter*. Heins. ex uno chartaceo, uno Mor. et uno Pal. infeliciter sane dedit *feliciter*. Junge: „*et in omnia quae anima s. vita vacant s. carent, transit*.“ — Fragm. Theat. et IV Heins. *carent*.

644. Ad rem conf. Lucian. de somn.

647. *Thaumantidos*. Vid. IV, 480. *edita*, jussa. — 648. *mollis*, quatenus resolvit corpus et agilitatem ejus frangit.

648. Duo Heins. *solutum*. Male.

649. *deposuitque*. Virg. Aen. IV, 108. *Corpora sub ramis deponunt arboris altae.*
Strato alto. Conf. v. 610.

650. *ille*, Morpheus.

651. *morae breve tempus*, brevis temporis mora.

Pervenit Haemoniam, positisque e corpore pennis
In faciem Ceycis abit; sumtaque figura
Luridus, exanimi similis, sine vestibus ullis
Conjugis ante torum miserae stetit: uda videtur
Barba viri, madidisque gravis fluere unda capillis.
Tum lecto incumbens, Fletu super ora profuso
Haec ait: „Agnoscis Ceyca, miserrima conjux?
„An mea mutata est facies nece? Respice: nosces,
Inveniesque tuo pro conjuge conjugis umbram.
Nil opis, Alcyone, nobis tua vota tulerunt:
Occidimus, falso tibi me promittere noli.
Nubilus Aegaeo deprendit in aequore navem
Auster, et ingenti jactatam flamine solvit;
Oraque nostra, tuum frustra clamantia nomen,
Implerunt fluctus. Non haec tibi nuntiat auctor
Ambiguus, non ista vagis rumoribus audis;
Ipse ego fata tibi praesens mea naufragus edo.
Surge, age, da lacrimas, lugubriaque indue, nec me
Indeploratum sub inania Tartara mitte.“
Adjicit his vocem Morpheus, quam conjugis illa
Crederet esse sui; fletus quoque fundere veros
Visus erat, gestumque manus Ceycis habebat.
Ingemit Alcyone lacrimans, movet atque lacertos

652. *Haemoniam - urbem*, Trachina. V. 409. — *positis e corp. pennis.* Cf. I, 674 seqq.

653. *sumtaque figura*, sc. ejus. — Arond., Bas. 1. a 1. m., Berol., Goth. 1. pro v. l., Mor. 1., Vrat. et X Heins. *formaque sub illa*, ex interpretamento, ut videtur. Goth. 2., Pal. 2., Par. 1. 2. et reliqui *sumtaque figura*. Cod. Viv. *sumtaque figura* v. *formaque sub ipsa*. — Ceterum conf. Virg. A. II, 268 seqq., ubi Hector etiam foedo habitu apparet, quo e vita excesserat. Cf. X, 49. — *abire* in transformatione legitur etiam I, 236. et alibi.

654. *exanimi*. Goth. 2., Par. 1., Lips. 2., meliores Heins. magno numero et ed. pr. *exangui*. Sed *exanimi* praeter majorem vett. librorum auctoritatem etiam copiosius est.

656. *fluere*. Dresd., Lips. 2., Vrat. et XII Heins. *fluit*. - Bon. 3., Flor. et Neap. *madidisque viri*.

657. *lecto incumbens*, super lectum Alcyonae sese inclinans. — Pro *profuso* Cant., Erf. 1., Goth. 2., Par. 2., Thu. et IV Heins. *refuso*, quod verbum in lacrimis me legisse non memini. — Cod. Bersm., Dresd., Zwicc. et ed. pr. *tunc*.

662. *falso*. Gron. 1. *false*. — Sensus est: *noli me* (reducem fore) *tibi falso promittere sive falso sperare*. Conf. v. 576.

663. *Aegaeo deprendit in aequore. deprendere* de subita tempestate, quae navigantes opprimit. Hor. Od. II, 16, 1.

Otium divos rogat in patente
Prensus Aegaeo.

De *Aegaeo* v. ad v. 410. et de *austro* I, 66. — Dresd., Goth. 1., Zwicc., meliores Heins. et ed. pr. *navim*. Sed mihi forma communis vera videtur, quae etiam multo majorem habet auctoritatem codicum et vett. edd.

665. *tuum clamantia nomen*. Vid. v. 567.

666. *auctor ambiguus*, incertus nuntius.

669. *lugubria* pro *vestimenta lugubria*. Trist. IV, 2, 73.

Illa dies veniet, mea qua lugubria
ponam.

Prop. IV, 11, 97.

670. *mitte*, sine descendere. — *inania*, quia umbrae *inanes*. IV, 510.

673. *habebat*. Berol., Ox. et III alii Heins. *habebant*.

674. *lacrimas movet atque lacertos*. vera Nasonis oratio *movet* in duplici significatione. Vid. ad Trist. V, 13, 1. et index Metam. in v. *dilogia*. Conf. Met. V, 112. X, 368. Virg. A. VII, 237. Atque hanc scripturam tuentur codices fere

Per somnum, corpusque petens amplectitur auras,
Exclamatque „Mane! Quo te rapis? Ibimus una!“
Voce sua specieque viri turbata soporem
Excutit, et primo si sit circumspicit illic,
Qui modo visus erat: nam moti voce ministri
Intulerant lumen. Postquam non invenit usquam;
Percutit ora manu, laniatque a pectore vestes
Pectoraque ipsa ferit. Nec crines solvere curat;
Scindit, et altrici, quae luctus causa, roganti
„Nulla est Alcyone, nulla est:“ ait „occidit una
„Cum Ceyce suo! Solantia tollite verba!
Naufragus interiit: vidi agnovique, manusque
Ad discedentem, cupiens retinere, tetendi;
Umbra fuit, sed et umbra tamen manifesta viriquc
Vera mei. Non ille quidem, si quaeris, habebat
Assuetos vultus, nec, quo prius ore, nitebat:
Pallentem nudumque et adhuc humente capillo
Infelix vidi. Stetit hoc miserabilis ipso
Ecce! loco“; et quaerit, vestigia si qua supersint.
„Hoc erat, hoc, animo quod divinante timebam,
Et ne, me fugiens, ventos sequerere rogabam.

omnes et omnes vett. edd. — Erf. 1., alter Hamb. et nonnulli Heins. *lacrimans*. Conjectura est Gronovii minime necessaria:

Ingemit Halcyone lacrimans, motatque lacertos —

in qua etiam illud *motat* parum Ovidianum est.

678. *illic*. Dresd., Medic., Ox., Vrat., Zwicc. et plurimi Heins. *ille*. — *si*. V. 293. IV, 248.

679. *qui*. Medic. 1. et Lips. 1. *quo*, unde male conjecerunt *qua*: nam non de loco, quo conjugem viderat, quaerebat Halcione, sed num idem ille, quem viderat, ibi staret. *Baumg.-Crus.*

681. Conf. IV, 138. III, 480. — De oratione *laniare vestem a pectore* cf. X, 124. XI, 555.

682. *nec curat crines solvere* (quod sedatioris in luctu animi est, sed quod furiosi est) *scindit eos* . . . De hac constructione conf. XIII, 550. Virg. Aen. XII, 895.

— — — non tua fervida terrent
Dicta, ferox: di me terrent et Jupiter hostis.

Amor. III, 9, 3.

Flebilis indignos, Elegeïa, solve capillos:
Ah nimis ex vero nunc tibi luctus erit.

Trist. III, 3, 51.

Parce tamen lacerare genas nec scinde capillos.

Dresd. et nonnulli Heins. *crinem*. — Dresd., Put., Sarr. et edd. Ven. 2. et Ald. *curans*. Mendose.

683. *altrici*. Vid. ad IX, 707. — V Heins. *saevit*.

684. *nulla est*. Vid. v. 579.

685. *tollite*, omittite. Hor. Od. I, 27. *tollite barbarum morem*. Fast. III, 198. *tolle preces*. — *solantia verba*. Conf. IX, 159.

687. *ad discedentem - tetendi*. Ita tacite edidit Heinsius, quod Dresd. a 1. m., Par. 2., Lips. 1., Vrat. e corr. et quidam Viviani confirmant. Reliqui miras variantes habent, partim a perversa interpunctione post *manusque*, partim librariorum negligentia aut pravo optimum poetam corrigendi studio ortas. Nam quidam Viv., Vrat. a 1. m., Dresd. a 2. m., Lips. 2., Berol., Zwicc. et vett. edd. *tenenti*. — Quidam Viv., Goth. 2., Berol. et edd. Venn. *et discedentem*. Goth. 1., ed. Bas., Lips. 2., Zwicc. et ed. pr. *ac discedentem*. Dresd. a 1. m. *at*. Par. 1. *ut discedentem*. Atque hujus versus corruptio procreavit v. 688. corruptionem *umbra fugit*, quam exhibent Erf., Goth. 1., Par. 2., Fragm. Theat., Vat. 1., Zwicc. et XX Heinsii, et *umbra ruit*, quam habet Patav.

690. *nitebat*. Vid. v. 271.

691. *pallentem etc*. Respondet illis v. 654 seqq.

695. *me fugiens*. *Fugere* et in eo dicitur, qui alterum proficiscens relin-

Dumque volat, maesto similem plenumque querelae
Ora dedere sonum, tenui crepitantia rostro.
Ut vero tetigit mutum et sine sanguine corpus;
Dilectos artus amplexa recentibus alis,
Frigida nequicquam duro dedit oscula rostro.
Senserit hoc Ceyx an vultum motibus undae
Tollere sit visus, populus dubitabat; at ille
Senserat, et tandem superis miserantibus ambo
Alite mutantur. Fatis obnoxius isdem
Tunc quoque mansit amor, nec conjugiale solutum est
Foedus in alitibus: coëunt fiuntque parentes,
Perque dies placidos hiberno tempore septem
Incubat Alcyone pendentibus aequore nidis.
Tum via tuta maris: ventos custodit et arcet
Aeolus egressu, praestatque nepotibus aequor.
Hos aliquis senior circum freta lata volantes
Spectat, et ad finem servatos laudat amores.
Proximus, aut idem, si fors tulit, „Hic quoque," dixit
„Quem mare carpentem substrictaque crura gerentem
Adspicis," - ostendens spatiosum in guttura mergum -

rostro longo et tenui. Vid. Voss. ad Virg. G. I, 399.

734. *plenumque querelae.* Prop. III, 10, 9.

Alcyonum positis requiescant ora querelis.

737. *recentibus* i. q. *modo natis* v. 732. Unus Medic. et ed. pr. *trementibus.*

739. Multi codd. cum ed. pr. *senserat.* — Cod. Bersm., Berol. et Zwicc. *haec.*

740. *tollere sit visus.* Cod. Bersm., Berol., Lips. 1. et Vrat., Bas. 1. et 4. *tolleret et visus.* Lips. 2. et ed. pr. *tolleret et cernens p.*

742. *alite mutantur.* Cf. X, 157. IV, 397.

743. Berol., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 1. 2., Vrat. et vett. edd. *solutum est.* Heinsius *est* tacite omisit, quod a Goth. 1. et Zwicc. abest.

745. *perque dies placidos* etc. Plin. N. H. X. c. 32. *Faciunt VII ante brumam diebus nidos et totidem sequentibus pariunt*, qui dies *halcyonides* dicebantur aut *halcyonia*, iisque mare erat placidum. Hyg. F. 65. J. H. Voss. ad Virg. Georg. I, 399. Theocrit. VII, 57. Lucian. II.

746. *aequore*, abl. loci sine praep. Conf. v. 472. et III, 660. Her. XVIII, 52. *dubia sacpe pependit aqua.*

747. Flor., Lips. 2., Zwicc., Dresd. et II Heins. *tunc.*

748. *Aeolus* erat Alcyonae pater. Apparet, cur Aeolus hoc fecerit, et qui sint illi *nepotes.* — *praestat*, concedit iis ac tutum reddit. Her. XV, 213.

— — *Venus orta mari mare praestat amanti* —

ubi vid. not. Ceterum hae aves nidos faciunt in cavernis vel scopulorum (Prop. III, 5, 15.) vel litorum. Inde cum saepe a fluctibus tollantur, aves ipsae eos imponere aquae (*pendentibus aequore nidis*) credebantur.

749. *Aesacus filius Priami Trojani regis Hesperien nympham amat et fugientem insequitur, quae cum in fuga serpentis morsu periisset, ille vitae perosus in mare se praecipitaturus in mergum mutatur.* Hyg. F. 91. Apollod. III, 12, 5.

749. Flor. *junctim - volantes*, ut IV, 599. Cadmus et Harmonia in serpentes mutati *juncto volumine* serpunt. Conf. IX, 64. Sed nihil mutandum.

751. Berol., Dresd., Goth. 1., Lips. 2. et ed. pr. *si sors.* Conf. I, 297. — *proximus*, proxime adstans.

752. *carpentem mare*, ut *carpere aethera, litora, campum, al.* et *ire mare.* Vid. ad Her. VII, 40. — *substricta crura gerere*, ut *substricta* (q. e. brevia) *ilia gerere* III, 216. — Exc. Lang. *constractaque.* Arg., Barb., Medic., Thys. et Zwicc. *succinctaque.* Ambr. *subtractaque.* Lips. 1. *substractaque.* Codd. Viv. *substrictaque* vel *subtractaque.* Omnes frustra.

753. *spat. in guttura*, h. e. quod ad

„Regia progenies, et, si descendere ad ipsum
Ordine perpetuo quaeris, sunt hujus origo
Ilus et Assaracus raptusque Jovi Ganymedes
Laomedonque senex Priamusque, novissima Trojae
Tempora sortitus. Frater fuit Hectoris iste;
Qui nisi sensisset prima nova fata juventa,
Forsitan inferius non Hectore nomen haberet,
Quamvis est illum proles enixa Dymantis,
Aesacon umbrosa furtim peperisse sub Ida
Fertur Alexirhoë, Granico nata bicorni.
Oderat hic urbes, nitidaque remotus ab aula
Secretos montes et inambitiosa colebat
Rura, nec Iliacos coetus nisi rarus adibat.

guttura, constructio Graeca. Conf. v. 178. X, 538. I, 720. — Medic. 1., unus Mor. et Twisd. 1. *spat. gutture;* non male. Conf. III, 20. Plerique Heins. *spat. in gutture* vel *gurgite*. Reliqui omnes cum vett. edd. *in guttura*. Heinsius conjecturam suam dedit *spatiosum guttura*.

754. „*descendere* ab proavis et avis *ad ipsum* Aesacum.“ Fast. I, 537.

Talibus ut nostros dictis descendit in annos.

Quaerere pro cupere cum infinitivo apud poetas saepe legitur. Hor. Sat. I, 9, 8. *misere discedere quaerens*. Epist. I, 1, 2. *quaeris me includere*.

755. *perpetuo*, non interrupto, nullo domus membro omisso. Conf. VIII, 246. I, 4. — Cod. Bersm., Dresd. et unus Sulm. *fuit*.

756. *Ilus*, *Assaracus* et *Ganymedes*, filii Troïs, qui urbi Trojae nomen dedit. X, 155 seqq. Ili filius fuit Laomedon, cujus filius Priamus quo rege Troja ab Graecis expugnata est: inde *novissima Trojae tempora sortitus*. De Laomedonte vid. v. 200. — *Jovi*, ab Jove. X, 155.

758. *iste*, quem videtis alitem. Hector autem fortissimus ille Trojanorum dux, filius Priami. XII, 3.

759. *nova fata* sunt mira fata, sc. transformationis. — *sensisset*, expertus esset.

761. *illum*. Mater Hectoris fuit Hecuba, filia Dymantis.

762. *Ida*, mons Phrygiae s. Troadis. II, 218. — De Graeca forma *Aesacon* conf. XIV, 223.

763. *Alexirhoë* est probabilis correctio in ed Parm.; nam codd. in hoc nomine ita corrupti, ut verum dignosci non possit. Plerique tamen huic similem scripturam habent: *Alixirhoë*, *Alyxirhoë*, *Alixiroë*, *Halixiore*, *Alaxiore*, *Alixoroë*. Corruptior etiam reliqua versiculi pars in vett. libris est. Nam scriptura *Granico nata bicorni* licet elegantissima sit, et vere Ovidiana videatur, est emendatio Pierii Valer. Hierogl. III. 9., Bigotii in Ephem. Trivolt. 1705. T. III. p. 381. et Fabricii in Bibl. Lat. T. III. p. 367. Codices enim et vett. edd. corrupta tenent. Medic. 3. *gratali*, I Heins. *gratili*, II Heins. *graciali conata bicorni*. Nonnulli *gracilico nata bicorni*. Codd. apud Pierium, Arond. et I Heins. *gracili cognata bicorni*. Berol., Dresd. et Zwicc. *gracili conata* (Dresd. *coronata*) *bicornu*. Reliqui omnes *gracili conata bicorni*. Mendum latere videtur in prima voce, et *cognata bicorni* Ovidianum esse. Pro scriptura *Granico* tamen affertur, quod Granicus filius Tethyos, cujus misericordia transformatio Aesaci facta est. Hesiod. Theog. v. 342. — *bicorni;* nam dis fluviorum vulgo cornua tribuuntur. IX, 1 sqq.

764. *nitida - aula*, ut *arx nitens* II, 795. Tib. IV. 1, 18.

Cum magnis opibus domus alta niteret.

765. *inambitiosa*, ab ambitione remota, ambitione carentia. Ab Nasone novatum vocabulum, ut *indejecta* I, 289. et alia hujusmodi. Vid. index in *in*. Cf. Hor. Sat. II, 6, 16.

Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi —
Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus auster.

Virg. Georg. II, 485.

Rara mihi et rigui placeant in vallibus amnes,
Flumina amem silvasque inglorius.

Non agreste tamen nec inexpugnabile Amori
Pectus habens, silvas captatam saepe per omnes
Adspicit Hesperien patria Cebrenida ripa,
Injectos humeris siccantem sole capillos.
Visa fugit nymphe, veluti perterrita fulvum
Cerva lupum, longeque lacu deprensa relicto
Accipitrem fluvialis anas. Quam Troïus heros
Insequitur, celeremque metu celer urget amore.
Ecce latens herba coluber fugientis adunco
Dente pedem strinxit, virusque in corpore liquit:
Cum vita suppressa fuga est. Amplectitur amens
Exanimem, clamatque „„Piget, piget esse secutum;
„„Sed non hoc timui, neque erat mihi vincere tanti.
Perdidimus miseram nos te duo: vulnus ab angue,
A me causa data est; ego sum sceleratior illo, —
Qui tibi morte mea mortis solatia mittam.““
„Dixit, et e scopulo, quem rauca subederat unda,
Decidit in pontum. Tethys miserata cadentem

Conf. Met. XI, 146. — *Iliacos*, Trojanos; nam Troja etiam Ilium vocabatur.

767. *non agreste*, non rusticum, durum. Trist. IV, 10, 65. poeta de se ipse:

Molle, Cupidineis nec inexpugnabile telis
Cor mihi, quodque levis causa moneret, erat.

768. *captare puellam*, assequi studere, omnem operam dare, ut eam videre et cum ea colloqui possis. Fast. VI, 334. de Priapo: *nymphasque deasque captat* q. e. potiri studet. *Gier.*

769. *Hesperien*. Ita cod. Bersm. et ed. pr. et Lactant. in argumento. Confirmant Lips. 1. 2. et Dresd., qui *Hesperiem*. Codd. Viv. *Espeiien* v. *Eperien*. *Eperien* etiam plurimi Heins., codd. (?) Naug., Goth. 2., Par. 1. 2. et alii cum edd. Venn.; Berol. et Zwicc. *Epherien*. Goth. 1. *Epheriem*. Alii Heins. *Epirien*, *Epireen*, *Epiren*, *Epirihen*, *Hyperien*, *Heperien*, *Heperihen*. — Apollod. 1. 1. *Asteropen*. Adeo obscurum hujus Naïadis nomen. — *Cebrenida*. Cebren fl. Troadis. *Cebrenis* ejus filia.

770. *siccantem etc.* Conf. II, 12.

771. De hoc simili conf. I, 505.

772. *cerva*. Unus Leid., Voss., Six. et II alii Heins. *agna*, ex I, 505. *Cervi luporum praeda rapacium* Hor. Od. IV, 4, 50.

774. *celerem - amore*. Conf. I, 539 seqq.

775. *latens herba*. Conf. X, 8 seqq.

776. *strinxit - liquit*. Bas. 4., Berol., Par. 1., Zwicc. et multi Heins. *stringit - linquit*. *linquit* etiam Lips. 1.

778. Berol., Cael., Joan., Sulm. 1., unus Vat. Ciof., Zwicc. et ed. pr. *clamatque piget me te esse s.* Heinsius de suis codd. tacet. Reliqui, ut edidimus.

779. *neque erat mihi vincere tanti*. Conf. II, 424. VI, 386. Goth. 1., Lips. 1., Vrat. et ed. pr. *neque erat*. Zwicc. *neque enim*. Heinsius tacite edidit *nec erat*, quod reliqui mei tuentur. *Jahn.*

781. *sum*. Heinsius tacite edidit: *sim*, quod Const. Fanens. e libris aliquot (?) notavit. Alii Const. Fan., Pal. 2. et reliqui omnes cum vett. edd. *sum*, quod recte habet, modo in fine hujus versus lineola ponatur, quo significetur coeptam orationem interrumpi sive abrumpi. Nam v. 782. restituendum *qui*, cum omnibus codd. et vett. edd., quod est pro *atque ego*. Aliqui (?!) Constant. Fanens. et margo Bas. 1. et margo ed. Bersm. *ni tibi*.

783. *subederat*. Her. X, 26. *scopulus raucis pendet adesus aquis*. *Mittere solatia*, ut *mittere inferias*, *munera umbris*, de quo supra dictum est v. 381.

784. Vulgo nunc editur: *se dedit*, q. e. se misit. Virg. Georg. IV, 528.

— *se jactu dedit aequor in altum*. Virg. Aen. XI, 564. *At Metabas — dat sese fluvio*. Sed scripturam *se dedit* nonnisi Neap. et Urb. exhibent. Nam Goth. 2. pro v. l., Medic. 4., Mor. 1., X Heins. et margo Farn. *desilit*. III Heins. *dejicit*. Pal. 2., Goth. 1. 2., Par. 1. 2. et reliqui *decidit*, quod genuinum mihi videtur, cui respondet illud *cadentem*.

Molliter excepit, nantemque per aequora pennis
Texit, et optatae non est data copia mortis.
Indignatur amans invitum vivere cogi,
Obstarique animae, misera de sede volenti
Exire; utque novas humeris assumserat alas,
Subvolat atque iterum corpus super aequora mittit:
Pluma levat casus. Furit Aesacus, inque profundum
Pronus abit, letique viam sine fine retentat.
Fecit amor maciem, longa internodia crurum,
Longa manet cervix, caput est a corpore longe;
Aequor amat, nomenque manet, quia mergitur illo.

786. *texit.* Heinsius conjecit *vestis*, ut solet mutare, quae recta sunt et librorum auctoritate comprobata. — Unus Bonon., Flor et Spir. *morti.*

787. Berol., Pal. 2. pro. v. l., Zwicc. et ed. pr. *se invitum.* Heinsius tacite omisit *se*, quod cod. Bersm. et reliqui Jahni non agnoscunt.

788. *animae*, vitae. — *de sede*, de domicilio suo, de corpore.

789. *assumere alas* etiam XII, 1. Vellej. I. c. 11. *assumtis regni insignibus.* Conf. XI, 337. XII, 557.

790. *subvolat.* Solus Cant. *evolat*, ex glossa. *mittit corp. super aequora.* Conf. IV, 530.

791. *furit Aesacus.* Ingeniose poeta naturam mergi et lusus motusque in aqua in usum suum convertit, et Aesaci animo mortem quaerentis accommodat.

792. *pronus*, quia primum capite et collo mergitur.

794. *a corpore.* Alter Hamb., Bas. 2. et III Heins. *a pectore.*

795. „*nomenque manet* (mergi), *quia mergitur illo.*" Cod. Viv. *nomenque manet quia mergitur illo* vel *tenet*, et *illic*, vel *illi. Tenet* etiam Bas. 1., Berol., Cant., Menard., Par. 1. 2. et VI Heins. — Reliqui omnes *manet*, quod mihi genuinum videtur. Conf. IV, 538. Nam quod *manet* v. 794. praecedit, minus elegans quidem est, sed talia apud Nasonem minime urgenda. Porro plurimi Ciof., Berol. a 1. m., Erf. 1., Goth. 2., Medic. 1. 3. 4., Pal. 1., Vat. 1., Vrat., Zwicc., plurimi Heins. et margo ed. Bersm. *illi.* Dresd., Goth. 1., Joan., Pal. 2., Bas. 4., Lips. 2., nonnulli Heins. et ed. pr. *illic.* Berol. in litura, Lips. 1., Bas. 1. 2. 3., Par. 1. 2., unus Sulm. et vulg. *illo.* — *mergere* cum abl. VIII, 697. et passim.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER DUODECIMUS.

Nescius assumtis Priamus pater Aesacon alis
Vivere, lugebat, tumulo quoque nomen habenti
Inferias dederat cum fratribus Hector inanes.
Defuit officio Paridis praesentia tristi;
Postmodo qui rapta longum cum conjuge bellum
Attulit in patriam, conjurataeque sequuntur
Mille rates, gentisque simul commune Pelasgae.
Nec dilata foret vindicta, nisi aequora saevi

1. *In funeribus Aesaci* (XI, 749 — 795.) *deerat Paris Priami filius, qui Spartam profectus Helenam Menelai, regis Lacedaemoniorum, uxorem rapuerat. Hanc injuriam ulturus Graecorum exercitus cum Aulide secundos ventos exspectaret, ibi miraculum vidit, serpentem avi cum IX pullis devorata in lapidem mutari.* Hom. Il. II, 301 seqq. *Quod pro felici omine declaravit Calchas vates, si Iphigenia Agamemnonis filia Dianae, exercitui infensae immolaretur. Cum Iphigenia adducta esset, a dea mutata est et in ejus locum cerva substituta.* Hyg. F. 98. 261. Serv. ad Virg. Aen. II, 118. Not. ad Met. XIV, 332. Ant. Lib. c. 27.

1. *assumtis - alis.* XI, 783 seqq.

3. *inferias - inanes*, ut pro homine quem mortuum ille falso credebat. Tumulus autem intelligendus *cenotaphium*. Vid. XI, 429. VI, 568. — Priamus L filios, in quibus Hector (XI, 758.), habuisse traditur. Dicitur autem *inferias dare*, *ferre* et *mittere*. XI, 381., ubi vid. not.

5. *longum* sc. *decenne*. XIII, 206. 213. *spatiosum bellum*.

6. *conjuratae*, jurejurando obstrictae, i. e. quarum duces conjuraverant, jurejurando sese obstrinxerant. Respicit autem jusjurandum, quo se Graeciae principes in Aulide, nonnisi Troja eversa receptaque Helena redituros mutuo devinxerant. Conf. Stat. Ach. I, 455. Hor. Od. I, 15, 8. Nereus Paridi vaticinatur:

Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite
Conjurata tuas rumpere nuptias.

7. *commune gentis Pelasgae*, est pro *communis gens Pelasga*. Vid. XIII, 199. Sic Herod. τὸ κοινὸν τῶν Σαμίων. Cic. *commune Siciliae*. De *Pelasgis* vid. VII, 49. — *mille rates*, ut v. 37. *mille carinae*. Liv. XLV. c. 27. Conf. XIII, 182. Homerus MCLXXXVI Trojam naves venisse dicit, sed Naso rotundo sive pleno, quem ajunt, utitur numero. Dio MCC fuisse tradit. — Codd. Viv. *Pelasgae* vel *Pelasgum*. Reliqui *Pelasgae*.

Invia fecissent venti, Boeotaque tellus
Aulide piscosa puppes tenuisset ituras.
Hic patrio de more Jovi cum sacra parassent,
Ut vetus accensis incanduit ignibus ara;
Serpere caeruleum Danai videre draconem
In platanum, coeptis quae stabat proxima sacris.
Nidus erat volucrum bis quatuor arbore summa:
Quas simul et matrem, circum sua damna volantem,
Corripuit serpens avidaque recondidit alvo.
Obstupuere omnes; at veri providus augur
Thestorides „Vincemus:“ ait „gaudete, Pelasgi!
„Troja cadet, sed erit nostri mora longa laboris“,
Atque novem volucres in belli digerit annos.
Ille, ut erat virides amplexus in arbore ramos,
Fit lapis et servat serpentis imagine saxum.
Permanet Aoniis Nereus violentus in undis,
Bellaque non transfert; et sunt, qui parcere Trojae
Neptunum credant, quia moenia fecerat urbis.

9. *Boeotaque tellus Aulide.* Aulis fuit urbs maritima in Boeotia, e regione Euboeae. XIII, 182.

10. *tenuisset*, retinuisset. Sen. Med. v. 622. *Aulis - portubus lentis retinet carinas.* Hyg. F. 98. *in Aulide tempestas eos ira Dianae retinebat, quod Agamemno in venando cervum ejus violavit, superbiusque in deam est locutus.* Conf. XIII, 182. Eurip. Iph. Aul. init. — *piscosus* commune epitheton insularum et urbium maritimarum.

11. *patrio de more*, h. e. de more patriae. Conf. VI, 648. Ceterum sunt haec ex Hom. Il. II, 299 seqq., ubi ab Ulixe facunda cum simplicitate narrantur. *Gier.*

12. *incanduit*, ut II, 729. I, 435.

13. *Danai*, Graeci a Danao rege Argivorum.

14. Platani illius partem Pausaniae (vid. Boeot. p. 748.) adhuc aetate in templo ostendebant et juxta fontem.

15. *quatuor* primam habet longam, ut I, 118. XV, 199.

16. *damna*, pro re jam amissa aut quae amittitur. XI, 391. *damna*, pecora trucidata. *Gier.* Ad rem conf. Cic. de Divin. II. c. 30.

17. *recondidit*. Conf. XIV, 176. XV, 88. VI, 651. et 664. — Dresd., Franc., Par. 2., Vrat. et VIII Heins. *avidoque rec. ore.* Flor. *udo quas condidit ore.* Zwicc. *recondit in alvo.*

18. *veri*. Sic Ep. Sab. I, 93. *laeti providus augur.*

19. *Thestorides*, Calchas filius Thestoris, vates clarissimus in exercitu Graecorum. Hom. Il. I, 69.

Κάλχας Θεστορίδης, οἰωνοπόλων
ὄχ' ἄριστος,
Ὃς ἤδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

20. Balliol., Par. 1. et 2. *nobis.*

21. *digerit*, distribuit. XIV, 469. Ex Pont. I, 4, 9.

Num mea per longos si quis mala digerat annos.

Cic. de Divin. II. c. 30. *Calchantem dixisti ex passerum numero belli Trojani annos auguratum.*

22. *ut erat*. Conf. II, 72. IV, 474. VI, 244.

23. *servat*. Conf. I, 237. IX, 227. XV, 170.

24. *Aoniis*, Boeotis. V, 10. I, 313. — *Nereus*, deus marinus, qui cum Neptuno tempestates ciet. II, 268. Virg. Aen. II, 419.

— — — *saevitque tridenti*
Spumeus atque imo Nereus ciet aequora fundo.

25. *bella non transfert*, bellantes transire non patitur. Plin. Pan. c. 12. *duratus glaeie tergo bella transportat Danubius.* Flor. II. c. 2. *bellum in Africam navigabat.*

26. *Neptunum - quia.* Vid. XI, 199 seqq. — Unus Ambr. et unus Medic. *fecerit*, ex eorum, qui sic credebant, sententia. Conf. Virg. A. II, 84. 179. Deinde X ex melioribus (?) Heins. *urbi*, quod Heinsius in deliciis habet itaque in textum recepit, unde etiam X illi *meliores.*

At non Thestorides: neque enim nescitve tacetve
Sanguine virgineo placandam virginis iram
Esse deae. Postquam pietatem publica causa
Rexque patrem vicit, castumque datura cruorem
Flentibus ante aram stetit Iphigenia ministris;
Victa dea est, nubemque oculis objecit, et inter
Officium turbamque sacri vocesque precantum
Supposita fertur mutasse Mycenida cerva.
Ergo ubi, qua decuit, lenita est caede Diana,
Et pariter Phoebes pariter maris ira recessit;
Accipiunt ventos a tergo mille carinae,
Multaque perpessae Phrygia potiuntur arena.
Orbe locus medio est inter terrasque fretumque
Coelestesque plagas, triplicis confinia mundi,

Vid. X, 270. XI, 222. IX, 540. XII, 166. 294. et Praefatio.

27. *neque enim.* Ita Dresd., Goth. 1., Lips. 1. 2., Vrat., Zwicc. et edd. Venn. — Berol., Goth. 2. et ed. pr. cum vulg. *nec enim*, quod tacite edidit Heinsius.

28. *virginis - deae*, Dianae. I, 487. Virg. A. II, 116—119.

Sanguine placastis ventos et virgine caesa,
Sanguine quaerendi reditus animaque litandum
Argolica.

Dianae iram excitarat Agamemnon, interfecta cerva ipsi sacra. Aliter Cic. Off. III. c. 25.

29. *pietatem*, amorem filiae. — *publica causa*, communis gentis salus. VI, 629. XIII, 184 seqq.

30. *rexque.* Vett. libri Ciof., Berol., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 1. 2., Vrat., Zwicc. et nonnulli Heins. *resque.* Sed gravius mihi et concinnius videtur *rexque*, quod nec minorem habere videtur auctoritatem codicum. XIII, 187. de eadem re: *Atque in rege tamen pater est.* Val. Max. V. c. 8. de Bruto: *exuit patrem, ut consulem ageret.* Conf. Met. VI, 629. — Medic. et VII alii Heins. *vincit.* — *dare*, effundere. — Pinxerat illam immolationem Timantes, de quo Quint. Inst. Or. II, c. 13. *Cum in Iphigeniae immolatione pinxisset tristem Calchantem, tristiorem Ulixem, addidisset Menelao quem summum poterat ars efficere moerorem; consumtis affectibus non reperiens quo digno modo patris vultum posset exprimere, velavit ejus caput et suo cuique animo dedit aestimandum.* Conf. Cic. Or. c. 22. Plin. XXXV, 10.

31. *ministris*, sc. sacrorum.

32. *oculis*, sc. Graecorum exercitus.

33. *turbam*, strepitum.

34. *mutasse.* Agamemnon enim erat rex Mycenarum, VI, 444.; inde filia ejus *Mycenis.* — *mutare aliqua re* vid XI, 742.

35. Dresd. et nonnulli Heins. *qua licuit.*

36. *Phoebes.* Diana etiam dea Lunae et inde *Phoebe* appellatur. I, 10. VII, 94. — De repetitione illius *pariter* conf. VIII, 323.

38. *potiuntur.* V, 254. XI, 55. — *arena*, litore arenoso. *Phrygia.* X, 152.

39. *Trojani cum a Fama adventum Graecorum classis cognovissent, armati hostem exspectant. Pugna committitur, in qua Cygnus ab Achille caesus a Neptuno in cygnum mutatus est.* Vid. Munker ad Hyg. F. 157. Heyn. ad Apollod. p. 170. Quint. Cal. IV, 476 seqq.

39. *orbe locus medio.* Vers 63. *totum - in orbem.* — 40. *triplicis - mundi*, trium mundi partium, quae sunt terra, mare et coelum. Vid. 62. Lucret. V, 94.

Principio maria ac terras coelumque tuere,
Quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Tres species tam dissimiles, tria talia texta,
Una dies dabit exitio.

Conf. Trist. II, 425. „In confiniis igitur *terrae* et *frcti* mons eminebat versus *coelum.* Inde prospectat Fama etiam quod in freto agitur, v. 62. Altitudinem loci, quae causa lati prospectus, mox diserte declarat, *summa in arce*, q. e. in vertice montis.“ *Gier.* — *coelestes plagae*, coelum in plagas divisum. Conf. I, 48. et XI, 518. De *Fama* conf. Virg. Aen. IV, 173—188. et Stat. Achill. III, 425 seqq.

Unde quod est usquam, quamvis regionibus absit,
Inspicitur, penetratque cavas vox omnis ad aures.
Fama tenet, summaque domum sibi legit in arce,
Innumerosque aditus ac mille foramina tectis
Addidit, et nullis inclusit limina portis:
Nocte dieque patet; tota est ex aere sonanti,
Tota fremit vocesque refert, iteratque, quod audit.
Nulla quies intus, nullaque silentia parte;
Nec tamen est clamor, sed parvae murmura vocis,
Qualia de pelagi, si quis procul audiat, undis
Esse solent, qualemve sonum, cum Jupiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenet; veniunt leve vulgus euntque,
Mixtaque cum veris passim commenta vagantur
Millia rumorum, confusaque verba volutant.
E quibus hi vacuas implent sermonibus aures,
Hi narrata ferunt alio, mensuraque ficti
Crescit, et auditis aliquid novus adjicit auctor.
Illic Credulitas, illic temerarius Error,
Vanaque Laetitia est, consternatique Timores,

41. *regionibus*, spatio. — 42. *inspicitur*, q. e. quasi introspicitur, igitur gravius quam *aspicitur*, quod male exhibet cod. Voss.

43. *domum*. Sic vulg. — II Bersm., Berol., Cael., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 1. 2., Sulm. 1., Zwicc., Bas. 2. a 1. m., Bas. 3. 4. et multi Heins. *locum*, ex I, 27. Recte *domum*: nam et *foramina* et *atria* habet, vs. 53. Deinde Goth. 2., Lips. 1. 2. et plurimi Heins. *sibi fecit*.

45. *et nullis*. Conf. I, 441. V, 23.

46. *patet*. Berol., Dresd., Goth. 1. 2, Medic. 4., II Heins. et ed. pr. *patent*. Sed vulgata *patet*, sc. domus, et majorem auctoritatem vetustatis habet, et aptior est, quando *tota - tota - est - fremit* etc. sequitur. Inepta est lectio II Pal. et Vrat. *ex ore*, quam induxit Heinsius: nec melior *ex aure*, quam tenent Flor., Gron. 1., Medic. 1., Par. 2. et Splr.; agitur enim nunc de domo, non de ipsa Fama et quid est *auris sonans?* — *ex aere*, sc. ut omnia resonet et decies reddat, ut v. 47. sequitur.

49. *parvae murmura vocis*, i. q. *murmura parva* II, 788. nam *parvus* i. q. submissus. Pont. III, 10, 30. *parvus sonus*. — „parvam autem vocem finxit, quia rumusculi ab initio clam propagantur.“ *Gier.*

50. *qualia de pel.* etc. Conf. XV, 604.

— — *qualia fluctus*
Aequorei faciunt, si quis procul audiat illos.

51. Cod. Bersm., Berol., Cael., Goth., 1. 2., Maff. 1. 2., Pal. 2., Par. 1., Lips. 2., Sulm. 1., Vat. Ciof., multi Heins. et ed. pr. *altas*. Vulgo *atras*.

52. *increpuit*, concussit, impulit. Vid. ad I, 56. — *extrema tonitrua*, quae longinqua sunt et mox desinunt. Conf. II, 117.

53. *tenet*. Berol., Bas. 3. et V Heins. *tenent*, quod sine justa causa induxit Heinsius. — *leve vulgus* intellige *leve vulgus rumorum*.

55. *volutant*, volvendo propagant et produnt. Virg. I, 725.

Fit strepitus tectis vocemque per ampla volutant.

Atria.

56. *vacuas - ad aures*. IV, 41. III, 319.

57. *alio*, alios in locos s. ad alios. Cod. Bersm., Goth. 1., Gron. 1., Par. 2., Zwicc. et XXII Heins. *aliis*, ex interpretamento, ut videtur. — *mensuraque ficti crescit*. Conf. IX, 139. (fama) *ex minima sua per mendacia crescit*. Virg. I. 1.

Mobilitate viget viresque acquirit eundo,
Parva metu primo mox sese attollit in auras
Ingrediturque solo et caput inter nubila condit.

58. *novus auctor*, qui relata refert.

59. *illic Credulitas - Error* etc., qui Famae comites et effectus esse solent. Conf. Quint. Inst. Or. V. c. 3.

Seditioque recens, dubioque auctore Susurri.
Ipsa, quid in coelo rerum pelagoque geratur
Et tellure, videt totumque inquirit in orbem.
Fecerat haec notum, Grajas cum milite forti
Adventare rates; neque inexspectatus in armis
Hostis adest. Prohibent aditus, litusque tuentur
Troës, et Hectorea primus fataliter hasta,
Protesilaë, cadis; commissaque proelia magno
Stant Danaïs, fortisque animae nece cognitus Hector.
Nec Phryges exiguo, quid Achaïca dextera posset,
Sanguine senserunt. Et jam Sigea rubebant
Litora; jam leto proles Neptunia, Cygnus,
Mille viros dederat; jam curru stabat Achilles

61. *recens*. Ita vett. libri omnes. Heinsii conjectura est *repens*, q. e. repentina, ut Virg. Aen. XII, 343. Sed quando *recens* fere eandem vim habet, hoc restituendum putavi.

63. *inquirit in orbem*, I, 148. *patrios inquirit in annos*.

64. *fecerat haec notum*. Redit oratio ad v. 37. 38., unde descriptione illa Famae digressa erat.

65. *neque inexspectatus*. Et exspectabant eum Trojani ad litus et cum potentissimis Asiae regibus societatem inierat Priamus.

66. *prohibent aditus*. Graeci appulerunt ad litus Sigeum, ubi Trojani aditum prohibere tentabant. Thuc. I. c. 11. — Edd. Venn. et aliae *prohibentque*, sed II Bersm. et Heinsii codd. et reliqui *que* non agnoscunt. Deinde praepropera iterum conjectura Heinsii est *prohibent aditu*. Conf. XIV, 636.

67. *fataliter*, ex decreto fati. — Erat oraculi responsum, qui primus Graecorum solum Troadis tangeret, eum periturum. Protesilaus Thessalus quum Ulixis dolo id ausus esset, ab Hectore caesus est. Hyg. F. 103. Hom. Il. II, 698 seqq. Auson. Epigr. XII.

Fatale adscriptum nomen mihi Protesilao —
Hoc letum jam tum mea fata canebant,
Tale mihi nomen cum pater imposuit.

68. *magno*. Cod. Bersm., Berol., Leid. 3. et Dresd. *damno*. Conf. VII, 487. X, 547. XIV, 493.

69. *animae*, vitae. — Scripturam *fortisque animae nece c. H.* ex Hug. Zulichemii correctione Heinsius primus edidit. Cod. Bersm., codd. Ciof. et Heins., Pal. 2., Par. 1. 2. et reliqui omnes: *fortesque animae, neque cognitus Hector;* nisi quod Goth. 1. et Lips. 1. *animi*, edd. Venn. *nec cognitus;* cod. Heins. chartaceus *neque incognitus*. Hujus lectionis sententiam esse voluerunt: *fortesque animae nec exiguo sanguine senserunt, quid Hector non cognitus posset, nec exiguo sanguine Phryges senserunt, quid Achaïca dextera posset. Jahn.*

70. *Phryges*, Trojani, ut saepius in his carminibus: quia Troja in Phrygia minori sita fuit. — II Bersm., meliores Heins., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1., Lips. 1. 2., Zwicc. et ed. pr. *Achaïa*. Pal. 2., Par. 2. et reliqui *Achaïca*. Retinui *Achaïca*, quia altera forma apud Nasonem rarissima est. Vid. ad III, 518. et ad Her. I, 28., ubi Heinsius item sine justa causa mutavit. — Goth. 1. et vett. edd. *possit*. Vulgo *posset*.

71. *sentire*, damno suo discere. XIII, 864. Cic. Cat. II. c. 12. *Sentiet in hac urbe esse consules vigilantes*. — De *Sigea* vid. XIII, 3. — II Bersm., plurimi Heins., Berol., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Lips. 1. 2., Zwicc. et vett. edd. *signata*. Vulgo *Sigea*. Codd. Viv. *signata* vel *Sigea*.

72. *Cygnus* Neptuni filius, rex in Troadis agro, qui cum telis vulnerari non posset, ab Achille suffocatus est. Pausan. Phoc. p. 831. Distinguendus est ab altero Cygno, de quo VII, 371. et II, 367. Conf. Apollod. II. c. 5.

73. *instabat*, quod nunc vulgo editur, conjectura et correctio Farnabii est, quam Heinsius tacite servavit. — Goth. 1., Par. 1. 2., Lips. 1. et ed. pr. *jam curru stabat Achilles*. Cod. Bersm., Pal. 2. et reliqui *jam currus stabat Achillis*. Vera mihi scriptura videtur *jam curru st. Achilles:* nam et hoc pugnantis est, parumque, quod ad sensum, a Farnabii

Totaque Peliacae sternebat cuspidis ictu
Agmina, perque acies aut Cygnum aut Hectora quaerens
Congreditur Cygno: decimum dilatus in annum
Hector erat. Tum colla jugo canentia pressos
Exhortatus equos, currum direxit in hostem,
Concutiensque suis vibrantia tela lacertis
„Quisquis es, o juvenis, „dixit“ solamen habeto,
Mortis, ab Haemonio quod sis jugulatus Achille!“
Hactenus Aeacides, vocem gravis hasta secuta est.
Sed quanquam certa nullus fuit error in hasta;
Nil tamen emissi profecit acumine ferri.
Utque hebeti pectus tantummodo contudit ictu;
„Nate dea, – nam te fama praenovimus –“ inquit
Ille „quid a nobis vulnus miraris abesse?“ –
Mirabatur enim – „Non haec, quam cernis, equinis
Fulva jubis cassis, nec onus, cava parma, sinistrae
Auxilio mihi sunt; decor est quaesitus ab istis.
Mars quoque ob hoc capere arma solet. Removebitur omne
Tegminis officium; tamen indestrictus abibo.

conjectura discrepat. Scriptura autem *currus* literam, quod saepe factum constat, a sequenti *stabat* mutuasse videtur. — Achilles autem Phthius, magnus filius Pelei et Thetidis, fortissimus Graecorum dux. XI, 265.

74. *totaque*. Cod. Medic. chartaceus *Troaque*, quod Heinsius optimae omnium veterum edd. et codicum scripturae *totaque* male praetulit. *Tota agmina*, quae Achilles sternit, recte opponuntur illis *mille viris*, quos Cygnus straverat, et gravius Achillisque virtute dignius est *tota*. — *Peliacae cuspidis*, hastae e fraxino Pelii, Thessaliae montis. XII, 122. XIII, 109. IV, 311. Hom. Il. XVI, 140.

76. *dilatus* in homine non rarum est, XIII, 519. Hector decimo demum belli Trojani anno post ab Achille occisus est. — Multi libri vett. male *delatus*.

77. *colla*. Vid. ad I, 332. Conf. I, 124. — *candentia* exhibent Dresd., Lips. 1. et X Heins. — Reliqui omnes *canentia*, quod mihi verum videtur ac positum esse pro *candida*, ut infra v. 411. *canentia lilia*.

78. *exhortatur equos*, ut alibi *hortari* et *monere canes*.

79. *vibrantia tela*. Vid. VIII, 342. — Unus Voss. *Vulcania*.

80. *dixit*, *solamen habeto*. III Heins. *solatia mortis habeto*. *Dixit*. — Reliqui omnes, ut edidimus: et amat Naso verba in *men* exeuntia. Vid. v. 95. 142. VIII, 732. X, 727. — Prior scriptura fluxisse videtur ex V, 191. quem locum inspice etiam propter sententiam. Vide etiam IX, 7.

81. *ab Haemonio*, Thessalo. Vid. v. 73. et II, 599. — Cod. Arg., Thys. et Zwicc. *qui sis*. Berol. in litura *quia sis*.

82. *Aeacides*, Achilles, Aeaci ex Peleo nepos. VII, 798.

83. *certa*. Vid. I, 519. — *error*, ut V, 90. et mox v. 122. *errare*.

85. *hebeti ictu*, non acuto, obtuso, et qui non penetraret: hinc etiam *contudit*.

88. *equinis f. jubis cassis*. Conf. III, 108. — *miraris; mirabatur enim*. II, 399. 400.

89. Heinsius tacite edidit *neque*, quod Goth. 1., Zwicc. et ed. pr. tuentur. Reliqui libri *nec onus*. — *nec onus – sinistrae*. Conf. XV, 163. II, 681. Virg. A. *aere cavo clipeum*.

90. „*decor* (tantum) *mihi* (a me) *ab istis* (rebus s. belli instrumentis) *quaesitus est*.“

91. *ob hoc*, ob decorem. — Pal. 2., VI Heins. et pro v. l. Goth. 2. *remov. ecce*. Conf. v. 130., unde apparet Cygnum arma non removisse. Unus Medic. et ed. pr. *rem. huius*. — Goth. 1. et V Heins. *ab hoc*.

92. *tegminis officium*, tegumentum, quod id officii praestat, ut corpus defendat. I, 744. *pedum officium*. — Vetustiores Heins., cod. Bersm. et

Est aliquid, non esse satum Nereïde, sed qui
Nereaque et natas et totum temperat aequor.“
Dixit, et haesurum clypei curvamine telum
Misit in Aeaciden, quod et aes et proxima rupit
Terga novena boum, decimo tamen orbe moratum est.
Excutit hoc heros, rursusque trementia forti
Tela manu torsit, rursus sine vulnere corpus
Sincerumque fuit. Nec tertia cuspis apertum
Et se praebentem valuit distringere Cygnum.
Haud secus exarsit, quam circo taurus aperto,
Cum sua terribili petit irritamina cornu,
Puniceas vestes, elusaque vulnera sentit.
Num tamen exciderit ferrum considerat hastae;
Haerebat ligno. „Manus est mea debilis ergo,
„Quasque“ ait „ante habuit vires, effudit in uno?
Nam certe valuit, vel cum Lyrnesia primum
Moenia dejeci, vel cum Tenedonque suoque

Lips. 2. *indestrictus*. Reliqui omnes *indistrictus*. Utrumque dici h. l. potest; itaque sequimur majorem auctoritatem codicum et quod insolentius est. Vid. not. ad VII, 1382.

93. *est aliquid*, summus honor est. — *Nereïde*, sc. ut tu a Thetide Nereïde. XI, 221 seqq. *Nereïs* h. l. alteram syllabam producit, XIV, 264. corripit. Vid. ad II, 153. VIII, 302. — *sed qui*, intellige: *sed eo sive ab eo, qui etc.*, q. e. Neptuno. Vid. v. 72. Eodem modo Virg. Georg. I, 104. *quid dicam-qui*, pro *de eo qui*. Conf. not. ad Trist. I, 10, 31.

94. *temperat*. Berol., II Medic., Neap. et Strozz. *temperet*, ex vulgari dicendi consuetudine, ut relativum pendeat ab illo accusativo c. infinitivo: sed indicativus quoque h. l. recte ponitur, ut tota haec sententia relativa, quam vocant, pro mero adjectivo sit.

96. *proxima novena*. Clypeus igitur decem orbes corii bovini et super his unum aeris habebat. Vid. Hom. Il. XX, 269 seqq. et not. ad Met. XIII, 2.

97. *decimo-orbe*, decimo corio. — *moratum est*. Ita Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Lips. 1. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd. Atque inde conjectura est de codd. Heinsii, qui tacite *est* omisit.

98. *excutit*. Ita Bas. 1. 2. 4., cod. Bersm., Berol., Dresd. pro v. l., Goth. 2. a 2 m., Par. 1., Lips. 2., Twisd. 1. 2., pervetusti codd. Mariang. Accursii et plerique castigatiores Heinsii. — Reliqui *excipit*. Effectum teli jam attulit; itaque male sequeretur *excipit*; at recte in haerente dicitur *excutit*. — Illud *rursus* v. 99. respicit v. 82.

100. *sincerum*, integrum, illaesum. Conf. I, 191. VIII, 665. Lucret. III, 717. *membra sincera*. — *apertum et se praebentem*, licet se aperuisset remoto clypeo ac se s. corpus suum ictibus praeberet. Conf. XIII, 476. Liv. IX, c. 17. *Cyrum longa vita vertenti praebuit fortunae*.

101. *distringere*. Lips. 1., Vrat., Zwicc. et vetustiores (?) Heins. *destringere*. Vid. ad v. 92.

102. *circo aperto* i. e. caveis, in quibus bestiae inclusae erant, reclusis. Conf. VII, 110 — 114. — 104. *puniceas vestes*. Tauri in circo pannis rubris irritabantur. Vid. not. ad Trist. IV, 9, 27. — *vulnera*, ictus. — Scripturam *puniccas* tenent Berol., Goth. 1. et nonnulli Heinsii. Reliqui *Phoeniceas*, quod natum videtur ex antiqua scriptura *poeniceus* pro *puniceus*, nam *Phoeniceus* secundam syllabam habet longam, et *puniceas* simplicius est.

105. *ferrum*, cuspis.

106. *haerebat*, fixa erat. — Ceterum admirationem Achillis bene exprimit. Simul rerum ab eo gestarum indiculus additur, ut IX, 182 seqq. Conf. XIII, 171 seqq. Hom. Il. IX, 328. *Gier.*

108. *Lyrnesus* et *Thebae* oppida Mysiae ab Achille in bello Trojano occupata ac devastata atque e priori pulcra Briseïs, quae contentionis pestiferae Agamenonem inter et Achillem causa fuit, abducta est. Hom. Il. IX, 328 seqq. Met. XIII, 171 seqq. — Flor. *primus*.

109. *dejeci*. Lips. 1., V Heins. et a corr. Zwicc. *disjeci*, quod primus induxit Heinsius. Reliqui *dejeci*, quod mihi ge-

Eëtionias implevi sanguine Thebas,
Vel cum purpureus populari caede Caicus
Fluxit, opusque meae bis sensit Telephus hastae.
Hic quoque tot caesis, quorum per litus acervos
Et feci et video, valuit mea dextra valetque.“
Dixit, et, ante actis veluti male crederet, hastam
Misit in adversum Lycia de plebe Menoeten,
Loricamque simul subjectaque pectora rupit.
Quo plangente gravem moribundo pectore terram,
Extrahit illud idem calido de vulnere telum,
Atque ait: „Haec manus est, haec, qua modo vicimus, hasta:
„Utar in hoc îsdem: sit in hoc precor exitus idem.“
Sic fatur Cygnumque petit, nec fraxinus errat,
Inque humero sonuit non evitata sinistro.
Inde, velut muro solidave a caute repulsa est.

nuinum videtur. Conf. Hor. Od. I, 2, 15. Quamquam *disjeci* gravius atque elegantius est. — De *Tenedo* insula conf. I, 516.

110. *Eëtionias* ex emendatione Raph. Regii, ab Eëtione Thebarum rege, patre Andromachae, quem urbe capta cum multis civibus occidit Achilles. ll. 1, 364. VI, 395. Met. XIII, 173. — II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 1., Lips. 1. et vett. edd. *solus Echionias*, ab imperitis librariis e Trist. V, 5, 53. repetita varietas, qui Thebas Boeotiae cum Thebis Mysiae confunderent. Par. 2. *Sithioneas*, sed margo *vel Echionias*. Lips. 2. *solus Ethioneas*. Zwicc. *solus Ethionias*. De Heius., Ciof. et Viv. codd. nihil constat. Heinsius edidit *Eëtioneas*. Vivianus legendum censuit *Aeëtioonias*.

111. *Caïcus*, Mysiae fluvius. I, 243. Mela I. c. 18. — *populari caede*, caede popularium sive accolarum.

112. *Telephus*, filius Herculis et Auges, rex Mysiae, in bello Trojano ab Achille vulneratus oraculi responsum accepit, nonnisi ab eo qui vulnerasset posse sanari. Achilles rubigine hastae suae eum sanavit. Atque ita bis *sensit*, expertus est *opus* sive vim istius hastae, vim scilicet vulnerandi et sanandi. Hyg. F. 101. Conf. Met. XIII, 171. Prop. II, 1, 63.

Mysus et Haemonia juvenis qua cuspide vulnus
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.

113. *hic*. Vid. v. 71. — 114. *valuit-valetque*. Conf. IX, 624.

116. *in adversum*, in pectore ei obversum. Conf. III. 183. — Scripturam *Menocten* tenent Goth. 1., Par. 1. 2., edd. pr. et Venn. 1. Confirmant Dresd., Lips. 1., Vrat., Goth. 2., Zwicc., qui *Meneten*. Vulg. *Nemeten*. Eadem diversitas in iisdem libris est v. 127. — Par. 1. 2., Lips. 1. et XI Heins. *Lycia de gente*.

118. *plangente*, ut III, 125. Her. VII, 57. Eodem sensu V, 293. *tundere*. V, 84. et IV, 133. *pulsare*. — Berol. et III Heins. *vertice*, quod temere dedit Heinsius.

119. *calido de vulnere*. IV, 121. *fervens vulnus*. Ceterum eodem modo singularis et pluralis, ut hoc loco *pectora* et *pectore*, sese excipiunt IV, 525. 527.

120. Vat. et VIII Heins. *vincimus*.

121. *utar in hoc*. Berol., Pal. 2., Zwicc. et nonnulli ex melioribus Heinsii *in hunc*. Reliqui cum vulg. *in hoc*. Utrumque dici potest. Itaque sequenda major auctoritas codicum. Conf. v. 107. *In hoc* etiam concinnius est. — *isdem*, hasta et manu. — Goth. 1. 2., Lips. 1. a corr., edd. Venn. cum vulg. *idem* pro *isdem*, manifesto errore. — *precor*, non addito numine, ut XIV, 339. Vid. not. ad Her. VII, 71.

122. *sic fatur*. Heinsius e cod. Bersm., Flor. et III aliis sine omni causa novavit *sic fatus*. — *fraxinus*, hasta fraxinea. V, 143. X, 93. Fraxinea hasta Achilli etiam ab Homero tribuitur.

124. *muro*. Praepositio priori loco omissa, quod crebro fit. Conf. VII, 708. et not. ad Her. VI, 107. Heinsius tacite edidit *solidave*, quod solus Berol. exhibet. Reliqui cum vett. edd. *solidaque*. Ad sententiam conf. III, 64.

Qua tamen ictus erat, signatum sanguine Cygnum
Viderat et frustra fuerat gavisus Achilles:
Vulnus erat nullum, sanguis fuit ille Menoetae.
Tum vero praeceps curru fremebundus ab alto
Desilit et, nitido securum cominus hostem
Ense petens, parmam gladio galeamque cavari
Cernit et in duro laedi quoque corpore ferrum.
Haud tulit ulterius, clypeoque adversa reducto
Ter quater ora viri, capulo cava tempora pulsat,
Cedentique sequens instat turbatque ruitque,
Attonitoque negat requiem. Pavor occupat illum
Ante oculosque natant tenebrae. Retroque ferenti
Aversos passus medio lapis obstitit arvo,
Quem super impulsum resupino corpore Cygnum
Vi multa vertit terraeque afflixit Achilles.
Tum clypeo genibusque premens praecordia duris,
Vincla trahit galeae, quae presso subdita mento

125. *signatum*. Conf. X, 210.

127. *sanguis fuit*. Temere Burmannus e codice Cant. et altero nescio quo novavit *sanguis erat*. — 128. Cod. Bersm. et Dresd. *tunc*. — Berol., Goth. 2., Lips. 1. 2., ed. pr. *curru praeceps*. — Franc., Goth. 1., Lips. 1. et II Heins. *furibundus*. II Heins. *tremebundus*.

130. *gal. cavari cernit*. Virg. Aen. II, 481.

firma cavavit
Robora et ingentem lato dedit ore fenestram.

131. *et in duro*. Male nonnulli recentiores editores dederunt aut vindicarunt *sed in duro*; qui hoc l. narrationem continuari et illud *quoque* non satis animadvertisse videntur. Nexus sententiae est: *desilit... et cavari cernit et in ipso quoque duro ejus corpore gladium suum laedi s. obtundi videt: haud tulit ulterius*.

132. *adversa*, ut v. 116. — *clypeo reducto*, sc. ad repetendos ictus. Virg. Aen. XI, 605. *hastasque reductis praetendunt longe dextris*. Vid. Heyn. ad Virg. A. IX, 423. Scripturam *clypeoque* exhibent II Bersm., Berol., Par. 2., Lips. 1., unus Sulm., unus Vat. Ciof., Vrat. et multi vett. Heins. — Par. 1. et vulg. *gladioque*. Quidam vett. Heins. *retecto*, *rejecto*, *remoto*. *Rejecto* etiam Goth. 1., Berol., unus Sulm. et unus Vat. Ciof. — Duo Bersm., Goth. 2., Par. 1. et reliqui cum vett. edd. *reducto*.

133. Berol., Goth. 1. 2., Lips. 2. et ed. Junt. *capulo* et *cava*, quod procul dubio etiam Heinsius in quibusdam codd. invenit. Quo recepto verba *clypeo reducto* pro ablativis consequentiae habenda sunt. *Jahn*.

134. *cedentemque*. Berol., Flor., Goth. 1., Mor. 1., Neap., Par. 1. 2., Spir. et VII Heins. *cedentique*. Reliqui omnes *cedentemque*. Utrumque fert sententia, itaque major codicum auctoritas sequenda.

136. *natant* propter fluctuantem motum. Supra V, 71. *ipsi oculi sub nocte natant*. Virg. G. IV, 496. *Conditque natantia lumina somnus*. Sed nunc tenebrae, quas pavor objicit. *Gier*.

137. *medio arvo*, medio in arvo.

138. Junge: *super quem* (lapidem) *Achilles Cygnum impulit et multa vi resupino corpore vertit s. projecit* (VII, 691.) *et terrae afflixit*. — Heinsius tacite edidit *pectore*, quod cod. Bersm. et Goth. 2. exhibent. Male.

139. *afflixit*. Ita Dresd., Gron. 1., Medic. 1., Neap., Stat. et X alii Heins. Confirmant II Heins. qui *affligit*, et Flor., Mor. 1., Spir. et II Heins., qui *affixit*. — Fragm. Theat., Vat. 1. et II Heins. *infinxit*. Cod. Bersm., Berol., Vrat., Zwicc. et quidam Heins. *infixit*. Pal. 2., Par. 1. 2. et reliqui *affixit*. Priorem scripturam postulat sensus; nam si terrae affixus fuisset, reliqua opera: sc. *clypeo genibusque etc.*, non opus fuisset. XIV, 206. *affligi sociorum corpora terrae*.

141. *vincla*, lorum quo galea ligabatur sub mento. Similiter Hom. Il. III, 370. in descriptione certaminis Menelai et Paridis:

Elidunt fauces et respiramen iterque
Eripiunt animae. Victum spoliare parabat;
Arma relicta videt; corpus deus aequoris albam
Contulit in volucrem, cujus modo nomen habebat.
Hic labor, haec requiem multorum pugna dierum
Attulit, et positis pars utraque substitit armis.
Dumque vigil Phrygios servat custodia muros,
Et vigil Argolicas servat custodia fossas;
Festa dies aderat, qua Cygni victor Achilles
Pallada mactatae placabat sanguine vaccae.
Cujus ut imposuit prosecta calentibus aris,
Et dîs acceptus penetravit in aethera nidor;
Sacra tulere suam, pars est data cetera mensis.
Discubuere toris proceres, et corpora tosta
Carne replent, vinoque levant curasque sitimque.
Non illos citharae, non illos carmina vocum
Longave multifori delectat tibia buxi;
Sed noctem sermone trahunt, virtusque loquendi
Materia est. Pugnam referunt hostisque suamque,

Αγχε δέ μιν πολύχεστος ἰμὰς ἀπαλὴν ὑπὸ δειρήν,
Ὅς οἱ ὑπ' ἀνθερεῶνος ὀχεὺς τέτατο τρυφαλείης.

142. *respiramen iterque animae.* Cf. II, 828.

145. *contulit*, h. e. convertit, mutavit. IX, 347. Lotis *in hanc volucrem contulerat versos vultus.* Conf. IV, 278. Cic. Off. III. ;c. 20. *ex homine se conferre in beluam.* — „*In volucrem cujus modo nomen habebat*“: igitur in cygnum, ut Cygnus alter (II, 367.) quoque in cygnum avem mutatus erat.

146. *In convivio ab Achille ob illam victoriam instituto Nestor narrat Caeneum Perrhaebum s. ex urbe Perrhaebo in Thessalia, qui ante femina Caenis fuerat, in marem mutatum et invulnerabilem factum; atque eundem in pugna Centaurorum cum Lapithis in avem mutatum esse.* Inserta est pugna Centaurorum cum Lapithis a v. 219 — 459. Apollon. Rh. I, 57. Hyg. F. 14. Serv. ad Virg. A. VI.

147. *substitit*, quievit, cessavit. I, 207.

148. *Phrygios*, Trojanos. *Argolicos.* Graecos. VIII, 267. — De repetitione illa *vigil custodia etc.*, apud Nasonem frequentissima conf. v. 162. 163. 172. 173. I, 325. 326. — *servat*, observat, ut V, 631.

149. *fossas.* Gron. 1., Medic., Par. 2., Vat. 1., Zwicc. et V Heinsii *flammas.*

151. *Pallada*, Minervam, quae favebat Achilli. II. I, 194 seqq. — Pro *mactatae* Barb. et fragm. Theat. *vittatae.*

152. *prosecta*, h. e. viscera sive illa exta, quae dis adolebantur. II. I, 459 seqq.

154. *tulere*, accepere.

155. *discubuere toris.* VIII, 566. — *tosta*, assata.

157. *non illos citharae.* Citharae et vocis cantus tum perpetuus conviviorum comes. Hom. Il. I, 603. Od. I, 152.

158. Goth. 2., optimi (?) Heins. teste Burmanno et ed. pr. *longave.* Reliqui *longaque.* — Ox., fragm. Theat., Vat. 1. et VI Heinsii *delectant.* Cod. Bersm. et Ambr. *delectant carmina.* Vulg. *delectat.* — De *tibia multifori buxi* vid. ad IV, 30. — Ceterum dicitur *buxum* et *buxus.* Supra vidimus *cornum.* Illud *longa* ornat.

159. *virtus*, sc. bellica. Virg. A. I, 748.

— — — *vario noctem sermone trahebat*
Infelix Dido.

Noctem sermone trahere exquisitius est quam *sermone noctem terere* vel *sermonem trahere in noctem.*

160. *pugnam - suamque.* Ita II Bersm., Berol., Flor., Goth. 1. 2., Medic. 1. 3. 4., Pal. 2., Vat. 1., Vrat., Zwicc., multi Heins. et edd. Venn. — Reliqui *pugnas - suasque.* Pro singulari quod afferam, nihil habeo praeter quod plures eum habere codd. videantur et quod probabilius sit, a librariis pluralem quam singularem inventum esse.

Inque vices adita atque exhausta pericula saepe
Commemorare juvat. Quid enim loqueretur Achilles,
Aut quid apud magnum potius loquerentur Achillem?
Proxima praecipue domito victoria Cygno
In sermone fuit. Visum mirabile cunctis,
Quod juvenis corpus nullo penetrabile telo
Invictumque a vulnere erat ferrumque terebat.
Hoc ipse Aeacides, hoc mirabantur Achivi;
Cum sic Nestor ait: „Vestro fuit unicus aevo
„Contemtor ferri nulloque forabilis ictu
Cygnus; at ipse olim patientem vulnera mille
Corpore non laeso Perrhaebum Caenea vidi,
Caenea Perrhaebum, qui factis inclytus Othryn
Incoluit. Quoque id mirum magis esset in illo,
Femina natus erat.“ Monstri novitate moventur,
Quisquis adest, narretque rogant. Quos inter Achilles:
„Dic age, nam cunctis eadem est audire voluntas,
O facunde senex, aevi prudentia nostri,

161. *exhausta*, superata, ad finem tolerata.

163. *magnum*. XI, 265. *ingens Achilles*.

164. *domito-Cygno*. Berol., Dresd., Pal. 2., Lips. 1., Vrat. et plurimi Heins. *domiti-Cygni*. Non male. Sed utrum verum sit, sola codicum auctoritate dijudicandum.

166. *juvenis*. Berol., Bonon. 3., Flor., Pal. 2., Spir. et Vat. 1. *juveni*, quod sine causa induxit Heinsius. Vid. ad v. 26. XI, 222. X, 270. et Praefatio.

167. *a vulnere*. Hamb. 1., Medic. 1. 3., Thu., Urb., Vrat. et III Heins. *ad vulnera*. III Heins. *ad vulnus*. Pal. 2. et reliqui *a vulnere*, quod mihi genuinum videtur: *a vulnere* autem est pro *ab ictu*. Conf. 497. De constructione *invictus a* pro *invictus quoad* vid. not. ad Trist. IV, 10, 16. — *terebat*, atterebat, hebetabat, retundebat. Vid. 131. — Gron. 1. et Medic. *verumque t.* Goth. 1. et Par. 2. *verumque ferebat*. Franc. *mirumque ferebat* vel *terebat*. Pal. 2. et ed. *ferrumque feribat*.' Cant., Ox., Lips. 2., III Heins. et ed. Vinc. *ferrumque tenebat*. II Bersm., Berol., Goth. 2., Dresd., Par. 1., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et codd. Heinsii magno numero *ferrumque ferebat*, quod genuinum videtur.

168. *hoc ipse*. Dresd., Medic. 3., Par. 2., Zwicc. et V Heins. *hoc ipsum*: prorsus mendose; quanquam Heinsius illud optimae scripturae plurimorum codd. et edd. praetulit. — *Aeacides*. V. 83.

170. *nulloque*. Nonnulli Heinsii *nullique*. — *forabilis* ab Nasone novata vox esse videtur, ut multa huius generis. Met. I, 75. *agitabilis*. I, 223. *dubitabilis*. VII, 680. *jaculabilis*. III, 358. *resonabilis*. Plura exempla vid. in not. ad Trist. IV, 5, 21. Ceterum apte Nestor (VIII, 313.) hanc fabulam narrat; namque tres jam aetates egerat, vel ut Ovidius v. 188. exaggerans dicit, tertium jam saeculum agebat et ipse Caenea viderat. Inde etiam illud *vestro aevo*.

172. *Caenea Perrhaebum*. *Perrhaebus* urbs Thessaliae, cujus incolae et ipsi Perrhaebi dicti sunt, vicini Lapithis. Strab. IX. pag. 439. De forma vocis vid. Steph. Byz. in Περραιβός et Met. VIII, 288. — De repetitione illa conf. I, 335. 337. 639. 640. III, 207. 208. IX, 454. 455. XIII, 770. 771. XII, 172. 173. XIV, 223. 224. Virg. A. V, 116. 117. X, 180. 181. 200. Hom. Od. I, 22. Il. VI,153. et not. ad Trist. I, 10, 29. et ad Met. I, 639.

173. *Othrys*, mons Thessaliae (II, 221.), sedes Lapitharum. Plin. H. N. IV. c. 8. — Sedes Centaurorum erat Pelion. Virg. Aen. VII, 675. Met. XII, 513.

175. *femina natus erat*. VIII, 304. *et jam non femina Caeneus*.

177. *voluntas*, cupiditas. — Arond., Lips. 2., Vat. 1. et VII alii Heinsii *voluptas*. VI, 662. — *audire* casus generalis pro gerundio in genitivo, more Graecorum et poetarum Latinorum.

178. *o facunde senex etc.* Ex Homero, ut multa alia in hoc libro, expressum est, cujus carminibus Nestor et pru

Quis fuerit Caeneus, cur in contraria versus,
Qua tibi militia, cujus certamine pugnae
Cognitus, a quo sit victus, si victus ab ullo est.“
Tum senior: „Quamvis obstet mihi longa vetustas,
„Multaque me fugiant primis spectata sub annis;
Plura tamen memini, nec quae magis haereat ulla
Pectore res nostro est inter bellique domique
Acta tot. Ac si quem potuit spatiosa senectus
Spectatorem operum multorum reddere, vixi
Annos bis centum, nunc tertia vivitur aetas.
Clara decore fuit proles Elateïa Caenis,
Thessalidum virgo pulcherrima, perque propinquas
Perque tuas urbes - tibi enim popularis, Achille, -
Multorum frustra votis optata procorum.
Tentasset Peleus thalamos quoque forsitan illos;
Sed jam aut contigerant illi connubia matris,
Aut fuerant promissa, tuae. Nec Caenis in ullos

dentia rerum et facundia insignis est. Il. I, 249.

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

aevi prudentia nostri. VIII, 302.

Et cum Pirithoo felix concordia Theseus.

179. *in contraria*, in marem.

180. *certamine pugnae.* Plin. Ep. VI, 13. *quantum nos in ipsa pugna certaminis manet.*

182. *obstet.* Vrat. et II Heins. *obstat.* Deinde II Bersm., meliores Heins., Goth. 2., Lips. 1. 2. et in marg. a 2. m. Par. 1. et ed. pr. *longa vetustas.* Par. 1. et III Heins. *longa senectus* e v. 186. ut videtur. Reliqui tantum non omnes *tarda vetustas;* nisi quod IV Heins. *tarda senectus. Tarda vetustas* non dicitur, et *tarda* inventum videtur a librariis, qui non meminissent jam duo saecula Nestorem transegisse: ut merito dicere posset *longam vetustatem* intercessisse. Conf. XIV, 695.

183. *sub*, in. — Ox. et II alii Heins. *sub armis.* Conf. VIII, 313.

184. *ulla.* Junge: *nec ulla res est, quae magis haereat pectore nostro.* Pro hac optima scriptura Heinsius ex uno chartaceo et altero Hamb. (quibus accedit Dresd.) dare maluit *quae magis haereat illa.*

185. *bellique domique.* ex solemni illa dicendi consuetudine: *belli domique, domi bellique, domi militiaeque.* Sed eam scripturam pauci codd. confirmant: cod. Constant. Fan., Lips. 2., V Heins. et margo ed. Bersm. — Pal. 2. et reliqui *domusque.* Sallust. Jug. c. 41. *paucorum arbitrio belli domique agitabatur.* Vid. Heusing. ad Cic. de Off. II. c. 24.

186. *spatiosa senectus.* Conf. XIII, 206. — Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *at si.* Lips. 2. et reliqui *ac si*, quod tacite edidit Heinsius. Recte.

187. *opera*, i. q. v. 186. *acta.* — Librarii, qui non viderent, justam apodosin esse in verbis *vixi annos bis centum*, assuta lacinia orationi mederi conati sunt. Sic cod. Urb. *Ac si quem - reddere, certe Me poterit* (imo *potuit*), *vidi per* (vel *qui*) *tot jam saecula, vixi Annos bis centum. Baumgarten - Crus.*

188. *vivitur*, ubi etiam *vivo* locum habere posset. Terent. Eun. II, 1, 18. *quid agitur? statur.*

189. *proles Elateïa*, Elati filia. Schol. Il. I, 264. Hyg. F. 14. et 242. Vid. ad v. 209.

191. *perque tuas etc.* Achilles e Thessalia fuit, ut supra notatum est v. 73. XIII, 156.

192. Flor., Goth. 2., alter Hamb., Jur., Mor. 1., Neap., Thu. et unus Voss. *multorumque fuit spes invidiosa procorum*, ex IX, 10.

193. *Peleus* Thetida duxit (vid. ad XI, 221.) ex eaque magnum Achillem procreavit.

194. Cod. Bersm., Berol., Dresd. et Lips. 2. *aut* omittunt.

195. *nec Caenis in ullos denupsit thalamos.* Tacit. Ann. VI. c. 27. *Julia denupsit in domum Rubellii Blandi.* Est autem i. q. simplex *nubere;* nisi quod simul notionem discedendi de familia sua continet. Supra Met. VII, 856.

Denupsit thalamos, secretaque litora carpens
Aequorei vim passa dei est: ita fama ferebat.
Utque novae Veneris Neptunus gaudia cepit,
„„Sint tua vota licet“ dixit „secura repulsae:
„„Elige quid voveas.““ Eadem hoc quoque fama ferebat.
„„Magnum“, Caenis ait „facit haec injuria votum,
„„Tale pati jam posse nihil. Da, femina ne sim,
Omnia praestiteris.““ Graviore novissima dixit
Verba sono, poteratque viri vox illa videri,
Sicut erat. Nam jam voto deus aequoris alti
Annuerat dederatque super, ne saucius ullis
Vulneribus fieri ferrove occumbere posset.
Munere laetus abit, studiisque virilibus aevum
Exigit Atracides, Peneïaque arva pererrat.
Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus,
Nubigenasque feros, positis ex ordine mensis,

est innubere thalamis. Liv. X. c. 23. *enubere patribus.* — Berol. et ed. pr. *in illos.*

197. *Aequorei - dei*, Neptuni. VIII, 604. 605.

199. *sint licet*, h. e. *sint*, concessum hoc tibi est. — *secura repulsae*, repulsae non obnoxia, s. sine repulsa. *securus* cum genit. ut Amor. II, 19, 37. VI, 137. Conf. Met. I, 623. Stat. Theb. VII, 781. *extremique tamen secure sepulcri.*

200. *quid voveas.* Lips. 1., Vrat. et multi Heins. *quod voveas.* Deinde scripturam *hoc quoque* confirmant codd. vett. Viv., meliores Heins., Berol., Goth. 1. 2., Maff. 1. 2., Lips. 1., Stat., Sulm. 1. 2. — II Bersm., Franc., Pal. 2., Lips. 2., Zwicc., XV Heins. et ed. pr. *haec quoque.* Vulgo *eadem quoque.*

201. „*haec injuria, quae mihi a te illata est sc. laesae virginitatis, facit* (me incitat ad) *magnum votum: sc. tale jam sive posthac nihil pati posse.*“ Gron. 1., Medic. 4., Pal. 2., Zwicc. et XII Heins., quod multi ediderunt, *tale pati nil posse mihi*, e qua lectione *mihi* ad *facit* vel ad *da* referunt. Sed multo simplicior est vulgata, et vero etiam illud *jam*, q. e. posthac (vid. ad Trist. I, 3, 32.) ad ipsum votum gravius, quam *mihi*. Unus Par. 1. et Urb. *tale pati da posse nihil. Dare* pro *praestare, concedere*, passim. I, 486.

203. Ingeniose et inexspectato celeritatem mutationis declarat. Conf. IX, 786 seqq. — *graviore - sono* explicatur illis *poteratque - videri.*

206. *super*, praeterea.

207. *fieri.* V Heins., Dresd. et ed. pr. *fieret.* II Bersm., Dresd. et Goth. 1. *ferroque.*

208. *studia virilia* sunt labores, opera virilia, ut venatio, bellum, al. Sic interfuit venationi apri Calidonii (VIII, 305.) et expeditioni Argonautarum. Hyg. F. 14.

209. *exigit*, usque ad finem peregit. Trist. III, 5, 45. Virg. A. I, 45. — *Atracides*, Caeneus ab Atrace s. Atracia Thessaliae urbe. Strab. IX. p. 440. Sic *Maeonides* pro *Maeonio* Trist. I, 1, 47. *Thessalidum* supra v. 190. *Thestiadae* Met. VIII, 304. Alii *Atracis* filiam tradunt Caenin, ut nunc a matris genere appelletur, supra v. 189. a patre. Infra v. 479. a patria *Phylleïus* dicitur. — *Peneïa.* I, 472 seqq. — Fragm. Theat., Zwicc. et V Heins. *arva tenebat.*

210. Sequitur descriptio pugnae Lapitharum et Centaurorum in nuptiis Pirithoï et Hippodames ortae, in qua Cenei corpus inviolabile esse (v. 172.) inlustri modo declaratum est. Hom. Od. XXI, 295 seqq. Plut. Thes. c. 30. Hyg. F. 33. Serv. ad Virg. A. VII, 304. Ael. V. H. c. 2.

210. *Ixione natus*, Pirithous, Ixionis Thraciae regis filius, princeps Lapitharum, ferae Thraciae gentis. Cf. VIII, 403 seqq. et 303. — *Hippodame* et ipsa de gente Lapitharum, filia Adrasti.

211. *Nubigenas feros*, Centauros. Cum Ixion Junoni vim inferre vellet (hinc *audaci*), Juno Jovis jussu nubem supposuit, quam Ixion Junonis simulacrum esse credidit. Ex ea nati sunt Centauri, ferissima illa et monstruosa Thessaliae gens. IX, 191. 124. Hyg. F. 62.

Arboribus tecto discumbere jusserat antro.
Haemonii proceres aderant, aderamus et ipsi,
Festaque confusa resonabat regia turba.
Ecce canunt hymenaeon, et ignibus atria fumant,
Cinctaque adest virgo matrum nuruumque caterva,
Praesignis facie. Felicem diximus illa
Conjuge Pirithoum: quod paene fefellimus omen.
Nam tibi, saevorum saevissime Centaurorum,
Euryte, quam vino pectus tam virgine visa
Ardet, et ebrietas geminata libidine regnat.
Protinus eversae turbant convivia mensae,
Raptaturque comis per vim nova nupta prehensis.
Eurytus Hippodamen, alii, quam quisque probabat
Aut poterat, rapiunt, captaeque erat urbis imago.
Femineo clamore sonat domus: ocius omnes
Surgimus, et primus „„Quae te vecordia“ Theseus
„„Euryte, pulsat,“ ait „qui me vivente lacessas
Pirithoum violesque duos ignarus in uno?““
Neve ea magnanimus frusta memoraverit heros,
Submovet instantes, raptamque furentibus aufert.
Ille nihil contra; - neque enim defendere verbis
Talia facta potest - sed vindicis ora protervis
Insequitur manibus, generosaque pectora pulsat.
Forte fuit juxta signis exstantibus asper

212. *antro*. Antrum igitur erat regia Pirithoi.

213. *Haemonii*, Thessaliae. I, 568. — „et ipsi nos (Nestor) e remota a Lapithis Pylo advocati.“ Hom. Il. I, 270.

215. *ignibus*, sc. sacrorum nuptialium. Conf. IV, 758 seqq.

216. Berol., Pal. 2., X alii Heins. et ed. Vinc. *matrum nuruumque*. II Bas., Exc. Herc., Pal. 2., Par. 2. a 1. m. et II Heins. *matrumque virúmque*, sed in Pal. 2. superscriptum *nuruum*. Lips. 2. *nurum matrumque*. II Bersm. et Vulg. *matrumque nurumque*.

217. *diximus*. Lips. 1. *dicimus*. — *praesignis*, insignis. VII, 150. XV, 131. — Medic. et ed. Bersm. *faciem*. Vulg. *facie*.

218. *fefellimus omen*, falsum diximus omen.

219. *Centaurorum*. De spondeo in quinto pede vid. not. ad I, 62. et index in *spondeus*.

220. *Eurytos*, Centaurus, qui etiam Eurytion vocatur. Hom. Il. XXI, 295. Ov. A. I, 593. — *quam - tam*, ut IV, 211. XV, 110. — Berol., Goth. 2., Zwicc. et plurimi (?) Heinsii. *tam vino p. quam*. Par. 1. 2. et vulg. *quam - tam*.

221. *regnat*, rapit, ad facinus impellit. I, 241.

224. *quam quisque probabat*. Pal. 2., Par. 1., Zwicc. et multi vett. Heins. (?) *probabant aut poterant*. Elegantior est vulgata ac singularis, qui etiam multo majorem auctoritatem vetustatis habet. *Quisque* restringit, ita: *Alii (quisque quam probabat,) rapiunt*. Conf. v. 176. et not. ad I, 59. et XIII, 660. — Arond. et unus Patav. *probarat*. Berol. et vett. edd. *probabat aut poterant*.

227. *Theseus* Pirithoo amicitia conjunctissimus. Vid. VIII, 303.

228. *pulsat*, agitat, impellit.

229. *violesque*. Vulgata *violasque*. mendose; nam praecessit *lacessas*. Conjunctivum servarunt cod. Bersm., scripti (qui?) Heins., Berol., Goth. 1., Lips. 1. 2., Vrat. et ed. pr. — *duos in uno*. Conf. XI, 388.

230. *magnanimus*, animosus, magno animo. Graece μεγάθυμος.

232. *ille nihil contra*, ut V, 30.

233. *vindicis*, qui conjugem raptam Pirithoo vindicarat.

234. *insequitur*, involat.

235. *signis exst. asper*. V, 81. etiam Perseus *cratera* pro telo in hostem conjicit *altis exstantem signis*. Conf. XIII,

Antiquus crater, quem vastum vastior ipse
Sustulit Aegides adversaque misit in ora.
Sanguinis ille globos pariter cerebrumque merumque
Vulnere et ore vomens, madida resupinus arena
Calcitrat. Ardescunt germani caede bimembres
Certatimque omnes uno ore „Arma, arma!“ loquuntur:
Vina dabant animos, — et prima pocula pugna
Missa volant fragilesque cadi curvique lebetes,
Res epulis quondam, nunc bello et caedibus aptae.
Primus Ophionides Amycus penetralia donis
Haud timuit spoliare suis, et primus ab aede
Lampadibus densum rapuit funale coruscis,
Elatumque alte, veluti qui candida tauri
Rumpere sacrifica molitur colla securi,
Illisit fronti Lapithae Celadontis, et ossa
Non agnoscendo confusa reliquit in ore.

700. Virg. Aen. IX, 263. *aspera signis pocula.*

236. *quem vastum vastior ipse*, ex veteri et frequenti poetarum locutione. *Vivian.* Vid. not. ad III, 60. Her. XIX, 143. Idem nonnulli (?) Naugerii libri, meliores Heins., Lips. 1. 2., Vrat., Goth. 1. 2., Rhen., Par. 1. 2. et edd. Venn. — Ed. pr. et vulg. *ipso.* Mendose. — *antiquus*, ideoque majoris pretii. XIII, 700.

237. *adversa.* Conf. v. 116. Prop. II, 7, 17.

Aspera Centauros eadem dementia jussit
Frangere in adversum pocula Pirithoum.

Flor. IV. c. 12. *infantes in ora militum adversa miserunt.*

239. *madida-arena.* Ita vulg. – Arond., alter Bersm., Dresd., Gron. 1., Neap., Vrat., Par. 2. et X alii Heins. *madidam-arenam.* Sed rectius scribitur ablativus et jungitur *resupinus arena.*

240. *calcitrat*, pulsat sc. prae dolore, sed *calcitrat* scripsit cum respectu ad formam et naturam Centaurorum, qui superne viri, inferiori parte equi erant. Inde *bimembres*, alibi *biformes*, *gemini*, *dubii*, *ambigui*, al. — Unus Heinsii *germana-caede*, quas delicias suas recepit Heinsius. Vid. praef. — Ad descriptionem hanc pugnae et caedis conf. Virg. A. XII, 277 seqq. — Ad inexhaustam Nasonis copiam cognoscendam conf. Met. V, 1 seqq., ubi similis pugna describitur.

241. *omnes uno ore arma, arma loquuntur.* Ita codd. Viv., castigatiores Heins., Lips. 1. 2., Vrat., Goth. 1. 2., Rhen. et edd. Venn. — Ed. pr. et vulgata *omnes simul uno ore arma loquuntur.* De repetitione illa *arma - arma* conf. XI, 377.

244. *nunc.* Ita meliores Heins., Berol., Dresd., Goth. 2., Lips. 1. 2., Vrat. et vett. edd. — Goth. 1. et Zwicc. *tunc.* Reliqui *tum.* — *quondam*, antea.

245. *donis*, quae in penetrali dis penatibus suspensa atque dicata erant. Cf. XIII, 337.

246. *haud timuit*, religioni sibi non duxit. *ab aede*, a penetralibus, diis penatibus consecratis.

247. *funale*, candelabrum. Isidor. XX. c. 10. *Funalia candelabra apud veteres exstantes stimulos habuerant aduncos, quibus funiculi cera vel hujusmodi alimento luminis obliti figebantur.* Serv. ad Virg. A. I, 731.

248. *veluti qui candida tauri.* Apoll. Rh. II, 90.

Ἔνθα δ' ἔπειτ' Ἄμυκος μὲν ἐπ' ἀκροτάτοισιν ἀερθεὶς
Βούτυπος οἷα πόδεσσι ταναύσσετο.

249. *molitur. Moliri* in eo dicitur, qui magno virium impendio aliquid facit. Virg. Georg. IV, 331. *in vites moliri bipennem.*

251. *confusa*, fracta ac disjecta. Vid. V, 58. — Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1. 2., Vrat., multi Heins. et vett. edd. *cognoscendo.* Male. Ita foedata erat facies, ut qui antea noverant, non agnoscerent, vix eundem esse putarent. Senec. Troad. v. 1112. *Ora et illas nobilis patris notas Confudit imam pondus ad terram datum*, de Astyanacte.

Exsiluere oculi, disjectisque ossibus oris
Acta retro naris medioque est fixa palato.
Hunc pede convulso mensae Pellaeus acernae
Stravit humi Pelates, dejecto in pectora mento,
Cumque atro mixtos sputantem sanguine dentes
Vulnere Tartareas geminato misit ad umbras.
Proximus ut steterat, spectans altaria vultu
Fumida terribili, „„Cur non“ ait „utimur istis?““
Cumque suis Gryneus immanem sustulit aram
Ignibus et medium Lapitharum jecit in agmen,
Oppressitque duos, Brotean et Orion. Orio
Mater erat Mycale, quam deduxisse canendo
Saepe reluctantis constabat cornua lunae.
„„Non impune feres, teli modo copia detur,““
Dixerat Exadius; telique habet instar, in alta
Quae fuerant pinu votivi cornua cervi.
Figitur hinc duplici Gryneus in lumina ramo,

252. *exsiluere*. Ita Bersm., Berol., Goth. 2., Lips. 1. 2., Vrat., Par. 2., meliores Heins. et ed. pr. — Vulg. *exiliere*. Vid. not. ad VI, 658.

253. *medioque est fixa palato*. VII Heins., Bas. 3. et 4. *naris medioque infixa palato est*. Gron. 1. *affixa*. Zwicc. *naris medioque infixa palato*. Dresd. *naris est medioque aff. pal.* Berol. *naris est medioque est inf. pal.* Bas. 1. *retro est n. m. est fixa pal.* Varietas nata ab librariis videtur, qui *figere* etiam cum simplici abl. construi ignorarent. Vid. XIII, 541. Fast. II, 648.

254. *Pellaeus*, ex Thraciae oppido, Pella. V, 302. *mensae acernae*. Conf. IV, 487.

255. *Pelates*, a Graeco πελάτης. Ita V Heins., Bas. 3. et ed. Ven. 2. — Alii *Pelades*, *Pilates*, *Lelates*, *Balates*. Plurimi *Belades*. — Deinde meliores (?) Heinsii *dejecto*. Reliqui *dejecto*, optimo sensu. Affectata oratio est *in pectora disjecto mento*, q. e. laceratum mentum in pectus dejectum. Scripturam veram *in pectora* servarunt II Bersm., meliores Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et vett. edd. — Vulgo: *in pectore*.

256. *sputantem* elegans conjectura Heinsii est: nam vett. libri omnes *spumantem*, quod minus aptum est. Virg. A. V, 469.

— — *crassumque cruorem*
Ore ejectantem mixtosque in sanguine dentes.

Conf. Hom. Il. XX, 696.

257. *misit*. Berol., Goth. 2., meliores Heins. et ed. pr. *mittit*. Sed praeteritum, ut inter praeterita, rectius et majorem habet auctoritatem vestutatis. — V Heins. *ad undas*.

262. *oppressitque*. Arond., Berol., Flor., Goth. 2., III Mor., Neap., Urb. et V Heins. *depressitque*. Reliqui cum vett. edd. *oppressitque*.

263. *canendo*, incantamentis. Vid. ad VII, 207. et ad IV, 333.

264. *reluctantis*. Flor., Strozz. 1. 2. *reluctanti*, quod recepit Heinsius, qui etiam XX aliis in his carminibus locis sic dativum pro genitivo prave novavit. Cf. v. 294. et vid. ad v. 166. 26. et Praefat. – II Bersm., Dresd., Goth. 2., Par. 1. 2., plurimi Heins. et ed. Ven. 1. *reluctatae*. Her. VI, 85.

Illa reluctantem cursu deducere Lunam
Nititur, et tenebris abdere Solis equos.

Senec. Herc. Oet. 525.

Hoc docta Mycale Thessalas docuit nurus,
Unam inter omnes Luna quam sequitur magam.

266. *Exadius* Lapitha etiam ab Hom. et Hes. memoratur. — *teli instar habet*, telo utitur. Art. A. III, 490. *Aetnaei fulminis instar habet*.

267. *cornua cervi*, a pio venatore ibi in silva (v. 212.) Artemidi suspensa. Hinc *votivi*. Schol. Aristoph. Plut. 944. ἔθος ἦν τοὺς θηρῶντας τινὰ ἄγραν, μέρος τι τοῦ θηρωμένου, κεφαλὴν ἢ πόδα προσηλοῦν πασσάλῳ ἐπί τινος δένδρου εἰς αὐτὴν τὴν ὕλην πρὸς τιμὴν τῆς Ἀρτέμιδος. Conf. Virg. A. IX, 407 seqq.

268. *hinc*, „postea“, schol. Bas. 1. — Dresd. et VIII Heinsiani *huic*, quae

Eruiturque oculos, quorum pars cornibus haeret,
Pars fluit in barbam concretaque sanguine pendet.
Ecce rapit mediis flagrantem Rhoetus ab aris
Prunitium torrem, dextraque a parte Charaxi
Tempora perfringit fulvo protecta capillo.
Correpti rapida, veluti seges arida, flamma
Arserunt crines, et vulnere sanguis inustus
Terribilem stridore sonum dedit, ut dare ferrum
Igne rubens plerumque solet, quod forcipe curva
Cum faber eduxit, lacubus demittit; at illud
Stridet et in trepida submersum sibilat unda.
Saucius hirsutis avidum de crinibus ignem
Excutit, inque humeros limen tellure revulsum
Tollit, onus plaustri: quod ne permittat in hostem,
Ipsa facit gravitas. Socium quoque saxea moles
Oppressit spatio stantem propiore Cometen.
Gaudia nec retinet Rhoetus: „„Sic comprecor,““ inquit,
„„Cetera sit fortis castrorum turba tuorum!““,

obscura et dura oratio est. — Berol., Lips. 2. et Zwicc. *hic*. Vulg. *hinc*. — *in lumina*. Codd. Viv. *Grineus in lumina* vel *Grineus lumina*. Plurimi Heinsii, Berol., alter Bersm., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Par. 1., Lips. 2., Zwicc. et edd. Venn. *Gryneus lumina*, omissa praepositione. — Goth. 1., VII Heins., Vrat. et cod. Bersm. *per lumina*. VII Heins. *Gr. sua lumina*. Par. 2. et vulg. *Gryneus in lumina*. Stat. Theb. IX, 284.

Figitur et validos sonipes Aetolus in armos.

ramo sc. cornuum.

269. *oculos*. I, 332.

271. *Rhoetus*, Centaurus. Libri vett. fere omnes *Rhetus*, ex vetere more scribendi. — 272. *Charaxus* unus Lapitharum. *prunitium* a pruno, nove dictum. *Gier*. Atque ita cod. Const. Fan. — Dresd., alter Hamb. et fragm. Boxhorn. *prunicium*. Medic. chart. *pruniceum*. Goth. 1. et Bas. 3. *puniceum*. Reliqui *primitium*, quod sensu caret. Conf. V, 57. — Lips. 1., Vrat. et Zwicc. *Caraxi*. Ed. pr. *Carasi*. Cod. Bersm., Dresd. et Lips. 2. *Coraxi*. Berol. *Toaraxi*. — *tempora a dextra parte* pro *dextra tempora*.

273. *perfringit*. Codd. Viv. *perfringit*, *perfregit* vel *perrupit*. Dresd., Goth. 2., Par. 1., Lips. 2., plurimi Heins. et edd. Venn. *perfregit*. Vulgo *perfringit*. Eadem de causa h. l. vindicamus tempus praesens, qua supra v. 257. praeteritum. Exc. Pol., Vrat. et Zwicc. *perstringit*. Lips. 1. et Leid. *perstrinxit*. De re conf. V, 56 seqq. — *protecta* poetice pro *tecta*, ut mox v. 351. 431. *Gier*.

275. *vulnere inustus*, ustus in vulnere.

276. Eadem comparatio est IX, 170 seqq. Conf. Virg. A. XII, 300. ubi similiter aliquis ambustum torrem ab ara rapit et alteri

Occupat os flammis. Olli ingens barba reluxit,
Nidoremque ambusta dedit.

277. Goth. 2. et unus Medic. *aduncа*.

278. *lacubus*. Conf. IX, 171. — *lacubus demittere* pro *in lacus*, ut III, 695. Eodem modo *inducere* cum dat. construitur. Vid. index in v. *dativ*.

279. *trepida*, ebulliente et exsiliente, quia *quod bullit tremere videtur*. Ita Serv. ad Virg. G. I, 296. *trepidum ahenum*. Ac scripturam *trepida* tuentur cod. Bersm., Berol., Cant., Hamb. 1. 2., Mor. 1., Ox., Pal. 1. 2., Par. 2. a 1. m., Thu., Urb., Vrat. et multi Heins. — Par. 1. et a corr. 2. et reliqui *tepida*. perperam. Conf. not. ad III, 125. IV, 674.

281. *limen*, mox *saxea moles*.

282. *permittat in hostem*, mittat usque in ipsum hostem. Conf. XIV, 182. — *onus plaustri*. Conf. v. 432.

285. *sic comprecor etc.*, ironice. — Bas. 1., Bonon. 1., Thu. et duo alii Heins. *sic sic precor*. Conf. X, 640. XIV, 379. — *sic*, sc. in perniciem sociorum. — *Rhoetum* etiam Virgilius habet.

286. *castrorum - tuorum*, partium tuarum. Conf. V, 128.

„Semicremoque novat repetitum stipite vulnus,
Terque quaterque gravi juncturas verticis ictu
Rupit, et in liquido sederunt ossa cerebro.
Victor ad Euagrum Corythumque Dryantaque transit;
E quibus ut prima tectus lanugine malas
Procubuit Corythus: „„Puero quae gloria fuso
„„Parta tibi est?“ “ Euagros ait. Nec dicere Rhoetus
Plura sinit, rutilasque ferox in aperta loquentis
Condidit ora viri, perque os in pectora flammas.
Te quoque, saeve Drya, circum caput igne rotato
Insequitur; sed non in te quoque constitit idem
Exitus: assiduae successu caedis ovantem,
Qua juncta est humero cervix, sude figis obusta.
Ingemuit duroque sudem vix osse revellit
Rhoetus, et ipse suo madefactus sanguine fugit.
Fugit et Ornëus Lycabasque et saucius armo
Dexteriore Medon, et cum Pisenore Thaumas;
Quique pedum nuper certamine vicerat omnes
Mermeros, accepto tunc vulnere tardius ibat,
Et Pholus et Melaneus et Abas praedator aprorum;
Quique suis frustra bellum dissuaserat augur
Astylos. Ille etiam metuenti vulnera Nesso

287. *semicremus* novum vocabulum pro *semi crematus*. — *repetitum novat*, repetit et novat. Conf. v. 577.

289. *sederunt*, alte depressa sunt et haeserunt. III, 88.

290. *Dryantaque*. Hesiod. Scut. v. 178.

Ἐν δ' ἦν ὑσμίνη Λαπιθάων αἰχμητάων,
Καινέα τ' ἀμφὶ ἄνακτα, Δρύαντά τε, Πειρίθοόν τε,
Ὀπλέα τ' Ἐξάδιόν τε, Φάληρόν τε,
Ἱρόλοχόν τε,
Μόψον τ' Ἀμπυκίδην, Τιταρήσιον, ὄζον Ἄρηος,
Θησέα τ' Αἰγείδην.

Dryas etiam ab Homero nominatur.

291. *tectus malas*. I, 332. De re cf. v. 395. et IX, 398.

292. *puero quae gloria fuso*. III, 654.

— — — quae gloria vestra est,
Si puerum juvenes, si multi fallitis unum.

Conf. V, 65.

293. Unus Heinsii *Euagros*.

294. *loquentis*. Medic. *loquenti*. Virg. A. IX, 441.

— — — rotat ensem
Fulmineum, donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso.

Condere in cum utroque casu ponitur. Goth. 1. *in ore*, ut I, 726. Eodem modo *figere* construitur. Vid. index in ν.

297. *constitit*, idem aut similis permansit. A. A. I, 120.

Constitit in nulla qui fuit ante color.

299. *qua juncta est - cervix*. Conf. v. 315.

300. *revellit*. Franc. et nonnulli Heins. *revulsit*. Vid. VIII, 385.

301. *Rhoetus - Medon*, Centauri; inde etiam *armo*, quod alludit ad duplicem Centaurorum naturam. Vid. v. 240. Apud Virg. G. II, 456. Rhoetus et Pholus occiduntur. Apollod. II. c. 5. Sed talia variare poetae sibi sumunt.

302. *Lycabasque* Naugerius et Vivianus primum edidere, Heinsius tacite servavit. — Vrat. et vett. edd. *Lycidasque*. Berol., Dresd., Goth. 1. *Licidasque*. Cod. Bersm. et Goth. 2. omittunt *que*, sed in Goth. 2. superscriptum est. *Licabas*. Lips. 2. *Liciasque*. Zwicc. *Lutidasque*.

305. *tunc*. Medic. et Sprot. *nunc*. Goth. 2., Lips. 1., Vrat. et vett. edd. *tum*. Monac, et reliqui *tunc*. Zwicc. et XVII Heins. *tardior*.

306. *Melaneus*. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 2., Lips. 1., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *Menelaus*. Duo Heinsiani *venator*, ex glossa.

307. *suis*, Centauris.

308. *Nesso*. Hic locus poetae copiam et inveniendi artem declarat. Nam quia augur Astylos, statim in promptu habet

„„Ne fuge; ad Herculeos“ inquit „servaberis arcus.““
„At non Eurynomos Lycidasque et Areos et Imbreus
Effugere necem, quos omnes dextra Dryantis
Perculit adversos. Adversum tu quoque, quamvis
Terga fugae dederas, vulnus, Crenaee, tulisti.
Nam grave respiciens inter duo lumina ferrum,
Qua naris fronti committitur, accipis, imae.
In tanto fremitu cunctis sine fine jacebat
Sopitus venis et inexperrectus Aphidas,
Languentique manu carchesia mixta tenebat,
Fusus in Ossaeae villosis pellibus ursae.
Quem procul ut vidit frustra nulla arma moventem,
Inserit amento digitos „„Miscendaque“ dixit
„Cum Styge vina bibes““ Phorbas; nec plura locutus
In juvenem torsit jaculum, ferrataque collo

vaticinia. Sed tamen locus affectatus est, hoc dico, vaticinium illud, Nessum non hic, sed olim Herculis arcu periturum, in medio pugnae ardore parum elegans est. De re conf. IX, 101 seqq.

309. Cod. Bersm., Goth. 2., Par. 1. et multi Heins. *ictus*

310. *Eurynomos*. Haec forma primum in Ald. edita est. Reliqui libri vett. omnes formam Latinam tuentur.

312. *adversos*. V. 116. De illo *quamvis* cum indic. vid. II, 177. 782. VI, 154. et IX, 125. 471. Haec sententia fortasse fluxit e loco Caesaris, qui militis cujusdam vulnera *adversa* ostentantis jactantiam hoc consilio minuit: *Nunquam fugiens respexeris*. Quint. Inst. Or. VI. c. 3. §. 75.

313. Heinsius iterum conjecturam induxit *dederis*. — *Crenaee*. Ita Mor. 1., Ox., Thu. et III alii Heins. a Gr. *χρήνη*. — Mire iterum, ut in nomine incognito, variant codices, quorum tamen longe plurimi, in quibus Berol., Pal. 2., Goth. 1. 2., Dresd., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *Cenee*, v. *Caenee*, v. *Caenaee*.

314. Construe: *nam respiciens grave ferrum inter duo lumina accipis* (ea parte) *qua naris imae fronti* (imae frontis parti) *committitur sive jungitur*. V. 299. 478. IV, 369.

316. *cunctis - sopitus venis*, ita consensu omnes libri, ac *cunctis venis* idem est quod *totis venis*. IX, 484. *jacui totis resoluta medullis*. Recte quoque *sine fine sopitus* et *inexperrectus jacebat*. Huc pertinet Lucret. IV, 955 seqq.

Deinde cibum sequitur somnus, quia, quae facit aër,
Haec eadem cibus, in venas dum diditur omnes,
Efficit, et multo sopor ille gravissimus exstat,
Quem satur aut lassus capias.

Heinsius ad ingenium ostentandum parum elegantem conjecturam in textum induxit: *ductis vinis*. (!)

318. *mixta*. X, 160. — *carchesia*. VII, 247.

319. *Ossaeae*, quia Centauri prope Ossan Thessaliae montem (I, 155.) sedem habebant. — Ox. et alii Heins. *obscoenae*; a librariis inventa scriptura.

320. *nulla arma moventem*, q. e. pugnae prorsus expertem. Apte de illo tranquillo et pacifico potatore dictum est et tamen librariorum natio corrupit; nam cod. Bersm., Vat. 1., Vrat., quidam Heins. et ed. pr. *nulla arma sequentem*. Conf. V, 91.

321. *inserit amento dig*. Vid. VII, 788. Isidor. 18. 7. *Lancea est hasta amentum habens in medio: dicta autem lancea, quia aequa lance ut est aequali amento ponderata vibratur*. — Junge: *et dixit: miscenda*. — De *Styge* I, 139.

322. *bibes*. Heinsius e Medic. chartaceo et Mor. 2., parvae auctoritatis codd., induxit *bibas*. Futurum in ore jaculo suo et manu sua confidentis elegantius est. — Berol., Flor., Goth. 1., Mor. 1., Pal. 2., IX alii Heins. et ed. Parm. *nec plura moratus*, quae oratio apud Nasonem sine exemplo est, et fluxisse e Virg. A. V, 381. videtur, quanquam Latinitas integra est et confirmatur obvia dictione *nihil moratus*, *nihil cunctatus*, al. — Aroud., Bas. 1. et VI alii Heins. *nec plura minatus*, ex interpretamento. Reliqui *nec plura locutus*, quod optimam habet sententiam et multo majorem auctoritatem vestutatis.

Fraxinus, ut casu jacuit resupinus, adacta est.
Mors caruit sensu, plenoque e gutture fluxit
Inque toros inque ipsa niger carchesia sanguis.
Vidi ego Petraeum conantem evellere terra
Glandiferam quercum; quam dum complexibus ambit
Et quatit huc illuc labefactaque robora jactat,
Lancea Pirithoi costis immissa Petraei
Pectora cum duro luctantia robore fixit.
Pirithoi virtute Lycum cecidisse ferebant,
Pirithoi virtute Chromin; sed uterque minorem
Victori titulum, quam Dictys Elopsque dederunt.
Fixus Elops jaculo, quod pervia tempora fecit,
Et missum a dextra laevam penetravit ad aurem;
Dictys ab ancipiti delapsus acumine montis,
Dum fugit instantem trepidans Ixione natum,
Decidit in praeceps, et pondere corporis ornum
Ingentem fregit suaque induit ilia fractae.
Ultor adest Aphareus, saxumque e monte revulsum
Mittere conatur, mittentem stipite querno

324. *fraxinus*. Vid. v. 122. — *resupinus*. Vid. v. 239.

325. *mors caruit sensu*, mortuus est nec sensum vulneris habuit. — Ox. et IV alii Heins. *mox caruit*. Zwicc. *e gurgite*.

326. *in toros*, in lectos, nam Aphidas adhuc ad mensam jacebat.

327. *evellere terra*. Cod. Bersm., Goth. 1., Vrat., Zwicc., plurimi Heins. et edd. Venn. *tollere t.* Dresd., Medic. et ed. pr. *vellere t.* Par. 1. *evertere t.* Reliqui *evellere*. Ceterum etiam Petraeus est in iis quos commemorat Hesiodus.

328. *complexibus ambit*, copiosius pro *complectitur*.

329. *jactat*, versat, agitat, nostrum *rüttelt*. — Berol., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Par. 1., Lips. 2., plurimi Heins. et vett. edd. *pulsat*. Jun. et II Mor. *versat*. Reliqui *jactat*, nisi quod Viv. codd. *pulsat* v. *jactat*.

331. Junge: *luctantia pectora cum duro robore transfixit*. Conf. 387. V, 125.

332. *P. virtute Lycum cec.* Ita Berol., Goth. 2., Lips. 2. et meliores Heins. — Reliqui *P. cecidisse Lycum virtute*, quod genuinum videtur; quanquam recepta positio verborum Nasonis consuetudini magis consentanea sit.

333. *P. virtute Chromin*. Gron. 1., Mor. 1. et IV Heins. *P. cecidisse Chromin*; e versu praecedenti.

334. *titulum*, gloriam. IV, 645. — Dresd., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *Dictis*. Pal. 2. et Zwicc. hic et seq. v. *Elops*. Lips. 2. *Elos*. Dresd. *Helos*. Vulg. *Helops*, quod genuinum videtur.

335. *jaculo*. Vulgo *jaculo est*. Sed *est* cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Zwicc., Vrat., meliores Heins. et vett. edd. non agnoscunt. *Jahn*. — *pervia fecit*, perforavit.

336. *ad aurem*. Cant., Ox., Lips. 2. et multi Heins. *in aurem*, quae affectata oratio est, ac minus quoque apta illi *a*. Jungendum autem *missum a dextra*.

337. *ancipiti*. Par. 2., Goth. 2., Gron. 1., Medic. 3., Neap., Ox., Thu., Zwicc. et VIII Heins. *ancipitis*. Reliqui omnes *ancipiti*. Secuti sumus codd.; nam *anceps mons*, si proprie intelligas, h. l. aeque incommodum est ac *anceps acumen*. *anceps* videtur esse *periculosum*, *praeceps*.

340. *induit ilia fractae*, dum fractae partes penetrant in ilia. *Gier*. Foedissima imago.

341. *Aphareus*. Ita Flor., Neap. et Urb. — Erf. 1. *Aphereus*. Erf. 2. *Amphareus*. Nonnulli Heins. et Vrat. *Iphareus*. Berol., VI Heins. et ed. Ven. 2. *Phereus*. Reliqui *Phareus*. Conf. VIII, 304. Deinde pro *e monte* cod. Bersm., Vat., Vrat., Zwicc., XII Heins. et ed. pr. *a monte*.

342. *mittentem*, h. e. inter mittendum. Bas. 2. 3., Genev., Goth. 2. pro v. l., Lips. 2. et unus Voss. *conantem*, quod temere recepit Heinsius. Cant. et III alii Heins. *nitentem*.

Occupat Aegides, cubitique ingentia fregit
Ossa; nec ulterius dare corpus inutile leto
Aut vacat aut curat, tergoque Bianoris alti
Insilit, haud solito quemquam portare nisi ipsum,
Opposuitque genu costis, prensamque sinistra
Caesariem retinens, vultum minitantiaque ora
Robore nodoso praeduraque tempora fregit.
Robore Nedymnum jaculatoremque Lycotan
Sternit, et immissa protectum pectora barba
Hippason, et summis exstantem Riphea silvis,
Teraeque, Haemoniis qui prensos montibus ursos
Ferre domum vivos indignantesque solebat.
Haud tulit utentem pugnae successibus ultra
Thesea Demoleon, solidaque revellere terra
Annosam pinum magno molimine tentat.
Quod quia non potuit, praefractam misit in hostem.
Sed procul a telo Theseus veniente recessit
Pallados admonitu: credi sic ipse volebat.
Non tamen arbor iners cecidit: nam Crantoris alti
Abscidit jugulo pectusque humerumque sinistrum.

343. *fregit.* II Bersm., Goth. 1., Vrat., Zwicc. et multi Heins. *frangit.* Reliqui *fregit*, quod propter codicum auctoritatem revocavimus. — *occupat*, ante aggreditur, antevertit. Fast. I, 575.

344. *inutile*, anima carens.

346. *haud solito - ipsum.* Frigidum acumen: pars equina Centauri portabat humanam, quam *ipsum* appellat. Conf. v. 240. — 347. *opposuit*, pressit genibus costas, quo fortius haereret.

348. *retinens*, retractam tenens. — Berol., Zwicc. et X Heins. *vultumque minantiaque.* Reliqui cum vett. edd. *vultum minitantiaque.*

350. Cod. Bersm. *Nediranum.* Vrat. *Nedignum.* Goth. 1. *Neclinum.* Dresd. *Nodinum.* Lips. 2. *Redrinnum.* Vulgo *Nedymnum*, quod etiam Zwicc. et edd. Venn. tuentur, et Heinsius tacite servavit. Scripturam *Lycotan* exhibent exc. Cal., ed. Arg. et nonnulli Heinsii, ut videtur. Vetustiores Heins. plerique *Lichepen* v. *Licepen*, posterius etiam edd. Venn. — Goth. 2., Lips. 2., Zwicc., II Bersm., ed. pr. et vulg. *Lycetum*, quod genuinum videtur.

351. *pectora.* I, 332. — De *immissa* cf. V, 338. IV, 108. — Berol. a corr., Goth. 1., Zwicc. et IX Heins. *immensa.* Goth. 2. et IV Heins. *admissa.* — Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. et Zwicc. *tempora.*

352. *summis exst. - silvis.* Conf. III, 44.

356. *solidaque r. terra.* Ita Cant., unus Grön., Pal. 2., Par. 2. et Bersm. — Unus Leid. *solidaque-ab ulmo.* Unus Heins. *solidoque - trunco.* Unus Heins. *solidoque - clivo.* Flor., Goth. 2., Vrat., Par. 1. 2., codd. Ciof. et reliqui *solidoque - dumo.* Vera scriptura esse videtur *terra*, quod cum interpretati essent *humo* idque in textum venisset, inde *dumo* et similia facta sunt. *Jahn.*

358. *quod quia.* XVI Heins. *quam quia.* — Lips. 2., Zwicc. et multi Heins. *perfractam.*

360. *Palladis admonitu:* nam Pallas praeses prudentium consiliorum. — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat. et Zwicc. et ut ex his conjici potest omnes prope Heinsii *Palladis.* Vett. edd. *Pallados*, quod tacite edidit Heinsius. Revocavi *Palladis*, quum Nasonem non ubique formas Graecas usurpasse constet; et *Palladis* est etiam II, 712.

361. *iners*, sine effectu.

362. *abscidit.* Ita Heinsius tacite edidit, quod Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Vrat., Zwicc., ed. pr. et Ven. 1. et sine dubio etiam multi Heinsiani tuentur. Reliqui cum vulg. *abscindit.* Praeteritum, utpote inter praeterita, praetulimus. Est autem *abscidit* ab *abscido.* Vid. ad I, 22. Conf. v. 275. — Cod. Bersm., Jun. et X Heins. *jugulum.* Vulgo *jugulo.* Deteriores Heins., Berol.,

Armiger ille tui fuerat genitoris, Achille,
Quem Dolopum rector, bello superatus Amyntor,
Aeacidae dederat pacis pignusque fidemque.
Hunc procul ut foedo disjectum vulnere Peleus
Vidit: „„At inferias, juvenum gratissime Crantor,
„„Accipe!“ “ ait, validoque in Demoleonta lacerto
Fraxineam misit, mentis quoque viribus, hastam,
Quae laterum cratem perrupit et ossibus haerens
Intremuit. Trahit ille manu sine cuspide lignum:
Id quoque vix sequitur, cuspis pulmone retenta est.
Ipse dolor vires animo dabat: aeger in hostem
Erigitur, pedibusque virum proculcat equinis.
Excipit ille ictus galea clypeoque sonantes,
Defensatque humeros, praetentaque sustinet arma,
Perque armos uno duo pectora perforat ictu.
Ante tamen leto dederat Phlegraeon et Hylen
Eminus, Iphinoum collato Marte Claninque.
Additur his Dorylas, qui tempora tecta gerebat

Lips. 2. et ed. Naug. *pectus hum.* Meliores Heins. cum vulg. *pectusque hum.*

363. *tui - genitoris*, Pelei filii Aeaci. VII, 477. — Par. 1. 2., quidam Heins. et ed. Ald. *Achilles.* Cf. Priscian. VII. 2.

364. *Amyntor*, rex Dolopum in Thessalia, pater Phoenicis, educatoris magni Achillis. VIII, 307. Hom. Il. IX, 480.

365. *fides*, h. l. fere idem valet quod *pignus*, nostrum *Bürgschaft*. Fast. VI, 609.

Certa fides facti, dictus Sceleratus ab illo
Vicus.

Flor. I. c. 2. *Ancilia atque Palladium, secreta quaedam imperii pignora, Janumque geminum fidem pacis ac belli.* — Goth. 1. *fideique.* Il Heins. *fideque*, q. e. *fideique*, ut III, 341.

367. *At.* Conf. VIII, 279. — De *inferiis* conf. XI, 381. — Pauci Heins. et ed. Vinc. *viderat*, *inf.* Dresd. et unus Bersm. *vidit et inf.*

369. *fraxineam.* V, 9. — *mentis*, animi h. e. irae, furoris. Ira animi vim auget lacertorum. Nihil rectius et elegantius, quam in Peleo, occiso Crantore amico, ad corporis vires etiam furoris vim et impetum accessisse. Conf. v. 373. et V, 32. — Pro hac optima scriptura *mentis quoque*, quam vulgata et Par. 1. 2. tuentur, Berol. et nonnulli Heins. *magnis quoque*, Zwicc. et VI Heins. *junctis quoque*, cod. Bersm. *multis q*, VI Heins. *totis q.*, alii Heins. *tantis q.* vel *cunctis*, Hamb. 1., Gron. 1. et unus Medic. *meritis q.*, Basil. 3. et Neap. *intensis viribus*, unde nata parum necessaria conjectura Heinsii *contentis.*

370. *laterum cratem.* Virg. A. XII, 508.

Transadigit costas et crates pectoris ensem.

Pro *perrupit* Zwicc. a 1. m., Berol. et meliores (?) Heins. *perrumpit*, quod novare non debebat Heinsius. Vid. ad v. 275. 362.

373. *ipse dolor.* Conf. VI, 288. — *aeger*, fessus vulnere.

374. *erigitur*, sc. sublatis pedibus anterioribus. — *proculcat*, proculcare conatur. — *pedibus - equinis.* V. 240. — Cod. Bas., Dresd., Vat., Zwicc. et XVI Heins. *conculcat.* Exc. Pal. et II Heins. *calcabat.* Codd. Viv., cod. Bersm. et reliqui *proculcat.*

375. *sonantes.* Bersm. et deteriores Heins. *sonanti.* — *ictus*, sc. ungularum.

376. *praetenta sustinet*, tenet praetenta, praetendit.

377. *duo pectora*, sc. humanum et equinum; nam pectore juncti equus et vir in corpore Centaurorum. — Dresd., Lips. 2., Ox. et VII Heins. *perfodit.* — Arond., Pal. et III Heins. *perque humeros.* Vid. not. ad v. 396.

379. *collato Marte*, collatis armis, et opponitur illi *eminus.* — *Iphinoum* ed. pr. et permulti codd. — Vulg. *Hiphinoum.* Flor., Goth. 1. et Junt. *Claninque.* Goth. 2. *Clanumque.* Dresd. *Damimque.* Ed. Ven. 2. *Daminque.* Reliquae edd. vett. *Danimque.* Vulg. *Glanimque. Clanis* memoratur etiam a Val. Fl. 146.

Pelle lupi, saevique vicem praestantia teli
Cornua curva boum, multo rubefacta cruore.
Huic ego - nam vires animus dabat - „„Adspice“ dixi
„„Quantum concedant nostro tua cornua ferro““:
„Et jaculum torsi: quod cum vitare nequiret,
Opposuit dextram passurae vulnera fronti.
Affixa est cum fronte manus: fit clamor; at illum
Haerentem Peleus et acerbo vulnere victum -
Stabat enim proprior - mediam ferit ense sub alvum.
Prosiluit, terraque ferox sua viscera traxit,
Tractaque calcavit calcataque rupit, et illis
Crura quoque impediit et inani concidit alvo.
Nec te pugnantem tua, Cyllare, forma redemit:
Si modo naturae formam concedimus illi.
Barba erat incipiens, barbae color aureus, aurea
Ex humeris medios coma dependebat in armos,
Gratus in ore vigor, cervix humerique manusque
Pectoraque artificum laudatis proxima signis,
Et qua parte vir est. Nec equi mendosa sub illo
Deteriorque viro facies. Da colla caputque,

381. *vicem praestantia teli.* Conf. v. 266.

382. *cornua curva.* Unus Arg., Flor. et Zwicc. *cornua cara.* Genev. *corn. cava.* Goth. 2. pro v. l., Medic. 4., Mor. 1., Thu., Vrat. et multi Heins. *cornua curva.* Pal. 2., Par. 1. 2. et vulg. *c. dura.* Dedimus *cornua curva* cum codd.; Heinsianam conjecturam vara expulimus; quid enim conjecturam feramus, ubi codices optimas scripturas praebent; nam neque lectio *dura* contemnenda est.

383. *ego.* Nestor. Vid. v. 182. — *vires animus dabat* modeste praemissum a Nestore. *Gier.*

384. *concedant*, cedant, inferiora sint.

386. Junge: *opposuit dextram fronti, quae passura erat vulnera.*

387. Conf. V, 124.

390. Foedissima rursus imago, ut v. 269. 270. et 340. — Deteriores Heins., Dresd., Lips. 2. et vett. edd. *prosiliit.* Vid. ad XI, 526.

393. *Cyllare.* Libri ubique constanter *Cillare*, pro quo *Cyllare* scripserunt, quia hoc nomen est equi Pollucis (Virg. Georg. III, 90.), cui confertur v. 400., et Graecum nomen Graecae fabulae aptius est. — Ceterum etiam V, 47 seqq. pulcher juvenis cadit in proelio, quicum una moritur amicus. *Gier.*

394. *naturae illi*, sc. qualis Centaurorum est. — *si modo.* II, 330. XI, 452.

395. *barba erat incipiens*, prima lanugo. Conf. v. 291. — *aurea* bisyllabum. VI, 113. — Cod. Bersm., Bas. 1., Berol., Erf. 1., Goth. 1. 2., Hamb. 1. 2., Medic. 3., Pal. 1., Par. 1. 2., Thu., Vat. 1., plurimi Heins. et vett. edd. *aureaque*, ut illud *que* vocali, qua sequens versus incipit, elidatur (vid. VI, 507.), quod prope nimium licentiae in una voce. Exc. Pol. et Vrat. *aureus atque.* Vulgo *aureus, aurea.* Conf. II, 107.

396. Mor. et Strozz. *descendebat*, quod temere recepit Heinsius. — *in armos*, nam inferiore parte equus erat, et armis viro cohaerebat. Conf. v. 377.

397. VI Heins. *nitor.*

398. Conf. X, 515. 516.

399. *et qua parte vir est*, h. e. *et omnino omni parte qua vir est.* Atque eam scripturam tuentur Berol., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 2., multi Heins., et ed. pr. — Confirmant Dresd. a corr., Goth. 2. pro v. l., multi Heins. et edd. Venn., in quibus est *ex qua parte vir est*, Fragm. Boxh. et Strozz. 1. *et qua parte viri est.* Vrat., Zwicc. cum vulg. *et quacunque vir est.* — Deinde Lips. 2. et edd. Venn. *neque equi.* Reliqui *nec equi.* Denique unus Medic., alter Par. 2. *sub illa*, et ed. pr. *sub illa est.* — *sub illo;* nam juxta Nasonis figmentum ipse equo (i. e. sui parte equina) vehebatur. Conf. 346.

400. *da colla etc.* Sensus est; *da* (illi) *colla caputque* (equi et equus) *erit*

Castore dignus erit: sic tergum sessile, sic sunt
Pectora celsa toris. Totus pice nigrior atra,
Candida cauda tamen, color est quoque cruribus albus.
Multae illum petiere sua de gente; sed una
Abstulit Hylonome, qua nulla decentior inter
Semiferos altis habitavit femina silvis.
Haec et blanditiis et amando et amare fatendo
Cyllaron una tenet. Cultus quoque, quantus in illis
Esse potest membris: ut sic coma pectine levis,
Ut modo rore maris, modo se violave rosave
Implicet, interdum canentia lilia gestet,
Bisque die lapsis Pagasaeae vertice silvae
Fontibus ora lavet, bis flumine corpora tingat,
Nec nisi quae deceant electarumque ferarum
Aut humero aut lateri praetendat vellera laevo.
Par amor est illis: errant in montibus una,
Antra simul subeunt; et tum Lapitheïa tecta
Intrarant pariter, pariter fera bella gerebant.
Auctor in incerto est; jaculum de parte sinistra
Venit et inferius, quam collo pectora subsunt,
Cyllare, te fixit. Parvo cor vulnere laesum
Corpore cum toto post tela educta refrixit.
Protinus Hylonome morientes excipit artus,

Castore dignus, cui Cyllarus equus a Junone datus est. Suidas in v.

401. *sessile*, in quo sederi potest, ut I, 16. *instabilis tellus, innabilis unda.* — Cod. Bersm., Arond., Bas. 1., Berol., Dresd., Goth. 1., Medic. 3., Pal. 2., Neap., Par. 1., Lips. 2., Urb., Vrat., Zwicc. et multi Heins. *erat*. Reliqui *erit*, quod rectius: nam loquitur ita quasi res adhuc futura esset. Trist. I, 1, 47.

Da mihi Maeoniden et tot circumspice casus;
Ingenium tantis excidet omne malis.

Dresd., Goth. 1. et Vat. 1. *sic stant*, quod temere recepit Heinsius.

402. *pectora celsa toris*. Conf. II, 854. XIV, 283. *colla tumere toris.*

404. *petiere*. Unus Heins. *cupiere*, e III, 353. — *sua de gente*, de gente Centaurorum.

405. *abstulit*, tulit, ut *auferre praemium*, *praedam* dicitur. — Arond., Bas. 1., Dresd., Thu. et II alii Heins. *nitentior*. *Decentior* mihi multo elegantius videtur, quando id agit poeta, ut Centaurae virtutes verae feminae tribuat.

406. *semiferos*. Ita cod. Bersm., Berol., Lips. 2. et meliores Heins. — Reliqui *semiferas*. Retinui *semiferos*, quod totum genus significatur. Conf. II, 633. — *altis*, quia illae silvae in montibus. V. 412. I, 568.

407. *et amando*. Par. 1., Lips. 2., multi Heins. et ed. pr. *et amans.*

408. *tenet*, vinctum tenet.

409. *levis*, laevis. Berol., Lips. 2., Zwicc. et ed. Ven. 2. *lenis.*

410. *rore maris*. Hor. Od. III, 23. *rore marino — coma se implicat floribus* poetice pro *flores innexi sunt comae.*

411. *canentia*. Cod. Bersm., Berol., Goth. 2., Zwicc. et meliores Heins. *candentia.*

412. *Pagasaeae*. Vid. ad VII, 1.

414. Junge: *et ut nonnisi vellera, quae deccant et electarum ferarum, aut humero aut lateri laevo praetendat.*

415. Goth. 1., Zwicc. et XVI Heins. *pendebant.*

417. *Lapitheïa tecta*, tecta Lapithae Pirithoi. V. 212.

418. Cod. Bersm., Vrat. et Zwicc. *intrabant.*

419. *auctor* h. l. qui mittit jaculum, ut VIII, 349. *auctor teli.*

420. *quam*. Ita Arond., Jun., alter Thu., Vrat. et Zulich., flagitante sententia. Nam sensus est: *et* (paullo) *inferius quam* (ubi) *pectora collo subsunt.* Vulgo *qua.*

421. *parvo vulnere*. Conf. VI, 265.

423 - 425. Conf. X, 186 seqq. — *mo-*

Impositaque manu vulnus fovet, oraque ad ora
Admovet, atque animae fugienti obsistere tentat.
Ut videt exstinctum, dictis, quae clamor ad aures
Arcuit ire meas, telo, quod inhaeserat illi,
Incubuit, moriensque suum complexa maritum est.
Ante oculos stat et ille meos, qui sena leonum
Vinxerat inter se connexis vellera nodis,
Phaeocomes, hominemque simul protectus equumque:
Caudice qui misso, quem vix juga bina moverent
Juncta, Phonoleniden a summo vertice fregit.
Fracta volubilitas capitis latissima, perque os
Perque cavas nares oculosque auresque cerebrum
Molle fluit, veluti concretum vimine querno
Lac solet, utve liquor rari sub pondere cribri
Manat et exprimitur per densa foramina spissus.
Ast ego, dum parat hic armis nudare jacentem,
Scit tuus hoc genitor - gladium spoliantis in ima
Ilia demisi. Chthonius quoque Teleboasque
Ense jacent nostro. Ramum prior ille bifurcum
Gesserat, hic jaculum; jaculo mihi vulnera fecit:

rientes artus, ut *exanimes artus* II, 336. — *animae fugienti obsistere tentat.* X, 188. *animam fugientem sustinet.*

426. *dictis*, postquam (ante) dixit. Berol. *dixit.*

427. *telo - incubuit.* Dicitur *incumbere gladio* et *in gladium*,

429. *sena.* Meliores Heins. magno numero, Dresd., Goth. 1. 2., Bas. 1—4. et Lips. 2. *sena.* Vulg. *saeva*, ex antiqua scriptura *seua* nata varietas.

430. Unus Bas., Vrat., Zwicc. et multi Heins. *loris.*

431. *hominemque simul - equumque*, de uno Centauro, Phaeocome, intelligendum. De accus. vid I, 332.

432. *caudice.* Ita cod. Bersm., Berol., Erf. 1. 2., Flor., Urb., Vrat., multi Heins. et ed. pr. — Par. 1. 2. et vulg. *codice*, quae forma antiqua est. Goth. 2. et XVIII Heins. *stipite.* X Heins. *cortice*, VII *robore.* — *quem vix - moverent.* Conf. v. 282.

433. *a summo vertice*, desuper. Gr. *κατ' ἄκρης.* Virg. Georg. II, 310. — Pal. 2. *te Phonolenides.* Cod. Bersm. *te o Phomolidon.* Berol. *te Fornoleniden.* Erf. 1. *Thephonoleniden.* Goth. 1. *Thephonolidem.* Thu. *tectum Phonolidcn.* Flor. et Zwicc. *tecta Thonol.* Reliqui cum vulg. ut edidimus.

434. Ilic et IV sequentes versus in Berol., Pal. 2., Par. 2., Lips. 2. et multis vett. Heins. desunt, in Par. 2. et Vrat. a 2. m. in marg. scripti sunt. *Jahn.* Sed illa descriptio eventus sive effectus, quem ictus ille habet, exspectatur, et illa exaggeratio et imaginis foeditas plane Ovidiana. — *volubilitas capitis*, volubile caput. — *latissima* pro *latissime.*

435. Goth. 1. et edd. Venn. *oculos auresque.*

436. *concretum lac*, XIII, 796. *coactum lac*, coagulum. — *vimen*, qualus vimineus. Virg. G. II, 241. *spisso vimine qualos.*

437. *sub pondere cribri*, sub pondere (prelo), quod in cribro est sive cribro imponitur. Lucret. II, 391.

Et quamvis subito per colum vina videmus
Perfluere, at contra tardum cunctatur olivum.

Conf. Voss. ad Virg. Georg. II, 241.

438. *spissus.* Ita cod. Bersm., Arond., Dresd., Par. 2., Goth. 2., Hamb. 1., Vat. 1., Vrat., codd. Viv., plurimi Heins. et ed. Venn. — Vulgo *succus*, quod ex interpretamento natum videtur. *spissus* h. l. respondet illi *densa.*

439. *hic.* Goth. 2., Bas. 3. et III Heins. *hunc*, quod temere recepit Heinsius. — Goth. 2., alter Hamb., Jur., Pal. 2. et IV Heins. *spoliare*, ex glossa.

440. *scit tuus hoc genitor.* Nestor hoc Achilli dicit, cujus patrem, Peleum, affuisse pugnae supra vidimus.

441. *demisi.* Dresd., Zwicc. et meliores (?) Heinsii *dimisi.* Male. Conf. v. 491.

Signa vides, apparet adhuc vetus inde cicatrix.
Tunc ego debueram capienda ad Pergama mitti,
Tunc poteram magni, si non superare, morari
Hectoris arma meis. Illo sed tempore nullus,
Aut puer, Hector erat; nunc me mea deficit aetas.
Quid tibi victorem gemini Periphanta Pyreti,
Ampyca quid referam, qui quadrupedantis Oïcli
Fixit in adverso cornum sine cuspide vultu?
Vecte Pelethronius Macareus in pectus adacto
Stravit Erigdupum. Memini et venabula condi
Inguine Nesseïs manibus conjecta Cymeli.
Nec tu credideris tantum cecinisse futura
Ampyciden Mopsum: Mopso jaculante biformis
Occubuit frustraque loqui tentavit Odites,
Ad mentum lingua mentoque ad guttura fixo.
Quinque neci Caeneus dederat, Styphelonque Bromumque
Antimachumque Elymumque securiferumque Pyracmon.
Vulnera non memini, numerum nomenque notavi.
Provolat Emathii spoliis armatus Halesi,
Quem dederat leto, membris et corpore Latreus

444. *inde*. Berol., Gron. 1., IV alii apud Heinsium *ecce*, quod ferri potest, sed post *vides* non necessarium est. Quare *inde*, scripturam omnium fere librorum, edidimus. Ceterum simile Nestoris votum Hom. Il. VII, 132 seqq.

447. *nullus erat*, nondum natus erat.

448. *me mea deficit aetas*, vires me deficiunt. — Par. 2. et multi Heins. *deserit*, ex interpretamento.

449. *gemini*, duplicis naturae. Conf. II, 555.

450. *Oïcli*. Ita nonnulli Heins. et ed. Ven. 2. Vulgo *Oecli*. Singuli *Echecli, Echeli, Achecli, Ethecli, Eocli, al.*

451. *cornum*. Cornus, praeter fraxinum (X, 93.), imprimis bona hastis. VII, 678. VIII, 408.

452. *Pelethronius*, a Pelethronio Pelii montis parte s. valle. Steph. Byz. *Πελεθρόνιον, ὄρος Θετταλίας. ὁ οἰκήτωρ Πελεθρόνιος*. Inde etiam Virg. G. III, 115. *Pelethronii Lapithae*. Conf. Plin. N. H. VII. c. 56. Hyg. F. 274. — Fragm. Boxh. *Pelethronium*, quod temere recepit Heinsius. — *Erigdupus*, a Gr. *ἐρίγδουπος*, quod tuentur Goth. 1., Zwicc. et edd. Venn. — Lips. 2., *Erigdippum*. Vrat. *Erigthipum*. Dresd. *Erigdiguum*. Goth. 2. *Eripdinum*. Ed. pr. *Erigrippum*. De codd. Heinsii nihil constat.

453. *condi* et *recondi* arma dicuntur tam cum deponuntur, quam cum penitus corpus penetrant. *Gier.*

454. *Nesseïs* optima emendatio Heinsii est, quam cod. Dresd. et ed. Parm. confirmant. Conf. v. 554. et 558. Zul. *Nesseo*. Jun. *Nesse tuo*. Zwicc. *Nexei*. Reliqui *Nesseï*. Perperam: nam nominativus est *Nessus* non *Nesseus*. V. 308. IX, 101.

456. *Ampyciden-Mopsum*. Fuit Apollinis sacerdos et vates et venationi apri Colydonii interfuit. Vid. VIII, 316. 350. *Ampycides Mopsus* etiam apud Hesiodum legitur.

459. *Styphelonque*, a Gr. *στυφελός*, unde *στυφελίζω*. Veteres libri excepto Zwicc. omnes *Styphelumque*, sed retinui formam Graecam, ut in nomine Graeco. Solus Dresd. *Bromimque*. Reliqui omnes *Bromumque*. — 460. *Helymumque*. Sic vett. libri tantum non omnes. — Nestor, qui h. l. narrat, tandem post longam illam *episodiam*, in qua certamen Centaurorum et Lapitharum describitur, ad Caenei transformationem, quam rogatus narrare instituit, redit. Vid. v. 179 seqq.

462. *Emathii*. V, 313. — *Halesi* exhibent Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat., codd. Heins. et ed. pr. — Ed. Venn. 2. et vulg. *Alesi*.

463. *corpore*, h. l. pro trunco. — Bas. 1. et Goth. 1. *membrisque et*.

Maximus. Huic aetas inter juvenemque senemque,
Vis juvenilis erat, variabant tempora cani.
Qui clypeo gladioque Macedoniaque sarissa
Conspicuus, faciemque obversus in agmen utrumque,
Armaque concussit certumque equitavit in orbem,
Verbaque tot fudit vacuas animosus in auras:
„„Et te, Caeni, feram? Nam tu mihi femina semper,
Tu mihi Caenis eris. Nec te natalis origo
Commonuit, mentemque subit, quo praemia facto
Quaque viri falsam speciem mercede pararis?
Vel quid nata vide vel quid sis passa, columque
I cape cum calathis, et stamina pollice torque;
Bella relinque viris!"" Jactanti talia Caeneus
Extentum cursu missa latus eruit hasta,
Qua vir equo commissus erat. Furit ille dolore,
Nudaque Phylleï juvenis ferit ora sarissa.
Non secus haec resilit, quam tecti a culmine grando,
Aut si quis parvo feriat cava tympana saxo.

464. *media aetas* dicitur quae est inter juvenilem et senilem. Cic. Senect. c. 20. *constans aetas, quae media dicitur.* Met. XV, 210.

Maturus mitisque inter juvenemque senemque.

465. *variabant cani,* intermixti sc. nigris.

466. *gladioque.* Ambr. et II alii Heins. *galeaque,* quod temere recepit Heinsius. Cur enim non *gladioque? — Macedonia* altera syllaba producta et tertia correpta. Nam Graeci *Μακεδών* et *Μακηδών*, *Μακεδόνιος* et *Μακηδόνιος*. Apud Athen. XIII. Leontii v. 65.

Ἀλλὰ Μακηδονίης πάσας κατενίσατο λαύρας.

467. *faciemque.* Conf. v. 431. — *conspicuus*, insignis prae reliquis, qui in tumultaria pugna illis armis carebant.

468. *armaque concussit.* Cf. I, 143. — *equitavit*; nam cum equo cohaerebat sive inferiori sui parte equum habebat. Argute. — *certum in orbem*, ut fieri solebat in palaestra. Cf. VI, 225. Virg. G. III, 115. — Leid. *in hostem.*

469. *verbaque tot fudit.* IX, 28. *verbaque tot reddit.*

470. *Caeni.* Irridens Caeneum nomine appellat, quod ante, cum femina esset, habuerat. V. 189 seqq. — De forma orationis: *et te - feram*, conf. XIII, 6. 388. Amor. III, 3, 33.

Et quisquam pia tura focis imponere curet?

471. *Caenis eris et non Caeneus.*

472. *commonuit*, admonuit, *lässest du dir zur Mahnung dienen.* — Berol., Cant., Pal. 1., Par. 2., Vrat., Zwicc. et X Heins. *comminuit*, q. e. animos tuos fregit. Nonnulli Heins. *continuit*, III *admovit*, II Bersm., multi Heins. et edd. Venn. *commovit.* Reliqui *commonuit*, quod mihi genuinum videtur, neque alii ex his varr. bonitate sensus concedere; etiam apte convenire illi *mentemque subit.* — *mentemque subit.* XI, 542. *subeunt illi.* Conf. XII, 591. et not. ad Trist. I, 3, 1.

473. *quo facto.* V. 196 seqq.

474. *vel quid nata.* Ita Berol., Goth. 1. 2., Zwicc. et meliores Heins. — Edd. Venn. *quid vel nata.* Vulgo *quid sis nata*, in qua scriptura repetitio illius *sis* valde languet. Conf. IX, 746.

475. *i cape.* Illud *i* excitantis est. Virg. A. VII, 805. de Camilla:

— — non illa colo calathisve Minervae
Femineas assueta manus.

Sil. II, 70.

Non calathis mollita manus operatave fuso.

477. Ingeniose *extentum cursu latus*, de currente equo in Centauro. *Gier. — eruit*, ut *latus hausit* V, 126.

478. *qua vir etc.* Conf. v. 315.

479. *nuda*, galea et clypeo non munita. — *juvenis Phylleï*, Caenei, qui e Thessaliae urbe, Phyllo, oriundus erat. Nonnulli codd. cum vulg. *Pellaei*, quod nomen librariis tritius fuit, quam *Phylleï.*

480. *quam - grando.* Cf. XIV, 543. — Vrat. et XVI Heinsii *a* non agnoscunt.

481. *cava.* Erant ligna concava in formam patinae, quibus corium intende-

Cominus aggreditur, laterique recondere duro
Luctatur gladium: gladio loca pervia non sunt.
„„Haud tamen effugies: medio jugulaberis ense,
Quandoquidem mucro est hebes“ “ inquit; et in latus ensem
Obliquat, longaque amplectitur ilia dextra.
Plaga facit gemitus, ceu corpore marmoris icti,
Fractaque dissiluit percusso lamina collo.
Ut satis illaesos miranti praebuit artus,
„„Nunc age,“ ait Caeneus „nostro tua corpora ferro
Tentemus!“ “, capuloque tenus demisit in armos
Ensem fatiferum, caecamque in viscera movit
Versavitque manum, vulnusque in vulnere fecit.
Ecce ruunt vasto rabidi clamore bimembres,
Telaque in hunc omnes unum mittuntque feruntque.
Tela retusa cadunt, manet imperfossus ab omni
Inque cruentatus Caeneus Elateïus ictu.
Fecerat attonitos nova res. „„Heu dedecus ingens!“
Monychus exclamat: „populus superamur ab uno,
„„Vixque viro! Quamquam ille vir est; nos segnibus actis,
Quod fuit ille, sumus. Quid membra immania prosunt,

batur sic ut lapilli in eam immissi resilirent. Vid. Perizon. ad Aelian. V. H. IX. c. 8. *Gier.*

486. Ab initio punctim pugnarat, nunc caesim. — *ensem in latus obliquat*, obliquo ense ferit. *Gier.*

487. *gemitus*, saepe de sono dicitur, quem durum corpus, si feritur, edit. Cf. V, 204. — *ceu corpore marmoris ictu.* Conf. V, 177. 178. Ceterum *ceu corpore*, nonnisi Arond. et VII alii Heins. exhibent. Plurimi Heins., Berol. et edd. Venn. *ut corpore.* Cod. Bersm., Pal. 2. et reliqui *in corpore.* Codd. Viv. *ut* vel *in.* Exspectanda accuratior collatio codicum est. *In corpore* mendosum est. In oratione autem *corpore marmoris* poeta ob oculos habet statuam s. imaginem de marmore.

488. *dissiluit.* Ita cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Zwicc., Vrat., meliores Heins. et vett. edd. — Vulgo *dissiliit.* Vid. ad VI, 658.

489. *ut satis - praebuit.* Conf. v. 101.

491. *in armos*, semiequi s. Centauri. V. 440. 441. IV, 119. — Lips. 2., Vrat., praestantiores (?) Heins. et ed. Bas. *dimisit.* Reliqui *demisit.*

492. *in viscera movit* gravius quam unius Bas. et unius Vat. *in viscera condit:* est enim *contentis viribus indidit, adegit.* — *caecam*, ut caeca, abscondita esset. — *fatiferum*, letiferum.

493. *vulnusque in vulnere fecit.* Argutatur iterum Nasonis ingenium.

494. *rabidi.* Ita Hamb. 1. — II Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vat. 1., plurimi Heins. et ed pr. *rapidi.* Vulgo *trepidi*; inepte. *Rapidi* ferri potest et genuinum videtur; quamquam *rabidi* aptius. — *vasto clamore.* Burmannus laudat *vastum latratum* e Columell. VII. c. 12. *vastitatem vocis* I. c. 9. *vaste dicere* Cic.

495. *mittuntque feruntque.* Pal. 2. *mittuntque ruuntque.* Medic. *vertuntque feruntque.* Cod. Bersm., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Lips. 2., Zwicc. et permulti Heins. *mittunt feriuntque.* Berol. et Vrat. *mittunt unum feriuntque.* Vulg. *mittuntque feruntque.* Recte. Nam poscere locum synonymum verbi *mittunt*, apparet v. 496. *tela retusa cadunt.*

497. *inque cruentatus*, tmesis pro *et incruentatus.* Virg. Georg. III, 366. *Carpendae manibus frondes interque legendae.* Conf. Lucret. I, 652. II, 301. IV, 833. 1145. 1246. — *Caeneus Elateïus.* V. 189.

499. *superamur.* Langerm. et III Heins. *superemur.*

500. *vixque viro.* Iterum alludit ad priorem Caenei sexum.

Quid geminae vires, et quid fortissima rerum
In nobis duplex natura animalia junxit?
Nec nos matre dea, nec nos Ixione natos
Esse reor: qui tantus erat, Junonis ut altae
Spem caperet; nos semimari superamur ab hoste.
Saxa trabesque super totosque involvite montes,
Vivacemque animam missis elidite silvis!
Silva premat fauces, et erit pro vulnere pondus.“
„Dixit, et insanis dejectam viribus austri
Forte trabem nactus validum conjecit in hostem,
Exemplumque fuit; parvoque in tempore nudus
Arboris Othrys erat, nec habebat Pelion umbras.
Obrutus immani cumulo, sub pondere Caeneus
Aestuat arboreo, congestaque robora duris
Fert humeris. Sed enim postquam super ora caputque
Crevit onus, neque habet quas ducat spiritus auras;
Deficit interdum, modo se super aëra frustra
Tollere conatur jactasque evolvere silvas,
Interdumque movet, veluti, quam cernimus, ecce,
Ardua si terrae quatiatur motibus Ide.
Exitus in dubio est: alii sub inania corpus
Tartara detrusum silvarum mole ferebant;

502. *geminae*, hominis et equi. — Berol., Cal. et IV Heins. *quid quod*, quod librariorum interpretamentum Heinsius recepit. — *fortissima* jungendum cum *animalia*, ac *rerum* sic superlativis additur, ut *dulcissime, pulcherrime rerum*.

503. *duplex natura*. Par. 1. et III Heins. *natura duplex*, quod temere induxit Heinsius. — *duplex* priorem etiam producit. Amor. I, 8, 15. Virg. A. XII, 198. — *natura duplex junxit animalia* pro animalia duplicis naturae juncta sunt in nobis.

505. *Junonis altae*, ut III, 284. Virg. A. X, 875. *altus Apollo*. XI, 726. *altus Jupiter*. — Quod summae audaciae atque impudentiae erat, id callide vertit in laudem patris sui. Sed falso jactat, cum se matre dea editos dicit. Vid. not. ad v. 211.

506. IV Heins. *semiviro*.

508. *vivacem*, tenacem. — *elidite* aptum huic mortis generi verbum.

510. *austri*. I, 66. — Arond., Bas. 1., Dresd., Goth. 2., Neap., Pal. 2. et multi Heins. et ed. Ald. *insani*. Reliqui *insanis*, ut *vis fera ventorum* XV, 299.

511. *trabs* h. l. pro arbore, ut passim.

512. *nudus arboris*. Gen., quem vocant causae vel exeundi. Vid. VI, 137. X, 616 et index in v. *genit*. Sil. XIV, 344. *nudus opum*.

513. *Pelion*. Loquitur ita quasi *Othrys* et *Pelion* proximi fuerint Pirithoi regiae. *Gier*. Flor., Gron. 1., Jur., Mor. 1., Thu. et VII alii Heins. *Pelios*. Conf. VII, 224. I, 155.

514. *cumulo*. Berol., Goth. 1. 2., Pal. D. Heins., Par. 1. 2., Lips. 2., Zwicc., plurimi Heins. et vett. edd. *tumulo*. Utrumque hoc loco dici potest, quamquam simplicius et magis proprium *cumulo*. Varietas e similitudine veteris literae orta.

515. *aestuat*, furit. — *duris*, quippe ipse duritiam marmoris habebat. Vid. v. 486. Berol., Dresd., Goth. 1., Gron., Pal. 2., Ox., XIV alii Heins. et edd. Venn. *conjectaque*. Vulg. *congestaque*.

517. Heinsius tacite edidit *neque*, quod vett. libri non confirmant.

518. *super aëra*, in aëra, in altum; sed gravius dictum est. Virg. Aen. II, 699. *se tollit ad auras*, pro surgit de strato.

520. *veluti quam cernimus, ecce, Ide*. Nestorem haec in castris ante Trojam prope Idam montem (II, 218. XIII, 324.) narrare meminimus. Inde *quam cernimus, ecce*.

522. *exitus*, sc. Caenei sive ejus. — 523. *detrusum* aptius tam violentae morti, quam *missum*. Conf. XI, 670. Alii *ferebant*. Vid. schol. ad Hom. Il. I, 264. et Apoll. Rh. I, 59.

Abnuit Ampycides, medioque ex aggere fulvis
Vidit avem pennis liquidas exire sub auras,
Quae mihi tunc primum, tunc est conspecta supremum.
Hanc ubi lustrantem leni sua castra volatu
Mopsus et ingenti circum clangore sonantem
Adspexit, pariterque animo est oculisque secutus;
„„O salve," dixit „Lapitheae gloria gentis,
„„Maxime vir quondam, sed avis nunc unica, Caeneu!""
„Credita res auctore suo est. Dolor addidit iram,
Oppressumque aegre tulimus tot ab hostibus unum,
Nec prius abstitimus ferro exercere dolorem,
Quam data pars leto, partem fuga noxque removit."
Haec inter Lapithas et semihomines Centauros
Proelia, Tlepolemus, Pylio referente, dolorem
Praeteriti Alcidae tacito non pertulit ore,

524. *Ampycides*. V. 546. VIII, 315. Ingeniose, quam Naso invenit Caenei transformationem, Mopso vati tribuit. — *medioque ex aggere*, ex lignorum cumulo.

526. *quae mihi tunc primum, tunc est c. s.* Sic Heinsius tacite edidit, quod codd. Viv., Berol., Goth. 2., Bas. 1. 2., Dresd., Heidelb. et Ambr. confirmant, nisi quod Ambr. *est mihi visa* pro *conspecta*. – Cod. Bersm. *tunc prim. volucris consp. supr.* Vetusta exemplaria Raph. Reg., Goth. 1. et edd. Venn. *tunc primum tunc est conspecta volucris*. Lips. 2., Vrat., Zwicc., ed. pr. et vulg. *tunc* (Lips., Vrat. et ed. pr. *tum.*) *primum fuerat conspecta volucris*. Vivianus annotavit: Raphael Regius labitur, dum labi illos jactitat, qui non legant *tunc est conspecta volucris*, quoniam Caeneus in aquilam versus fuerit. At Ovidius meo quidem animo in phoenicem potius innuit tum hic tum v. 531.: *sed avis nunc unica Caeneus*, in quo quidem loco Politianus in vett. quibusdam legi testatur: *sed avis nunc unica phenix*. Ut tamen non negaverim, legi posse: *tunc est consp. volucris*, ita contenderim in phoenicem versum, non in aquilam. Periclimenus enim inferius in aquilam vertitur, non Caeneus. *Jahn.*

527. *lustrantem sua castra*, locum, ubi Lapithae castra habebant et constiterant, circumvolantem.

528. *clangore*. Ita Dresd., III Pal. Gebhardi et meliores Heinsii magno numero. – Reliqui *clamore*. Perperam. Liv. 1. c. 34. *aquila cum magno clangore volitans*.

529. *animo est oculisque*. Pal. 2. et multi (?) vett. Heins. *pariterque oculis animoque*, quod teneri ita posset, ut post *Caeneu* v. 531. apodosis inciperet. Sed tam parva auctoritate vetcrum librorum mutare non audeo. Nam reliqui libri omnes *pariterque animo est oculisque s.*, nisi quod Flor., Vrat., III Heins. et ed. pr. *pariterque animis oculisque*, a correctore. De re conf. IV, 129.

531. *sed avis nunc*. Bas. 3. 4., cod. Bersm., Berol., Dresd., Gron. 1., Vat. 1. et III Heins. *sed nunc avis*, quod sine causa recepit Heinsius.

532. *auctore suo*, quia certum auctorem habebat.

534. *ferro exerc. dolorem*. Unus Medic. *ferrum exerc. cruore*. Nor. *ferrum exercere dolore*. Male. *Dolor* fere pro *ira* sive *dolore ex ira* est, et *iram exercere* saepe legitur. XIII, 613. Virg. G. III, 152.

535. Berol. et Gron. 1. *diremit*. VI Heins. *redemit*.

536. *Nestor porro narrat, fratrem suum Periclymenum ab Neptuno in aquilam esse mutatum et ab Hercule sagitta occisum*. Hyg. F. 10. et 31. Apollod. I. c. 9. Ael. V. H. IV. c. 5. Hom. Il. XI, 691. Od. XI, 280.

536. De spondeo in quinto pede vid. v. 219.

537. *Tlepolemus*, filius Herculis ex Antioche, patria pulsus Rhodum fugit, ubi condita Argivorum colonia in tribus urbibus regnavit, quarum naves Trojam duxit. Hom. Il. II, 653 seqq. — *Pylius* est Nestor. Vid. ad VIII, 365.

538. *praeteriti Alcidae*, quod rerum ab Alcida patre gestarum cum Centauris nihil mentionis fecerat, de quibus vid.

Atque ait: Herculeae mirum est oblivia laudis
„Acta tibi, senior: certe mihi saepe referre
Nubigenas domitos a se pater ipse solebat.“
Tristis ad haec Pylius: „Quid me meminisse malorum
„Cogis, et obductos annis rescindere luctus,
Inque tuum genitorem odium offensasque fateri?
Ille quidem majora fide quoque gessit et orbem
Implevit meritis, quod mallem posse negare;
Sed neque Deïphobum nec Polydamanta nec ipsum
Hectora laudamus: quis enim laudaverit hostem?
Ille tuus genitor Messenia moenia quondam
Stravit, et immeritas urbes, Elinque Pylonque,
Diruit, inque meos ferrum flammasque penates
Impulit. Utque alios taceam, quos ille peremit,
Bis sex Nelidae fuimus, conspecta juventus,
Bis sex Herculeis ceciderunt, me minus uno,
Viribus. Atque alios vinci potuisse ferendum est;

Apollod. II. c. 5. — Mor. 1. et X alii Heins. *placido*.

539. *oblivia* (silentium) *acta* (esse) *tibi* (a te). I, 349.

541. *nubigenas*. Vid. ad v. 211. — Olim *senior*, quod proprium est Nestori, male jungebatur cum voce *pater*. — Cod. Bersm., deteriores Heins., Goth. 1. 2., Vrat. et Zwicc. *pater esse*. Goth. pro v. l. et reliqui omnes *pater ipse*.

543. *obductos - rescindere luctus*. *Obduci* vulnera, dolores dicuntur, quum coalescunt, et *rescindi* cum rursus aperiuntur, refricantur. *Gier*. Cic. Agrar. III. c. 2. *refricare obductam jam rei publicae cicatricem*. *Obductum dolorem* Virg. Aen. X, 64. — Codd. multi *restringere*, *resciscere*, *retexere*, alia. Flor. III. c. 22. *Expediebat ergo quasi aegrae rei publicae requiescere quomodocumque*: *ne vulnera ipsa curatione rescinderentur*. Vid. not. ad Trist. III, 11, 63. et 19. — Pro *annis* Jur., Medic. 4., Mor. 1., Thu. et II alii Heins. *leviter*.

545. *majora fide quoque gessit* valet: *gessit vel majora fide*. Conf. IX, 183 sqq. — Barb., Bonon. 3., Flor. et Medic. 4. *fide digessit*. Jur. et unus Heins. *fide degessit*, unde Heinsii inutilis conjectura orta est *fide di! gessit*. — De dictione *implevit orbem*, Her. IX, 16. de eodem Hercule.

Implesti meritis Solis utramque domum.

546. *negare*. Idem Heinsius ex Bas. 1., Hamb. 1., Par. 1. et uno Voss. temere edidit *negari*.

547. *Deïphobus* et *Hector* filii Priami Trojanorem regis (XII, 3. 69. 75.) et praecipui belli duces. *Polydamas* fortissimus filius Panthi, Homeri Iliade illustrati, et amicus Hectoris. — Conjectura est *Pulydamanta*; sed *Polydamanta* etiam primam producit, duplicata sc. liquida. Vid. Heins. ad Hor. Sat. I, 3, 40. et not. ad Her. V, 94. Met. IV, 366. *polypus* prima producta.

549. *Messenia*, a Messene quae est urbs Peloponnesi meridionalis. — Goth. 2., Bas. 2. 3. et pauci Heins. *Messania*.

550. De *Elide* v. V, 494. — *Pylonque* Medic. chart. et unus Mor. — Reliqui plerique cum vett. edd. *Pylumque*. Pauci *Polynque*. Ceterum vindictae illius causa varie narratur ab auctoribus. Hom. Il. XI, 691. 280. II, 336. Ael. V. H. IV. c. 5. Apollod. et Hyg. d. l. — *immeritas*. V, 237.

551. *flammasque*. Nonnulli ex melioribus (?) Heins. *flammamque*. Lucan. VII, 261. *patriam ferro flammisque petistis*. Sed exemplis nihil opus est.

552. Bas. 4. *intulit*.

553. *Nelidae*, Nelei, qui fuit filius Neptuni, filii sunt fratres Nestoris. In animo habuit Hom. Il. II, 692.

Δώδεκα γὰρ Νηλῆος ἀμύμονες υἱέες ἦμεν,
Τῶν δ' οἶος λιπόμην, οἱ δ' ἄλλοι πάντες ὄλοντο.

Conf. Apollod. l. c. 9. — *Nelidae* est conjectura Heinsii. Sic etiam *Pelidae*. Veteres libri *Neleidae*. — *conspecta*, conspicua. V. 467. IV, 796. — 754. *me minus uno*, minus me uno. Cic. Verr. I. c. 45. *uno signo ut sit minus*.

Mira Periclymeni mors est, cui posse figuras
Sumere quas vellet rursusque reponere sumtas
Neptunus dederat, Neleï sanguinis auctor.
Hic, ubi nequicquam est formas variatus in omnes,
Vertitur in faciem volucris, quae fulmina curvis
Ferre solet pedibus, divûm gratissima regi.
Viribus usus avis pennis rostroque redunco
Hamatisque viri laniaverat unguibus ora;
Tendit in hunc nimium certos Tirynthius arcus,
Atque inter nubes sublimia membra ferentem
Pendentemque ferit, lateri qua jungitur ala.
Nec grave vulnus erat; sed rupti vulnere nervi
Deficiunt motumque negant viresque volandi.
Decidit in terram non concipientibus auras
Infirmis pennis, et qua levis haeserat alae,
Corporis affixi pressa est gravitate sagitta,
Perque latus summum jugulo est exacta sinistro.
Num videor debere tui praeconia rebus
Herculis, o Rhodiae ductor pulcherrime classis?
Nec tamen ulterius, quam fortia facta silendo,
Ulciscar fratres: solida est mihi gratia tecum.“

556. *posse sumere*. Conf. II, 483.

557. *dederat sumere*. Vid. ad I, 486. — De fabula vid. Apollod. I. c. 9. — De dictione *sumere sumtas* vid. ad I, 33.

559. *variatus*. Cant., Dresd., Goth. 2., Ox., Par. 1. et XX Heins. *versatus*. Sed scriptura vulgata elegantior est. Pugnans cum Hercule fiebat modo leo, modo anguis, modo apis. Apollod. l. l. Sed trajectus est Palladis monitu ab Hercule, cum sumta apis forma currui ejus insideret.

560. *volucris quae - regi*, aquilae. X, 158.

562. *redunco*. Arond., VI Heins. et margo ed. Vinc. *reducto*. Pal. 2. et VIII alii Heins. *recurvo*. — Pro *pennis* Par. 1. et ed. pr. *pedibus*. Male. Sequitur enim *unguibus*, et aves rapaces alis quoque ferire praedam constat.

564. Nonnulli Heins. et ed. pr. *in hanc*. Perperam. Est enim versus 564. apodosis versuum 562. et 563., in quibus legitur *usus* genere masculino. *In hunc* exhibent Par. 1. 2., plurimi Heins. et reliqui codd. et edd. Venn. — *Tirynthius*. Vid. VI, 112.

565. *sublimia membra ferentem*, alte volantem.

566. *lateri qua jungitur ala*. Conf. v. 315. 471.

568. Quidam Heins. *volanti*.

569. *non concip. auras*. Conf. VIII, 228. Quint. I. O. XI. c. 3. *ventum concipere veste*.

570. Junge: *et sagitta, qua levis* (leviter) *haeserat alae, gravitate* (gravi lapsu) *corporis affixi pressa i. e.* impressa *est*. Huc pertinet Lucan. III, 723 seqq.

Excipit haec (tela) *juvenis generosi sanguinis Argus,*
Qua jam non medius descendit in ilia venter,
Adjuvitque suo procumbens pondere ferrum.

Quidam Heins. et edd. Venn. *quae*.

572. *exacta est*. Conf. V, 139.

573. *num*. Sic tacite edidit Heinsius, quod codd. Viv., Bas. 2., Berol., Vrat. et edd. Venn. tuentur. — Cod. Bersm. et Zwicc. *non*. Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Rhen., Lips. 2. et ed. pr. cum vulg. *nunc*. parum eleganter.

574. *ductor*. II Bersm., Goth. 1., Par. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat., Zwicc., plurimi Heins. et ed. pr. *rector*. Reliqui omnes *ductor*, quod exquisitius est. Hom. Il. II, 653.

Τληπόλεμος δ' Ἡρακλείδης, ἠΰς τε μέγας τε,
Ἐκ Ῥόδου ἐννέα νῆας ἄγεν Ῥοδίων ἀγερώχων.

575. *nec tamen*. Edd. Venn. cum vulg. *ne tamen*. Scriptura *nec tamen* praeter sensus bonitatem confirmatur etiam Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Par. 2., Lips. 2. et Zwicc., qui v. 576. habent *ulciscor*, quod verum videtur.

576. *solida*, vera, firma. Cic. Tusc.

Haec postquam dulci Neleïus edidit ore;
A sermone senis, repetito munere Bacchi,
Surrexere toris; nox est data cetera somno.
At deus, aequoreas qui cuspide temperat undas,
In volucrem corpus nati Stheneleïda versum
Mente dolet patria, saevumque perosus Achillem
Exercet memores plus quam civiliter iras.
Jamque fere tracto duo per quinquennia bello,
Talibus intonsum compellat Sminthea dictis:
„O mihi de fratris longe gratissime natis,
Irrita qui mecum posuisti moenia Trojae,
Ecquid, ubi has jam jam casuras adspicis arces,
Ingemis, aut ecquid tot defendentia muros
Millia caesa doles? Ecquid, ne persequar omnes,
Hectoris umbra subit circum sua Pergama tracti,

III. c. *Est enim gloria solida quaedam res, non adumbrata.*

577. *dulci - ore*, alludit ad versum Homeri, quem supra ad v. 178. apposuimus.

578. *a sermone*, post sermonem. III, 273. — *repetito munere Bacchi.* Vid. v. 156.

580. *Neptunus indignatus Cygnum filium ab Achille esse occisum* (71 — 145.), *permovet Apollinem, ut Achillis caedem adjuvet et Achilles ope Apollinis a Paride occiditur. De armis ejus contentio oritur inter Ajacem et Ulixem.* Hyg. F. 107. Vid. ad XIII, 1.

580. *deus - undas*, Neptunus. Vid. v. 197. — *triplici cuspide*, tridente. I, 283. 339. Ceterum haec cohaerent cum v. 144.

581. *in volucrem - versum*, quod filius in avem Stheneleïda h. e. in avem in quam Stheneli filius ante (II, 367 seqq.) mutatus fuerat, versus esset. Verterat quidem ipse, sed coactus saevitia Achillis. — Ceterum ut h. l. *volucris Stheneleis*, sic Fast. III, 793. *Lycaonis Arctos*, in quam Callisto, Lycaonis filia, versa. Atque nunc ita locutus esse videtur, quia patronymicis distingui solebant duo illi Cygni. — Cod. Bersm., Berol., Pal. 2., quidam alii Heins., Vat. et alii Ciof., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Zwicc., Vrat. et edd. vett. *Cygneida.* Codd. Viv. *Cygneida* vel *Phaëthontida*, posterius habent etiam plerique Heins., unus Bersm. et Goth. 2. — Rhen., unus Bersm. et vulg. *Stheneleida.* Scripturae *Cygneida* et *Phaithontida* ex interpretationibus ortae videntur.

583. *plus*, magis. — *plus quam civiliter*, immoderate. Trist. III, 8, 41. Augustus offensas suas non ense vindicat, sed *odio civiliter utitur.* Cf. Tr. IV, 4, 13. *Civilis* enim est, qui ita agit, ut ceteros quoque cives esse aequalique jure uti meminerit. — *memores iras.* Conf. IX, 127. XIV, 477. 240. Virg. Aen. I, 4. *saevae memorem Junonis ob iram.* — *exercet*, alit, agitat.

585. *Sminthea. Smintheus* Apollo appellatus esse dicitur a Smintho, Troadis urbe. Vid. interpp. ad Hom. Il. I, 39. Usus igitur nunc hoc nomine est, quia res ad Trojam agitur. — Dresd., Rhen., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat., codd. Ciof. omnes, Berol. et ed. pr. *Cynthia* v. *Cintia.* Perperam. — *intonsum.* Vid. ad I, 564. et III, 421. et Tib. I, 4, 37.

586. *de fratris - natis.* Erat Apollo filius Jovis et Latonae (I, 517.), itaque Neptuni consobrinus.

587. *qui mecum etc.* Vid. XI, 202 seqq. *Irrita* autem *moenia*, quia labor iis impensus jam jam casuris irritus fiebat. *Gier.* Conf. v. 593.

588. *ecquid ubi.* Alter Bersm., Jur., Par. 1. et III Heins. *ecquid ut*, quod Heinsius et l. l. et multis aliis invitis codd. prave novavit. Vid. ad Her. XV, 1. et ad Trist. III, 3, 47. — Scripturam *has jam jam cas.* tuentur vett. exemplaria Mar. Accursii, mss. melioris notae apud Farnab., II Bersm., Medic., Dresd., Farn., Goth. 2., Pal. 2., Rhen., Vrat., unus Sulm., Vat. Ciof. et haud dubie multi quoque Heins. et ed. pr. — Codd. Viv. *has jam am cas.* vel *Iliacas.* Par. 2. *ubi Asiam et cas.* Lips. 2. *ubi ab Asia cas.* Goth. 1., Zwicc. et unus et alter Ciof. et edd. Venn. *ubi Asiacas.* Parum eleganter. Certe illud *has*, cum additum sit *adspicis*, aptissimum est.

591. *Pergama*, alterum s. tertium nomen urbis Trojae; nam etiam Ilium

Cum tamen ille ferox belloque cruentior ipso
Vivit adhuc, operis nostri populator, Achilles?
Det mihi se: faxo, triplici quid cuspide possim,
Sentiat. At quoniam concurrere cominus hosti
Non datur: occulta necopinum perde sagitta!“
Annuit, atque animo pariter patruique suoque
Delius indulgens, nebula velatus in agmen
Pervenit Iliacum, mediaque in caede virorum
Rara per ignotos spargentem cernit Achivos
Tela Parin, fassusque deum „Quid spicula perdis
„Sanguine plebis?“ ait. „Si qua est tibi cura tuorum,
„Vertere in Aeaciden caesosque ulciscere fratres!“
Dixit, et, ostendens sternentem Troïca ferro
Corpora Peliden, arcus obvertit in illum,
Certaque letifera direxit spicula dextra.
Quod Priamus gaudere senex post Hectora posset,
Hoc fuit. Ille igitur tantorum victor, Achille,
Victus es a timido Grajae raptore maritae!

vocabatur. – De illo *subit* conf. II, 755. — Cum Achilles Hectorem in certamine occidisset, pedibus currui alligatum circa muros Trojae (Virg. A. I, 483. Eurip. Androm. 107.)[1], vel Homero auctore (Il. XXIV, 15.) circa Patrocli sepulcrum raptavit. Gron. *rapti;* plures Heins. etiam *sua moenia.*

592. *cum tamen.* Nonnulli Naugerii libri, boni codd. apud Const. Fanens., Cael., unus Vat. Ciof. et III Heins. *cur tamen.* Alii (?) Naugerii *et tamen;* non male. Sed codicum auctoritas audienda est.

593. *vivit.* IV Heins. *vivat.* — *operis nostri,* muri a nobis structi. Cf. XIII, 655.

594. *det mihi se,* i. e. mari se credat, committat. Conf. v. 101. XIII, 331. — *triplici cuspide.* V. 580. et I, 330. — *faxo sentiat.* Conf. III, 271. *faxo, faxim* antique pro *faciam, fecerim.*

596. *non datur.* Nam Apollinis arma arcus et sagittae.

597. *animo indulgens,* obsequens irato impetui animi. *Gier.* Thu. et IV alii Heins. *patruoque,* quod illa auctoritate edere non sum ausus. Vid. ad XI, 328.

600. *per ignotos,* per ignobiles et gregarios. — *rara.* Ignavus enim ab Homero Paris describitur; itaque Naso eum apud ignotos et gregarios pugnantem, et insuper *rara* tela mittentem facit. Flor. *gnara.* — *spargere tela,* ut *spargere fulmina* I, 253. *spargere glandes funda* Claudian. VI, 50.

601. *Parin.* Vid. v. 4. — Ad illa *fassus deum* conf. III, 2.

603. *Aeaciden.* Vid. 82. — *fratres,* Hectorem et reliquos.

604. *Troïca.* Cal., alter Hamb. et Rhen. *Troïa,* quam formam Heinsius et hoc loco et multis aliis Nasoni obtrusit. Vid. ad Her. I, 28.

605. *arcus obvertit in illum.* Vid. Virg. Aen. VII, 57. Conf. Hom. Il. XXII, 359. et Hyg. F. 107.

607. *quod Priamus gaudere posset.* Priamus enim ex Achillis morte maximum capere gaudium debebat ob Hectorem filium interfectum. — *senex* solemne Priami epitheton. Vid. not. ad Her. I, 34. — *post Hectora,* post Hectora ab Achille occisum. — Ceterum rei eventum sententia declarat, quam valde commendabat Vinicius, summus amator Ovidii. Senec. Controv. V. c, 33. — *quod.* Ita Seneca l. l., codd. Bas. 1., Heinsii plus XL, Berol., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat. et Zwicc. — Reliqui, qui perpauci sunt, cum vulg. *quo.* Vid. VII, 720.

608. Dresd., Rhen. et Zwicc. *hoc fuit unum, Igitur* ex glossa.

609. *Grajae raptore maritae,* quam habebat maritam post raptum, ut v. 5. *rapta cum conjuge. Gier.* Unus Heins. *juvencae,* quod placebat Burmanno. Vid. v. 4 seqq. — Erf. 1., Rhen., Par. 2., Zwicc., VI Heins. et ed. pr. *vinceris.* Pal. 2. et nonnulli Heins. *vincitur.* Par. 1. et reliqui omnes cum edd. Venn. *victus es,* quod non mutandum erat.

At si femineo fuerat tibi Marte cadendum,
Thermodontiaca malles cecidisse bipenni.
Jam timor ille Phrygum, decus et tutela Pelasgi
Nominis, Aeacides, caput insuperabile bello,
Arserat: armarat deus idem, idemque cremarat;
Jam cinis est, et de tam magno restat Achille
Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.
At vivit, totum quae gloria compleat orbem.
Haec illi mensura viro respondet, et haec est
Par tibi, Pelide, nec inania tartara sentit.
Ipse etiam, ut, cujus fuerit, cognoscere possis,
Bella movet clypeus, deque armis arma feruntur.
Non ea Tydides, non audet Oïleus Ajax,
Non minor Atrides, non bello major et aevo

610. *femineo Marte*, in proelio cum femina, h. e. cum ignavo et imbelli. Cf. Hor. Od. I, 15, 13 seqq. et Met. XII, 379. et XIII, 275.

611. *Thermodontiaca – bipennis* est bipennis Penthesileae reginae Amazonum, quae Trojanis auxilium tulerant et ad Thermodontem Ponti fluvium habitabant. *Bipennis* s. securis autem proprium Amazonum telum. Hor. Od. IV, 4, 20. Q. Cal. I, 157. Justin. II. c. 4. *cujus* (Penthesileae) *Trojano bello inter fortissimos viros, quum auxilium adversus Graecos ferret, magna virtutis documenta exstitere.* Vid. Heyn. ad Virg. A. I, 490. Scripturam *Thermodontiaca*, quam tacite edidit Heins., confirmant cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Dresd., Lips. 2. — Vrat., Goth. 2. et vett. edd. cum vulg. *Thermodoontiaca*. Male. — „Etiam Amazonum auxilium post Homerum a poetis assumtum in belli Trojani historiam. Heyn. ad Virg. d. l.“ *Gier.*

612. *Phrygum*, Trojanorum. Vid. 70. — *Pelasgi nominis*, Pelasgorum h. e. Graecorum. Vid. v. 7.

614. *armarat*. Argutatur iterum suo more Naso. *Armarat* Achillem Vulcanus fabricatis, matre ejus rogante, novis armis, postquam ipsius arma in potestatem venerant Hectoris; *cremarat* eum idem Vulcanus (nam *Vulcanus* etiam pro *igne* est.) in rogo. Hom. Od. XXIV, 57 seqq. Q. Calab. III.

615. *et de tam magno etc.* Prop. II, 9, 13.

— — *et tanti corpus Achillei*
Maximaque in parva sustulit ossa manu.

Conf. Tib. IV, 11, 14.

616. *non bene*, vix satis, vel vix totam. — Codd. Heinsii fere omnes, Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Zwicc., Vrat. et ed. pr. *nescio quid parvum*, quod ferri quidem potest; sed altera scriptura concinnior est, et ipsa quoque positione commendatur.

618. *haec mensura*, sc. totius orbis. — *respondet*, congrua est.

619. „*nec* (ut manes tui) *inania tartara sentit.*“ — Flor. *par sibi Pelides. Pelides* etiam Erf. 2., Medic. 4., cod. Bersm., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 2. et multi ex vetustioribus Heinsii. — Reliqui *par tibi Pelide*, optima sententia. Heinsii inutilis conjectura est *par sibi Pelides*. Her. XV, 33. Sappho:

Sum brevis; at nomen, quod terras impleat omnes,
Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.

nec inania tartara sensit, nec tartara sentit, ubi sunt manes inanes.

620. *possis*. Ita Berol., Rhen., Vrat., meliores Heins., ed. pr. et ed. Ven. 2. Vulgo *posses*, quod et ipsum ferri potest.

621. *bella movet*, causam et materiam contentionis praebet. — Cod. Bersm., Bas. 1., Medic. 1., Par. 1., Vat. 1. et III Heins. *proque armis.* — *de armis arma feruntur.* Ludit iterum suo more.

622. *Tydides*, Diomedes filius Tydei, qui cum ipsis dis pugnarat eosque devicerat. — *Oïleos Ajax*, Ajax Oïlei f. — Rhen., exc. Cal. et margo ed. Bas. *Oïleos*. Reliqui omnes cum vett. edd. formam Latinam tuentur, quae mihi vera videtur.

623. *minor Atrides*, Menelaus rex Spartae, maritus Helenae, aetate minor Atrei filius et frater Agamemnonis, qui natu major et fortior bellique dux erat.

Poscere, non alii; soli Telamone creato
Laërteque fuit tantae fiducia laudis.
A se Tantalides onus invidiamque removit,
Argolicosque duces mediis considere castris
Jussit, et arbitrium litis trajecit in omnes.

624. *Telamone creato*, Ajaci qui filius erat Telamonis Salaminae regi et praeter Achillem fortissimus exercitus Graecorum bellator.

625. *Laërteque*. Rhen. *Laërtaque*. Farn., nonnulli Heins., Bas. 1., Pal. 2. *Laërteque*. Neap. pro v. l. *et Laërta*. Reliqui omnes *Laërtiadaeque*, quod vix ferendum propter duarum priorum syllabarum in unam contractionem (vid. XIII, 48.), quae apud Nasonem fere sine exemplo est. — *fuit tantae fiducia laudis*, fidenter insignem illam laudem appetebant.

626. *Tantalides*, Agamemnon, cujus pater Atreus filius fuit Pelopis itaque nepos Tantali. VI, 146 seqq. — *invidiam*, odium judicii illius, utrius arma Achillis, Ajacis an Ulixis forent.

627. *Argolicosque*. Vid. v. 149. — Il Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Zwicc., Lips. 2. et ed. Ven. 2. *consistere*. Male. Conf. XIII, 1. et XI, 157.

628. *trajecit*, transtulit. — Berol., Dresd., Goth. 1. et Lips. 2. et haud dubie multi quoque Heinsii et alii *transjecit*. De re vid. ad XIII, 1.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER TERTIUS DECIMUS.

Consedere duces et, vulgi stante corona,
Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Ajax.
Utque erat impatiens irae, Sigeïa torvo
Litora respexit classemque in litore vultu,
Intendensque manus „Agimus, pro Jupiter!“ inquit

1. *Ajax et Ulixes apud judicium totius Graecorum exercitus de Achillis armis contendunt, qui cum ea Ulixi addixisset, Ajax furore et insania correptus ipse sibi mortem conscivit, e cujus cruore flos hyacinthus ortus est.* Hom. Odyss. XI, 540 seqq. Quint. Calab. V, 180 seqq. Conf. Sen. Controv. II. c. 10. Hyg. F. 107. Antisthenis Declamat. I. et II. Fabulas de eo argumento scripserunt Aeschylus, Pacuvius, Attius et Pomponius secundus. Auctore Senec. Controv. II. c. 10. Naso nonnulla sumsit a M. Porcio Latrone praeceptore suo, qui et ipse armorum judicium scripserat.

1. *Consedere duces*, sc. in judicium. Vid. XII, 626 — 628. et conf. VI, 72. V, 316. 317. — *corona* de adstante vel circumstante audiendi causa multitudine. Cic. de Nat. D. II. c. 1. *corona tibi et judices defuerunt.*

2. *surgit ad hos.* Homerica oratio Τοῖσι δ' ἀνέστη. — Clypeus Ajacis septem boum coriis obductus, et tantus erat, ut totum hominem tegeret. Hom. Il. VII, 219.

Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε, φέρων σάκος, ἠΰτε πύργον,
Χάλκεον ἑπταβόειον,

Art. A. III, 112.

Cui (Ajaci) *tegimen septem terga fuere boum.*

Conf. infra v. 347. et XII, 97.

3. *utque erat impatiens irae*, statum atque habitum declarat. Cf. v. 585. XII, 258. IV, 474. VIII, 613. Liv. V. c. 35. *Galli flagrantes ira, cujus impatiens gens est.* — *Sigeïa litora.* Sigeum promontorium Troadis (XII, 71.), ad quod Graecorum exercitus appulit, et ubi castra habuit.

4. *respexit*, vultu a judicum consessu ad litora converso. — Fragm. Boxh., Bas. 1., Mor. 1. et edd. Venn. *prospexit.* Male. Codd. Viv. *respexit* vel *prospexit.* Reliqui fere omnes cum ed. pr. *respexit.* *Jahn.* Ante naves maximam virtutem probarat; nam solus, ne castra et naves ab Hectore (v. 91. et II. XV, 220 seqq. et XVI.) incenderentur, prohibuerat. Inde etiam torvo vultu naves *respiciebat.* Quint. Inst. Or. V. c. 10. 41. *Locus ad commendationem quoque et invidiam valet. Nam et Ajax apud Ovidium: ante rates, inquit, agimus causam.* — De dictione *et mecum conferetur* (q. e. se confert) *Ulixes* conf. v. 338. XII, 470.

5. Goth. 1. 2., Zwicc., Dresd. et vett. edd. *proh.*

„Ante rates causam; et mecum confertur Ulixes!
At non Hectoreis dubitavit cedere flammis,
Quas ego sustinui, quas hac a classe fugavi!
Tutius est igitur fictis contendere verbis,
Quam pugnare manu! Sed nec mihi dicere promtum,
Nec facere est isti; quantumque ego Marte feroci
Inque acie valeo, tantum valet iste loquendo.
Nec memoranda tamen vobis mea facta, Pelasgi,
Esse reor, vidistis enim; sua narret Ulixes,
Quae sine teste gerit, quorum nox conscia sola est.
Praemia magna peti fateor; sed demit honorem
Aemulus: Ajaci non est tenuisse superbum,
Sit licet hoc ingens, quicquid speravit Ulixes.
Iste tulit pretium jam nunc certaminis hujus:
Quod, cum victus erit, mecum certasse feretur.
Atque ego, si virtus in me dubitabilis esset,
Nobilitate potens essem, Telamone creatus,
Moenia qui forti Trojana sub Hercule cepit,
Litoraque intravit Pagasaea Colcha carina.
Aeacus huic pater est, qui jura silentibus illic

6. Scripturam *Ulixes*, quam Heinsius tacite edidit, ubique codd. Ciof., Dresd., Goth. 1. 2., Pal., Rhen., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et ed. pr. confirmant. In reliquis edd. vett. solet *Ulysses* scribi. *Jahn.*

8. Gron. 1. et II alii Heins. *removi.*

9. *fictis verbis.* Ulixis astutiam et vim dicendi contemtim respicit. — Heinsius tacite edidit *fictis igitur*, quod Rhen. (?) exhibet. Reliqui *igitur fictis.* — *tutius est*, magis ac certius ad gloriam ducit, majorem successum habet.

10. *nec mihi dicere promtum* etc. Eodem modo Hercules IX, 29. 30., Tydeus apud Euripid. Phoen. v. 603., Marius apud Sallust. Jug. 85. 31.; nam *dicere* est bene ac diserte dicere.

12. *inque acie.* Berol., Dresd. et Neap. *quantum acie.* Goth. 2. et V Heins. *quamque acie.* Reliqui omnes cum vett. edd. *inque acie*, quod genuinum mihi videtur, tum propter summam auctoritatem, quam habet, vetustatis, tum quod *Marte feroci* et *acie* de eadem re dicta sunt. *Quantum* ex interpretatione ortum videtur. De positione praepositionis conf. VIII, 59. Vid. XI, 349. XV, 154, et not. ad Trist. IV, 10, 119.

13. *Pelasgi.* Vid. ad VII, 133. — *memoranda*, enumeranda, recensenda.

15. *quorum nox etc.* Vid. ad v. 98. et 100. Id Ulixes infra in laudem suam vertit, sed iratus Ajax callida consilia pro ignavi animi indicio habet. *Gier.*

17. Olim cum nonnullis codd. male post *Ajaci* interpungebatur. — *Ajaci* cum vi pro *mihi.* — *non est superbum*, nulla gloria est, non est, cur superbiat. — *tenuisse*, obtinuisse, quod Ulixes speravit.

19. *iste* cum contemtu dictum, idque exhibent cod. Bersm., Berol., Goth. 1., Rhen., unus Sulm., Vrat., meliores Heins. et ed. pr. — Pal. 2. et vulg. *ipse.* Codd. Viv. *iste* vel *ipse.*

20. *quod.* Fragm. Boxh., Flor., Goth. 1. et Rhen. *quo.* — Berol., Dresd., Capr., Sulm. 1. 2., multi Heins. *qui.* Cod. Bersm., Goth. 2., Par. 1. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et reliqui cum ed. pr. et vulg. *quod.* Hae tres scripturae ad sententiam aptae sunt. Sed scriptura *quod* magis perspicua ac simplicior est et majorem habet auctoritatem codicum. — De sententia vid. ad IX, 6.

21. *atque* inservit transitioni. Vid. Clav. Cic.

22. *nobilitate potens essem*, valerem. v. 509. Conf. VIII, 56. X, 603. De nobilitate Aeacidarum vid. Isocr. Euag. — *Telamone creatus.* XII, 624.

23. *moenia - cepit.* Vid. ad XI, 211. 215. et IX, 232.

24. *Telamon* quoque unus Argonautarum fuit. Vid. ad XI, 211. et VII, 1 seqq. — *intravit litora* pro intravit portus.

25. „*Aeacus huic* (Telamoni) *pater est.*“ Vid. VII, 474 — 477. — Aeacus, Minos et Rhadamanthus a fabula judices

Reddit, ubi Aeoliden saxum grave Sisyphon urget.
Aeacon agnoscit summus prolemque fatetur
Jupiter esse suam. Sic a Jove tertius Ajax.
Nec tamen haec series in causa prosit, Achivi,
Si mihi cum magno non est communis Achille.
Frater erat: fraterna peto. Quid sanguine cretus
Sisyphio, furtisque et fraude simillimus illi,
Inseris Aeacidis alienae nomina gentis?
An, quod in arma prior nulloque sub indice veni,
Arma neganda mihi, potiorque videbitur ille,
Ultima qui cepit detrectavitque furore
Militiam ficto, donec sollertior isto
Et sibi inutilior, timidi commenta retexit

inferorum finguntur. IX, 435 — 440. Heyn. Exc. XI. ad Virg. A. VI. — *silentibus*, silentibus umbris. V, 356. XV, 722. et 797.

26. *ubi - urget.* Circumscriptio tartari, in qua acerbissime significatur dubia Ulixis origo: cum fama esset, Anticleam eum non e Laërte marito, sed e versuto Sisypho (X, 44.), Aeoli filio (inde *Aeoliden*) peperisse. Serv. ad Virg. A. VI, 528. Hyg. F. 201. Atque acerbe igitur avo suo, Aeaco, Ulixis avum opponit. Et simul matris ejus pudicitiam dubiam reddit. De Sisyphi crimine ac poena vid. IV, 460. 466. Hyg. F. 60. 201. — *urget*, cum summa contentione volvit. IV, 460. — Stroz. et Barb. *Aeolides - Sisyphos urget*, e IV, 460. — IV, 499.

Aut petis aut urges ruiturum, Sisyphe, saxum.

27. Conf. VII, 614 seqq. — Scripturam *agnoscit* cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Par. 1. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc., plerique Heins. et ed. pr. tuentur, quae rectior est, ut praesens sit inter praesentia. Vulgo *agnovit*.

28. *a Jove.* Bas. 1., Goth. 2., Pal. 2., Rhen., Vat. 1. et ed. pr. *ab Jove.*

29. *in causa.* Ita Heins. vetustiores plerique, Dresd., Goth. 2., Par. 1. 2., Rhen., Bas. 2. 3., Lips. 2., Vrat. et Zwicc. — Vulg. *in causam*, quod et ipsum h. l. dici potest.

30. „*si* (ea sc. series) *mihi cum - communis.*“ — Zwicc. et nonnulli Heins. *sit.*

31. *frater*, h. e. frater patruelis (V. 41. I, 352.); Peleus enim, Achillis pater, et Telamon Ajacis pater fratres erant, et filii Aeaci. VII, 476. Inde v. 33. *Acacidis* pro genere s. domo Aeaci. Tac. Annal. VI. c. 2. *ignobilitatem suam magnis nominibus inserit.*

33. Erf. 1. 2., Goth. 2., unus Heins., exc. Lang., Rhen. et unus Voss. *inserit.* — *inseris*, metaphora ab insitione surculorum petita. Plin. Pan. c. 37. *impie his nominibus inseri publicanum.* Phaedr. III, 3. *insitivi liberi*, spurii.

34. Indignantis et irridentis animi est, rogare ne ea nobis obsint, quae prodesse nobis vel maxime in causa debent. Cf. infra v. 135. IX, 21. *Gier.* — *in arma*, ad bellum Trojanum. Iterum acerbe notat Ulixen. Hyg. F. 95. *Cui erat responsum, si ad Trojam isset, post XX. annum solum, sociis perditis, egentem domum rediturum. Itaque cum sciret ad se oratores venturos, insaniam simulans, pileum sumsit et equum cum bove junxit ad aratrum. Quem Palamedes* (Nauplii f.) *ut vidit, sensit simulare etc.* — Ulixes iratus in castris apud Trojam Palameden, abscondito ante in ejus tentorio auro, accusavit, quod auro a Priamo corruptus esset, causaque fuit, ut is insons a Graecis lapidibus occideretur. — Hinc *sibi inutilior*, quod illo judicio vitam amisit. Vid. v. 56 seqq. 308. Cic. Offic. III. c. 26. Hyg. F. 105. Quint. Sm. V, 198. Serv. ad Virg. A. II, 81. Homerus hujus rei mentionem non fecit. Adeo multa rebus Trojanis addiderunt posteriores poetae. — *sub indice. Sub* h. l. causam efficientem notat.

37. *sollertior*, callidior.

38. *et sibi.* Berol. et unus Leid. *sed*, quod Nasonis rationem et dicendi usum parum respiciens prave recepit Heinsius. XI, 126. *divesque miserque.* XIII, 45. *fortis et infelix*, ubi vid. not. – *sibi inutilior*, q. e. suae saluti minus consulens, dicitur Naupliades s. Palamedes, quia ut modo memoravimus, detecta Ulixis fraude ejus odium et ultionem expertus est.

Naupliades animi vitataque traxit ad arma?
Optima nunc sumat, qui sumere noluit ulla;
Nos inhonorati et donis patruelibus orbi,
Obtulimus quia nos ad prima pericula, simus!
Atque utinam aut verus furor ille aut creditus esset,
Nec comes hic Phrygias unquam venisset ad arces
Hortator scelerum: non te, Poeantia proles,
Expositum Lemnos nostro cum crimine haberet.
Qui nunc - ut memorant -, silvestribus abditus antris,
Saxa moves gemitu, Laërtiadaeque precaris
Quae meruit: quae, si dî sunt, non vana precaris!
Et nunc ille eadem nobis juratus in arma,
Heu, pars una ducum, quo successore sagittae
Herculis utuntur, fractus morboque fameque,
Velaturque aliturque avibus, volucresque petendo

39. *vitataque.* „et ad bellum, quod vitabat, traxit.“ — Jur. et VI Heins. *in arma*, quod temere recepit Heinsius, cum praesertim *arma* h. l. fere proprie capienda sint, ut patet versu sequenti. Her. III, 136.

Sic eat auspiciis Pyrrhus ad arma tuus.

Tib. I, 10, 13. *nunc ad bella trahor.*

41. *patruelibus*, patruelis; nam Ajacis et Ulixis patres erant fratres. Vid. ad v. 31.

42. *quia.* Heinsius mera libidine mutandi cum Vrat. et III aliis codd. et ed. pr. dedit *qui;* nam illud nunc non quaeritur, an *qui* h. l. poni possit. Scriptura *qui* autem orta videtur e v. 39. — *ad prima pericula*, primi nos ad pericula. — *sumat - simus* oratio exclamantis est.

43. *aut verus.* Berol., Medic. et Voss. prius *aut* omittunt. — *furor*, simulatio illa insaniae. Vid. 36. Ceterum *utinam — scelerum* efficiunt protasin, et *non te — haberet*, apodosin. Vid. III, 549 — 552. et not. ad Her. I, 5.

44. *Phrygias*, Trojanas. X, 155.

45. *hortator scelerum* efficit transitionem ad novam Ulixis criminationem, ac repetitum est e Virg. A. VI, 529. Cum enim Philoctetes, filius Poeantis (inde *Poeantia proles*), qui Herculis arcum possidebat (IX, 232.), in expeditione adversus Trojam a serpente morsus esset, indeque foedum vulnus accepisset, Ulixis consilio in Lemno, insula deserta, expositus miseraeque sorti relictus est. Conf. Hyg. F. 102. Quint. Cal. IX, 352 seqq. Cic. Tusc. II. c. 7. Fin. II. c. 29. V. c. 11. Sophocl. Philoct. Sed postea arcessitus est, cum in fatis esset, sine Herculis sagittis Trojam expugnari non posse.

47. *qui nunc – saxa moves gemitu.* Conf. VI, 546. 547. — Eleganter autem additum *ut memorant.*

48. *Laërtiadae.* Vid. ad v. 26.

49. *si dî sunt* (sc. *ut sunt*)... Conf. I, 377. — Berol., Gron., Hamb. 1., Medic. 4., Pal. 1., Par. 2., Rhen., Vat. Ciof. et VIII Heins. *si dî dent*, parum eleganti sententia: sed Heinsius tamen praetulit, qui etiam *preceris* dedit, quod perpauci exhibent: Bonon. 1., Jur., Mor. 1., Pal. 1., Patav. 1. et ed. Ven. 2. — Optime habet scriptura longe plurimorum vett. libb., ut Ajax non dubitet aut optet, sed affirmet; et Ovidius amat hujusmodi repetitiones.

50. *„et nunc ille* (Philoctetes), *in eadem nobis* (h. e. *in quae nos*) *juratus*, . .“ Cic. Fam. IX, 6. *quod non idem illis censuissemus.* Amor. I, 4, 1.

Vir tuus est epulas nobis aditurus easdem.

Macrob. Sat. I. c. 2. *Unde in servos tantum fastidium? quasi non ex iisdem tibi et constent et alantur elementis.*

51. *quo successore – utuntur*, quem successorem habent, qui successor est.

53. *velaturque aliturque.* Philoctetes per X annos in deserta illa insula venatione avium, quae eum supervolarent, sese aluit earumque pennis, ut Naso cum aliis refert, sese texit. Cic. Fin. V. c. 11. *Qui quum cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen vitam aucupio sagittarum; configebat tardus celeres, stans volantes, ut apud Accium est, pinnarum-*

Debita Trojanis exercet spicula fatis.
Ille tamen vivit, quia non comitavit Ulixen.
Vellet et infelix Palamedes esse relictus:
Viveret, aut certe letum sine crimine haberet.
Quem male convicti nimium memor iste furoris
Prodere rem Danaam finxit, fictumque probavit
Crimen, et ostendit quod jam praefoderat aurum.
Ergo aut exsilio vires subduxit Achivis,
Aut nece. Sic pugnat, sic est metuendus Ulixes!
Qui licet eloquio fidum quoque Nestora vincat;
Haud tamen efficiet, desertum ut Nestora crimen
Esse rear nullum; qui cum imploraret Ulixen
Vulnere tardus equi fessusque senilibus annis,
Proditus a socio est. Non haec mihi crimina fingi,
Scit bene Tydides, qui nomine saepe vocatum
Corripuit, trepidoque fugam exprobravit amico.
Adspiciunt oculis superi mortalia justis:
En, eget auxilio, qui non tulit, utque reliquit,
Sic linquendus erat: legem sibi dixerat ipse.
Conclamat socios: adsum, videoque trementem
Pallentemque metu et trepidantem morte futura;

que contextu corpori tegumenta faciebat. Conf. Quint. Smyrn. IX, 357. Sophocl. Philoct. 288 sqq. — Berol., Flor., Goth. 2., Medic. 3., Thu., Urb., Vat. 1., nonnulli Heinsii et edd. Venn. *venaturque,* manifesta librariorum ignorantia fabulae. Goth. 2. pro v. l., codd. Ciof. omnes, II Bersm. et reliqui *velatur,* quod est tegitur, vestitur.

54. *debita Trojanis fatis*, quae ad Trojam evertendam adhiberi deberent. IX, 232. Attius: *Ingemiscimus, Quod haec pennigero, non armigero in corpore Exerceantur tela.*

55. *comitavit.* Berol., Par. 1., Lips. 2., multi Heins. et ed. pr. *comitatus.* Par. 2., Pal. 2. et reliqui *comitatur.* Posterius non aptum sententiae. *comitatus* paullo durius. Itaque vera videtur scriptura *comitavit,* quam exhibent Flor. et unus Gron. — Alterae scripturae inde natae videntur, quod hoc verbum in modo agendi a vulgari consuetudine abhorret: sed Naso forma activa saepius utitur. VIII, 693. – Flor., unus Gron. et edd. Venn. *Ulyssem.* Reliqui *Ulixem,* de qua varietate supra dictum est.

57. *viveret - haberet* est apodosis.

58. „*nimium memor furoris* (ficti illius) *male* (summo ipsius opprobrio. II, 148. XI, 136.) *convicti*, manifesti.“ — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2. et Vrat. *ille.* Vid. ad v. 19.

60. *quod jam* (ipse Ulixes in tentorio ejus) *praefoderat.*

61. *exilio* sc. Philoctetae, *nece* sc. Palamedis.

63. *fidum* Nestora consilio dicit propter *desertum - nullum.* De Nestoris eloquentia dictum est supra, de Ulixis eloquentia vid. Hom. Il. III, 322.

64. Junge: „*ut rear, desertum* (ab eo in pugna) *Nestora crimen non esse.*“ Quum Graeci fulmine Jovis territi, fugerent, Nestor, qui et ipse fugeret, vulnerato equo relictus est, Hectore eum persequente. Diomedes periculum senis cernens, Ulixi clamabat, ut eum juvaret. Sed Ulixes Nestorem nihil curans fuga se ipse servavit. Il. VIII, 80.

67. *proditus* gravius quam *desertus.*

68. *Tydides*, Diomedes, Tydei filius. XII, 622.

69. *corripuit*, ut III, 565. De re vid. Hom. Il. VIII, 94.

71. *eget auxilio.* Ulixes quum vulneratus et ab hoste cinctus esset, ab Ajace et Menelao servatus est. Il. XI, 456 seqq. Atque haec invidiose h. l. narrantur.

72. *ipse.* Par. 2., Erf. 1. et X Heins. *istam. — legem sibi dixerat ipse*, conditionem ipse praescripserat, qua tractandus esset. *Gier.*

73. *conclamat socios.* Rem narrat Hom. Il. XI, 459 seqq.

74. Heinsius tacite edidit *ac*, quod libri veteres non confirmant.

Opposui molem clypei, texique jacentem,
Servavique animam - minimum est hoc laudis - inertem.
Si perstas certare; locum redeamus in illum:
Redde hostem vulnusque tuum solitumque timorem,
Post clypeumque late et — mecum contende sub illo!
At postquam eripui; cui standi vulnera vires
Non dederant, nullo tardatus vulnere fugit.
Hector adest secumque deos in proelia ducit,
Quaque ruit, non tu tantum terreris, Ulixe,
Sed fortes etiam: tantum trahit ille timoris.
Hunc ego sanguineae successu caedis ovantem
Eminus ingenti resupinum pondere fudi.
Hunc ego poscentem, cum quo concurreret, unus
Sustinui, sortemque meam vovistis, Achivi,
Et vestrae valuere preces. Si quaeritis hujus
Fortunam pugnae; non sum superatus ab illo.
Ecce, ferunt Troës ferrumque ignemque Jovemque

75. *molem clypei.* Hom. l. l. v. 485.

Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε, φέρων σάκος, ἤΰτε πύργον,
στῆ δὲ παρέξ· Τρῶες δὲ διέτρεσαν ἄλλυδις ἄλλος.

Conf. v. 2. — Ad illud *jacentem* conf. v. 80. — Apud Homerum etiam vulneratus fortiter pugnat et postea Menelaus eum manu ducit e proelio.

76. *minimum est hoc laudis.* Cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Lips. 2., Pal. 2., plerique (?) Heins. et ed. pr. *hic.* Mutandi causam non video. Nam utrumque h. l. ferri potest.

78. *redde*, restitue. Haec omnia acerbe et maligne dicta sunt. — Scripturam *hostem* tuentur Berol., Goth. 1., plerique meliores (?) Heins. et ed. pr. — Vulgo *hostes*.

82. *secum – ducit.* Narrat haec Hom. Il. XV, 222 sqq. 306 sqq. — *deos.* Apollo a Jove missus ante Hectorem incedebat, Graecosque terrebat, ut fugerent. — Verum non tum *ingenti pondere* i. e. saxo *fundebat*, ad terram dabat, Hectorem; sed hoc jam antea factum erat. Il. XIV, 409 seqq. Itaque Ovidius aut diversa miscuit aut alios auctores secutus est et quidem eosdem quos Dictys Cretensis libro II.

83. *Ulixe.* Goth. 1. *Ulixes.*

84. *timoris.* Goth. 2. et IX Heinsii *furoris.* Goth. 2. pro v. l., Par. 1. 2. et vulg. *timoris.* Cod. Viv. *timoris* vel *furoris.*

86. *eminus.* Dresd., Ox., Rhen., Bas. 1. 4. *cominus*, quod edidit Heinsius. Scriptura *eminus* mihi vera videtur, ut Ajax Hectorem et eminus et, quod statim sequitur, cominus vicisse dicat; atque ita vett. libri illis tribus exceptis omnes; nec repugnat Homerus, unde Naso haec sumsit. XIV, 408 sqq. — Dresd., Pal. 2., Lips. 2., unus Vat. Ciof. et permulti Heins. *vulnere*, turpi librariorum inventione.

87. *poscentem.* Cum Hector unum e Graecorum ducibus ad certamen singulare posceret sive provocaret, novemque e nobilissimis processissent ac sortirentur, exercitus precabatur, ut Ajacis sors exiret, quod factum est. Sed ambigua certantes victoria discesserunt. Rem narrat Hom. Il. VII, 67 seqq.

88. *vovistis*, ut IX, 675. XIV, 35. — Dresd., Par. 1., Rhen., Lips. 2., Pal. 2., Vrat. a 1. m., Zwicc., XXIV Heins. et vett. edd. *novistis*, e similitudine scripturae orta corruptio. Hom. l. l.

Ὣδε δέ τις εἶπεσκεν ἰδὼν εἰς οὐρανὸν εὐρύν·
Ζεῦ πάτερ, ἢ Αἴαντα λαχεῖν ἢ Τυδέος υἱόν,
Ἦ αὐτὸν βασιλῆα πολυχρύσοιο Μυκήνης.

89. *valuere. Valent preces* et *vota* (v. 128.), cum fit quod voveramus, precati eramus.

91. *ecce, ferunt.* Nova res, in qua Ajacis virtus eminuit. Hector Jovis auxilio primas castrorum Graecorum naves incenderat. Ajax acerrimum certamen sustinuit castraque servavit. Hom. Il. XV. — Scripturam *ignemque* tuentur cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Maff. 1. 2., Sulm. 1. 2., Vat. Ciof., Zwicc., multi Heins. et ed. pr., quae etiam elegantior est, quam reliquorum codd. scriptura *ignesque.* — *Jovemque*,

In Danaas classes: ubi nunc facundus Ulixes?
Nempe ego mille meo protexi pectore puppes,
Spem vestri reditus. Date tot pro navibus arma!
Quod si vera licet mihi dicere: quaeritur istis,
Quam mihi, major honor, conjunctaque gloria nostra est,
Atque Ajax armis, non Ajaci arma petuntur.
Conferat his Ithacus Rhesum imbellemque Dolona
Priamidenque Helenum rapta cum Pallade captum!
Luce nihil gestum est, nihil est Diomede remoto.
Si semel ista datis meritis tam vilibus arma;
Dividite, et pars sit major Diomedis in illis. —
Quo tamen haec Ithacò, qui clam, qui semper inermis
Rem gerit, et furtis incautum decipit hostem?

quia haec juvante Jove faciebat. Il. XV, 610 seqq.

92. *ubi nunc* in viva hac Ajacis oratione aptius est, quam *ubi tunc*, atque ita exhibent meliores Heins., Goth. 2., Par. 1., Vrat. et ed. pr. — Reliqui *ubi tunc*. Vid. not. ad Her. IV, 105.

93. *nempe*. Vid. not. ad II, 474. De re vid. Hom. Il. XV, 743 — 746. — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Pal. 2. et Lips. 2. *corpore*. Vulg. *pectore*.

94. *vestri*. Ox., V Heins. et ed. pr. *nostri*. *Vestri* h. l. multo elegantius: scilicet enarrat, quid ipsorum causa fecerit, ut ipsi arma sibi adjudicent.

94. *pro tot*. Heinsius tacite dedit *tot pro*, atque ita exhibent Berol., Dresd., Rhen., Lips. 2., Vrat. a 2. m., unus Maff. et unus Vat. Ciof. — Reliqui omnes, ut edidimus.

95. *istis*, ab istis armis: nam *quaeritur* h. l. est pro *paratur*.

96. *honor*. Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Vrat. et Zwicc. *honos*. Heinsius tacet.

97. Val. Max. VII. c. 5. *non Catoni praetura, sed praeturae Cato negatus est*.

98. *his*, sc. factis meis. — *Rhesum - Dolona*. Hanc rem narrat Hom. Il. X. Ulixes et Diomedes noctu egrediuntur, castra Trojanorum exploraturi. Doloni Trojano obvii, qui et ipse castra Graecorum exploraturus et Achillis equos pro mercede pactus erat, salutem promittunt, si statum castrorum Trojanorum proderet. Qui inter alia Rhesum Thraciae regem narrat modo advenisse et semotum a reliquis castra habere. Dolonem cum Diomedes occidisset, Rhesum in somno obruunt et ejus equos abducunt. — *imbellem* vocat, quia cum captus esset, pallidus et tremens auro aereque vitam redimere voluit, auctore Hom. Il. X, 314 seqq.

99. *Helenus* Priami filius vates fuit. XV, 438. Qui ab Ulixe noctu captus vaticinatus est, sine Philoctetis ope ac sagittis Trojam capi non posse. V. 55. IX, 252. Soph. Philoct. 398. 601 sqq. — *Pallas* h. l. intelligenda imago Palladis s. Minervae, etiam Palladium dicta, unde pendere fatum Trojae ferebatur. De coelo lapsam fama ferebat et ab Ulixe et Diomede noctu urbem ingressis clam ablata est. Euripid. Rhes. 501. Quint. Cal. X, 346. Apollod. III. c. 12. ibique Heyn. not. Virg. A. II, 164. Cf. infra v. 341 seqq. — Berol. *Helenon*. — Pro *rapta* multi Heins. *capta* v. *casta*. Cod. Bersm., Capr., Farn., Zwicc. *casta - captum*. — Cael. *casta - raptum*. — Dresd., Goth. 2., Par. 1. 2. et Lips. 2. *capta - captum*. Cod. Bersm. et Vat. Ciof. *rapta - raptum*. — Vulg. *rapta - captum*.

100. Heinsius tacite prius *est* omisit, quod abest a Rhen.

101. *si semel*. Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2. a corr., Par. 1. a 1. m., Zwicc. et permulti H. *si tamen*. Codd. Viv. *si semel* v. *si tamen*. Bas. 1. 2. 4. et reliqui *si semel*. Trist. III, 8, 13. *si semel optandum est*.

102. *et pars sit major*. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. et Rhen. *major pars sit*, quod Heinsius tacite edidit, sine justa causa. — *in illis*, illorum. Vid. v. 311.

103. *quo*, adverbium loci, pro *in quam rem*. Hor. Epist. I, 5, 12.

Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?

104. *furtis*, dolis et insidiis.

Ipse nitor galeae claro radiantis ab auro
Insidias prodet, manifestabitque latentem.
Sed neque Dulichius sub Achillis casside vertex
Pondera tanta feret, nec non onerosa gravisque
Pelias hasta potest imbellibus esse lacertis;
Nec clypeus, vasti caelatus imagine mundi,
Conveniet timidae nataeque ad furta sinistrae.
Debilitaturum quid te petis, improbe, munus?
Quod tibi si populi donaverit error Achivi;
Cur spolieris erit, non, cur metuaris ab hoste.
Et fuga, qua sola cunctos, timidissime, vincis,
Tarda futura tibi est, gestamina tanta trahenti.
Adde, quod iste tuus, tam raro proelia passus,
Integer est clypeus; nostro, qui tela ferendo
Mille patet plagis, novus est successor habendus.
Denique quid verbis opus est? Spectemur agendo!
Arma viri fortis medios mittantur in hostes,
Inde jubete peti, et referentem ornate relatis!"
Finierat Telamone satus, vulgique secutum
Ultima murmur erat; donec Laërtius heros
Adstitit, atque oculos paulum tellure moratos

105. *ipse nitor etc.;* Achillis enim galea ἀστὴρ ὡς ἀπέλαμπεν. Il. XIX, 381. Quint. Cal. V, 102.

106. *manifestare latentem*, facere ut in insidiis latens in oculos incurrat. *Gier.* Ox. et II alii Heins. *paventem.*

107. *Dulichius*, Ulixis; nam Dulichium parva insula prope Ithacam in mari Ionio sita, Ulixis imperio subjecta; unde ipse *Dulichius.* XIV, 226. Auctore tamen Homero alii regi serviebat.

109. *Pelias hasta - esse.* Rhen. et Bas. 2. *Pelias esse - hasta*, quod temere recepit Heinsius. De hac *hasta* vid. XII, 73. Tanti autem auctore Homero erat ponderis, ut nemo heroum praeter Achillem librare eam posset. Vid. 286. Hom. Il. XVI, 141 seqq.

Βριθὺ (sc. ἔγχος), μέγα, στιβαρόν· τὸ μὲν οὐ δύναθ' ἅλλος Ἀχαιῶν
πάλλειν, ἀλλά μιν οἷος ἐπίστατο πῆλαι Ἀχιλλεύς,
Πηλιάδα μελίην.

110. *clypeus* Achillis, Vulcani opus, in quo coelum cum sideribus et terra variique hominum labores ac studia expressa erant. Vid. v. 291 seqq. Conf. v. 684 seqq. — *caelatus imagine*, ut v. 684. *caelaverat argumento.* Hor. Epist. II, 2, 92. *Caelatumque novem Musis opus.* Conf. Met. II, 6.

111. *natae ad.* Vid. ad IX, 180. XV, 116. et 121.

116. *trahere* eleganter de pondere, quod tardat fugientem. Virg. G. IV, 94. de obeso: *latam trahens inglorius alvum. Gier.*

117. *passus*, quia passus est. - *adde quod - est.* Cf. II, 70. XIV, 684.

121. Seneca Controv. II. c. 11. de Ovidio: *Adeo autem studiose Latronem audivit, ut multas ejus sententias in versus suos transtulerit. In armorum judicio dixerat Latro: Mittamus arma in hostes et petamus. Naso dixit: arma viri fortis etc.* Simile quid Q Cal. V, 218 sqq. habet.

123. *finierat.* Conf. I, 566. XIV, 441.

124. *Laërtius heros.* Vid. 48. Conf. XV, 492. — *murmur* h. l. pro sermone multorum promiscue loquentium.

125. *adstitit*, i. q. supra v. 2. *surgit ad hos. — oculos p. tellure moratos*, expressum est ex Hom. Il. III, 216 seqq. Conf. XIV, 106. Quint. I. O. XI. c. 3. *Mire auditurum dicturi cura delectat, et judex se ipse componit. Hoc praecipit Homerus Ulixis exemplo, quem stetisse oculis in terram defixis immotoque sceptro, priusquam illam eloquentiae procellam effunderet.* Virg. A. VII, 249.

defixa Latinus
Obtutu tenet ora, soloque immobilis haeret,
Intentos volvens oculos.

Sustulit ad proceres, exspectatoque resolvit
Ora sono; nequé abest facundis gratia dictis.
„Si mea cum vestris valuissent vota, Pelasgi,
Non foret ambiguus tanti certaminis heres,
Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille.
Quem quoniam non aequa mihi vobisque negarunt
Fata:“ - manuque simul veluti lacrimantia tersit
Lumina - „quis melius magno succedat Achilli,
Quam per quem Danaïs magnus successit Achilles?
Huic modo ne prosit, quod, ut est, hebes esse videtur;
Neve mihi noceat, quod vobis semper, Achivi,
Profuit ingenium, meaque haec facundia, si qua est,
Quae nunc pro domino, pro vobis saepe locuta est,
Invidia careat, bona nec sua quisque recuset.
Nam genus et proavos et quae non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco. Sed enim quia retulit Ajax
Esse Jovis pronepos: nostri quoque sanguinis auctor
Jupiter est totidemque gradus distamus ab illo.

Cod. Bersm., Bas. 4., Cant. et X Heins. *moratus*.

127. *exspectato - sono*, dat. pro *in exspectatum sonum*. II, 282. I, 181.

128. *vota valuissent*, ut supra v. 89. *preces*.

130. *poteremur*. Antiqua verbi forma. Conf. VII, 156. IX, 60. X, 166. XI, 339. XIV, 641. 215. Rudimann. Gramm. Lat. I. p. 260. 278. Hanc formam tuentur multi Heins., unus et alter Ciof., Rhen. et ed. Ald. et ed. Ven. apud Priscian. — Cod. Bersm. et ed. Bas. *potiemur*. Priscian. VI, 18. 92. et VII, 2. 6., codd. Viv. omnes et Ciof. fere omnes et reliqui *potiremur*. Conf. Wakefield. ad Lucr. II, 506. — *potiri* autem hoc l. valet *uti*, *possidere*.

133. *succedat*. Ita Par. 1., alter Hamb., Ox. et IV alii Heins. et unus apud Bersm. – Vett. Heinsii magna ex parte, II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Zwicc. et vett. edd. *succedit*. Pal. 2. et reliqui *succedet*. Exspectanda accuratior collatio codicum est. Berol., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 2., Zwicc. et ed. pr. *melius magno*. et v. 134. *Danais magnus*. Reliqui Jahni *magno melius*, quod Heinsius tacite servavit. Prior scriptura majorem habet auctoritatem codicum, et apta sententiae est. Ludit autem poeta in dilogia illa verbi *succedere*, quod priori loco est *successorem s. heredem esse*, posteriori *accedere, sequi*. XI, 442. Voss. vertit: *o wer folgte mit Fug dem grossen Achilles, Als durch den Achilles dem Danaerhoere gefolgt ist?* Conf. v. 179. Repetitiones, quales *magno Achilli* et *magnus Achilles* Naso in deliciis habet. Vid. not. ad Trist. II, 255. 261.

135. *hebes*, destitutus ingenio et facundia, quam utramque Ulixis virtutem spreverat Ajax. Conf. v. 10. Vett. edd. interpungunt: *ut est hebes, esse v.*

138. *pro domino* sc. *suo* h. e. facundiae. I, 524. VI, 560. III, 501.

139. Construe: *nec sua quisque bona* (h. e. bona quae ipsi propria et sua sunt) *recusat* (in me). Scilicet quod facturus esset, si virtutes suas Ulixi damno esse pateretur.

140. *nam genus etc.* Et haec referuntur ad orationem Ajacis. Vid. v. 22 seqq.

142. *esse Jovis pronepos*, per attractionem quam vocant pro *se esse Jovis pronepotem*, quam verborum compositionem tritam et vulgarem in verbis *volo*, *cupio* et paucis aliis, poetae aureae aetatis, morem imitantes Graecum, extenderunt, unde postea in solutam quoque orationem transiit. Trist. II, 10.

Acceptum refero versibus esse nocens —

ubi vid. not. Conf. not. ad Met. I, 662. et VIII, 467. — De re conf. supra v. 22 seqq.

143. *totidem*, sc. quot Ajax, qui *ab Jove tertius*. Vid. 28.

Nam mihi Laërtes pater est, Arcesius illi,
Jupiter huic; neque in his quisquam damnatus et exul.
Est quoque per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas: deus est in utroque parente.
Sed neque materno quod sum generosior ortu,
Nec mihi quod pater est fraterni sanguinis insons,
Proposita arma peto; meritis expendite causam:
Dummodo, quod fratres Telamon Peleusque fuerunt,
Ajacis meritum non sit, nec sanguinis ordo
Sed virtutis honor spoliis quaeratur in istis.
Aut si proximitas primusque requiritur heres;
Est genitor Peleus, est Pyrrhus filius illi;
Qui locus Ajaci? Phthiam haec Scyronve ferantur.
Nec minus est isto Teucer patruelis Achilli.
Num petit ille tamen? Num, si petat, auferat arma?
Ergo operum quoniam nudum certamen habetur:

144. *Arcesius* filius Jovis, auctore Homero Od. XVI, 118

145. *neque in his - exsul*, ut tuus pater, qui, quum Peleo fratre adjutore Phocum fratrem occidisset, Salamina fugit. Apollod. III. c. 12. Supra XI, 266 seqq. minus accurate tradit, Phocum a Peleo interfectum, nulla Telamonis habita mentione.

146. *per matrem*. Mater Ulixis Anticlea filia fuit Autolyci, qui filius Mercurii et Philonidis vet Chiones esse ferebatur. Vid. XI, 312. Heyn. ad Apollod. I, 9, 16. Hom. Odyss. XI, 85. — De Mercurio *Cyllenio* vid. ad I, 713.

148. *sed neque - ortu*. Ajacis mater Glauce mortalis nec a deo genita, sed a rege Salaminio.

152. *sanguinis ordo*, ut supra v. 29. *series*,

153. *quaeratur*, respiciatur. — Goth. 2., Rhen., Lips. 2., Zwicc. et meliores (? ?) Heinsii *honos*, quam formam Heinsius etiam permultis aliis locis tacite induxit. — *spolia* alias arma hosti detracta h. l. arma exstincti relicta. *Gier.*

154. *proximitas* etiam X, 340.

155. *illi*, Achilli. Pyrrhus filius Achillis ex Deïdamia, filia Lycomedis, regis Scyri. Apollod. III. c. 13.

156. *Phthia* Thessaliae oppidum in regione Phthiotide, ubi Peleus Achillis pater habitabat. *Scyros* insula e regione Euboeae, ubi Pyrrhus Achillis filius natus erat. — Pro *Phthiam* Mor. 2. *Phthian* et Vrat. *Phtian*. Reliqui omnes formam Latinam *Phthiam*. — *haec* Dresd., Goth. 1., Vrat. et meliores (?) Heins. non habent, reliqui omnes agnoscunt: quod cum vi addidit poeta. — *Scyronve* meliores Heins., Berol., III Par. et Rhen. — Goth. 1. 2., Vrat., Zwicc., Lips. 2. et ed. pr. *Scyrumve*. Vulgo *Scyronque*.

157. *Teucer*, frater Ajacis et filius Telamonis, verum non e Glauce conjuge, sed ex Hesione. II. XII, 370. 371. — *isto* cum contemtu. Conf. v. 237. Berol., Erf. 1., Goth. 2. et V Heins. *est isti*. Nor. *isti est*. Neap., Par. 1. et Thu. *est istic*. Cant., alter Hamb., Reg. 1. et Vat. 1. *istic est*. Flor. *illic est*. Dresd., unus Maff., Mor. 1., Par. 2., plurimi (?) Heins. et ed. pr. *est illi*. Reliqui fere *est isto*.

158. *num petit ille tamen?* Sic Flor., Rhen. et plurimi vett. Heinsii. — Goth. 2. et Pal. 2. *non t. ille p.* Unus Maff. *nec t. ille p.* Cael., Sulm. 1. 2., et unus Vat. Ciof. *nec p. ille tamen*. Vulg. *non petit ille tamen*. *Num* postulat loci natura et affectus, nisi etiam scribatur *nec si petat a. a.* — Pro *num si petat auferat arma* exemplaria Const. Fanens. *nec sperat ut auf. arma*, Flor. *nim sperat ut auf. illa*. Exc. Cal., Jun. et Medic. 4. *num sperat, ut auferat arma*, quod ad mutandum semper pronus dedit Heinsius, licet *petat* et *petit* cum vi sibi et aptissime respondeant. Reliqui parvo discrimine *num si petat auferat arma?* nisi quod pauci *non si* aut *nec si*, exhibent perpetua in codd. Ovidii prope varietate.

159. *operum*, et non generis et nobilitatis. — *nudum*, unum, merum. Trist. III, 11, 17.

Ut mala nulla feram, nisi nudam
Caesaris iram,

Plura quidem feci, quam quae comprendere dictis
In promptu mihi sit; rerum tamen ordine ducar.
Praescia venturi genitrix Nereïa leti
Dissimulat cultu natum, et deceperat omnes,
In quibus Ajacem, sumtae fallacia vestis.
Arma ego femineis, animum motura virilem,
Mercibus inserui, neque adhuc projecerat heros
Virgineos habitus, cum parmam hastamque tenenti
„„Nate dea," dixi „tibi se peritura reservant
„„Pergama: quid dubitas ingentem evertere Trojam?"",
„Injecique manum fortemque ad fortia misi.
Ergo opera illius mea sunt. Ego Telephon hasta
Pugnantem domui, victum orantemque refeci;
Quod Thebae cecidere, meum est; me credite Lesbon,
Me Tenedon Chrysenque et Cyllan, Apollonis urbes,
Et Scyron cepisse; mea concussa putate
Procubuisse solo Lyrnesia moenia dextra.

Nuda parum nobis Caesaris ira mali?

160. ***comprendere***, complecti. Trist. V, 2, 27.

Tot premor adversis, quae si comprendere coner,
Icariae numerum dicere coner aquae.

161. *rerum ordine ducar*, res ordine referam. Conf. IX, 5.

162. *genitrix Nereïa*, Nerei filia, Thetis. XI, 221 seqq. De re Apollod. III. c. 13. Θέτις προειδυῖα, ὅτι δεῖ στρατευόμενον αὐτὸν ἀπολέσθαι, κρύψασα ἐσθῆτι γυναικείᾳ, ὡς παρθένον παρέθετο. Sc. apud Lycomeden regem in insula Scyro. Hyg. F. 96. Copiosius eam fabulam tractavit Ov. Art. A. I, 689 seqq.

163. *dissimulat*, abscondit, tegit. — Rhen., Vrat. et VII Heinsii *et* omittunt. Utraque oratio recta, itaque sequenda auctoritas vetustatis.

164. *in quibus Ajacem.* Liv. I, c. 56. *quum primores civitatis, in quibus fratrem suum ab avunculo interfectum audisset.* Cic. de Nat. Deor. III. c. 21. *Joves tris numerant, ex quibus primum et secundum natos in Arcadia.*

165. *arma*, quae versu 167. nominantur.

166. *mercibus.* Hyg. *munera feminea.* Vid. Schol. Hom. Il. XIX, 332.

168. *tibi se reservant*, tanquam sponte id faciant, quod fato accidebat. — *interitura*, quorum interitus destinatus est. — 169 *Pergama.* Vid. ad XII, 591.

170. *injecique manum*, tanquam qui meus esset. Ex jure sumta oratio.

171. *illius*, Achillis. Sequuntur jam illustrissima Achillis facta. Conf. XII, 105 seqq. — *Telephon – refeci.* Vid. ad XII, 112. De illo *refeci*, Liv. XXXIX. c. 49. *haud secus quam ducem suum attollunt reficiuntque.*

173. *quod Thebae cecid., meum est.* Hor. Od. IV, 3, 21.

Totum muneris hoc (Musa) *tui est,*
Quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae;
Quod spiro et placco, si placeo,
tuum est.

Omnes hos locos, *Lesbon* insulam in ora Troadis, *Tenedon* insulam in ora Troadis, *Chrysen* oppidum Mysiae, *Cyllan* oppidum Phrygiae minoris, quibus oppidis Apollo imprimis colebatur, unde *Apollinis urbes*), *Thebas* (vid. XII, 110.), *Lyrneson*, unde Achilles Briseïda servam abduxit (XII, 108.), et *Scyron* auctore Homero Achilles bello Trojano occupavit.

175. *Scyron.* Rhen. *Syron.* Dresd. *Cyrum.* Goth. 1. *Cyrrum.* Lips. 2., Berol., Goth. 2., Zwicc. *Scirum.* III Ciof., Vrat. et ed. pr. *Scyrum.* Plerique *Scyron.* Confirmat Hom. Il. IX, 668.

Ἀχιλλεὺς
Σκῦρον ἑλὼν αἰπεῖαν Ἐνυῆος πτολίεθρον.

Syros primam corripit. Vid. Hom. Od. XV, 403.

Utque alios taceam: qui saevum perdere posset
Hectora, nempe dedi: per me jacet inclytus Hector.
Illis haec armis, quibus est inventus Achilles,
Arma peto; vivo dederam, post fata reposco. —
Ut dolor unius Danaos pervenit ad omnes,
Aulidaque Euboïcam complerunt mille carinae;
Exspectata diu, nulla aut contraria classi
Flamina sunt, duraeque jubent Agamemnona sortes
Immeritam saevae natam mactare Dianae.
Denegat hoc genitor divisque irascitur ipsis,
Atque in rege tamen pater est. Ego mite parentis
Ingenium verbis ad publica commoda verti.
Nunc equidem fateor fassoque ignoscat Atrides:
Difficilem tenui sub iniquo judice causam.
Hunc tamen utilitas populi fraterque datique
Summa movet sceptri, laudem ut cum sanguine penset.
Mittor et ad matrem, quae non hortanda, sed astu
Decipienda fuit. Quo si Telamonius isset,
Orba suis essent etiam nunc lintea ventis. —

177. *alios*. Male Heinsius ex Flor. et uno Medic. edidit *alias*, ut enumeratio civitatum ab Achille occupatarum continuetur. Recta et elegans est scriptura librorum *alios*: nam ignobili vulgo ab Achille caesorum opponitur Hector.

178. *nempe*. Vid. not. ad II, 474. De re vid. ad XII, 3.

179. „*illis armis, quorum ope Achillem inveni* (v. 165.), *haec Achillis arma peto*.“

180. *vivo – reposco*. Rhetorice dicta; alia enim dederat, quam nunc petit. Germanice: *Waffen hatte ich dem Lebenden gegeben, nach seinem Tode fordere ich Waffen zurück*.

181. *ut dolor unius*, sc. Menelai, cujus uxorem rapuerat Paris. XII, 1 sqq. — *pervenit ad omnes*, quatenus omnes injuriam illam ulcisci voluerunt. Huc pertinet Art. A. I, 688.

Nam dolor unius publica causa fuit.

182. *Aulida*, quo Graecorum exercitus convenerat. XII, 10. — *Euboica* est Aulis, ut prope Euboeam vel e regione Euboeae sita. Vid. XII, 10.

184. *durae - sortes*, responsum Calchantis. Vid. XII, 19 seqq. — *sortes* de oraculis et vaticiniis passim. Conf. I, 368. — *sunt* exhibent cod. Bersm., nonnulli Ciof., plerique Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Zwicc. et vett. edd. praeter ed. pr. Reliqui *erant*. Viv. codd. *sunt* vel *erant*. — Dresd. et IV Heins. *diraeque*. Reliqui *duraeque*.

185. *saevae*, iratae. XII, 29.

187. *atque in rege pater est*. Conf. XII, 30. et VI, 629. — *mite*, tenerum, pium. — 188. *verbis*, facundia.

189. „*nunc enim equidem fateor, quod hactenus profiteri nolui etc.*“ Bas. 1., Cant., Dresd., Pal. 1., Vat. 1. et multi Heins. *hanc*, quod mirum ab aliis elegantissimae scripturae *nunc* esse praelatum.

190. *tenui*, vici. Art. A. I, 626.

— *cur in Phrygiis Junonem et Pallada silvis*
Nunc quoque judicium non tenuisse pudet?

— *sub iniquo judice*, cum Agamemno ut pater adversaretur.

191. *fraterque*. Sic elegantissime ad sententiam plerique codd. et vett. edd. — Dresd., Goth. 2., Rhen., Zwicc. et XIII Heinsii *fratrisque*, quod recipere non debebat Heinsius. — *summa sceptri dati*, summa imperii ipsi delati.

192. *laudem cum sanguine pensare*, gloriam et sanguinem filiae suae in trutina ponderare. — Multi Heins. *cura movet*.

193. „*ad matrem*, Clytaemnestram, sc. ad Iphigeniam asportandam; *quae non hortanda*, ut Agamemno, *sed astu decip.*“ Hyg. F. 98. *ementitur Ulixes, eam Achilli in conjugium dari*. — Cod. Bersm., IV Heins. et ed. pr. *oranda*.

195. *etiam nunc*. Flor., Ox., Rhen. et Thu. *etiamnum*. — De illo *suis* q. e. secundis, conf. IV, 373.

Mittor et Iliacas audax orator ad arces,
Visaque et intrata est altae mihi curia Trojae,
Plenaque adhuc erat illa viris. Interritus egi,
Quam mihi mandarat communis Graecia, causam,
Accusoque Parin praedamque Helenamque reposco,
Et moveo Priamum Priamoque Antenora junctum.
At Paris et fratres et, qui rapuere sub illo,
Vix tenuere manus - scis hoc, Menelaë - nefandas,
Primaque lux nostri tecum fuit illa pericli. —
Longa referre mora est, quae consilioque manuque
Utiliter feci spatiosi tempore belli.
Post acies primas urbis se moenibus hostes
Continuere diu, nec aperti copia Martis
Ulla fuit, decimo demum pugnavimus anno.
Quid facis interea, qui nil nisi proelia nosti?
Quis tuus usus erat? Nam si mea facta requiris;
Hostibus insidior, fossas munimine cingo,
Consolor socios, ut longi taedia belli
Mente ferant placida, doceo quo simus alendi
Armandique modo, mittor quo postulat usus.
Ecce, Jovis monitu deceptus imagine somni,
Rex jubet incepti curam dimittere belli.
Ille potest auctore suam defendere causam;
Non sinat hoc Ajax defendaque Pergama poscat,

196. *mittor*, sc. comite Menelao. Vid. Il. III, 205. — *orator*, ut saepe de legato.

197. *altae* dignitatis causa additum.

198. *plenaque adhuc erat illa viris*, atque inde majus periculum.

200. *praeda* h. l. intelligenda opes a Paride simul cum Helena ablatae. Il. VII, 363.

201. *Antenor*, senex Trojanus et amicus Priami, qui Ulixen et Menelaum quum legati venissent, hospitio excepit. Il. III, 207. VII, 348. — Cod. Bersm., Cant., Ox., Lips. 2., Zwicc., XXI Heins. et ed. Bas. *moneo*,

202. *sub illo*, illo duce et auctore.

203. *tenuere*, abstinuere. — *nefandas*, quia legatis intentabantur. — *hoc* exhibent cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Vrat., Zwicc., plerique Heins. et ed. pr. — Vulg. *haec*.

204. *primaque - pericli*, h. e. et illo die primum socii periculorum fuimus.

205. *longa - mora est*. I, 214. V, 207. 463.

206. *spatiosi*, nam X annos duravit. Vid. 209.

208. *aperti - Martis*, apertae pugnae. III, 540.

211. *quis tuus usus*, quae tui utilitas.

212. *munimine*. Hujus munitionis mentio habetur XII, 52 seqq. Sed, quod ibi communi Graecorum exercitui tribuitur, Ulixes h. l. se fecisse jactat. Vid. Hom. Il. XII, 52 seqq.

215. *armandique*. Medic. et Rhen. *armandive*, quod temere recepit Heinsius.

216. *Jovis monitu*. Jupiter, Achillem ulturus, pernicioso Agamemnonem somnio monuit, Trojanos ut invaderet; fore enim, ut urbem nunc caperent. Agamemno ut ante militum animos tentaret, in concione somnio in patriam redire jussum se simulat (*jubet incepti curam dimittere belli*). Laeti statim milites ad naves festinant, reditumque parant. Hic Ulixes festinantes vel verbis reduxit vel verberibus coërcuit et pro concione ad bellum continuandum cohortatus est. Hom. Il. II, 1 — 332.

218. *ille potest etc.*, ille auctorem habet Jovem, quo causam, consilium suum defendere possit. Scripturam *causam* exhibent Mor. 1., complures Heins., Bas. 3. et pro v. l. Par. 2. — Berol., Goth. 4. et nonnulli Heins. *culpam*. Reliqui *vocem*.

219. *non sinat*, sinere non potest, sinere horret animus.

Quodque potest, pugnet. Cur non remoratur ituros?
Cur non arma capit? Det, quod vaga turba sequatur!
Non erat hoc nimium nunquam nisi magna loquenti.
Quid, quod et ipse fugit? Vidi, puduitque videre,
Cum tu terga dares inhonestaque vela parares.
Nec mora, „„Quid facitis? Quae vos dementia“ dixi
„„Concitat, o socii, captam dimittere Trojam,
Quidve domum fertis decimo nisi dedecus anno?““
„Talibus atque aliis, in quae dolor ipse disertum
Fecerat, aversos profuga de classe reduxi.
Convocat Atrides socios terrore paventes,
Nec Telamoniades etiam nunc hiscere quicquam
Audet, et ausus erat reges incessere dictis
Thersites, etiam per me haud impune, protervus.
Erigor et trepidos cives exhortor in hostem,
Amissamque mea virtutem voce reposco.
Tempore ab hoc quodcumque potest fecisse videri
Fortiter iste, meum est, qui dantem terga retraxi.

220. *quodque potest*, sc. pugnare; nam dicere se non posse profitebatur. Vid. 10.

221. *det*. III Heinsii *dat*, ut haec quoque verba interrogantis sint. Simplicior et elegantior est scriptura librorum et veterum edd. *det*. *Det* autem pro *det exemplum* est.

222. *magna loquenti*. Conf. I, 751.

223. *fugit*. Unus Pal., Zulich. et III Heins *fugis*.

224. *dares-parares*. Cf. v. 379. et ad XI, 378. — Rem narrat Hom. II, 151.

226. *captam*, tam acriter inclusam et obsessam ut pro capta esset. — *dimittere*. Conf. I, 184. Caes. B. G. VIII. c. 5. *devicti complura oppida dimiserant*. De re vid. Il. II, 284 seqq.

229. *aversos*, q. e. Troja jam aversos et ad reditum in patriam intentos. — Duo Bersm., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 2. et deteriores Heins. *adversus*. Mendose.

230. *Atrides*, Agamemnon.

231. *Telamoniades* Graeca vox pro *Telamonius*, ut *Anchisiades*, *Acrisioniades*, al.

232. *audet et*. Mire in facili ac simplici oratione variant libri veteres. Ox. *ausit et ausus*. Unus Ambr. *ausus at ausus*. Arond., alter Hamb. et X alii Heins. *audet et ausus*. Cod. Bersm., Cant., Erf. 1., Flor., Pal. 1., Urb., Vat. 1. et VI alii Heins. *audeat ausus*. Ed. pr. *audeat et ausus*. Goth. 2., Jur., Pal. 2., Par. 2., Rhen., Thu., Vrat. et XV Heins. *audet ut ausus*. Reliqui *audet et ausus erat*. Recte. Vocula *et* in his per emphasin dicta fere idem declarat quod *et tamen, et insuper*. — Heinsius temere dedit *ausit, at ausus erat*.

233. *protervus*. Berol., Dresd., Erf. 1., Medic. 3., Lips. 2., Vrat. et XX fere Heins. *protervis*, ut referatur ad *dictis*. Sed mihi scriptura plurimorum vett. librorum etiam elegantior videtur, quia simplicior est. Thersites turpissimus et protervissimus homo totius Graecorum exercitus vehementissime flagitabat reditum, et solebat auctore Hom. οὐ κατὰ κόσμον ἐριζέμεναι βασιλεῦσιν, et tum maxime Agamemnoni. Hunc Ulixes et verbis et verberibus compescuit. Inde *etiam per me non impune*. Hom. Il. II, 266.

234. *in hostem*. Codd. Ciof., multi Heins., Berol., Dresd., Goth. 1., Rhen., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd. praeter ed. pr. *in hostes*. Reliqui codd. et ed. pr. *in hostem*, quod etiam eam ob causam praeferendum videtur, ut ambiguitas vitetur. Nam *trepidos* ut ad cives referatur, postulat orationis natura.

235. *reposco*. Ut virtus poscitur ab eo, qui eam nondum praestitit, ita reposcitur ab eo, qui praestitam amisit. *Baumgarten-Crus*. Codd. Ciof., Boxh., Jur., Mor. 1., Par. 2., Vrat., Zwicc. et multi Heins. *refundo*. Bas. 1., Rhen., pro v. l. Arond. et Par. 2. *repono*. Reliqui fere omnes *reposco*.

237. *meum est, qui*. Conf. II, 519. Trist. 1, 5, 41.

Denique de Danaïs quis te laudatve petitve?
At sua Tydides mecum communicat acta,
Me probat, et socio semper confidit Ulixe.
Est aliquid, de tot Grajorum millibus unum
A Diomede legi. Nec me sors ire jubebat;
Sic tamen et spreto noctisque hostisque periclo
Ausum eadem, quae nos, Phrygia de gente Dolona
Interimo: non ante tamen, quam cuncta coëgi
Prodere, et edidici quid perfida Troja pararet.
Omnia cognoram, nec, quod specularer, habebam,
Et jam promissa poteram cum laude reverti.
Haud contentus eo, petii tentoria Rhesi,
Inque suis ipsum castris comitesque peremi,
Atque ita captivo victor votisque potitus
Ingredior curru laetos imitante triumphos.
Cujus equos pretium pro nocte poposcerat hostis,
Arma negate mihi, fueritque benignior Ajax!

Causa mea est melior, qui non contraria fovi
Arma, sed hanc merui simplicitate fugam.

ubi vid. not. — Pal. 2., Vrat. et meliores (?) Heins. *quem dantem.* - De illo *iste* quod cum contemtu dictum est, cf. v. 157.

238. *petit*, in societatem periculorum. — *de Danais*. XII, 13.

239. *mecum communicat acta*, me socium sumit actorum. Respicit ea, quae ab Ajace dicta sunt v. 98. De *Tydide* vel Diomede vid. ad XII, 622. — Ceterum apud Homerum non deligitur Ulixes a Diomede, sed ultro se socium offert. Sed Ovidius fabulam suo consilio, ut etiam in aliis rebus, accommodat.

241. *est aliquid*. Vid. XII, 93.

242. *nec me sors ire jubebat*. Spectat ad v. 88.

243. *sic tamen et*, q. e. *sic tamen* (licet sorte nulla ire jussus) *etiam*. Scripturam *sic tamen et* confirmant Berol., Cant., Flor., alter Hamb., Pal. 2., Par. 1., Rhen., Urb., V alii Heins. et ed. pr. Reliqui *sed tamen*, quod ferri non potest, propter illud *et*. Cf. VIII, 603.

244. *ausum eadem, quae nos*, sc. explorare hostium castra. Virg. A. XII, 349.

— castra ut Danaüm speculator adiret.

Vid. ad v. 98. — Berol., Dresd. a corr., Erf. 1., Flor., Goth. 2., Neap., Rhen., Urb., Vrat., Zwicc. et multi Heins. *ausum etiam*.

245. *interimo*. Auctore Homero Diomedes hoc fecit, sed agnoscimus fallacem oratorem.

246. *perfida*. Conf. XI, 215.

247. *nec quod*. Sic Berol., Cant., Erf. 1., Flor., Goth. 2., Mor. 1., Par. 2., Rhen., Twisd. 1. et sine dubio multi quoque Heinsii. Reliqui *nec quid*. Verum est *nec quod*, quod significat nullam rem relictam esse, quam non speculatus fuisset, *nec quid* nihil affuisse, quod specularetur. Cf. X, 372.

248. *promissa*, quae ei qui illud auderet promissa a Graecis erat. Expressum ex Hom. Il. X, 212 — 217. — Erf. 1., Goth. 1., Medic. 3. 4., Mor. 1., Rhen. et multi Heinsii *praemissa*, quod male recepit Heinsius.

249. *eo* illustrissimo facto. — Langerm. et unus Medic. *ea*, quod idem ad mutandum ubique pronus male recepit Heinsius.

250. *peremi*. Auctore Homero non ipse peremit, sed Diomedes. Il. X, 465 seqq.

252. *ingredior - triumphos*. Suae gentis mores poeta ad antiquitatem transfert. Hom. Il. X, 497 sqq.

253. *hostis*, Dolon, qui pro exploratione illa nocturna Achillis equos pretium poposcerat. Vid. ad v. 98. Ceterum paullo argutius loquitur. Date mihi arma Achillis. Cur? Quia eum cepi, qui equos Achillis poposcerat. — 254. Verbis illis *fueritque benignior Ajax* in usum suum convertit, quod versu 102. Ajax dividenda esse arma dixerat, si sibi negarentur, et malitiose inde concludit Ajacem sibi jus eorum tribuisse. — Unus Bas. *fuerit quod dignior*. Exc. Cal. *fuerit quia dignior*. Ambr. 2. *fuerat quoque dignior*. — *fuerat* etiam Sulm. 1. et Arond. Mureti conjectura est *ferat*

Quid Lycii refetam Sarpedonis agmina ferro
Devastata meo? Cum multo sanguine fudi
Coeranon Iphitiden et Alastoraque Chromiumque
Alcandrumque Haliumque Noëmonaque Prytanimque,
Exitioque dedi cum Chersidamante Thoona,
Et Charopen, fatisque immitibus Ennomon actum,
Quique minus celebres nostra sub moenibus urbis
Procubuere manu. Sunt et mihi vulnera, cives,
Ipso pulcra loco; nec vanis credite verbis,
Adspicite en!", vestemque manu deduxit et „Haec sunt
„Pectora semper" ait „vestris exercita rebus.
„At nihil impendit per tot Telamonius annos
Sanguinis in socios, et habet sine vulnere corpus.
Quid tamen hoc refert, si se pro classe Pelasga
Arma tulisse refert contra Troasque Jovemque?
Confiteorque, tulit: neque enim benefacta maligne
Detrectare meum est; modo ne communia solus

haec dignior Ajax. Heinsius *tuleritque ea dignior Ajax.*

355. *Sarpedon* filius Jovis et Laodamiae, Lyciorum dux et Trojanorum socius. Is cum, Tlepolemi hasta vulneratus, elatus a suis e proelio esset, Ulixes *agmina* ejus *devastavit ferro*, plures e sociis ejus interfecit, quorum nomina v. 257. et 258. recensentur. Hom. Il. V, 667 seqq. Nam qui v. 259. et 260. referuntur, alio proelio ab eo occisi sunt. Hom. Il. XI, 420 seqq.

257. *Coeranon Iphitiden.* Codices in nominibus his mire variant, ut in nominibus propriis solent; sed scriptura eorum constat auctoritate Homeri. De und nomine *Iphitiden*, quamvis omnes tueantur veteres libri, dubitatur; quia Homerus, unde totus hic locus expressus est, cujus Coeranus filius fuerit, non addidit. Atque inde conjecerunt *Hippasiden*, quod nullam habet auctoritatem, nisi quod alter Lyciorum Charops ab Homero Hippasides nominatur. Mihi vera videtur scriptura *Iphitides*, ut Ovidius, cum versum Homeri exemplo his nominibus concludere vellet, et tot syllabae deessent, Coerani genus ab Iphite callide finxisse putetur.

258. Hic versus legitur etiam Virg. Aen. IX, 767., ubi etiam *Prytanimque* scriptum exstat, ut h. l. codices prope omnes cum vett. edd. exhibent.

260. *Charopen.* Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Dresd., Lips. 2., Vrat. et Zwicc. *Charopen*, quod tacite edidit Heinsius. Confirmant Dresd., Lips. 2., Vrat. et Zwicc., qui habent *Caropen*. Vulgo *Charopem*. — De *Chersid.*, *Thoone* et reliquis vid. Il. XI, 422.

263. *ipso pulcra loco.* Fast. II, 211.

Diffugiunt hostes inhonestaque vulnera tergo
Accipiunt.

Hom. Il. XIII, 284.

Τοῦ δ' ἀγαθοῦ οὔτ' ἄρ τρέπεται χροώς — — —
Οὐκ ἂν ἔν αὐχέν' ὄπισθε πέσοι βέλος, οὐδ' ἐνὶ νώτῳ,
Ἀλλά κεν ἢ στέρνων ἢ νηδύος ἀντιάσειεν.

vanis, quae vana sunt.

264. *aspicite en.* Conf. II, 92. — *deduxit*, sc. de pectore. Atque *deduxit* exhibent codd. Ciof. omnes, II Bersm., meliores Heins., Dresd., Goth. 1. 2., Zwicc. et vetustissimae edd. — Hamb. 1. et V alii Heins. *deduceit.* Rhen. *diducit.* Reliqui *diduxit.* *Deduxit* praeter magnam auctoritatem veterum librorum etiam naturae rei et vividae descriptioni accommodatius est. Est autem *deducere* a superiori corporis parte detrahere. Fast. II, 698.

Tergaque, deducta veste, notata vident.

265. *exercitus*, vexatus, multas molestias, labores perpessus. II, 287. VII, 634. — *vestris rebus*, pro vestra salute. Vers. 326. *pro vestris rebus.*

266. *at nihil impendit — sanguinis in socios.* Curt. IV. c. 10. *in unius hominis jactationem tot millium sanguinem impendi.*

268. *refert*, interest. De producta syllaba *re* vid. ad VI, 211.

269. De re vid. ad v. 91.

271. *modo ne.* Cod. Bersm., Berol.,

Occupet, atque aliquem nobis quoque reddat honorem.
Repulit Actorides, sub imagine tutus Achillis,
Troas ab arsuris cum defensore carinis.
Ausum etiam Hectoreo solum concurrere Marti
Se putat, oblitus regisque ducisque meique,
Nonus in officio et praelatus munere sortis.
Sed tamen eventus vestrae, fortissime, pugnae
Quis fuit? Hector abit violatus vulnere nullo!
Me miserum, quanto cogor meminisse dolore
Temporis illius, quo Grajûm murus, Achilles,
Procubuit; nec me lacrimae luctusque timorque
Tardarunt, quin corpus humo sublime referrem.
His humeris, his, inquam, humeris ego corpus Achillis
Et simul arma tuli: quae nunc quoque ferre laboro.
Sunt mihi, quae valeant in talia pondera, vires,

Dresd., Goth. 2., Par. 1., Vrat. et plerique vett. Heinsii *sed ne*. Bas. 1., Zwicc. et ed. pr. *modo nec*. Codd. Ciof. (?), Par. 2. et reliqui *modo ne*. Sequendam putavi majorem auctoritatem veterum libb., donec codices accuratius excussi fuerint. *Modo nec*, quod vulgo legitur, ut etiam aliis locis, suspectum est, quia prope nullis libris confirmatur.

272. *nobis*. Cod. Bersm., plerique Ciof., vetustiores Heins., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat., Zwicc., ed. Ven. 2. et ed. pr. *vobis*. Reliqui *nobis*. De suo honore Ulixes nunc loquitur. Sed altera quoque scriptura defendi potest, ut ad suum honorem reliquos quoque assumat. — Berol., Pal. 2. et II alii Heins. *occupet acta*, *aliquem*. — *reddat*, relinquat, cedat.

273. *Actorides*, Patroclus, Actoris nepos; nam Menoetius, Patrocli pater, filius fuit Actoris. Patroclus ab Achille amico et socio arma petiit, ut ejus specie in summo Graecorum periculo Trojanos terreret, quibus impetratis hostes a navibus repulit planeque fudit. Il. XVI, 278 seqq.

274. *ab arsuris cum def. carinis*, a navibus quum in eo essent, ut una cum defensore, Ajace (maligne hoc dicit, quia Ajax eo facto gloriatus erat. Vid. v. 91.) flammis consumerentur. — Multi Heins. *sed imagine*.

275. Respondet versui 87 seq. — *Hectoreo - Marti*, Hectori pugnanti. XII, 610. *femineo Marte*. Hanc scripturam confirmant Berol., Goth. 2., Par. 1., Lips. 2. et plurimi Heins. II Heins. *Hectoreo telo*. II alii *Hectoreis flammis*. — Reliqui cum vett. edd. *Hectoreis telis*, ex interpretatione, ut videtur.

276. Quod nunc vulgo legitur *ducumque* parum elegans est conjectura Heinsii; nam etiam Ulixes et Agamemnon e ducibus erant. *Regisque ducisque* de Agamemnone intelligenda sunt. De re vid. Hom. Il. VII, 160 seqq.

277. *nonus etc.* „cum tamen tu nonus (unus inter novem) nec nisi sortis munere potior esses.“

278. *fortissime*, ironice.

279. *vulnere nullo*. Et h. l. Ulixes eximiam Ajacis virtutem maligne detrectat. Vid. Hom. Il. VII, 260 seqq.

281. *Grajûm murus*, oratio Homeri est, apud quem saepe ἔρκος, πύργος Ἀχαιῶν. De Achillis morte vid. XII, 604 seqq.

282. *luctusque timorque*. Rhen. (?) *luctusve timorque*, quod tacite edidit Heinsius. Berol., Goth. 1. 2. et ed. pr. *luctusve timorque*. Sequendi sunt codices, et elegantior vulgata mihi videtur. Conf. v. 328.

283. *humo sublime*, sublatum. Scilicet rem a pluribus gestam sibi gloriabundus uni ac soli tribuit. Homerus de hoc Ulixis facto nil prodidit. Vid. Odyss. XXIV, 24 — 86. At Quint. Cal. V, 285. et III, 384. Conf. Epist. Sab. 1, 28.

284. *his humeris etc.* Conf. IX, 197. Cum vi et affectu haec dicta sunt, quia Ajax cum acerbitate exprobrarat, eum non satis validum esse ad Achillis arma ferenda. Vid. 107 seqq. Sed ipse rursus, quod paullo ante in Ajace reprehendit, solus communia occupat. Vid. Quint. Cal. II, 384.

285. *laboro*, operam do, contendo.

Est animus certe vestros sensurus honores.
Scilicet iccirco pro gnato caerula mater
Ambitiosa suo fuit, ut coelestia dona,
Artis opus tantae, rudis et sine pectore miles
Indueret! Neque enim clypei caelamina novit,
Oceanum et terras cumque alto sidera coelo,
Pleïadasque Hyadasque immunemque aequoris Arcton,
Diversasque urbes nitidumque Orionis ensem.
Postulat ut capiat, quae non intelligit, arma!
Quid, quod me, duri fugientem munera belli,
Arguit incepto serum accessisse labori,
Nec se magnanimo maledicere sentit Achilli?
Si simulasse vocat crimen; simulavimus ambo:
Si mora prò culpa est; ego sum maturior illo.
Me pia detinuit conjux, pia mater Achillem;
Primaque sunt illis data tempora, cetera vobis.

287. *certe vestros.* Male Heinsius edidit *vestros certe*, quod etiam cod. Bersm., Rhen. et ed. pr. tuentur. Cum libris reliquis omnibus legendum *certe vestros;* nam *certe* pertinet ad *animus;* sensus enim est: *sunt mihi, quod falso negat Ajax, quae valeant vires: animus certe est, qui vestros honores sentire et grate accipere potest, quo Ajax caret, qui est sine pectore miles,* ut statim sequitur.

288. *caerula mater,* Thetis. XI, 259. I, 175. Ceterum versus 288 — 290. respondent versibus 110 sqq. Her. XII, 5. *Scilicet iccirco ventosa per aequora vectum Excepit.*

289. *ambitiosa fuit*, supplex ambiit Vulcanum. Conf. XIV, 585. et IX, 432. Pont. III, 1, 84. *hoc factis adjunge, Pro nostris ut sis ambitiosa malis. — coelestia dona.* Achillis arma rogante Thetide ejus matre Vulcanus summa arte fabricarat, ut statim sequitur, in quo loco ob oculos habuit Homeri elegantissimam illius clypei descriptionem Il. XVIII, 478 seqq. Conf. Quint. Cal. V, 1 seqq. *Coelestia* igitur a deo fabricata.

290. *sine pectore*, sine sensu. Opponitur enim illis *est animus etc.*

291. *novit.* Heinsius edidit *norit.* Sed elegantius est *novit*, ut certo affirmet, nec dubitanter loquatur. Conf. v. 295. Atque ita plurimi codd. et vett. edd.; nam scripturam *norit* nonnisi Bersm., Par. 2., Dresd., Franc., Rhen., Lips. 2., Vrat. et VIII Heinsii tuentur. — De *caelamina* q. e. argumenta caelata conf. II, 6.

293. *Pleïadas.* I, 670. — *Hyadasque Arcton.* III, 595., XIII, 727. et II, 496 — 530. Hom. l. l. v. 489. ἄμμορος λοετρῶν ὠχεανοῖο. Vid. ad Met. II, 171.

294. *nitid. Orionis ensem.* VIII, 207. A correctore videtur esse scriptura Bonon. *diversosque-orbes*: nam hoc non quaerendum est, quomodo Ajacem nec urbes quidem diversas cognoscere confirmare potuerit Ulixes, qui omnia h. l. exaggerat et in malum detorquet; neque vero in ordine, quod illud *diversasque urbes* inter Arcton et Orionis ensem positum est, haerendum, qui poetae libertati concedendus est. — *diversae urbes* sunt disjunctae, ut magnitudo clypei indicetur.

295. *intelligit.* Dresd. *intelligat.* Idem IV Heins., haud dubie e numero eorum, qui v. 291. exhibent *norit.*

296. Vid. ad v. 34. — *munera belli*, officia et labores belli. Lucret. I, 33.

— — *quoniam belli fera munera Mavors*
Armipotens regit. —

Ceterum callide se tegit exemplo Achillis et mox gravissima crimina a se amolitur in reliquos duces. *Gier.* Jur., Par. 2, V Heinsii et pro v. l. Goth. 2. *munia belli.*

299. *vocat.* Ita unus Caesen., unus Heins. et ed. Mic. — Reliqui *vocas.* Sed tertiam personam confirmat illud *postulat* et *arguit*, et quae sequuntur. Ceterum haec referuntur ad v. 36 sqq.

300. *ego sum maturior illo*, maturius s. prius ad arma Graecorum veni, ergo mea culpa minor est culpa ipsius Achillis.

302. *illis.* Dresd., Goth. 1. 2.,

Haud timeam, si jam nequeam defendere, crimen
Cum tanto commune viro. Deprensus Ulixis
Ingenio tamen ille, at non Ajacis Ulixes.
Neve in me stolidae convicia fundere linguae
Admiremur eum, vobis quoque digna pudore
Objicit. An falso Palameden crimine turpe est
Accusasse mihi, vobis damnasse decorum?
Sed neque Naupliades facinus defendere tantum
Tamque patens valuit, nec vos audistis in illo
Crimina, vidistis, pretioque objecta patebant.
Nec Poeantiaden quod habet Vulcania Lemnos,
Esse reus merui; factum defendite vestrum:
Consensistis enim. Nec me suasisse negabo,
Ut se subtraheret bellique viaeque labori,
Tentaretque feros requie lenire dolores.
Paruit, et vivit. Non haec sententia tantum
Fida, sed et felix, cum sit satis esse fidelem.

Rhen., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et plurimi Heins. cum vett. edd. *illi*. — Reliqui, qui si quid conjicio paucissimi sunt, *illis*, quod tamen rectius videtur, ut suam causam cum Achille quasi unam faciat, ut statim ipse profitetur.

303. *haud timeam, si jam nequeam.* Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Rhen., Par. 1., Vrat., Zwicc. et plerique meliores Heins. *timeo*. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 2. et nonnulli Heins. *nequeo*. Revocavi veterem scripturam *timeam – nequeam*. Est autem ex iis sententiis conditionalibus, ubi in mente loquentis est, aliter rem sese habere. Sensus enim est: *si jam nequeam (sed non nequeo, sed possum etc.)*; *haud timeam*.

305. *ille*, Achilles. Vid. ad v. 165. — *non Ajacis Ulixes*, sed Palamedis. Vid. ad v. 37.

306. *convicia fundere*. Eodem modo *verba fundere* (VII, 248. XII, 469.), *voces*, *preces*, al. — Medic. 3. et IV alii Heinsii *conv. reddere*. Ceterum h. l. respondet Ajacis criminationi de Palamedis proditione v. 58 – 60.

307. *admiremur*, valde miremur.

308. Par. 2., Erf. 1. 2., Goth. 2., Pal. 2., Rhen., X Heins. et vett. edd. *Palameden*. Vulgo *Palamedem*. Heinsius tacite *est* omisit, quod reliqui libri praeter Rhen. (?) tuentur.

309. Heinsius tacite edidit *decorum est*, quod Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Vrat. et ed. Ven. 1. tuentur, et a poeta cum vi repetitum esse videtur. Reliqui et Pal. 2. *est* non habent.

310. *Naupliades*, Palamedes. Vid. ad v. 34.

311. *in illo*, illius. Vid. v. 110. — Ante *vidistis* particula *sed* cum vi omissa est. Conf. infra v. 550.

312. „*et pretio* (auro apud eum reperto) *objecta* (quae ei crimini data erant) *patebant* s. arguebantur.“

313. Callide refutat, quod ei ab Ajace objectum erat, quod injuste in Philocteten sive *Poeantiaden* egisset. Vid. v. 45 seqq. — *Lemnos* insula *Vulcania* vocatur, quia Vulcanus, quum a patre infans in terram projectus esset, in eam insulam decidisse ibique eductus esse dicitur. Il. I, 591 seqq.

314. *esse reus merui*. Vid. ad v. 141. Quint. I. O. X. c. 1. 72. *meruit credi secundus*. — Medic. 3. et edd. Venn. *crimen – vestrum*, a correctore.

317. *lenire*. Cod. Bersm., Farnes., Goth. 1., Par. 2. et multi Heinsii *finire*. Farnes., Goth. 2., Par. 2., multi H. et ed. pr. etiam *labores*. Male. Nam Philocteten tragicum illum cruciatibus laceratum ob oculos habet. Atque eodem pertinet etiam illud *feros*.

318. Vett. edd. *tantum est*. Sed codices illud *est* non agnoscunt.

319. „*fida* sc. *est*, fidem declarat, sed etiam felix est, quia nonnisi ejus ope Troja capi potest, cum sit satis e. f.“ Scripturam *cum sit satis esse fidelem* tuentur nonnulli Vivian., alter Bersm., Dresd., Cael., Rhen., unus Sulm., II Vatt. Ciof., Vrat. et plurimi Heins. — Reliqui cum vett. edd. *sed et felix cum sit*: *facit esse fidelem*, quae scriptura vix commodum habet sensum.

Quem quoniam vates delenda ad Pergama poscunt,
Ne mandate mihi; melius Telamonius ibit,
Eloquioque virum morbis iraque furentem
Molliet, aut aliqua perducet callidus arte.
Ante retro Simoïs fluet et sine frondibus Ide
Stabit et auxilium promittet Achaïa Trojae,
Quam, cessante meo pro vestris pectore rebus,
Ajacis stolidi Danaïs sollertia prosit!
Sis licet infestus sociis regique mihique,
Dure Philoctete, licet exsecrere meumque
Devoveas sine fine caput, cupiasque dolenti
Me tibi forte dari nostrumque haurire cruorem;
Te tamen aggrediar mecumque reducere nitar.
[Utque tui mihi, sic fiat tibi copia nostri.]

320. *vates*, Helenus. Vid. v. 99. De re vid. etiam Soph. Philoctet. 604 seqq.

321. *ne mandate mihi*, sc. ut eum arcessam. — *melius ibit*. Conf. XIV, 28.

322. *morbis iraque*. Ita II Bersm., plerique castigatiores Heins., Berol., Dresd., Goth. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd. — Reliqui *morbisque iraque*, non male.

323. *aliqua - arte*, callido aliquo consilio. — Pro vulgata *perducet*, sc. huc ad Ilium, Berol., Cantabr., Dresd., Erf. 1., Goth. 2., Gron. 1., Hamb. 1., Medic. 3., Mor. 1., Ox., Rhen., Vrat., XII Heins. et edd. Venn. *producet*, non recte: nam hoc erat summae difficultatis, gravissime offensum virum Trojam perducere, ut Graecos quos propter injuriam sibi illatam oderat, juvaret.

324. *Simoïs*, fl. Troadis. Hom. Il. V, 774. Plin. H. N. V. c. 30. - *Ide*, mons Troadis. XI, 762. II, 218. De re conf. XIV, 37. Her. V, 29.

Quum Paris Oenone poterit spirare relicta,
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.

Unus Heins. *sine fontibus*; quod falsum esse vel illud *stabit* ostendit. Ceterum exempla haec accommodata sunt personae loquentis et loco ubi haec gerebantur.

325. *Achaïa*, regio Graeciae omnino pro Graecia.

326. *pectore*, ingenio.

328. *regi*, Agamemnoni.

331. *haurire. haurit cruorem* qui efficit, ut sanguis profluat.

332. 333. Hunc versuum ordinem tenent codd. Berol., I unus Maff. et ed. Ven. 2., aliique procul dubio libri, quos commemorare editores neglexerunt. Heinsius et qui eum secuti sunt, Burm., Gierig, alii, inverso ordine ediderunt: *utque tui etc. Te tamen etc.*, quod cod. Bersm., Dresd., Farn., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Rhen., II Vatt. Ciof. confirmant. Versus *te tamen etc.* in Briant., Erf. 1., Hamb. 1., altero Maff., Medic. 3. 4., Pal. 2., Lips. 2., Vat. 1. et Zwicc. omissus atque in margine a recentiori manu scriptus est. In Pal. 1. inter lineas erat scriptum: *te tamen aggrediar*, reliquis verbis omissis. Versus *utque tui etc.* in uno Vat. Ciofani deest. Pro verbis *mecumque reducere nitar* in Fragm. Boxh. et Jun. *castrisque red. n.*, in Bersm. *nec inultus forte relinquam*, in Berol., uno Maff., Par. 1., multis Heins. et ed. pr. *nec inultus spero relinquar*, in Farn., Goth. 1., uno Vat. Ciof. et nonnullis Heinsii *longe formidine pulsa*, in alio Vat. Ciof. *longe formidine mersa*, in VI H. *sollerti pectore fidus*, in aliis Heinsii codd. aliter scriptum est. In altero versu pro vulgata exhibent codices Heinsii multi, Berol., Goth. 1., Rhen., Lips. 2., Dresd., Vrat. et ed. pr. *mihi sit. fiat tibi*, unus Bas. *mihi sit. sic sit tibi.* — Versus 333. *utque tui - nostri* eo ordine, quo in vulgatis libris post *me tibi — cruorem* legitur, ineptus est, ac Gierigius recte eum, si geminus sit, alteri *te tamen etc.* postponendum esse intellexit. Verum vel sic, ut recte censet Jahn, jejunus est nec satis planum habet sensum. Itaque spurium eum esse admodum probabile est. Versus autem *te tamen etc.*, ad sententiam necessarius est. Quod ad varietates au-

Tamque tuis potiar - faveat fortuna! - sagittis,
Quam sum Dardanio, quem cepi, vate potitus,
Quam responsa deûm Trojanaque fata retexi,
Quam rapui Phrygiae signum penetrale Minervae
Hostibus e mediis: — et se mihi comparat Ajax?
Nempe capi Trojam prohibebant fata sine illo.
Fortis ubi est Ajax, ubi sunt ingentia magni
Verba viri? Cur hic metuis? cur audet Ulixes
Ire per excubias et se committere nocti,
Perque feros enses non tantum moenia Troum,
Verum etiam summas arces intrare, suaque
Eripere aede deam raptamque afferre per hostes?
Quae nisi fecissem: frustra Telamone creatus
Gestasset laeva taurorum tergora septem.
Illa nocte mihi Trojae victoria parta est,
Pergama tunc vici, cum vinci posse coëgi.
Desine Tydiden vultuque et murmure nobis
Ostentare meum! Pars est sua laudis in illo.
Nec tu, cum socia clypeum pro classe tenebas,
Solus eras: tibi turba comes, mihi contigit unus.
Qui nisi pugnacem sciret sapiente minorem
Esse nec indomitae deberi praemia dextrae:
Ipse quoque haec peteret, peteret moderatior Ajax
Eurypylusque ferox claroque Andraemone natus,

tem hujus versus attinet, h. l. accidisse videtur, quod persaepe, ut una corruptio alias genuerit.

334. *tuis - sagittis.* Vid. ad v. 99.

335. *Dardanio vate*, Heleno. Vid. ad v. 99. De *Dardanio* vid. ad v. 412.

336. *responsa deûm*, sc. exitio fore Trojanis, si Palladium auferatur.

337. *signum - penetrale*, stans in penetralibus, ut *penetrales dii* Cic. de N. D. II. c. 27.

338. *comparat.* II Heins. et unus Vat. Ciof. *comparet.* Caes., Hamb.1., Medic. 3., Sulm. 1., Vrat., V Heins. et Bas. 3. *conferat.* Reliqui omnes *comparat;* atque indicativus huic affectui etiam aptior est. Heinsius ad conjunctivum inducendam ubique pronus (vid. praefat. Trist. p. V.) dedit *comparet.*

339. *nempe.* II, 664. — *sine illo*, sc. Palladio. Franc., Mor., Six. et Vrat. *sine illis*, q. e. sine Heleno et Palladio; at sine Heleno capi poterat.

340. *ubi est.* Unus Heins. *ubi es.* — *ingentia* verba sunt gloriantis, ut supra *magna.*

241. *metuis.* Ita plurimi Heins., Bas. 2. 3., Berol., Goth. 1. 2., Rhen., Vrat., Lips. 2., St. Gall., Zwicc. et vett. edd. — Vulg. *metuit.*

343. *moenia Troum.* Sic cod. Bersm., nonnulli apud Ciof., plurimi Heins., Berol., Dresd., Goth. 1., Rhen., Lips. 2., Vrat., Zwicc., ed. pr. et ed. Ven. 2. — Reliqui *moenia Trojae.* Conf. v. 375.

345. *afferre.* Multi (?) Heins. et ed. pr. *efferre.* — De dictione *eripere raptamque* vid. ad I, 33.

347. *taurorum tergora septem.* Vid. v. 2.

349. *tunc.* Berol., Goth. 2. et Rhen. *tum*, quod tacite recepit Heinsius.

350. *Tydiden ostentare meum*, indicare Diomedem mihi fuisse socium in illo labore perficiendo. Vid. v. 100. — „Ingeniose hoc finxit. Praesentis ingenii est, ea arripere iisque in rem suam uti, quae inter dicendum ante oculos geruntur.“ *Gier.*

351. *in illo*, sc. Tydide. Planud. vertit: ἐστὶ χἀκείνῳ μεσοὶς τῶν ἐπαίνων οἰκεία. — Unus Mor. *in illis.*

352. Vid. v. 91 seqq.

353. *unus*, sc. Tydides s. Diomedes.

356. *moderatior Ajax*, alter Ajax ille moderatior, filius Oïlei. XII, 622.

357. *Eurypylus*, Euaemonis filius, qui et idem unus de novem illis, qui ad certamen cum Hectore surrexerant. Il. II, 734 sqq. et VII, 167. Vid. v. 275. —

Nec minus Idomeneus, patriaque creatus eadem
Meriones, peteret majoris frater Atridae.
Quippe manu fortes nec sunt tibi Marte secundi;
Consiliis cessere meis. Tibi dextera bello
Utilis; ingenium est, quod eget moderamine nostro.
Tu vires sine mente geris; mihi cura futuri.
Tu pugnare potes; pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides. Tu tantum corpore prodes;
Nos animo, quantoque ratem qui temperat, anteit
Remigis officium, quanto dux milite major,
Tantum ego te supero. Nec non in corpore nostro
Pectora sunt potiora manu; vigor omnis in illis. —
At vos, o proceres, vigili date praemia vestro,
Proque tot annorum curis, quas anxius egi,
Hunc titulum meritis pensandum reddite nostris!
Jam labor in fine est: obstantia fata removi,
Altaque, posse capi faciendo, Pergama cepi.
Per spes nunc socias casuraque moenia Troum,
Perque deos oro, quos hosti nuper ademi,
Per si quid superest, quod sit sapienter agendum,
Si quid adhuc audax ex praecipitique petendum,

Andraemone natus est Thoas fortissimus ille dux Aetolorum. Il. II, 638 sqq.

358. *Idomeneus* clarissimus Cretensium dux. Il. II, 651.

359. *Meriones* Idomenei auriga et socius in belli periculis (Il. VII, 165.) et ipse Cretensis. Il. II, 651. — *frater majoris Atridae*, Menelaus. XII, 623.

361. *consiliis cessere meis*, mihi cessere consilio. Sallust. Cat. I. 5. *Sed diu magnum inter mortales certamen fuit, vine corporis an virtute animi res militaris magis procederet. Nam et prius quam incipias consulto, et ubi consulueris mature facto opus est. Ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget. Gier.*

362. „(sed) *ingenium* (tibi) *est, quod e. m. n.*" — Pro *nostro* Rhen. et Pal. 1. *nostri*, quod causa non aderat, cur in textum induceret Heinsius. Goth. 2., Gron., unus Heins. et Bas. 2. *mod. certo*, a correctore.

363. *futuri*. Vulgo *futuri est*. Sed codd. II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc., omnes fere Heins. et ed. pr. et Ven. 2. *est* non agnoscunt. *Jahn.*

365. *Atrides*, Agamemno.

366. *anteit*, bisyllabum. Vid. ad I, 75.

368. *tantum*. Nonnulli (?) Naug., cod. Bersm., multi Heins., Berol., Dresd., Vrat. et marg. Bas. *tanto*; sed major codicum pars *tantum*, quod servandum putavi, donec membranae accuratius excussae fuerint. Virg. A. XII, 19.

— — *quantumque ipse feroci*
Virtute exsuperas, tanto me impensius acquum est
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.

370. Sequitur peroratio.

371. *quas*. Cod. Bersm. et III Heins. *quos*, quod temere edidit Heinsius. Aliquot Heins., Bas. 2., Lips. 2., St. Gall., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Rhen., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *quibus*. Mendose. Vid. Met. IX, 107. XII, 539.

372. *titulum*, honorem, gloriosum hoc praemium.

373. *obstantia fata*. Palladium et sagittas Philoctetae significat.

374. *posse capi faciendo*. Cf. v. 349. Pont. I, 7, 47.

Nec vitam, nec opes, nec ademit posse reverti.

375. *Troum*. Unus Vat. Ciof. et Cael. *Troiae*. Conf. v. 343. Unus Mor. *per spes vos socias*. — *socias*, communes nostras.

376. *perque deos, quos etc.* Vid. v. 345. Deos autem augendi causa pluraliter dicit, licet nunc unam deam, Minervam sc., significet.

377. Conf. VII, 854.

378. *ex praecipitique*. Leid. et pro

Si Trojae fatis aliquid restare putatis:
Este mei memores; aut si mihi non datis arma,
Huic date!" — et ostendit signum fatale Minervae.
Mota manus procerum est, et, quid facundia posset,
Tunc patuit, fortisque viri tulit arma disertus.
Hectora qui solus, qui ferrum ignemque Jovemque
Sustinuit toties, unam non sustinet iram,
Invictumque virum vincit dolor. Arripit ensem
Et „Meus hic certe est! An et hunc sibi poscit Ulixes?
„Hoc" ait „utendum est in me mihi, quique cruore
Saepe Phrygum maduit, domini nunc caede madebit;
Ne quisquam Ajacem possit superare nisi Ajax!"
Dixit, et in pectus tum demum vulnera passum,
Qua patuit ferro, letalem condidit ensem.
Nec valuere manus infixum educere telum,
Expulit ipse cruor, rubefactaque sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de cespite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Litera communis mediis pueroque viroque
Inscripta est foliis, haec nominis, illa querelae.
Victor ad Hypsipyles patriam clarique Thoantis

v. l. Goth. 2. *ex difficilique*, ut locutus est Trist. V, 14.

Non ex difficili fama petenda tibi est. Berol., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *petendum est.* Reliqui *est* omittunt. Utrum verum sit, accuratiori demum codicum collatione sciri potest.

379. *fatis - putatis.* Cf. v. 224. et II, 398.

381. *huic date*, in hujus templo consecrata suspendite.

382. *manus*, turba. Conf. XII, 627.

383. *tunc patuit.* Codd. Vivian. *tunc* vel *re patuit. Re* etiam multi (?) e melioribus Heinsii, Vrat. et St. Gall., sed mihi de glossa videtur. — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 1. 2., Sulm. 1. 2. et alii Ciof., Zwicc. et vett. edd. *tunc.* Vulgo *tum.*

384. *ignemque.* Ita Berol., Dresd., Goth. 2., Lips. 2., Zwicc., meliores Heins., ed. pr. et Ven. 2. Reliqui *ignesque.* Vid. 91.

385. *unam non sustinet iram.* Conf. v. 3.

386. *vincit.* Ita cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1., Rhen., Vrat., Zwicc. et meliores Heins. — Vulg. *vicit.* Praesens aptius est orationi praecedenti *unam non sustinet iram.*

387. *poscit.* Berol., Lips. 2., Vrat. *et multi Heins. poscet.* Dresd., Neap. et III Heins. *poscat.* Reliqui *poscit.* Praesens cum majori auctoritate codicum et veterum edd., donec libri accuratius excussi fuerint, retinendum putavi; quod in vivida et incitata oratione etiam aptius est.

389. *Phrygum*, Trojanorum. — *domini*, ut v. 2.

391. *tum demum.* Berol., Mor. 1. et IV Heins. *tum denique*, quod tam parva auctoritate recipere non debebat Heinsius.

392. *qua patuit ferro*, qua penetrare poterat; nam superiora ossibus munita.

393. Cael., Sulm. 1., codd. Vatt. Ciof., Berol., Dresd., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 2. et vett. edd. *ferrum*, quod genuinum videtur. Heinsius de suis codd. tacet.

394. *expulit ipse cruor.* Conf. VI, 259.

396. De Oebalio ac re vid. X, 162. — VII Heins. *de sanguine.*

397. *„litera mediis foliis inscripta est communis pueroque* (Hyacintho) *viroque* (Ajaci), *haec* (sc. Al) *nominis* (sc. Ajacis), *illa* (Al) *querelae.* Vid. ad X, 206.

399. *Troja capta Hecuba, Priami uxor, ab Ulixe pro captiva in Thraciam abducitur: ubi Polyxena unica, quae ei restabat filia, ad cenotaphium Achillis mactata et natu minimo quo-*

Et veterum terras infames caede virorum
Vela dat, ut referat Tirynthia tela, sagittas.
Quae postquam ad Grajos domino comitante revexit,
Imposita estque fero tandem manus ultima bello:
Troja simul Priamusque cadunt, Priameïa conjux
Perdidit infelix hominis post omnia formam,
Externasque novo latratu terruit auras,
Longus in angustum qua clauditur Hellespontus.
Ilion ardebat, neque adhuc consederat ignis,
Exiguumque senis Priami Jovis ara cruorem
Combiberat; tractata comis antistita Phoebi

que filio Polydoro a Polymestore, cujus tutelae creditus erat, occiso, filiam ulta, cum Thraces eam persequerentur, in canem conversa est. Eurip. Hecub. et Troad. Hyg. F. 111. — *victor*, Ulixes, qui in causa de Achillis armis victor fuerat. — Hypsipyles clarique Thoantis patria est Lemnos, ubi Philoctetes expositus fuerat. Vid. 45. — In Lemno insula autem tempore expeditionis Argonautarum omnes viri propter impudicitiam instigante Venere a feminis occisi erant; Hypsipyle sola Thoanta patrem regem servarat. Apollod. I. c. 9. Hyg. F. 15. et 74.

400. Voss. et II Heins. *ad veterum t.* Medic. 3. *et veterum ad t.* — Post hunc v. in aliquot Heins. codd., altero Bersm., Berol., Goth. 2., uno Vat. Ciof. additus est hic:

Transierat, tandem portu votoque potitus.

(Berol. *transiit et tandem.*) Sed abest hic v. a cod. Bersm., multis codd. apud Const. Fanens., reliquis Ciof., plurimis Heins., Dresd., Goth. 1., Rhen., Par. 1. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd., ideoque ab Heinsio et editoribus posterioribus recte deletus est. In Par. 2. versus 400. *et veterum etc.* post v. 401. legitur. *Jahn.*

401. *Tirynthia tela*, tela Herculis, quae possidebat Philoctetes. VI, 112. VII, 410. IX, 232. *Dominus* igitur est Philoctetes. Conf. v. 389. et vid. ad v. 44. — *tela* genus declarat, *sagittas* speciem. Conf. II, 616.

403. *imposita estque.* Caes., Goth. 1. 2., Medic. 4., Rhen., Lips. 2., Vat. 1. et alii non pauci Heinsii et ed. Ven. 2. *imposita est sero t. m. u. bello*, ut hoc versu apodosis contineatur, et poeta capita postremorum diuturni belli fatorum verbo tangat: *imposita est - bello, Troja simul Priamusque cadunt, Priameïa conjux etc.* — Berol., Dresd., Pal. 2., Par. 1. 2., nonnulli Heins. et ed. pr. *imposita estque fero t. m. u. b.* — Alter Bersm. *impositaque fero - bello est.* Alter Bersm., Zwicc. a corr., Sulm. 1. 2. et reliqui codd. et ed Ven. 1486. *impositoque fero est t. m. u. b.* Priori scripturae, quamvis elegantem sensum praebeat, obstat illud *sero tandem*, quod minime ferendum est. Posterior praeter difficultatem metricam parvam quoque auctoritatem vetustatis habere videtur. Itaque scripturam *imposita estque fero* retinendam putavi, ut a *Troja simul etc.* apodosis cum vi inferatur. De positione particulae *que* conf. v. 508. *in cursuque.* et IV, 418. De *fero bello* cf. VII, 212.

404. *Priamusque cad.* Priamus capta urbe a Neoptolemo Achillis filio ad Jovis aram trucidatus est. Virg. Aen. II, 512 seqq.

405. *post omnia*, postquam omnia perdiderat.

406. *externas*, peregrina in terra; nam serva, ut modo memoratum est, in Thraciam abducta, ubi haec transformatio ejus accidit, ut statim narratur. VII, 362.

Et quos Maera novo latratu terruit agros.

Goth. 1. 2., Lips. 2. et multi Heins. *aures*, ab inepto sciolo. Fast. I, 567. *fragor aethera terruit ipsum.*

407. *Hellespontus.* De spondeo in quinto pede hexametri vid. ad I, 62. De Hellesponto vid. ad XI, 195. — Quinque Heinsii, Berol. et ed. pr. *qua pontus clauditur Helles.* — Postquam transformationem breviter indicavit, longiorem nunc a v. 408. orditur ejus narrationem.

409. *exiguumque - cruorem.* Vid. VII, 315. — *senis.* Conf. XII, 607.

410. *antistita Phoebi* est Cassandra, filia Priami, quae a Phoebo (I, 515 sqq.) vaticinandi facultatem acceperat. Hanc

Non profecturas tendebat ad aethera palmas;
Dardanidas matres, patriorum signa deorum,
Dum licet, amplexas succensaque templa tenentes,
Invidiosa trahunt victores praemia Graji;
Mittitur Astyanax illis de turribus, unde
Pugnantem pro se proavitaque regna tuentem
Saepe videre patrem, monstratum a matre, solebat.
Jamque viam suadet Boreas, flatuque secundo
Carbasa mota sonant; jubet uti navita ventis.
„Troja, vale: rapimur!“ clamant dantque oscula terrae
Troades, et patriae fumantia tecta relinquunt.
Ultima conscendit classem - miserabile visu -
In mediis Hecuba natorum inventa sepulchris.
Prensantem tumulos atque ossibus oscula dantem

Ajax Oïlei filius (v. 356.) e templo Minervae per vim abstractam servam abduxit. Virg. Aen. II, 403.

Ecce trahebatur passis Priameïa virgo
Crinibus a templo, Cassandra, adytisque Minervae,
Ad coelum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina; nam teneras arcebant vincula palmas.

Quapropter domum rediens ab irata dea immissa tempestate ad Euboïcas cautes naufragium fecit, et fulmine percussus periit. Conf. XIV, 468. — *tractata.* Ita Berol., Cant., Dresd., Franc., Goth. 2., Mor. 1., Ox., Rhen., Thu., Zwicc. et II Heinsii. — Briant., Goth. 1., Joan., Par. 2., Lips. 2., unus Vat. Ciof., Vrat., nonnulli Heins. et ed. pr. *tractaque.* Reliqui *tractisque.* Scripturae *tractaque* et *tractisque* ortae a librariis videntur, qui structuram sententiae non satis perspicerent. Mendosum est et *tractaque* et *tractisque:* nam verba *neque adhuc - combiberat*, dicta pro vulgari *et cum nondum consederat ignis . . . combiberat*, protasin efficiunt, quorum apodosis sunt versus 410—417. — De voc. *antistita* pro *antistes*, miratur Gell. N. A. XIII. c. 20. ipsum Ciceronem, qui insolentias verborum a veteribus dictorum sedulo respuerit, hujus tamen verbi sonitu delectatum esse Verr. IV. c. 45.

412. *Dardanidas*, a vetusto Trojanorum rege, Dardano.

414. *invidiosa*, ob nobilitatem. — Conf. IX, 10. — *Graji.* IV, 16.

415. *Astyanax*, filius Hectoris et Andromachae ab Ulixe a turri missus est. Vid. Serv. ad Virg. Aen. II, 453. et III, 489. Eurip. Troad. v. 720. Lesches apud Pausan. p. 861. — *unde - solebat.* Expressum ex Hom. Il. VI, 372 seqq. et 86.

416. *proavita*, quae diu sub majoribus suis floruerant adeoque carissima esse debebant Hectori. Bene etiam ad affectum *monstratum a matre.* Talia non facile negligit ingenium Ovidii. — *pro se* ad Hectorem refertur. *Gier.*

418. *viam*, navigationem, reditum in Graeciam. — *suadet.* Virg. A. II, 9. *suadentque cadentia sidera somnos.*

420. *dantque.* Ita cod. Bersm., nonnulli scripti Heinsii, Goth. 1. 2., Rhen. et Lips. 2. — Pal. 2. et reliqui cum vett. edd. *que* non agnoscunt.

421. *fumantia.* Etiam Eurip. Troad. v. 8. νῦν καπνοῦται, et v. 146. τύφεται Ἴλιον et Virg. A. III, 3. ubi proficiscitur Aeneas: *omnis humo fumat Neptunia Troja. Gier.* II codd. Heinsii *flammantia.*

422. Hecuba *ultima* conscendit *classem*, navem, ex Eurip. Troad. v. 1330. Sed Naso causam morae satis piam addidit. Notus mos amplectendi sepulcra amicorum. Conf. II, 338. *Gier.*

423. *Hecuba.* Ita Berol. et ed. pr. et haud dubie multi etiam alii. Nam quod vulgo codices habent *Hecube*, vocem Latinam cum fine Graeco mihi persuadere non possum, a Nasone scriptam esse. Varietas orta videtur eo, quod *Hecuba* ultimam habet brevem; sed breves syllabas, imprimis ultimam in tribracho in arsi produci, permulta exstant exempla. Conf. not. ad Trist. III, 15, 36. et ad Met. X, 98. I, 193. XIII, 257.

424. *prensantem.* Conf. II, 338. —

Dulichiae traxere manus; tamen unius hausit
Inque sinu cineres secum tulit Hectoris haustos.
Hectoris in tumulo canum de vertice crinem,
Inferias inopes, crinem lacrimasque reliquit.
Est, ubi Troja fuit, Phrygiae contraria tellus,
Bistoniis habitata viris. Polymestoris illic
Regia dives erat, cui te commisit alendum
Clam, Polydore, pater, Phrygiisque removit ab armis.
Consilium sapiens, sceleris nisi praemia magnas
Adjecisset opes, animi irritamen avari.
Ut cecidit fortuna Phrygum; capit impius ensem
Rex Thracum, juguloque sui defigit alumni,
Et, tanquam tolli cum corpore crimina possent,
Exanimem e scopulo subjectas misit in undas.
Litore Threïcio classem religarat Atrides,
Dum mare pacatum, dum ventus amicior esset:

Dresd., Erf. apud Zinzerl., Franc., Goth. 1. 2., Rhen., Vrat. et plus XX Heinsii *pressantem*. Sed *prensantem* confirmatur etiam illo *traxere*.

425. *Dulichiae manus*, Ulixis. Vid. v. 107. Nam Ulixi tributa Hecuba. Eurip. Troad. v. 1285. — *hausit*, effodit, promsit. XI, 187. De oratione *hausit - haustos* vid. ad I, 33.

426. *inque sinu*. Martial. Ep. IX, 31.
Retulit ossa sinu cari Nigrina mariti.
Conf. Tacit. Ann. II. c. 75.

427. *canum - crinem - crinem lacrimasque reliquit*, hanc elegantissimam scripturam Nasonique solemnem repetitionem Heinsius corrupit cum Leid. et V aliis scribendo *canum - raptum*. Her. XIX, 151.
Sternuit et lumen — posito nam scribimus illo —
Sternuit et nobis prospera signa dedit.'
Vid. not. ad Trist. I, 3, 101. — Cod. Menard. *canum de v. crinem i. i. raptum l. r.*

428. *inopes*: nam omnia alia amiserat. Vid. 405. De re conf. III, 506. Hom. II. XXIII, 141. Interpp. ad Platonis Phaed. p. 89. H. Steph. Prop. I, 7, 21.
Illa meo caros donasset funere crines.
Berol. et Rhen. *relinquit*, quod tam parva auctoritate retinere non sum ausus.

429. „*Est tellus, Phrygiae, ubi Troja fuit, contraria s. opposita* (I, 65.)." Troas enim pars Phrygiae; inde Trojani Phryges saepe dicuntur. Dicit autem h. l. Thraciam e regione Phrygiae: nam *Bistones* gens Thraciae prope Hebrum flumen. Plin. N. H. IV. c. 11. — *Polymestor*, rex Chersonesi Thracicae, Ilionam Priami filiam in matrimonio habebat. Huic Priamus Polydorum natu minimum filium cum rebus pretiosissimis per belli tempora alendum dederat. Hyg. F. 109. Eurip. Hec. init. Serv. ad Virg. A. III, 49. — 430. De forma vocis *Polymestor* vid. ad v. 551.

432. *Phrygiis ab armis*, a bello in Phrygia sive Troade. — IV Heins. *ab arvis*. Male; nam *armis* h. l. cum vi dictum.

434. *animi irritamen avari*. Conf. I, 140. Virg.
— — *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames?

436. *defigit*. Ita plerique vett. Heins., Dresd., Lips. 2. et pro v. l. Goth. 2. — Berol., Par. 1., XVI Heins. et ed. pr. *defixit*. Ambr. *configit*. Cod. Bersm., Rhen., nonnulli Heins. et ed. Ven. 1. *dimisit*. Reliqui *demisit*. *Demisit* et *dimisit* mendosa sunt; dicitur enim *demittere aliquo s. in aliquem locum*. XII, 440. Restant *defixit* et *defigit*, e quibus praesens *defigit* aptius est.

438. *subjectas misit in undas*. Idem Eurip. Hec. 26. 697. Cf. Virg. A. III, 45.

439. *Atrides*, Agamemnon, sc. in reditu suo. In Thracia Graeci Achilli, in agro Trojano sepulto, *χενοτάφιον* exstruxerant, ubi umbra ejus iis apparuit postulans, ut manibus suis Polyxena Hecubae filia immolaretur. Eurip. Hec. 35 seqq. 110 seqq.

440. *amicior*. Ita II Bersm., melio-

Hic subito, quantus, cum viveret, esse solebat,
Exit humo late rupta, similisque minanti
Temporis illius vultum referebat Achilles,
Quo ferus injusto petiit Agamemnona ferro,
„Immemoresque mei discedítis," inquit „Achivi,
„Obrutaque est mecum virtutis gratia nostrae?
Ne facite, utque meum non sit sine honore sepulcrum,
Placet Achilleos mactata Polyxena manes!"
Dixit, et, immiti sociis parentibus umbrae,
Rapta sinu matris, quam jam prope sola fovebat,
Fortis et infelix et plus quam femina virgo
Ducitur ad tumulum, diroque fit hostia busto.
Quae memor ipsa sui, postquam crudelibus aris
Admota est, sensitque sibi fera sacra parari,
Utque Neoptolemum stantem ferrumque tenentem
Inque suo vidit figentem lumina vultu;
„Utere jamdudum generoso sanguine," dixit
„Nulla mora est, aut tu jugulo vel pectore telum
Conde meo!", jugulumque simul pectusque retexit.
„Scilicet aut ulli servire Polyxena ferrem,

res Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2. et edd. Venn. — Vrat. et Zwicc. *amitior*. Codd. Viv. *amicior* v. *mitior*. Reliqui *mitior*. *Amicior* exquisitius et numerosius est. Trist. I, 5, 17.

Si tamen haec navis vento ferretur amico.

dum, donec.

441. *hic*. Scilicet Graeci ibi Achilli cenotaphium exstruxerant.

442. *minanti*. Unus Leid. et Zulich. *minaci*, quod, ut multis aliis locis, perperam recepit Heinsius. Vid. XI, 414. V, 669.

444. Refertur hic locus ad ea quae narrat Hom. Il. I., ubi Achilles, quum Agamemnon rex et supremus Graecorum dux, se ejus servam, pulcram Briseïda (v. 176.) ablaturum minaretur, gladium stringit, quo eum perfoderet, sed a Minerva retinetur. — De producta ultima in *petiit* vid. ad I, 114.

445. *immemoresque*. Bonon. *immemoresne;* sed copula pertinet ad *inquit*.

446. *gratia*. Plurimi (?) Heins. *gloria*. Conf. IV, 536. V, 515.

447. *sine honore*, sine inferiis.

448. *Polyxena*, filia Priami et Hecubae.

449. *parentibus*, morem gerentibus. Eurip. Hec. v. 119 seq.

450. *prope sola*, e L fratribus et L sororibus, qui omnes praeter unum Polydorum (vid. v. 530.) in bello perierant.

451. *fortis et infelix etc.* „*fortis* pariter atque infelix, et utrumque quidem plus, quam femina." Vid. not. ad v. 37. 38. et conf. etiam IX, 544. Piget afferre, quae interpretes de incorruptissima hac scriptura hariolati sunt.

452. *ad tumulum*, sc. ad cenotaphium. Vid. 441.

453. *memor ipsa sui*, sc. se esse filiam regiam. De illo *ipsa sui* vid. index in v. *ipse*.

454. *fera sacra*. Bersm. et nonnulli Heins. *fera fata*.

455. Neoptolemus filius Achillis, qui sacerdos erat constitutus immanis (*feri*) illius sacrificii. Eurip. Hec. v. 223. et 498 seqq. — 456. Scripturam *inque* confirmant II Bersm., Berol., Goth. 1., Lips. 2., Zwicc. et meliores Heinsii. Reliqui *utque*, minus eleganter. — Dicitur *figere in aliqua re s. aliquo loco*. Vid. 436. IV, 196.

457. *jamdudum*, continuo, illico. XI, 482.

458. *aut - vel*. Abrupta oratio est *utere, conde telum aut jugulo vel pectore meo. aut - vel*, ut I, 546. — Unus Mor. et III Heins. *at tu*, quod temere recepit Heinsius. Nonnulli Heins. et ed. pr. etiam *pectore ferrum*. Ad rem conf. Eurip. Hec. 563.

460. *aut - ferrem*. *aut* legitur in Pal. 2. a 1. m., Rhen., Lips. 2. et multis Heinsii. — Pal. 2. a corr., Berol., Dresd., Goth. 2. et Vrat. *haut*.

Aut per tale sacrum numen placabitis ullum! —
Mors tantum vellem matrem mea fallere posset,
Mater obest minuitque necis mihi gaudia; quamvis
Non mea mors illi, verum sua vita gemenda est.
Vos modo, ne Stygios adeam non libera manes,
Este procul, si justa peto, tactuque viriles
Virgineo removete manus: acceptior illi,
Quisquis is est, quem caede mea placare paratis,
Liber erit sanguis. Si quos tamen ultima nostri
Verba movent oris, Priami vos filia regis,
Nunc captiva, rogat; genitrici corpus inemtum
Reddite, neve auro redimat jus triste sepulcri,
Sed lacrimis: tunc, cum poterat, redimebat et auro."
Dixerat. At populus lacrimas, quas illa tenebat,
Non tenet; ipse etiam flens invitusque sacerdos
Praebita conjecto rupit praecordia ferro.
Illa, super terram defecto poplite labens,
Pertulit intrepidos ad fata novissima vultus.
Tunc quoque cura fuit partes velare tegendas,

Reliqui *haud*. — Deinde Arond., Cant., Hamb. 1. 2., Medic. 3., Pal. 1., Par. 1., Lips. 2., Urb., Vat. 1., Zwicc. et plurimi Heinsii *ferrem*. Pal. 2., Par. 2. et reliqui cum vett. edd. *vellem*. Scripturam *aut* poscit natura sententiae, quae cum acerbitate dicta est, quo pertinet etiam illud *scilicet*. Conf. V, 22. *Ferrem* i. e. *sustinerem*, gravius est quam *vellem*, itaque huic affectui accommodatius. Conf. Her. V, 12. Quanquam *vellem* quoque h. l. dici potest — *Polyxena* pro *ego*. Vid. v. 17. et not. ad Her. I, 84.

461. Iidem libri *aut*, *haut* et *haud*.

462. *fallere*, latere, ut IV, 85.

464. *quamvis* cum indic., ut passim. IX, 125. Vid. not. ad Trist. I, 2, 11.

465. *Vos modo*. Adstabant lecti juvenes Graecorum, qui apprehenderent virginem. Eurip. v. 545. Hos *esse procul* vult, ut *libera*, volens, non coacta, quod servile foret, moriatur. Ceterum hoc quoque sumsit ex Eurip. v. 548 sqq. — *Stygios - manes*. Vid. ad I, 139.

470. *verba*. Exc. Pol., Berol. et III Heins. *vota*. Reliqui omnes *verba*, quod etiam sensus postulat.

471. *nunc captiva*, ad commovendam misericordiam addita verba. — Bersm., Arond., Cant., Goth. 1., Gron. 1., Neap., Pal. 1., Par. 1. a 1. m., Rhen., Urb. et VI Heins. *non captiva*, ut sententia sit: *tanquam regis filia*, *non tanquam captiva rogo*. Minus eleganter meo quidem sensu. Conf. Eurip. Hec. v. 349. et 420.

472. *neve auro redimat*. Cic. Verr. V. c. 45. in summae crudelitatis Verrinae speciminibus numerat, quod parentes occisorum liberorum coacti fuerint *redimere pretio sepeliendi potestatem*.

473. *auro*. Hectoris corpus redimere auro voluerat Priamus. Hom. Il. XXIV, 229 sqq. Quod ille fecerat, id nunc Hecubae uxori tribuitur.

474. *at populus*. Pauci codd.: Dresd., Pal. 2., Zwicc. a corr. et edd. Venn. *et populus*. Deinde etiam Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat. et IV Heins. *ipse*. — *populus* est turba exercitus Graecorum, tumulum cingens.

475. *flens invitusque*. *Οὐ θέλων τε καὶ θέλων, οἴκτῳ χόρης*. Eurip. v. 566.

476. *praebita*. X, 706. XII, 101. — De illo *conjecto* conf. VII, 245.

477. *defecto*. Bersm., unus Vat. Ciof. et multi (?) Heinsii *deflexo*. Nonnulli Heins. *defesso*. Conf. IX, 154. X, 194. V, 96. *Succiduus poples* labanti tribuitur X, 458.

478. *pertulit*, servavit.

479. Bersm., Berol. et ed. pr. *tum quoque*. Haec quoque translata sunt ex Eurip. v. 569.

Πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν,
κρύπτειν θ' ἃ κρύπτειν ὄμματ' ἀρσένων χρεών.

Idem Ovidius de Lucretia Fast. II, 833.

Tunc quoque jam moriens, ne non procumbat honeste,

Cum caderet, castique decus servare pudoris.
Troades excipiunt, deploratosque recensent
Priamidas, et quid dederit domus una cruoris,
Teque gemunt, virgo, teque, o modo regia conjux,
Regia dicta parens, Asiae florentis imago,
Nunc etiam praedae mala sors; quam victor Ulixes
Esse suam nollet, nisi quod tamen Hectora partu
Ediderat. Dominum matri vix reperit Hector.
Quae corpus complexa animae tam fortis inane,
Quas toties patriae dederat natisque viroque,
Huic quoque dat lacrimas: lacrimas in vulnera fundit,
Osculaque ore tegit, consuetaque pectora plangit,
Canitiemque suam concreto in sanguine verrens,
Plura quidem, sed et haec laniato pectore dixit:
„Nata tuae-quid enim superest? - dolor ultime matris,
Nata, jaces, videoque tuum, mea vulnera, vulnus,
Et, ne perdiderim quenquam sine caede meorum,
Tu quoque vulnus habes. At te, quia femina, rebar

Respicit; *haec etiam cura cadentis erat.*

481. *deploratos*, occisos: consequens pro antecedente. Vid. 423. 499.

482. *quid - cruoris.* Bersm., Goth. 1., Zwicc., Pal. 2. et XII Heins. *et quem d. d. u. cruorem.* Adsunt etiam variantes *quot*, *quantum*, *quod*, omnes merae interpretationes.

484. *Asiae florentis imago.* Hecuba modo conjux, regina et mater felix recte imago divitis Asiae sive Phrygiae appellari poterat. Virg. A. II, 556. de Priamo:

— *tot quondam populis terrisque superbum*
Regnatorem Asiae.

485. *praedae mala sors*, h. e. vilis sive nullius pretii praeda, utpote anus omnibusque rebus orbata. Vid. 427.

486. *nisi quod.* Conf. v. 895. et IV, 672.

487. *ediderat.* Heinsii inanis conjectura est *edideras*. — *dominum*, qui eam servam habere vellet.

488. *inane* cum genit., ut II, 611. Her. III, 60. *Sanguinis atque animi pectus inane.*

490. *in vulnera.* Bas. 2. 3. 4., S. Gall., Lips. 2., II Bersm., Dresd., Goth. 1., Zwicc., plerique Heins. et ed. pr. *in vulnere*, quod fere est, *vultu ad vulnus admoto.* Verum elegantius est *in ipsa vulnera fundit.* IV, 140. *Vulnera supplevit lacrimis.*

491. *consucta*, sc. ab ea plangi in tot malis. — Berol., Ox., Medic. 4., Vrat., Pal. 2. et V alii Heinsii *ore legit*, quod edidit Heinsius. Sed *oscula* sunt *ora* virginis (vid. I, 499. X, 344.), quae tegens ore mater osculabatur. Cf. XII, 424. — De illo *consueta* conf. X, 424. VI, 597.

492. *verrens.* Dresd., Lips. 2. et XVII Heins. *versans.* Goth. 1., VI Heins. et ed. Ven. 2. *vertens.* Goth. 2. et Bas. 4. *volvens.* II Heins. *vergens.* Reliqui *verrens.* Mihi *vera* videtur scriptura *vertens* vel *versans.* *Verrens* certe naturae rei minus convenit. Et dicitur *verrere* rem s. *locum aliqua re*, ut *erinibus templa verrentes.* Liv. III. c. 7. Catull. LXIV, 224.

Canitiem terra atque infuso pulvere foedans.

494. *matris.* Ambr., Berol. et unus Pat. *matri*, quod temere recepit Heinsius. Vid. not. ad X, 270. et XII, 642. Ad rem conf. X, 198.

495. *tuum*, *mea vulnera*, *vulnus.* X, 197. *videoque tuum*, *mea crimina*, *vulnus.* Ac receptam scripturam confirmant Pol. et VIII alii Heins. et pro v. l. Par. 2. — Alter Bersm., Dresd., Par. 1., Lips. 2., Zwicc., nonnulli Heins. *meum tua v. v.*, minus eleganter. — Bersm., Pal. 2. et nonnulli Heinsii *meum tua pectora vulnus.* Dresd. a corr., Berol., Goth. 1., Par. 2., nonnulli Heins. et ed. Ven. 2. *tuum mea vulnera pectus.* Goth. 2., Rhen., Zwicc. et reliqui *meum tua vulnera pectus.*

496. *et ne.* Hanc optimam scripturam Heinsius corrupit in *en ne*, quod unus Berneg. exhibet.

A ferro tutam; cecidisti et femina ferro,
Totque tuos idem fratres, te perdidit idem
Exitium Trojae nostrique orbator, Achilles.
At postquam cecidit Paridis Phoebique sagittis;
„„Nunc certe“ dixi „non est metuendus Achilles!““
Nunc quoque mî metuendus erat. Cinis ipse sepulti
In genus hoc saevit; tumulo quoque sensimus hostem.
Aeacidae fecunda fui. Jacet Ilion ingens,
Eventuque gravi finita est publica clades;
Sed finita tamen. Soli mihi Pergama restant,
In cursuque meus dolor est. Modo maxima rerum,
Tot generis natisque potens nuribusque viroque,
Nunc trahor exsul, inops, tumulis avulsa meorum,
Penelopae munus: quae me data pensa trahentem
Matribus ostendens Ithacis „„Haec Hectoris illa est
„„Clara parens! Haec est“ dicet „Priameïa conjux.““
„Postque tot amissos tu nunc, quae sola levabas
Maternos luctus, hostilia busta piasti.
Inferias hosti peperi. Quo ferrea resto,
Quidve moror? Quo me servas, annosa senectus?
Quid, dî crudeles, nisi quo nova funera cernam,

499. *totque tuos - fratres.* Priamus L habebat filios. Vid. ad v. 450.

500. *exitium Trojae.* Achilles exitium Trojae ob interfectum maxime Hectorem, qui patriam fortissime defendebat. *Gier.*

501. *Paridis Phoebique sagittis.* Vid. ad XII, 580. et 597 seqq.

503. *cinis ipse.* Berol., Franc. et multi Heins. *cinis ille.* Scaurus apud Senec. Controv. c. 28. Nasonem vituperat, quod nec hoc nec aliis locis scierit, quae bene cesserint, relinquere. Sed morosus ille nimis est, cum etiam seqq. *Aeacidae fecunda fui,* abesse vult. His enim verbis aliquid novi additur. Achilles etiam mortuus in genus nostrum saevit, ut adeo illi tot liberos peperisse videar. Quanquam nec alterum urgendum est. Lugentium enim affectus miseriam suam varie expressam repetere solet. Ceterum conf. Q. Cal. XIV, 297. ubi eadem sententia. *Gier.*

504. *tumulo*, per tumulum.

505. *Ilion ingens.* Conf. v. 169.

506. „*et eventu gravi* (exitioso) *publica* (s. civitatis) *clades finita est; sed tamen finita est, finem habuit. Mihi soli Pergama restant* et clades integra et *in cursu* adhuc est.“ Her. I, 51.

Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant.

Pro *sed finita tamen* Bersm., unus Medic., Par. 1. et Rhen. *si finita tamen*, quae dubitantis esset oratio et sententiae repugnaret. Exc. Cal. et unus Leid. *nec finita tamen.* Mira praeterea hariolati sunt de hoc integerrimo loco interpretes.

508. *in cursuque.* De positione illius *que* conf. IV, 418. X, 144. XIII, 403. XIV, 801. — *modo maxima rerum.* Conf. v. 483.

509. *natis potens*, i. e. per natos potens. Conf. v. 22.

510. *nunc trahor*, abstrahor. — *tumulis avulsa meorum.* Vid. 423.

511. Penelopae, uxoris Ulixis, cujus serva erat. Vid. v. 485. Conf. VIII, 315. Dresd., XV Heinsii et ed. pr. *Penelopes.* — *data pensa*, sc. ad nendum; nam *trahere* est pro *nere.* Fast. II, 743.

— *famulae data pensa trahebant.* Virg. Georg. I, 390. *pensa carpere.*

512. *Ithacis.* Vid. ad v. 98.

515. *hostilia busta piasti.* Vid. v. 447. 448. Conf. v. 428.

516. *ferream* nunc se dicit, quia par erat calamitatibus tot tantisque perferendis neque mortem sibi consciscebat.

517. *annosa.* Sic omnes codd. Conf. VII, 237.

518. *quid, dî crudeles, etc.* Ita Berol., II Medic., Pal. 2., Rhen., Lips. 2., Twisd. 1., Vat. 1. et multi e melioribus Heins. Vulgo *quo dî crudeles.* Porro *nisi quo* Berneg., Flor., II Medic., Neap., Pol., Twisd. 1.,

Vivacem differtis anum? — Quis posse putaret
Felicem Priamum post diruta Pergama dici?
Felix morte sua est, nec te, mea nata, peremtam
Adspicit, et vitam pariter regnumque reliquit. —
At, puto, funeribus dotabere, regia virgo,
Condeturque tuum monumentis corpus avitis. —
Non haec est fortuna domus; tibi munera matris
Contingent fletus peregrinaeque haustus arenae. —
Omnia perdidimus: superest, cur vivere tempus
In breve sustineam, proles gratissima matri,
Nunc solus, quondam minimus de stirpe virili,
Has datus Ismario regi Polydorus in oras. —
Quid moror interea crudelia vulnera lymphis
Abluere et sparsos immiti sanguine vultus?"
Dixit, et ad litus passu procedit anili,
Albentes lacerata comas. „Date, Troades, urnam"
Dixerat infelix, liquidas hauriret ut undas:
Adspicit ejectum Polydori in litore corpus
Factaque Threïciis ingentia vulnera telis.
Troades exclamant; obmutuit illa dolore,
Et pariter vocem lacrimasque introrsus obortas
Devorat ipse dolor, duroque simillima saxo
Torpet, et adversa figit modo lumina terra;

Vat. 1., Vrat., multi Heins. et vett. edd. *nisi quo*. Reliqui *nisi uti*.

519. *differtis*. *differre* de homine cf. XII, 76.

521. *sua est*. Heinsius *est*, quod codices et vett. edd. habent, tacite omisit.

523. *dotabere*. *Dotare* h. l. cum respectu ad illud *regia virgo* dictum est. — Flor., Goth. 1. et a sec. m. 2., Medic., Neap. et Vrat. *donabere*. Virg. A. VII, 318. Juno de Lavinia:

Sanguine Trojano et Rutulo dotabere, virgo.

De correpta litera *o* in *puto* conf. VIII, 60. — *funeribus*, exsequiis. XI, 540.

526. *peregrinae*, quod tristissimum veteribus. Vid. not. ad Trist. III, 3, 32. Accidit illud in Thracia. Conf. v. 426. 428. — *contingent*. Unus Bas. et Berol. *contigerint*.

527. Praeclare desinit in hoc solatio. Ita enim fortius sentitur dolor, quo miserrima mater cruciabatur conspecto repente hujus quoque filii corpore. *Gier.*

530. *Ismario*, Thracico, ab Ismaro Thraciae monte. II, 257. IX, 642.

532. *immitis sanguis*, qui hauritur per hostem immitem.

533. *anili*, lento vel *trementi*, ut est III, 276., quia anus erat. Conf. VIII, 644. — Berol., Goth. 1., Par. 1. 2., Rhen., Vrat., plerique vetustiores Heinsii *processit*. III Heinsii *properavit*. Dresd. *properabat*. Bas. 1. 4., S. Gall., Lips. 2. et reliqui omnes cum vett. edd. *procedit*, quod rem eleganter ut nunc praesentem declarat: quam scripturam, donec codices plures excussi fuerint, retinendam putavi.

534. *lacerata comas*. I, 332. — Bas. 1., Dresd. et IV Heinsii *laniata*. Constans horum verborum permutatio atque varietas. Nos sequimur codices et veteres edd.

536. *ejectum*. Non jungendum *ejectum in litore*, sed *adspicit in litore* (quid?) *ejectum*.

537. *Threïciis*, Threïcii regis.

538. *obmutuit*. Senec. Hipp. v. 608.

curae leves loquuntur, ingentes stupent.

Fast. IV, 845.

Haec ubi rex didicit, lacrimas introrsus abortas
Devorat, et clausum pectore vulnus habet.

539. *obortae lacrimae* etiam I, 350. — *introrsus obortas*, expressas quidem sed non profluentes. *Gier.*

540. *devorat* accommodatius doloris rabiei quam *retinet* aut simile verbum.

541. *adversa - terra*, terra quae ei

Interdum torvos extollit ad aethera vultus;
Nunc positi spectat vultum, nunc vulnera nati,
Vulnera praecipue, seque armat et instruit ira.
Qua simul exarsit; tanquam regina maneret,
Ulcisci statuit, poenaeque in imagine tota est.
Utque furit catulo lactente orbata leaena,
Signaque nacta pedum sequitur, quem non videt, hostem;
Sic Hecuba, postquam cum luctu miscuit iram,
Non oblita animorum, annorum oblita suorum,
Vadit ad artificem dirae Polymestora caedis,
Colloquiumque petit: nam se monstrare relictum
Velle latens illi, quod nato redderet, aurum.
Credidit Odrysius, praedaeque assuetus amore
In secreta venit; tum blando callidus ore
„Tolle moras, Hecuba" dixit, „da munera nato:
„Omne fore illius, quod das, quod et ante dedisti,
Per superos juro." Spectat truculenta loquentem
Falsaque jurantem, tumidaque exaestuat ira,
Atque ita correptum captivarum agmine matrum

obversa erat, quam ex adverso intuebatur, opposita. Her. II, 26.

Haesit in opposita lumina fixus humo.

XII, 116. XIV, 5. *Figere* autem cum solo ablat. jungitur., sed idem etiam cum *in* et ablat. et accus. Cf. v. 435.

542. *extollit*. Berol., Cant., Dresd., Goth. 1. 2., Jun., Pal. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et plus XL Heins. et edd. Venn. *extollit*. III Heins. *attollit*. Ox. et Voss. *intendit*. Sprot. *extendit*. IV Heins. *tollit torvos ad sidera*. Vulgo *sustollit*, quod mihi non tantum propter parvam quam habet auctoritatem veterum librorum suspectum est, sed etiam quia alibi raro reperitur. Itaque verum videtur *extollit*.

543. *positi* de mortuo accipiendum.

544. *se instruere ira* est se concitare ad iram. — Berol., Neap. et unus Vat. *instruit iram*. Berol. v. 545. etiam *quae*.

546. *poenaeque in imagine*. Conf. VI, 586. — *tota est*. Hor. Sat. I, 9, 2.

Nescio quid meditans nugarum, totus in illis —

ubi vid. Heindf.

550. *animorum*, generosi animi. Cf. v. 453. Pro *annorum* etiam *sed annorum* dici poterat; gravius dictum est sine particula. Conf. v. 565.

551. *Polymestora*. Vetustiores Heins. hic et v. 430. *Polymestoris* et *Polymestora*, quod Par. 1. 2., Berol., Dresd., Lips. 2., Vrat. cum edd. Venn. confirmant. — Vulgo *Polymnestoris* et *Polymnestora*.

552. „*nam se monstrare*, indicare, illi velle aurum (in Troade) relictum." Eurip. Hec. v. 1002 — 1020.

554. *Odrysius*, Threïcius. Vid. VI, 490. — *assuetus* cum abl. ex vetere Latinorum consuetudine loquendi. Vid. Gron. ad Liv. XXXI. c. 35. Rudim. Gr. Lat. II. p. 71. 137. Virg. A. VII, 747. *assueta multo venatu*. Cic. de Orat. III. c. 15. *homines labore assiduo et quotidiano assueti*.

556. *tolle morâs*. Conf. XI, 685. — Rhen., Zwicc, et III codd. Gifanii in indic. Lucret. p. 299. *Hecuba*. Reliqui *Hecube*. Vid. ad v. 423.

559. Conf. II, 602.

560. *atque ita*. Conf. I, 16. Phaedr. I, 1.

Atque ita correptum lacerat injusta nece.

Scripturam *correptum* habent Par. 2. a 1. m., S. Gall., Goth. 1., Mor. 1., Rhen. et pro v. l. Gron. 1. — Reliqui paucis exceptis *correpto*, quod (nam dicitur etiam *involare alicui*) verum putarem, si non *agmine* sequeretur, quo oratio ambigua fit. Scripturam *agmine* autem confirmant Bersm., Franc., Mor. 1., Rhen., Vat. 1. 2., VII Heinsii, Bas. 3. 4. pro v. l. et edd. Venn. Reliqui *agmina* et v. sequente *invocat*, ubi scripturam *involat* praeter modo nomi-

Involat, et digitos in perfida lumina condit,
Expilatque genis oculos - facit ira valentem -
Immergitque manus, foedataque sanguine sonti
Non lumen - neque enim superest -, loca luminis haurit.
Clade sui Thracum gens irritata tyranni
Troada telorum lapidumque incessere jactu
Coepit. At haec missum rauco cum murmure saxum
Morsibus insequitur, rictuque in verba parato
Latravit, conata loqui; — locus exstat, et ex re
Nomen habet - veterumque diu memor illa malorum
Tum quoque Sithonios ululavit maesta per agros.
Illius Troasque suos hostesque Pelasgos,
Illius fortuna deos quoque moverat omnes,
Sic omnes, ut et ipsa Jovis conjuxque sororque
Eventus Hecubam meruisse negaverit illos.
Non vacat Aurorae, quanquam isdem faverat armis,

natos codices Thu. quoque et exc. Cal. tuentur, quae etiam sensus bonitate commendatur. — *agmine*, ab agmine.

562. *expilatque*. Exc. Jnr. et pro v. l. Arond. *exspoliatque genas oculis*, quod temere edidit Heinsius. — Dresd., Par. 2., Cael., Sulm. 2., Vat. Ciof., Zwicc. et IV Heins. *exspoliatque genis oculos*. — Par. 1. *expilatque genas oculis*. Cod. Bersm., nonnulli apud Naug. et antiqui codd. Raph. Regii, Berol., Cant., Capr., Erf. 1. 2., Goth. 2. pro v. l. et Goth. 1., Hamb. 1. 2., Medic. 3. 4., Mor. 1., Pal. 1. 2., Ox., Par. 1., Rhen, Lips. 2., Sulm. 1., Vat. 1., Vrat., plurimi Heins. et. edd. Venn. *expilatque genis oculos*. Goth. 2., Gron. 1., Thu. et X alii Heins. *extraxitque genis oculos*. Flor., Par. 1. et ed. pr. *expellitque genis oculos*. Codd. Vivian. *expilatque genis oculos* vel *expellit* vel *extraxit*. — Pro *valentem* Medic. 3., Sulm. 1., Zwicc, et multi Heins. *potentem*, ex interpretamento. Berol., Capr., Dresd., Goth. 1., Pal. 2., Par. 1. 2., Lips. 2., plurimi Heinsii et ed. pr. *nocentem*, mendose. — Apud Eurip. v. 1170. fibulis effodiunt oculorum pupulas.

563. *sonti*. Cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Pal. 2., Vrat. et ed. pr. *sontis*, quod haud dubie etiam in multis Heins. codd. inventum est. *Jahn*.

564. Luxuriatur iterum Nasonis ingenium. *loca luminis*, ubi etiam *sed* addi poterat. Conf. v. 556, — *loca luminis*. Conf. VIII, 808, — *haurit*, fodit. V, 126.

566. *incessere jactu*. Cf. XIV, 402.

567. *rauco cum murmure*, quale canum est.

568. *morsu insequitur*, cursu sequitur, ut mordeat. Ingeniose canis naturam exprimit. — *rictu in verba parato*, cum confermaret os, ut voces humanas emitteret, ut Lycaon I, 233. et Io I, 637. — Goth. 2., Vrat. et plurimi Heins. *ad verba*.

569. *locus exstat*, adhuc monstratur. Conf. XIV, 73. — *et ex re nomen habet* sc. Cynossema q. e. *κυνὸς σῆμα* in Chersoneso Thracica prope Sestum. Eurip. Hec. v. 1275. Jul. Pollux V., c. 5. Dictys Liber. V. p. 137. Serv. ad Virg. Aen. III, 6. Quint. Cal. XIV, 345 sqq. Diod. XIII. c. 40. Hyg. F. 111. Strab. XIII. p. 812. Mela II. c. 2. *est Cynossema, tumulus Hecubae, sive ex figura canis, in quam conversa traditur, sive ex fortuna, in quam deciderat, humili nomine accepto*.

571. *Sithonios*, Thraciae VI., 588.

574. *ipsa Jovis conjux sororque*, Juno (I, 113.), quae omnes Trojanos propter judicium illud Paridis oderat, itaque Graecis favebat.

576. *Memnon filius Aurorae et Tithoni, rex Aethiopum, quum Priamo auxilium laturus exercitum Trojam adduxisset, ab Achille occiditur, ex cujus rogo Jupiter, commotus Aurorae precibus, mutato cinere aves excitat, quae Memnonides dictae sunt*. Quintus Cal. II, 100 seqq. Dictys Cret. IV, 4. VI, 10. Conf. Heyn. ad Apollod. Observ. p. 300.

576. *non vacat etc.* Simlis transitio ad novam transformationem est I, 583. et VII, 162. De *vacare* cum la-

Cladibus et casu Trojaeque Hecubaeque moveri;
Cura deam propior luctusque domesticus angit
Memnonis amissi, Phrygiis quem lutea campis
Vidit Achillea pereuntem cuspide mater;
Vidit, et ille color, quo matutina rubescunt
Tempora, palluerat, latuitque in nubibus aether.
At non impositos supremis ignibus artus
Sustinuit spectare parens; sed crine soluto,
Sicut erat, magni genibus procumbere non est
Dedignata Jovis lacrimisque has addere voces:
„Omnibus inferior, quas sustinet aureus aether, —
Nam mihi sunt totum rarissima templa per orbem, —
Diva tamen venio, non ut delubra diesque
Des mihi sacrificos caliturasque ignibus aras:
Si tamen adspicias, quantum tibi femina praestem,
Tum cum luce nova noctis confinia servo;
Praemia danda putes. Sed non ea cura, neque hic est
Nunc status Aurorae, meritos ut poscat honores;
Memnonis orba mei venio, qui fortia frustra
Pro patruo tulit arma suo, primisque sub annis
Occidit a forti - sic vos voluistis - Achille.
Da precor, huic aliquem, solatia mortis, honorem,
Summe deûm rector, maternaque vulnera leni!“
Jupiter annuerat, cum Memnonis arduus alto
Corruit igne rogus, nigrique volumina fumi

finit. conf. V, 334. — *iisdem armis*, Trojanis; Tithonus enim frater Priami fuisse dicitur. Conf. v. 596.

579. *lutea*, i. q. crocea. Conf. VII, 703. Fast. IV, 714.

Memnonis in roseis lutea mater equis.

Achillea cuspide. Hyg. F. 112. Hom. Od. IV, 187.

580. De repetitione illa *vidit – vidit* conf. v. 527. 528. et not. ad Trist. I, 3, 101.

581. Mater se abscondit, ut Lucifer in morte Ceycis XI, 570. Vid. etiam II, 329, et Tryphiod. v. 29. et Senec. Troad. v. 237.

583. *supremis ignibus*, rogo.

584. *non sustinuit spectare.* Conf. v. 528. *crine soluto*, quod signum luctus. XI, 682.

585. *sicut erat.* Vid. v. 3. II, 272. IV, 474. — Ceterum dicitur *genibus procumbere* et *ad genua*.

587. *sustinet*, fert, habet.

589. *venio.* Berol., Dresd., Goth. 2. a corr., Vrat., Bas. 1. 2. 4., S. Gall. a 1. m. et meliores Heins. *venio.* Reliqui *veni.* Scripturam *venio* confirmat etiam v. 595. et vero etiam illud *des* tempore praesenti.

590. *sacrificos*, quibus sacra fiunt. Conf. XIII, 249. — *caliturasque.* Conf. XII, 12.

592. *luce nova*, oriente. — *noctis confinia* de crepusculo. IV, 401. VII, 706.

595. *Memnonis orba.* *Orbus* cum genit. et abl. jungitur. Cf. v. 41. 195.

596. *pro patruo – suo*, Priamo; nam Tithonus, Memnonis pater, frater ferebatur Priami. Vid. 576. Inde Aurora *iisdem faverat armis.* Vid. 576. — *sub annis.* Conf. XII, 183.

597. *occidit a forti.* Cf. V, 192. — Scripturam *sic vos* confirmant Pal. 2., Flor., Neap., Ox. et X alii ex melioribus Heins. Reliqui *sic dî.* Exspectanda est accuratior codicum collatio. *Dî* cum ad deum conversa oratio sit, abundare videtur. *Vos* autem vim orationi addit.

600. *Jupiter annuerat, cum.* Conf. VI, 520. VII, 324 — 326. — *arduus alto igne rogus.* II, 1. *sublimibus alta columnis.*

601. *volumina fumi.* Virg. A. III, 286. *fumus volvitur.* Luc. III, 505. *nigri spatiosa volumina fumi.* — Mor., Vrat., VII Heins. et ed. pr. *volumine.*

Infecere diem, veluti cum flumina natas
Exhalant nebulas nec sol admittitur infra:
Atra favilla volat, glomerataque corpus in unum
Densatur faciemque capit, sumitque calorem
Atque animam ex igni, levitas sua praebuit alas;
Et primo similis volucri, mox vera volucris
Insonuit pennis; pariter sonuere sorores
Innumerae, quibus est eadem natalis origo.
Terque rogum lustrant et consonus exit in auras
Ter clangor, quarto seducunt castra volatu.
Tum duo diversa populi de parte feroces
Bella gerunt, rostrisque et aduncis unguibus iras
Exercent, alasque adversaque pectora lassant,
Inferiaeque cadunt cineri cognata sepulto
Corpora, seque viro forti meminere creatas.
Praepetibus subitis nomen facit auctor: ab illo
Memnonides dictae. Cum sol duodena peregit
Signa, parentali moriturae more rebellant.
Ergo aliis latrasse Dymantida flebile visum;
Luctibus est Aurora suis intenta, piasque
Nunc quoque dat lacrimas et toto rorat in orbe.

602. *flumina - exhalant nebulas.* Conf. I, 603. 604. Intellige: *flumina* ex se natas nebulas exhalant, efferunt, emittunt.

604. *glomerataque.* Conf. IX, 222.

605. *densatur.* Gif. cod., Flor., Neap., Pal. 1. et III alii Heins. *densetur.* Non quaeritur, an *densetur* dicatur, sed utra scriptura majorem habeat auctoritatem vetustatis, et an Ovidius hac verbi forma etiam alibi usus sit. Vid. Wagner ad Virg. Georg. I, 248. — *calor*, vis vitalis, hinc *anima* inde exoritur.

606. *levitas sua*, levis favillae materia *praebuit* (leves) *alas.*

607. *vera volucris.* Conf. X, 250.

608. *insonuit pennis.* V, 294.

610. *consonus*, quia conjunctim sonant.

611. *seducunt castra volatu*, in diversa loca volant, quippe bellum parantes.

614. *lassant.* Cod. Bersm., Goth. 2., Vrat. et XVIII Heins. *jactant.*

615. *inferiaeque cadunt etc.* „*et cognata* (quippe de eodem rogo nata) *corpora pro inferiis* (v. 428.) *cadunt cineri sepulto h. e.* manibus Memnonis.“

617. *auctor*, ille unde natae erant, sc. Memnon. Plin. N. H. X. c. 26. *auctores sunt, omnibus annis advolare Ilium ex Aethiopia aves*, et confligere *ad Memnonis tumulum, quas ob id Memnonidas vocant. Hoc idem quinto quoque anno facere eas in Aethiopia circa regiam Memnonis exploratum sibi Cremutius tradit.* Conf. Ael. Nat. A. V. c. 1. Hellespontii tradebant eas quotannis ad Memnonis sepulcrum volantes humum everrere, eamque aqua pennis collecta adspergere. Pausan. X. p. 875, - *praepetibus subitis.* Conf. III, 123. V, 560.

618. *duodena signa*, XII signa coelestia. Conf. VI, 571.

619. *parentali more*, ut quasi parententur s. inferiae fiant manibus Memnonis. — Nonnulli Ciof., Zwicc. et nonnulli Heinsii *morte*, unde Heinsius conjecit *Marte.* Amor. I, 13, 3.

Quo properas, Aurora? mane; sic Memnonis umbris
Annua solemni caede parentet avis.

rebellant. Conf. IX, 81.

620. *Dymantida*, Hecubam Dymantis filiam. XI, 761. — Hyg. F. 111. Hom. Il. XVI, 718. Apollod. III. c. 12.

622. *piasque nunc quoque dat lacrimas.* Serv. ad Virg. I, 493. de Memnone: *cujus mortem mater Aurora hodieque matutino rore flere dicitur.*

623. *Aeneas, filius Veneris et Anchisae Troia capta profugus Delum appulsus ab Anio insulae rege et sacer-*

Non tamen eversam Trojae cum moenibus esse
Spem quoque fata sinunt: sacra et sacra altera, patrem,
Fert humeris venerabile onus Cythereïus heros.
De tantis opibus praedam pius eligit illam
Ascaniumque suum, profugaque per aequora classe
Fertur ab Antandro, sceleratаque limina Thracum
Et Polydoreo manantem sanguine terram
Linquit, et utilibus ventis aestuque secundo
Intrat Apollineam sociis comitantibus urbem.
Hunc Anius, quo rege homines, antistite Phoebus
Rite colebatur, temploque domoque recepit,
Urbemque ostendit, delubraque nota duasque
Latona quondam stirpes pariente retentas.

dote Apollinis hospitio excipitur. Is ei narrat, filium suum ab Apolline artem vaticinandi accepisse et filias a Baccho facultatem, quicquid tetigissent in fruges vel oleum vel vinum mutandi. Has, quum Agamemnon eas cogere voluisset, ut Graecorum exercitum alerent, a Baccho in columbas esse conversas. Serv. ad Virg. A. III, 80. ibique Heyn. Diod. V. c. 62. Tzetz. ad Lycophr. 570.

623. „*Non tamen fata sinunt, cum Trojae moenibus eversis spem quoque eversam esse.*“ — *nec tamen* legitur in Berol., Dresd., Lips. 2., Zwicc. et melioribus Heins. — Reliqui cum vett. edd. *non tamen*, quod tutius erat retinere.

624. Nota est fabula, Aenean Troja incensa et patrem et deos patrios humeris suis e flammis portasse atque servasse. Inde *sacra*, et *sacra altera*, *patrem*. Fast. IV, 38. de Aenea:

Sacra patremque humeris, altera sacra, tulit.

Vid. Heyn. Excurs. IX. ad Virg. A. II, 293. Hectoris umbra ad Aenean:

Sacra suosque tibi commendat Troja Penates,
Hos cape fatorum comites, his moenia quaere,
Magna pererrato statues quae denique ponto.

625. *Cythereïus*, Veneris. IV, 288.

626. *pius* ergo in deos, in patrem et in filium.

627. *Ascanius* sive Iulus, Aeneae filius.

628. *Antandrus*, urbs maritima Troadis (Virg. A. III, 5. ibique interpp.), e cujus portu Aeneas classem solvit, ac primum ad ostia Hebri appulit, ibique urbem Aenum posuit. Cognita autem Polymestoris perfidia inde digressus est. Vid. Heyn. Exc. I. et II. ad Aen. III.

Gier. — *scelerata*, propter facinus Polymestoris, ut sequitur. — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Rhen., Lips. 2., Zwicc. vetustiores Heins. et ed. pr. *limina* quod invitus retinui; nam mihi verum videtur *litora*, quod certe elegantius h. l. est, et illi *manantem terram* convenientius. Edd. Venn. quoque *litora*.

630. *aestuque secundo* q. e. undisque secundis. Vid. infra v. 728. Virg. A. X, 687.

Labitur alta secans fluctuque aestuque secundo.

631. *Apollineam - urbem*, urbem Deli, Apollini sacram, qui ibi natus erat. VI, 191 seqq. I, 454. De hoc adventu vid. Dion. Hal. I. c. 50.

632. Virg. A. III, 80.

Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos,
Vittis et sacra redimitus tempora lauro.

Vid. ibi Serv. et Lycophr. Cass. v. 570.

633. *colebatur.* Vat. 2. et IV alii Heins. *colebantur*, quod sine justa causa induxit Heinsius. Conf. I, 142. et ad XII, 224. — *colere* autem fere pro *consulere*, curare. Vid. VIII, 724. — *rite*, e legibus sacris. — *templo domoque recepit.* Conf. XIV, 608. *templo recepit* est *duxit* nos in templum, ut ibi adoraremus. Virg. d. l. de eadem re:

Templa dei saxo venerabar structa vetusto.

634. *nota.* Bonon. 1., Dresd., Goth. 1., Vrat. et IV Heins. *vota.* Perperam: *nota* est inclyta, clara.

635. „. . *et duas stirpes* (arbores illas), *quarum truncos Latona, quum ibi Apollinem et Dianam pareret, manibus amplexa tenuerat* vel de quibus nixa erat.“ Vid. VI, 335. Her. XXI, 100. ibique not. Serv. ad Virg. Aen. III, 92. Eurip. Hec. v. 458. Hom.

Ture dato flammis vinoque in tura profuso,
Caesorumque boum fibris de more crematis,
Regia tecta petunt, positique tapetibus altis
Munera cum liquido capiunt Cerealia Baccho.
Tum pius Anchises: „O Phoebi lecte sacerdos
„Fallor, an et natum, cum primum haec moenia vidi,
Bisque duas natas, quantum reminiscor, habebas?“
Huic Anius, niveis circumdata tempora vittis
Concutiens et tristis, ait: „Non falleris, heros
„Maxime, vidisti natorum quinque parentem,
Quem nunc - tanta homines rerum inconstantia versat -
Paene vides orbum. Quod enim mihi filius absens
Auxilium, quem dicta suo de nomine tellus
Andros habet pro patre, locumque et regna tenentem?
Delius augurium dedit huic, dedit altera Liber
Femineae stirpi voto majora fideque
Munera: nam tactu natarum cuncta mearum
In segetem laticesque meri baccamque Minervae

H. Apoll. v. 117. Callim. H. Del. v. 208. Theogn. 929. *Λητὼ φοίνικος ῥαδινῆς χερσὶν ἐφειμένη.* Vetustissimam palmam inde ab Apollinis aetate in insula Delo conspici, tradit Plin. H. N. XVI. c. 44. Vid. ad Met. VI, 335.

637. *caesorumque.* Ita recte cod. Bersm., Berol., Goth. 1., Rhen., Lips. 2. et meliores Heinsii. — Reliqui *caesarumque.* Male; non enim *vaccae* sed *boves* Deae mactabantur.

638. *positique* q. e. accumbentesque. Ita Barb. et Goth. 1. et unus Heinsii, quod recte recepit Heinsius. Reliqui omnes *positisque*, quod natum est ex illis ablativis *tapetibus altis*, de quibus conf. Virg. A. IX, 325. Tapetes sunt vestes stragulae, quibus lectuli accumbentium sterni solebant.

639. *munera Cerealia.* XI, 121. VI, 488. — *Baccho.* XI, 125.

640. *tum.* Leid., IV alii Heins. et vett. edd. *tuno.*

641. *cum primum.* Serv. ad Virg. A. III, 82. *Ad Anium Anchises ante Troïcum bellum consultum venerat, an Salaminam peteret comes Priamo.* Hinc Anius etiam apud Virg. l. c. *veterem Anchisen agnoscit amicum.* — De illo *fallor an* conf. I, 391.

643. Virg. A. III, 81.

Anius . . . . .
Vittis et sacra redimitus tempora lauro,

De *niveis vittis*, Conf. V, 110. XV, 676.

645. *vidisti natorum.* Cod. Bersm., Berol., Rhen., Lips. 2. et Zwicc. *natorum vidisti*, quod sine justa causa novavit Heinsius.

647. *quod - auxilium.* Sententia est: *quale auxilium filius absens ferre potest?* Ox. et Rhen. *quid - auxilii*, quod tam exigua auctoritate recipere non debebat Heinsius. — Berol., Dresd., Lips. 2. et Zwicc. *enim est.*

649. *Andros.* VII, 469. *Quem - Andros habet pro patre*, h. e. quem pater non habet (eum enim reliquerat), sed Andros habet. — Multi Heins. et edd. Venn. mendose *pro parte.* III Heins. *pro patre locumque et regna tenenti*, ut haec jungantur versui, qui sequitur. *Locumque et regna* intellige *et terram et regiam dignitatem*, nos: *Land und Königthum* oder *Herrschaft.* Conf. VI, 677. *sceptra loci rerumque moderamen.*

650. *Delius.* Vid. 635. I, 454. — *augurium*, vim divinandi.

651. *femineae stirpi.* Bas. 1., Rhen. pro v. l. et II Heins. *sorti*, quod fluxit e VI, 680. Certe nihil Heinsius habebat causae, optimam scripturam veterum codicum et editionum mutandi. Cf. v. 529.

652. *munera - munera.* Ab hoc munere illae dictae sunt Oenotropae. Tzetz. ad Lycophr. Cass. v. 570. Stephan. in *Ἄνδρος.*

653. *laticesque meri.* Gron. et VII Heins. *in segetes laticesque.* Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et plurimi Heins.

Transformabantur, divesque erat usus in illis.
Hoc ubi cognovit Trojae populator, Atrides, —
Ne non ex aliqua vestram sensisse procellam
Nos quoque parte putes - armorum viribus usus
Abstrahit invitas gremio genitoris, alantque
Imperat Argolicam coelesti munere classem
Effugiunt quo quaeque potest: Euboea duabus,
Et totidem natis Andros fraterna petita est.
Miles adest, et ni reddantur, bella minatur.
Victa metu pietas consortia pectora poenae
Reddidit; et timido posses ignoscere fratri.
Non hic Aeneas, non, qui defenderet Andron,
Hector erat, per quos decimum durastis in annum.
Jamque parabantur captivis vincla lacertis;
Illae tollentes etiamnum libera coelo
Brachia „Bacche pater, fer opem!“ dixere: tulitque

in segetem laticesque. Vulgo *in segetem laticemque.* Majorem auctoritatem vetustatis habere videtur *in segetem laticesque.* De *bacca Minervae* cf. VIII, 665.

654. *in illis*, illarum. X, 651. 737.

655. *Trojae vastator Atrides* s. Agamemno vocatur, quatenus supremus exercitus Graecorum dux fuit. Vid. 230. 359.

656. *vestram – procellam*, vestram calamitatem ex bello.

659. *coelesti*, a deo accepto. Vid. 650. — Scripturam *classem* confirmant Bas. 1. 2. 4., S. Gall., Dresd., Goth. 2., Rhen., unus Sulm., II Vatt. Ciof., Vrat., Zwicc., meliores Heins. et ed. pr. Reliqui, qui perpauci esse videntur, *gentem*. Prius, quando de illa Graecorum expeditione contra Trojanos et classe agitur, aptius et ποιητικώτερον.

660. *Euboea*, insula Graeciae, quae hodie *Negropont* vocatur.

661. *Andros fraterna*, ubi frater regnabat.

662. *reddantur*. Sic uterque Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 2., Rhen., Lips. 2., Zwicc. et omnes fere Heins., quorum summa auctoritas sequenda est. Vulg. *dedantur*, quod originem suam debere videtur illi *dedidit* v. 664.

663. *consortia*, ejusdem sanguinis sive cognata. VIII, 444. XI, 346. *pectora* legitur in melioribus Heinsii, Berol., Dresd., Par. 1., Rhen. et Lips. 2., quod etiam elegantius est, quam *corpora* vulgatae et reliquorum vett. librorum.

664. *dedidit*. Alter Erf., Graev., Goth. 1. et unus Heins. *dedit et ut tim.*, quod induxit Heinsius. Neap. et II Heins. *dedit et tim.* Lips. 2. *dedit et in timida.* Zwicc. *reddit et tim.* Berol., XVIII Heins. et edd. Venn. *reddidit et tim.* Cod. Bas. et a 2. m. Dresd. *edidit et tim.* Rhen. et XXI Heins. *tradidit et tim.* Duo Bersm. *traditur et tim.* Goth. 2. et Vrat. *dedidit ut tim.* Dresd. a 1. m. et reliqui, qui perpauci esse videntur, *dedidit et timida.* Scriptura Heinsiana *dedit: et ut timida*, prope nullam habet auctoritatem vetustatis, et contortam sane sententiam. Parva quoque videtur esse auctoritas scripturae *dedidit et tim.*. Restant *reddidit* et *tradidit*, e quibus *reddidit* praetulimus propter illud *reddantur.* — Cod. Bersm., Berol., alter Erf., Goth. 1. 2., Graev., unus Heins., Rhen., Lips. 2., Vrat., Zwicc., multi Heins. et ed pr. *possis.* Reliqui *posses*, recte; de illo enim tempore loquitur. Qui sequitur versus causam continet illius *posses ignoscere.*

665. Anius haec Anchisae narrat et Aeneae. Itaque Aenean primo loco propugnatorem Trojae appellat, post Aenean Hectora. Virg. A. XI, 288.

Quicquid apud durae cessatum est moenia Trojae,
Hectoris Aeneaeque manu victoria Graiûm
Haesit, et in decimum vestigia rettulit annum.

666. *durastis*, sustinuistis.

668. *etiamnum.* Zwicc., Bersm. *etiam non.* Alter Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2. et vett. edd. *etiam nunc.*

Muneris auctor opem, si miro perdere more
Ferre vocatur opem. Nec, qua ratione figuram
Perdiderint, potui scire aut nunc dicere possum.
Summa mali nota est: pennas sumsere tuaeque
Conjugis in volucres, niveas abiere columbas.
Talibus atque aliis postquam convivia dictis
Implerunt; mensa somnum petiere remota,
Cumque die surgunt, adeuntque oracula Phoebi;
Qui petere antiquam matrem cognataque jussit
Litora. Prosequitur rex, et dat munus Ituris,
Anchisae sceptrum, chlamydem pharetramque nepoti,
Cratera Aeneae, quem quondam miserat illi
Hospes ab Aoniis Therses Ismenius oris.
Miserat hunc illi Therses, fabricaverat Alcon

670. *muneris auctor.* Vid. 650. Quae sequuntur construe: si perdere miro more (transformatione) aliquem vocari potest *opem ferre.*

672. *possum.* Berol., Rhen., Six. et unus Voss. *possim*, quod male induxit Heinsius. „*nec* (olim) *potui nec* (nunc) *possum.“* Vid. ad XI, 626. et 538.

673. *summa mali nota est: pennas sumsere* pro vulgari: ad summam, aves factae sunt, ut notum est. *Gier.* — *tuae - coniugis.* Conversa oratio ad Anchisen est, qui a Venere amabatur, quae ex eo Aenean peperit. Columbae autem Veneri sacrae, cujus currus a columbis trahebatur. XIV, 597. XV, 586.

674. Medic. 4., Ox., Pal. 2., III Heins. *in volucrem*, quod temere recepit Heinsius.

675. *Aeneas Apollinis oraculum Deli de futura patria sua consulit, quod eum in maternam terram proficisci jubet. Itaque Delo Cretam, patriam Teucri, regis Trojanorum tendit. Inde post longum iter Epirum proficiscitur. Adjunguntur huic narrationi plures transformationes.*

676. *mensa - remota.* Vid. IX, 92.

677. *oracula Phoebi.* Vid. 632. Cf. III, 8.

678. *antiquam matrem*, unde Trojani populi auctores orti erant. Oraculum autem significat Italiam, unde Dardanus Trojanorum rex venerat. Ceterum idem Aeneae respondet oraculum apud Virg. A. III, 94.

Dardanidae duri, quae vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere laeto
Accipiet reduces; antiquam exquirite matrem.
Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum et qui nascentur ab illis.

679. *prosequitur*, honoris causa comitatur et deducit discedentes.

680. *sceptrum* non solum insigne regum erat sed etiam honore conspicuorum. — *nepoti*, Ascanio, filio Aeneae.

681. *cratera.* Ita Berol., Neap., Rhen., unus Sulm., Vat. Ciof., Urb., Vrat., V Heins. et a corr. Zwicc. — Reliqui *crateram* vel cum vulg. *craterem.* Sed Graeca forma in Graeco nomine praeferenda est, quae etiam satis magnam auctoritatem vetustatis habet, et multis quoque aliis locis a Nasone usurpatur. V, 82. VIII, 681. Fast. II, 251. III, 418. Conf. Virg. A. IX, 266. V, 535.

Ipsius Anchisae longaevi hoc munus habebis,
Cratera impressum signis, quem Thracius olim
Anchisae genitori in magno munere Cisseus
Ferre sui dederat monumentum et pignus amoris.

682. *ab Aoniis oris*, a Boeotiae oris. I, 313. III, 339. — Scripturam *Aoniis* confirmant II Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Rhen., Par. 1., Lips. 2., Sulm. 1., II Vatt. Ciof., Vrat., Zwicc., nonnulli Heins. et vett. edd. — Nonnulli Heins. cum vulg. *ab Haemoniis.* Pessime: nam Therses erat *Ismenius* h. e. Thebanus. II, 244. Alii errores sunt *Ioniis*, *Hispanis*, *Eoniis*, al. — De ipso dono conf. Virg. A. V, 536.

683. *Alcon*, faber argentarius poste-

Myleus et longo caelaverat argumento.
Urbs erat, et septem posses ostendere portas:
Hae pro nomine erant et, quae foret illa, docebant.
Ante urbem exsequiae tumulique ignesque rogique,
Effusaeque comas et apertae pectora matres
Significant luctum; nymphae quoque flere videntur
Siccatosque queri fontes; sine frondibus arbor
Nuda riget; rodunt arentia saxa capellae.
Ecce, facit mediis natas ab Orione Thebis,
Hanc non femineum jugulo dare pectus aperto,
Illam demisso per fortia pectora telo
Pro populo cecidisse suo, pulchrisque per urbem
Funeribus ferri celebrique in parte cremari;
Tum de virginea geminos exire favilla,
Ne genus intereat, juvenes, quos fama Coronas
Nominat, et cineri materno ducere pompam.

rioris aevi, quem Ovidius poetica libertate in antiquitatem et tempora belli Trojani transfert.

684. *Myleus* h. e. Mylis, oppido Siciliae, ortus. Sed fuit etiam oppidum *Mylae* in Thessalia. Steph. Byz. in v. Veteres libri, ut in rarioribus nominibus prope constanter, iterum variant. Heinsii fere omnes (?), Berol., Par. 1. 2., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *Nileus. Lydius* Alcon vocatur a Lactantio in argumento. — *longum argumentum* est magnum sive quod multas partes habet. — De hoc fine hexametri conf. VI, 69. et vid. not. ad I, 62. De re conf. etiam II, 5 sqq. et Virg. A. VIII, 625.

685. *septem – portas.* Nam Thebae a veteribus poetis passim ἑπτάπυλοι appellantur. Conf. not. ad IX, 403. — *ostendere*, sc. alteri simul contemplanti. *Gier.*

687. *ignesque rogique*, per hendiadyn, rogi ardentes. — Medic. *urbesque rogique.*

688. *effusaeque comas.* Vid. ad I, 332. De re conf. II, 584. IV, 589. VIII, 527. et Stat. Silv. V, 5, 13.

690. *arbor.* Cod. Bersm., Goth. 2., Rhen., Thu., Vrat., Zwicc. et multi (?) Heins. *arbos*, quam formam induxit Heinsius.

691. *riget*, ut arida et succo destituta ligna solent. — *rodunt* cod. Bersm., Flor., Goth. 1. 2., Gron. 1., Medic. 3., Neap., Ox., Pal. 2., Par. 2., Rhen., Vrat., Thu. et complures alii Heins., quod praeter tantam auctoritatem codicum etiam, quia h. l. de fame et penuria victus agitur, aptius est, quam vulgata scriptura *lambunt*; nam *rodere saxa* de capellis dictum est, raras in saxis et brevissimas herbas carpentibus.

692. *natas ab Orione.* „*Ecce, facit* (Alcon in cratere) *mediis Thebis Orionis* (Thebani alicujus) *filias, hanc* . . .“ Oraculum sc. responderat, siccitatem, quae omnia perderet, deorumque iram non finem habituram, nisi duae virgines immolarentur. Ceteris recusantibus hae pro patriae salute sese obtulerunt. Conf. Ant. Lib. c. 25. — Ceterum unus Gron. *natas Orione*, quod dedit Heinsius; ego, cum reliqui libri vett. omnes in scriptura *natas ab Orione* consentiant, retinere non sum ausus. Nihil enim obstat, quominus Naso eadem libertate, qua in aliis locis (vid. ad Her. VII, 97. XV, 57. et ad Met. VI, 11.), usus *Orion* prima brevi posuerit, quum praesertim hic Orion et in fabulis notus ille diversi sint. Ant. Lib. tamen l. l. Ὡρίωνα scripsit. Multi codices vitiose *nat. ab origine.* — 693. *non femineum pectus*, animo virili pectus. Vid. 451. *plus quam femina.*

694. *per fortia pectora.* Berol., Bas. 1. et Zwicc. *per f. vulnera*, quod temere recepit Heinsius. Flor. *per inertia vulnera.*

696. *celebrique in parte*, ut Athenis ii, qui pro patria occubuerant, in Ceramico pulcherrimo Athenarum suburbio humabantur. Thuc. II. c. 34. Nep. de Dione c. 10. *Itaque in urbe pulcherrimo loco elatus publice, sepulcri monumento donatus est.* Vid. Kirchm. de Fun. II. c. 25. et 26.

Hactenus antiquo signis fulgentibus aere
Summus inaurato crater erat asper acantho.
Nec leviora datis Trojani dona remittunt,
Dantque sacerdoti custodem turis, acerram,
Dant pateram claramque auro gemmisque coronam.
Inde, recordati Teucros a sanguine Teucri
Ducere principium, Creten tenuere, locique
Ferre diu nequiere Jovem, centumque relictis
Urbibus Ausonios optant contingere portus.
Saevit hiems jactatque viros, Strophadumque receptos
Portubus infidis exterruit ales Aëllo.
Et jam Dulichios portus Ithacamque Samonque
Neritiasque domos, regnum fallacis Ulixei,

700. *hactenus*, ad hanc crateris partem.

701. *summus crater*, 'os sive superior pars crateris. — *erat asper inaur. acantho*, h. e. in eo sculpta erat figura aspera inaurati acanthi. – *acanthus* herba nobilis et mollis [nobis Baerenklau. Interpp. ad Virg. Ecl. III, 45.]. Hujus folia flexique rami ab artificibus in statuis et capitulis columnarum et vasis ornatus causa effingi solebant. Virg. Aen. I, 649., ubi vid. Heyn., Voss. ad Virg. Georg. IV, 123., ubi *flexi vimen acanthi* dicitur, et ad Ecl. III, 45. Cf. Theocr. I, 35. — De illo *asper signis* conf. XII, 235.

703. *acerra*, *custos turis*, ut VIII, 320. *pharetra*, *custos telorum*. — *sacerdoti*. Anio, quatenus sacerdos erat, dant acerram et pateram, quatenus rex, coronam. *Gier.*

704. *coronam*, diadema, insigne regium, ut apud Virg. A. I, 655. Aeneas ferri jubet inter alia munera *duplicem gemmis auroque coronam*, ubi vid. Heyn.

705. Virgilii vestigia premens Ovidius narrare pergit errores Aeneae, quibus Italiam petens *ad fretum Siciliae* et *ad monstrum* quod illud obsidebat, *Scyllam*, defertur. – *Teucros a sanguine Teucri*. *Teucer*, filius Scamandri Cretensis, relicta patria in Troada migrarat ibique rex factus erat. Unde Trojani saepe Teucri vocantur. Vid Heyn. ad Virg. A. III. Exc. I. et V. Virg. A. III, 104.

Creta Jovis magni medio jacet insula ponto,
Mons Idaeus ubi et gentis cunabula nostrae.

et v. 129.

Hortantur socii, Creten proavosque petamus.

706. *tenuere*, sc. cursum. IV, 690.

707. *Jovem*, coelum, aëris temperiem. Virg. A. III, 102 seqq. Nonnullae vett. edd. *luem*. Quum in Creta oraculum iterum consulerent, responsum acceperunt, ut in Ausoniam vel Italiam tenderent. Virg. d. l. v. 137 sqq. — Verbis *centum urbibus* Creta significatur, quae passim *ἑκατόμπολις* vocatur, ut *Thebae* urbs *ἑπτάπυλος*. IX, 666. VII, 481.

709. *Strophades* duae insulae maris Ionii, quo Harpyiae a Zeto et Calaï fugatae (VII, 3.), quarum una Aëllo, fugerant. Virg. A. III, 210. *Strophades* —

Insulae in Ionio magno, quas dira Celaeno
Harpyiaeque colunt.

710. Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et edd. Venn. *portibus*.

711. *Samonque*. *Samos* et ipsa maris Ionii insula postea Cephallenia dicta. Juxta eam Dulichium. Vid. 107. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Par. 2., Lips. 2., Vrat., plerique Heins. et ed. pr. *Samonque*. Goth. 1. et Zwicc. *Samomque*. Reliqui *Samumque*. Dicitur ea insula apud Homerum *Same* et *Samos*, vid. Hom. Il. II, 634. et Odyss. I, 246., et quia Graecum nomen est cum plerisque codicibus Graecam quoque formam retinuimus. Vid. ad Trist. I, 5, 67.

712. *Neritiasque domos*. Neritus est mons Ithacae. Vid. Strab. X. p. 312. Casaub. Sed orationis nexus et ipsum illud *Neritias domos* suadet, ut Neritum insulam intelligamus, uti etiam apud Virgilium, quem Naso h. l. sequitur, insula declaratur. Aen. III, 270.

Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiumque Sameque et Neritos ardua saxis.
Effugimus scopulos Ithacae, Laërtia regna,

Praeter erant vecti; certatam lite deorum
Ambraciam versique vident sub imagine saxum
Judicis, Actiaco quae nunc ab Apolline nota est,
Vocalemque sua terram Dodonida quercu,
Chaoniosque sinus, ubi nati rege Molosso
Impia subjectis fugere incendia pennis.
Proxima Phaeacum felicibus obsita pomis
Rura petunt. Epiros ab his regnataque vati
Buthrotos Phrygio simulataque Troja tenetur.
Inde futurorum certi, quae cuncta fideli

Et terram altricem saevi exsecramur Ulixi.

713. *praeter erant vecti.* Ita Berol., Par. 1., Lips. 2., Sulm. 1., Urs., multi e melioribus Heinsii et nonnulli (?) apud Naug. — Medic. chart. *propter erant.* Par. 2., Rhen. et edd. Ven. *praetereant*; reliqui *praetereunt vecti*, quae variantes e similitudine scripturae natae sunt. — *jam* cum plusquamperfecto non sequente *cum* conf. v. 882. II, 47. VIII, 142. — *certare aliquid* rarior oratio. Liv. XXV. c. 3. *cui certandae* (multae vel poenae) *quum dies advenisset.* Vid. Rudim. Gramm. Lat. II. p. 220.

714. *Ambracia* urbs maritima Epiri, de cujus possessione cum Apollo, Diana et Hercules certarent, Cragaleus *judex* ab iis constitutus Herculi eam adjudicavit; unde ab Apolline in lapidem conversus est. Ant. L. Met. c. 4.

715. „*quae nunc* (hodie) *Apolline s. Apollinis templo nota est.*“ De usu illo adjectivorum cum *ab* et abl. vid. not. ad Trist. IV, 10, 16. et Met. III, 571. — Augustus in memoriam victoriae Actiacae in illo promontorio templum Apollinis aedificavit vel quod ibi erat vetus templum ampliavit. Suet. Oct. c. XVIII. Strab. X. p. 451. Her. XV, 165.

Phoebus ab excelso, quantum patet, aspicit aequor,
Actaeum populi Leucadiumque vocant.

716. *terra Dodonis.* Dodona urbs Epiri, quercubus oracula edentibus nota. Vid. ad VII, 623.

717. *Chaonia* et eadem regio Epiri. X, 90. Munichus Molossorum (I, 226. Vid. Eustath. ad Hom. Od. XVI. p. 544.) in Epiro rex habebat filios, qui quum latrones in turrim, qua illi se defendebant, ignem injecissent (inde *impia*), a Jove in aves mutati sunt. Ant. Lib. c. 14. — 718. Bon. 3. et Flor. *inita.* Heinsius loco optimae scripturae omnium codd. et vett. editionum *impia* conjecturam suam *irrita* edidit.

719. *Phaeaces* fuerunt antiqui Corcyrae insulae incolae. Thucyd. I. c. 25. Illud *felicibus pomis* respicit ad Alcinoi hortos ab Homero celebratos, qui per totum annum abundabant omnis generis fructibus. Odyss. VII, 112 seqq. Conf. Met. IX, 92. XIV, 627.

720. *ab his*, q. e. post haec, sc. rura. Virg. A. III, 291.

Protenus aërias Phaeacum abscondimus arces,
Litoraque Epiri legimus, portuque subimus
Chaonio, et celsam Buthroti accedimus urbem.
Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum Grajas regnare per urbes
Conjugio Aeacidae Pyrrhi sceptrisque potitum;
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.

721. *tenetur.* Unus Heinsii *tenentur*, quod temere induxit Heinsius. Vid. ad v. 633. — *Buthrotos* est urbs Epiri e regione Corcyrae. — *Phrygius vates* est Helenus, Priami filius (v. 320.), qui regno Neoptolemi s. Pyrrhi, filii Achillis, potitus Andromacham, Hectoris uxorem, duxit atque in Epiro novam Trojam condidit. Inde *simulata Troja.* Virg. A. III, 349., quem Naso h. l. sequitur:

Procedo et parvam Trojam simulataque magnis
Pergama et arentem Xanthi cognomine rivum
Agnosco.

Vid. ibi Heyn. Excurs.

722. Cum orientalis Italiae pars jam prope in conspectu esset Trojanorum, ab Heleno *monentur*, ad occidentales ipsos oras a fatis duci, itaque antea Siciliam adeundam esse. Simul ab eo docentur, quae loca transeunda, quid petendum quidque vitandum et quo loco considendum sit. Virg. III, 374 sqq. *Gier.*

Priamides Helenus monitu praedixerat, intrant
Sicaniam. Tribus haec excurrit in aequora linguis,
E quibus imbriferos est versa Pachynos ad austros,
Mollibus expositum zephyris Lilybaeon ad Arctos,
Aequoris expertes, spectat Boreanque Peloros.
Hac subeunt Teucri, et remis aestuque secundo
Sub noctem potitur Zanclaea classis arena.
Scylla latus dextrum, laevum irrequieta Charybdis
Infestant. Vorat haec raptas revomitque carinas,
Illa feris atram canibus succingitur alvum,

724. *Sicaniam etc.* V, 346 — 351. 476. Fast. IV, 419.

Terra tribus scopulis vastum procurrit in aequor
Trinacris; a positu nomen adepta loci.

Sicaniam h. l. alteram corripit, ut V, 464. et 495. Vid. supra ad v. 692. et ad VI, 11. *Sicania* autem pro Sicilia a Sicanis, qui ex Iberia immigrarant. Thuc. VI. c. 2.

725. *imbriferos – ad austros.* Vid. ad I, 62. — Mire iterum variant h. l. codices et vett. editiones. II Thu. et V Heinsii *obversa*. Cod. Bersm. *conversa*. Dresd., Flor., Goth. 1., Rhen., Par. 2., Lips. 2. et V Heinsii *eversa*, q. e. *est versa*. Bersm., Par. 1., Sulm. 1. 2., reliqui Heins. et ed. pr. *est versa*. Vulgo *versa est*, quod quia *Pachynos* primam brevem habet, non ferendum est. Restat optima scriptura *est versa*, cui Heinsius parum firmatam l. *obversa* praeferre non debebat.

726. *expositum.* Dresd., Goth. 1., Zwicc., plurimi (?) Heinsii et ed. pr. *impositum*. Vat. 2. *oppositum*. Reliqui omnes *expos*. Mel. II. c. 5. *omnis plaga austro atque Africo exposita est.* — De Arcto *aequoris experte* vid. v. 292. II, 172. ibique notata.

728. *Teucri*, Trojani. Vid. 705. Scripturam *hac* confirmant Bersm., Erf. 1., Flor., Neap., Par. 1. et pro v. l. 2., Rhen., nonnulli Heins. et ed. pr. — Berol., Par. 2., Bas. 1., Goth. 2., Pal. 2., Ox., Thu., Vrat. et X Heins. *huc*. Zwicc. et III Heins. *hacc*. IV Heins. *hic*. Alter Bersm. et VII Heins. *hunc*. Reliqui *hanc*. Mihi vera videtur scriptura *hac*. *Succedere tectis* legitur II, 766, et VIII, 550. et Virgilius, quem h. l, expressit Naso: *portuque subimus Chaonio*.

729. *et remis aestuque secundo.* Cael., II Mor., Rhen., Sulm. 1. 2. *remisque aestuque secundo*. Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc., plerique Heins. et edd. Venn. *remis aestuque*, unde alii post *remis* comma posuerunt: minus eleganter. Reliqui libri *et remis aestuque secundo*. Prorsus eodem modo supra v. 630. *et utilibus ventis aestuque secundo.* — De illo *potitur* vid. ad v. 130. Virg. A. I, 172.

Egressi optata potiuntur Troës arena.

Conf. Met. XI, 55. *Zanclaea* a Zancle, urbe Siciliae, postea *Messana*, hodie *Messina* dicta.

730. *Hoc loco poeta digreditur, Aeneanque relinquit, ad quem libro demum XIV, 75. redit, innectitque ejus historiae fata Scyllae et Galatheae. Galathea amabat Acin; at eandem ardebat Polyphemus Cyclops, qui invidia Acin saxo interfecit. Acis in fluvium sui nominis conversus est.* Virg. Eclog. VII. Theocr. VI. XI. Lucian. Marin. I.

730. De *Scylla* vid. VII, 63. et XIV, 59 seqq. Hom. Odyss. XII, 73 sqq. Virg. III, 420.

Dextrum Scylla latus, laevum implacata Charybdis
Obsidet atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus rursusque sub auras
Erigit alternos et sidera verberat unda.
At Scyllam caecis cohibet spelunca latebris,
Ora exsertantem et naves in saxa trahentem.
Prima hominis facies et pulcro pectore virgo
Pube tenus, postrema immani corpore pistrix, etc.

Apparet cur h. l. Charybdis *irrequieta* vocetur. Unus Medic. *implacata* e Virgilii l. l.

732. *illa*, Scylla. Tib. III, 4, 89.

Scyllave virgineam canibus succincta figuram.

Conf. Met. XIV, 59 seqq.

Virginis ora gerens et, si non omnia vates
Ficta reliquerunt, aliquo quoque tempore virgo.
Hanc multi petiere proci; quibus illa repulsis
Ad pelagi nymphas, pelagi gratissima nymphis,
Ibat et elusos juvenum narrabat amores.
Quam, dum pectendos praebet Galatea capillos,
Talibus alloquitur, repetens suspiria, dictis:
„Te tamen, o virgo, genus haud immite virorum
Expetit utque facis, potes his impune negare;
At mihi, cui pater est Nereus, quam caerula Doris
Enixa est, quae sum turba quoque tuta sororum,
Non nisi per luctus licuit Cyclopis amorem
Effugere“, — et lacrimae vocem impediere loquentis.
Quas ubi marmoreo detersit pollice virgo
Et solata deam est, „Refer, o carissima,“ dixit
„Neve tui causam tege - sum tibi fida - doloris.“
Nereïs his contra resecuta Crataeïde natam:
„Acis erat, Fauno nymphaque Symaethide cretus,
Magna quidem patrisque sui matrisque voluptas,
Nostra tamen major: nam me sibi junxerat uni
Pulcher, et octonis iterum natalibus actis
Signarat teneras dubia lanugine malas.

734. *aliquo - virgo.* Homero auctore erat filia Phorci et Crataeïdis. Hom. Od. XII, 124. Apollon. Arg. IV, 828. Vid. 749. — De illo *si non omnia vates etc.* conf. XV, 282.

737. *et elusos*, sc. a se.

738. *Galatea*, una de nymphis marinis s. Nereïdibus. I, 302. — Scripturam *quam* confirmant et sensus et Bersm., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat. in litura, Sulm. 1. 2., unus Vat. Ciof., Zwicc., plerique vetustiores Heinsii et vett. edd. Reliqui *cui*. Codd. Viv. *quam* vel *cui*.

739. *repetens*. Ita Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2.,Pal. 2., Rhen., Lips. 2., Vrat., plerique vett. Heins. et ed. pr. — Reliqui *referens*.

740. *haud immite*, quia mox v. 759. Polyphemus *immitis* vocatur.

741. *negare*, sc. amorem, consuetudinem. Vrat. et nonnulli Heinsii *negari*.

742. *Nereus*. I, 302. II, 268. — *Doris*. II, 11. 269. — *caerula*. I, 275. II, 8.

743. *turba - sororum*. Vid. ad II, 11.

744. *per luctus* apte respondet illi *impure* v. 741. — Bas. 1. pro v. l. *per fluctus*, quod temere recepit Heinsius. — *Cyclopis*, Polyphemi.

746. *marmoreo*, candido, splendido. III, 481. Virg. Georg. IV, 523. *marmorea cervix Orphei*, ubi vid. Cerda.

747. *carissima*. Bersm., multi Heinsii et edd. Venn. *gratissima*. Sed Scylla Galateae familiaris erat.

749. *Crataeïde natam*. Vulgo *natam est*. Goth. 2., Rhen., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *est* omittunt, quod tam parva auctoritate delere vix audeo. – *rescqui*, respondere, ut VI, 36. VIII, 862. — *Crataeïs* mater Scyllae etiam apud Hom. Od. XII, 124. et Hesych. in Κρατατίς et Plin. H. N. III. c. 5. Vid. Munker. ad Hyg. F. 199.

750. *Symaethide*, unde infra v. 879. Acis *Symaethius heros* dicitur. *Symaethus* fluvius est Siciliae. Thucyd. VI. c. 65. ἐπὶ τῷ Συμαίθῳ ποταμῷ ἐν τῇ Λεοντίνῃ. Fast. IV, 472.

Quaque Symaetheas accipit aequor aquas.

cretus. VIII, 307. — De *Fauno* vid. I, 193.

752. *me sibi*. Bas. 4. et II alii Heins. *se mihi*, quod eodem fere redit: nisi quod oratio *me sibi* exquisitior est. Cf. VII, 48.

753. *actis*, peractis. Conf. II, 497.

754. *dubia lanugine*. Conf. IX, 398. Bersm. et Berol. *dubia teneras*. Reliqui omnes *teneras dubia*. — *signarat*, signatas habebat. Conf. XI, 282.

Hunc ego, me Cyclops nullo cum fine petebat,
Nec, si quaesieris, odium Cyclopis amorne
Acidis in nobis fuerit praestantior, edam:
Par utrumque fuit. Pro, quanta potentia regni
Est, Venus alma, tui! Nempe ille immitis et ipsis
Horrendus silvis, et visus ab hospite nullo
Impune, et magni cum dîs contemtor Olympi,
Quid sit amor sentit, nostrique cupidine captus
Uritur, oblitus pecorum antrorumque suorum.
Jamque tibi formae, jamque est tibi cura placendi,
Jam rigidos pectis rastris, Polypheme, capillos,
Jam libet hirsutam tibi falce recidere barbam,
Et spectare feros in aqua et componere vultus.
Caedis amor feritasque sitisque immensa cruoris
Cessant, et tutae veniunt abeuntque carinae.
Telemus interea Siculum delatus in aequor,
Telemus Eurymides, quem nulla fefellerat ales,
Terribilem Polyphemon adit, „Lumenque, quod unum
„Fronte geris media, rapiet tibi“ dixit „Ulixes.“

755. Polyphemus ex Hom. Od. X, 182 sqq. et Virg. A. III, 610. adumbratus, quorum ille Ulixem, hic Aeneam ad illud monstrum deducit. Vid. Met. XIV, 167 sqq. Hic vero amores ejus narrantur, et quomodo Acin interfecerit. De amore ejus Homerus nihil habet, sed Siculi cum poetae certatim cecinerunt. Vid. Theocr. Id. XI. ibique interpp.

757. *praestantior*, pro quo Heins. male cum uno Neap. edidit *praesentior*. — *edam*, narrem. II, 43.

758. *utrumque*. Etiam hanc optimam scripturam corrupit Heinsius, qui cum Bonon. et uno suo edidit *utrimque*. De illa Veneris et Amoris potentia vid. etiam V, 365. et I, 456.

759. *nempe - sentit*. Conf. VII, 53. Virg. de eodem Polyphemo:

Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli.
Visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.

Vid. XIV, 205 seqq. *Impune* igitur h. l. declarat: cujus visceribus non vesceretur. Cf. v. 741. Virg. l. l. v. 619. et v. 658.

761. *magni cum dîs cont. Olympi*. Hom. Od. X, 273.

Νήπιός εἰς —
ὅς με θεοὺς κέλεαι ἢ δειδίμεν ἢ ἀλέασθαι.
οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν,
οὐδὲ θεῶν μακάρων, ἐπεὶ πολὺ φέρτεροί εἰμεν.

Conf. Eurip. Cycl. 319 seqq. et infra v. 857.

763. *oblitus pec.* Pascere greges Polyphemi negotium et ei antrum erat pro domo. Hom. Od. X, 219 seqq. Conf. Met. X, 529 sqq.

765. *rastris* loco pectinis.

767. *componere vultus*, eos fingere ad hilaritatem ac decorem. Vid. ad IV, 318.

769. *cessant*. Unus Medic. *cesserat*. Perperam. Medic. et Bonon. *veniuntque abeuntque*. Conf. XII, 53.

770. *Telemus - Telemus Eurymides*. Hom. Od. IX, 509.

Τήλεμος Εὐρυμίδης, ὃς μαντοσύνῃ ἐκέκαστο.

Hyg. F. 125. Flor. *Siculum ad Aetnen*. X Heinsii *Siculum ad Aetnam*. Unus Mor. *Siculum in Aetnam*. Reliqui cum vett. edd. *Siculum delatus in aequor*. Apparet, Heinsianam scripturam, quae nunc pro vulgata est, e diversorum codicum varietatibus esse conglutinatam. Mihi vera videtur lectio omnium vett. edd. et omnium prope codicum: *Sic. in aequor*. — Ad *Aetnen* Cyclopas collocant etiam Eurip., Virgilius et Tibullus; unde Pont. II, 2, 116. *Aetnaeus Polyphemus*.

771. *Eurymides*, Eurymi filius. — *quem nulla fefellerat ales*, quatenus volatum avium semper recte interpretatus erat, certa semper vaticinatus erat. De repetitione *Telemus - Telemus Eurymides* vid. ad XII, 148. 172 sq. XIV, 223. V, 130.

Risit et „O vatum stolidissime, falleris“ inquit:
„Altera jam rapuit.“ Sic frustra vera monentem
Spernit, et aut gradiens ingenti litora passu
Degravat aut fessus sub opaca revertitur antra.
Prominet in pontum cuneatus acumine longo
Collis, utrumque latus circumfluit aequoris unda:
Huc ferus adscendit Cyclops mediusque resedit,
Lanigerae pecudes nullo ducente secutae.
Cui postquam pinus, baculi quae praebuit usum,
Ante pedes posita est, antennis apta ferendis,
Sumtaque arundinibus compacta est fistula centum;
Senserunt toti pastoria sibila montes,
Senserunt undae. Latitans ego rupe, meique
Acidis in gremio residens, procul auribus hausi
Talia dicta meis, auditaque mente notavi:
„Candidior folio nivei, Galatea, ligustri,
Floridior prato, longa procerior alno,
Splendidior vitro, tenero lascivior haedo,
Laevior assiduo detritis aequore conchis,
Solibus hibernis, aestiva gratior umbra,
Nobilior pomis, platano conspectior alta,

775. *altera*, Galateam dicit. — *rapere oculos* igitur duplici sensu, et hoc versu de amore accipiendum, versu 773. proprie. Amor. II, 19, 19.

Tu quoque quae nostros rapuisti nuper ocellos.

777. Virg. l. l. v. 656. *vasta se mole moventem.*

778. *prominet etc.* Sumtum hoc ex Theocr. v. 14 sqq. — *cuneatus acumine*, cujus acumen in cunei formam surgebat. *Gier.*

780. *mediusque*, et in medio. — Dresd., Goth. 1., Neap., Urb., plures Heins. et ed. pr. *hunc*. Reliqui *huc*. — Bersm., Lips. 2. et X Heins. *accedit*. Arond., Goth. 1. 2., Medic. 4., Par. 2., Vrat. et multi Heins. *medioque resedit*. Conf. X, 144. I, 679. Virg. Georg. IV, 436. *considit scopulo medius*. Aen. VII, 169. *solio medius consedit avito*.

782. *pinus*, *baculi-usum*. Virg. A. III, 659. de eodem Polyphemo:

Trunca manu pinus regit et vestigia firmat.

783. *apta antennis ferendis*, h. e. apta malo, ex Hom. v. 322.

784. *arund. - centum*. Eadem cum exaggeratione. Vid. II, 682. et I, 710.

785. *pastoria sibila*, pastoris. Hom. v. 315.

788. *auditaque mente notavi*. Codd. Viv. *aud. mente* vel *auditaque verba*. *auditaque mente* etiam Goth. 2., Gron. 1., Medic. 4., Ox., Pal. 2., Thu., Vrat. et complures Heinsii. Reliqui cum vett. edd. *auditaque verba*, in qua scriptura parum elegans est illud *verba*, cum *dicta* praecesserit, neque illud *notavi*, non addito *mente*, plenum habet sensum. Fast. V, 10. *dictaque mente notant*. Conf. Met. IX, 778. XV, 814. — Sequitur Polyphemi carmen s. cantus, in quo ob oculos habuit Theocr. XI.

789. *folio nivei*. Sic vett. libri omnes, pro quo Heinsius conjecturam suam *nivei folio* dedit. — *ligustri*. Mart. I, 116. *toto candidior puella cygno*, *Argento*, *nive*, *lilio*, *ligustro*. Virg. Ecl. II, 18.

790. *prato*. Heinsius dedit *pratis*, quod in melioribus se codd. reperisse falso scribit.

791. *tenero lasc. haedo*. Supra VII, 321. *agnus lascivit*. Virg. Ecl. II, 64. *lasciva capella*, propter laetos et petulantes saltus ac motus.

792. *assiduo aequore*, assiduis aequoris fluctibus. Conf. VI, 219.

794. *nobilior pomis*. Unus Berol. *palmis*, ad quam scripturam huic loco vindicandam interpres recentior attulit Hor. Od. I, 1, 5. *palmaque nobilis*. Risum teneatis? — *conspectior*, procerior et magnificentior. *Platanus* Romanis gratissima. Plin. H. N. XII. c. 1.

Lucidior glacie, matura dulcior uva,
Mollior et cygni plumis et lacte coacto,
Et, si non fugias, riguo formosior horto;
Saevior indomitis eadem Galatea juvencis,
Durior annosa quercu, fallacior undis,
Lentior et salicis virgis et vitibus albis,
His immobilior scopulis, violentior amne,
Laudato pavone superbior, acrior igni,
Asperior tribulis, feta truculentior ursa,
Surdior aequoribus, calcato immitior hydro,
Et, quod praecipue, si possem, demere vellem,
Non tantum cervo claris latratibus acto,
Verum etiam ventis volucrique fugacior aura!
At bene si noris pigeat fugisse, morasque
Ipsa tuas damnes, et me retinere labores.
Sunt mihi, pars montis, vivo pendentia saxo
Antra, quibus nec sol medio sentitur in aestu,
Nec sentitur hiems, sunt poma gravantia ramos,
Sunt auro similes longis in vitibus uvae,
Sunt et purpureae: tibi et has servamus et illas.

796. *lacte coacto.* Conf. not. ad VIII, 667. — 797. *riguo horto*, in quo sc. omnia laete proveniunt. Conf. VIII, 647. — 799. *fallacior unda*, quia cum eam comprehendis, continuo e manibus effluit.

800. *lentus*, saepe legitur de eo, qui aegre incitatur, difficilis est, imprimis de amantibus. XIV, 761. Prop. II, 14, 14.

Nec mihi ploranti lenta sedere potest.

Vid. not. ad Her. XVI, 169. Inde h. l. *lentior salicis virgis. — vitibus albis. Vitis alba* etiam Pallad. de re rust. I. c. 35. Ox. et nonnulli Heins. *vit. altis.*

801. *violentior amne.* Cod. Bersm., Menard., nonnulli alii Heins. et Bas. 2. 3. *angue. — his.* Vid. 778 sqq. — *scopulis.* Her. XV, 189. *o scopulis undaque ferocior;* ubi vid. not.

802. *acrior igni*, acris et flamma saeviens et puella dura, amantem torquens. *acria* enim quaecunque urunt, pungunt, stimulant. *Gier.*

803. *asperior tribulis. Asperae* sunt spinae, e quarum genere *tribuli.* Virg. Georg. I, 152. *aspera silva tribulorum.* — Hor. Od. I., 33. *aspera Pholoë.* Tibull. I, 9, 20.

Asperaque est illi difficilisque Venus.

feta ursa, ut omne animal, quod pullos habet, truculentior est.

804. *surdior aequoribus*, proverbium vulgare. Infra XIV, 711. Conf. not. ad Trist. I, 8. 39. et ad Her. VIII, 9. — *calcato hydro.* X, 23.

805. Flor., Goth. 1., Gron. 1., Vrat., Zwicc. et X Heins. *vellem tibi demere possem.* Bersm. et X aut XII Heins. *vellem tibi demere posse.* Nonnulli Heins. *vellem si demere possem.* Reliqui cum vett. edd. *si possem, demere vellem*, quam optimam scripturam, donec codices accuratius excussi fuerint, retinere tutius mihi videtur.

806. *claris.* II, 625. — Monet B. O. in Seebodii Bibl. Crit. a. 1821. Fasc. II. *cervos* mares commemorari, cum celeritas eorum describatur, coll. h. l. et I, 306. Virg. Ecl. I, 60. Georg. III, 639. Aen. V, 252. et Tib. IV, 3, 13. Sed in talibus locis *cervus* genus declarat.

808. *si noris* (me). I, 512.

809. *retinere*, sc. ut tuum vel in amore.

810. *pendentia saxo*, saxo pendente quasi fornicata. Virg. G. IV, 374. *pendentia punice tecta.* Her. XV, 141.

Antra vident oculi scabro pendentia topho.

Lucret. VI, 194. *speluncas velut saxis pendentibus structas.*

812. *poma gravantia ramos.* Conf. XV, 76. XIV, 660.

813. *auro similes*, de maturis albis uvis capiendum.

Ipsa tuis manibus silvestri nata sub umbra
Mollia fraga leges, ipsa autumnalia corna,
Prunaque non solum nigro liventia suco,
Verum etiam generosa novasque imitantia ceras.
Nec tibi castaneae me conjuge, nec tibi deerunt
Arbutei fetus: omnis tibi serviet arbos.
Hoc pecus omne meum est; multae quoque vallibus errant,
Multas silva tegit, multae stabulantur in antris.
Nec, si forte roges, possim tibi dicere, quot sint:
Pauperis est numerare pecus. De laudibus harum
Nil mihi credideris; praesens potes ipsa videre,
Ut vix sustineant distentum cruribus uber.
Sunt, fetura minor, tepidis in ovilibus agni,
Sunt quoque, par aetas, aliis in ovilibus hoedi.
Lac mihi semper adest niveum: pars inde bibenda
Servatur, partem liquefacta coagula durant.
Nec tibi deliciae faciles vulgataque tantum

816. *mollia fraga – corna.* Conf. I, 104. VIII, 667.

817. *nigro liventia suco.* Plin. N. H. XV. c. 12. *sunt et nigra* (pruna), *ac laudatiora cerina atque purpurea. nigro liventia suco* pro *nigra*, ut Hor. Od. II, 5, 10.

jam tibi lividos
Distinguet autumnus racemos
Purpureo varius colore.

818. *imitantia ceras.* Virg. Ecl. II, 58. *cerea pruna.* — De dictione *imitantia* conf. IX, 340. II, 2.

819. *deerunt* bisyllabum, ut I, 77.

820. *arbutei fetus.* Ita Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 2., Lips. 2., Sulm. 1., Vrat., Vat. Ciof., Zwicc. et vett. edd., atque inde conjectura est de codicibus Heinsianis. Cod. Bersm., reliqui Ciof. et Par. 1. *arborei fetus.* Sed in praecedentibus versibus lectissima poma enumeravit, quis putet, denuo communi nomine poma memorari? Copiam suam et omnium rerum abundantiam declarare studet Cyclops, inde etiam viliores fructus arbuti commemorat, ut modo *corna* memoravit. Conf. X, 101. et I, 104. — II Bersm., Dresd., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *arbor*, quod genuinum videtur.

821. *multae*, non addito nomine, recte; nam praesens pecus h. e. praesentes oves (v. 771.) digito monstrat. Virg. v. 21.

Mille meae Siculis errant in montibus agnae.

823. *possim.* Ita Dresd., Goth. 2., Lips. 2., meliores Heins. et ed. pr., quam scripturam poscit ratio sententiae. Reliqui *possem.*

826. *ut etc.* „quomodo uber distentum crurum fulcris vix sustineant, ferre possint.“ — Scripturam *sustineant* confirmant Berol., nonnulli apud Ciof. et V Heinsii. Reliqui omnes *circueant* et *circum eunt*, in quibus scripturis ego aptum sensum reperire non possum. II Heinsii *contineant.*

827. *tepidis* bene e natura stabulorum additum. *Gier.*

828. *par aetas:* diligenter enim secundum Homer. v. 220. varia pecorum suorum genera separabat seorsimque includebat. *Gier.*

829. *inde.* Conf. I, 626. De re conf. Theocr. v. 26. et Hom. v. 246. Virg. v. 22.

Lac mihi non aestate novum, non frigore defit.

830. *coagula*, particulae ventriculi vitulini sectae et aqua maceratae, quibus immissis lac *duratur*, cogitur in massam. *Gierig.* Vid. ad XIV, 274. et Theocr. v. 66.

831. *faciles*, quae in promptu s. obviae sunt. Opponitur illis *in summis montibus*, quo periculum, per quod eos adeptus sit, declaratur. Simili modo pastor apud Virg. Ecl. II, 40.

Praeterea duo, nec tuta mihi valle reperti
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ovis ubera; quos tibi servo.

Theocr. v. 40.:

Munera contingent, damae leporesque capraeque
Parque columbarum demtusque cacumine nidus:
Inveni geminos, qui tecum ludere possint,
Inter se similes, vix ut dignoscere possis,
Villosae catulos in summis montibus ursae;
Inveni et dixi: „„Dominae servabimus istos.““
Jam modo caeruleo nitidum caput exsere ponto,
Jam, Galatea, veni, nec munera despice nostra!
Certe ego me novi, liquidaeque in imagine vidi
Nuper aquae, placuitque mihi mea forma videnti.
Adspice sim quantus! Non est hoc corpore major
Jupiter in coelo: nam vos narrare soletis
Nescio quem regnare Jovem. Coma plurima torvos
Prominet in vultus, humerosque ut lucus obumbrat.
Nec mea quod duris horrent densissima setis
Corpora, turpe puta: turpis sine frondibus arbos,
Turpis equus, nisi colla jubae flaventia velent.
Pluma tegit volucres, ovibus sua lana decori est:
Barba viros hirtaeque decent in corpore setae.
Unum est in media lumen mihi fronte, sed instar
Ingentis clypei. Quid? non haec omnia magnus

— — — τρέφω δέ τοι ἕνδεκα νεβρὼς
Πάσας μαννοφόρως καὶ σχύμνως τέσσαρας ἄρκτων.

Conf. A. A. II, 263 sqq.

832. *capraeque.* Dresd., Par. 1., Lips. 2., Zwicc. et plerique (?) Heinsii *caperque.*

833. *parque.* Goth. 2., Vrat. et ed. pr. *parve*, et Vrat. et edd. Venn. *demtusve*, quas paucissimorum librorum variantes non apparet cur Heinsius optimae vulgatae praetulerit.

837. *et dixi: dominae.* Bas. 1., Bonon., Berol. et Goth. 1. *et dominae dixi*, quod sine justa causa induxit Heinsius. De *domina* conf. IX, 466. — Quam apti ursae catuli ad ludendum sint, Polyphemus viderit.

838. *exsere.* Conf. II, 271. — *nitidum* passim pro *pulcrum.* Hor. Od. I, 19. *Urit me Glycerae nitor.* Met. IX, 57. X, 505. — Flor. *exime.* Jun. *extrahe.* Conf. Theocr. v. 63.

840. *in imagine liquidae aquae*, h. e. in imagine quam liquida aqua referebat. — Goth. 2. et XIII Heins. *in margine*, quae varietas sine dubio a grammaticis inventa est, qui meminissent Virg. Ecl. II, 25.

Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi
Quum placidum ventis staret mare. —

844. *nescio quem*, cum contemtu. Cf. Her. VII, 124. — *torvus* etiam bono sensu accipitur de vultu masculo et severo et austeram dignitatem praeferente. Virg. Georg. III, 51. *optima torvae forma bovis.* Theocr. v. 31. λασία ὀφρὺς ἐπὶ πανὶ μετώπῳ ἐξ ὠτὸς τέτατται.

846. *nec mea.* Ambr. et Medic. *nec mihi*, quod temere induxit Heinsius. — Bersm., Goth. 1. 2. et nonnulli Heinsii *rigidis.* Reliqui cum vett. edd. *duris*, quod mihi verum videtur, et *rigidis* fluxisse ex VIII, 428.

847. *arbos* Bersm., Berol., Zwicc. et meliores (?) Heinsii tenent. Reliqui cum vett. edd. *arbor.*

851. *unum - ingentis clypei.* E Virg. Aen. III, 635.

— telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat
Argolici clypei aut Phoebeae lampadis instar.

Conf. Met. XV, 192. Etiam Callim. H. Dian. v. 53. hunc oculum cum σάκει τετραβοείῳ comparat. Et quia clypeus orbis, κύκλου, formam habet Κύκλωπες dicti sunt. Hes. Theog. v. 144.

852. *haec omnia.* Digito v. manu monstrat, ut 801. — Pro *magno* Bersm., Bas. 1. 2. 3., Berol., Goth. 2., Vrat., Gron., Medic., Ox., Pal., XX alii Heinsii et ed. pr. *magnus.* Concinnior

Sol videt e coelo? Solis tamen unicus orbis.
Adde, quod in vestro genitor meus aequore regnat:
Hunc tibi do socerum. Tantum miserere, precesque
Supplicis exaudi: tibi enim succumbimus uni,
Quique Jovem et coelum sperno et penetrabile fulmen,
Nereï, te vereor: tua fulmine saevior ira est.
Atque ego contemtus essem patientior hujus,
Si fugeres omnes; sed cur Cyclope repulso
Acin amas praefersque meis amplexibus Acin?
Ille tamen placeatque sibi placeatque licebit,
Quod nollem, Galatea, tibi: modo copia detur,
Sentiet esse mihi tanto pro corpore vires.
Viscera viva traham divulsaque membra per agros,
Perque tuas spargam - sic se tibi misceat! - undas.
Uror enim laesusque exaestuat acrius ignis,
Cumque suis videor translatam viribus Aetnam
Pectore ferre meo; nec tu, Galatea, moveris!"
„Talia nequicquam questus - nam cuncta videbam —
„Surgit et, ut taurus vacca furibundus ademta,
Stare nequit, silvaque et notis saltibus errat;
Cum ferus ignaros nec quicquam tale timentes
Me videt atque Acin, „„Videoque," exclamat „et ista
„„Ultima sit faciam Veneris concordia vestrae!""
„Tantaque vox, quantam Cyclops iratus habere

est oratio, si *sol* adjectivo caret, quia *solis* sine adjectivo repetitur.

853. *solis*. Berol., Neap., Par. 2., Thu., Vrat., multi (?) Heins. et ed. pr. *soli*. Sed multo majorem auctoritatem veterum librorum habet genitivus *solis*. Vid. ad v. 494. et Praef.

854. *genitor meus*, Neptunus, cujus filius Polyphemus. Hom. Od. I, 68 sqq.

858. *vereor*. Cod. Bersm., Cael., Goth. 1., Par. 2., Sulm. 1. 2., Twisd. 1. 2., Vrat. in litura, Zwicc., plurimi Heins., Bas. 2., Lips. 2., St. Gall. et ed. pr. *veneror*. Erf. 1. 3., Medic. 4., Ox., Pal. 1. 2., Par. 1., multi Heins. et reliqui cum edd. Venn. *vereor*, quod etiam quae sequuntur confirmant. Sensus enim est: *Nereï, te vereor*; (nam) *tua ira saevior fulmine.*

859. „*atque ego contemtus patientior hujus irae essem, si . . .*"

861. *Acin*. Vid. 750 seqq.

862. *placeat sibi*. II, 58.

863. *modo copia detur*. XII, 594.

864. *esse mihi tanto pro corpore vires*, esse mihi vires tanto corpori congruas s. respondentes. — De *sentiet* cf. XII, 595.

865. *viscera viva trah*. Cf. XV, 525.

866. *sic se tibi misceat*, non corpore et amore. Conf. V, 638. Scripturam *sic* confirmat et sententiae ratio et codd. II Bersm., Berol., Bas. 2. et inter lin. 4., S. Gall., Lips. 2., Cantabr., Dresd., Flor., Goth. 1. 2., Par. 1. et pro v. l. 2., Vat. 1. et multi Heinsii. Vulgo *si*. Mendose.

867. *laesus*, irritatus.

868. *translatam*. Unus Cant. *translatum*. Deinde unus Barb. et pro v. l. Goth. 2. *ignibus*, ex interpretamento. Ceterum apte Aetnam memorat, quia haec prope montem illum loquitur s. canit.

872. *notis saltibus*. Bas. 3., Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Par. 1., Lipsiensis 2., Vat. Ciof. et plurimi Heinsii *notis montibus*. *Saltus* sunt loci silvosi et pascui, itaque tauris nota loca.

874. *videoque*. Construe: *et exclamat: video.*

875. *Veneris*. Berol. et Pal. 2. *Veneri*, quod cupide arripuit Heinsius. Vid. not. ad v. 853. et 494.

876. *tantaque vox etc.* Virg. A. III, 672. de eodem Polyphemo:

Clamorem immensum tollit, quo pontus et omnes

Debuit, illa fuit. Clamore perhorruit Aetne.
Ast ego vicino pavefacta sub aequore mergor;
Terga fugae dederat conversa Symaethius heros,
Et „„Fer opem, Galatea, precor, mihi! Ferte parentes,“
Dixerat „et vestris perituram admittite regnis!““
„Insequitur Cyclops, partemque e monte revulsam
Mittit, et extremus quamvis pervenit ad illum
Angulus e saxo, totum tamen obruit Acin.
At nos, quod fieri solum per fata licebat,
Fecimus, ut vires assumeret Acis avitas.
Puniceus de mole cruor manabat, et intra
Temporis exiguum rubor evanescere coepit,
Fitque color primo turbati fluminis imbre,
Purgaturque mora. Tum moles fracta dehiscit,
Vivaque per rimas proceraque surgit arundo,
Osque cavum saxi sonat exsultantibus undis;
Miraque res, subito media tenus exstitit alvo
Incinctus juvenis flexis nova cornua cannis.
Qui, nisi quod major, quod toto caerulus ore est,
Acis erat; sed sic quoque erat tamen Acis, in amnem

Intremuere undae penitusque exterrita tellus
Italiae, curvisque immugiit Aetna cavernis.

Ex Hom. v. 395.

σμερδαλέον δὲ μέγ' ὤμωξεν. περὶ δ' ἴαχε πέτρη.

879. *Symaethius heros.* Vid. 750. heros quia filius fluvii dei.

882. *insequitur.* Apodosis est versuum 879 — 881. Conf. v. 713. Hom. v. 481.

ἦκε δ' ἀποβρήξας κορυφὴν ὄρεος μεγάλοιο.

IX Heins. et ed. pr. *a monte.* Conf. XII, 341. Virg. A. V, 720. *e scopulo multa vix arte revulsus.*

885. Cod. Bersm. et Zwicc. *quod solum fieri.*

886. *vires - avitas*, vires s. naturam avi Symaethi, sive quod avus fuerat, sc. fluvius. I, 279. — *vires assumere.* XII, 1. XI, 89.

887. *de mole*, de saxo.

888. *exiguum* h. l. pro substantivo est, ut *medium* X, 368., *inane* alibi.

890. *fracta dehiscit*, ut *fracta dissiluit* XII, 488. — Arond., III alii Heins. et margo ed. Bersm. et Bas. *jacta.* Ed. pr. *tecta.* Edd. Venn. et vulg. *tacta.* Nonnulli Heinsii *tracta, tanta, facta, tecta, cuncta, certa, acta.* Sed alter Bersm., Berol., Farnes., Mor. 1., Sulm. 1. 2., Thu., Vat. 1. et XV Heinsii *fracta.*

891. *proceraque.* Sic Berol., Dresd., Goth. 2., Ioan., Par. 1. 2., Lips. 2., Vrat. et sine dubio multi quoque Heinsii et ed. pr.; atque aptius post *viva* est epitheton de ipsa arundinis natura. Vulg. *properataque.*

893. *subitus* de corporibus repente transformatis passim. V, 560. XI, 341. — *exstitit*, emersit, sese sustulit, conspicuus factus est, ut II, 264. V, 413. III, 110.

894. *nova cornua* (vid. ad I, 332.) *flexis cannis incinctus.* Diis fluviorum in fabula et a poetis cornua tribui supra et saepe jam memoratum est, itemque eorum caput aut cornua cannis cingi IX, 1 seqq. Scilicet quia fluviorum ripae et fontes arundine cincti sunt.

895. *caerulus*, ut deus fluvii. Vid. 962. I, 275. De *nisi quod* cf. v. 486. II, 430. XIV, 784. — *major*, ut IX, 269. Hercules habet formam augustam et plus quam humanam, membraque magna. Vid. v. 962.

896. „*et sic quoque licet in amnem versus esset, tamen Acis erat.*“ Hanc rectissimam scripturam ac sententiam exhibent codices longe plurimi et optimi cum vett. edd. — Septem Heinsii *sed sic*, quod etsi ad sensum rectum est, tamen in textum recipere non debebat

Versus, et antiquum tenuerunt flumina nomen.“
Desierat Galatea loqui, coetuque soluto —
Discedunt, placidisque natant Nereïdes undis.
Scylla redit, - neque enim medio se credere ponto
Audet - et aut bibula sine vestibus errat arena,
Aut, ubi lassata est, seductos nacta recessus
Gurgitis, inclusa sua membra refrigerat unda.
Ecce fretum scindens alti novus incola ponti,
Nuper in Euboïca versis Anthedone membris,
Glaucus adest, visaeque cupidine virginis ardet,
Et, quaecunque putat fugientem posse morari,
Verba refert. Fugit illa tamen, veloxque timore
Pervenit in summum positi prope litora montis.
Ante fretum est ingens, apicem collectus in unum
Longa sub arboribus convexus ad aequora, vertex:
Constitit hic et tuta loco, monstrumne deusne
Ille sit ignorans, admiraturque colorem
Caesariemque humeros subjectaque terga tegentem,
Ultimaque excipiat quod tortilis inguina piscis.

Heinsius. Prorsus mendosae sunt scripturae codicis Bersm., Flor. et Thu. *quod sic*, alterius Bersm., Cant., Goth. 2., Mor. 1., Ox. et multorum Heins. *sic quicquid erat*, nonnullorum Heins. *sed quicquid erat tamen;* Dresd., Medic. 4. et VI Heins. *sic et quoque e. t.*, Berol. *qui sic quoque e. t.* — ,,Acis fl. (hodie il Freddo) ex Aetna profluens undas suas gelidissimas maximo cum impetu in mare devolvit.“ *Gier.*

898. *Scylla cum a multis aliis* (v. 735.) *tum etiam a Glauco amatur, qui ei narrat, quomodo e piscatore in deum marinum conversus sit.* Hyg. F. 199. Eustath. ad Hom. p. 205. Paus. IX. c. 22. Athenae. VII. c. 12. Schol. ad Apollon. Rhod. I, 1310. Palaeph. c. 28.

899. *Nereïdes.* Vid. v. 736. Ceterum h. l. *Nerēides*, ut XI, 380. XII, 93. Contra XIV, 264. *Nerēides.* Nam Gr. Νηρηΐς et Νηρεΐς.

900. *redit* sc. e mari ad litus. Vid. 730 seqq.

902. *seductos recessus*, q. e. altos, *remotos recessus.* Conf. IV, 623. XIV, 51. et I, 177. *Sinus reductos* Virg. A. I, 161. Ad sententiam conf. XIV, 51. — Cod. Bersm., Cant., Ox., Vrat. et plurimi Heins. *seductaque.*

904. *scindens.* II Heins. *findens*, quod temere induxit Heinsius. Conf. II, 159.

905. *in Euboïca Anthedone.* Vid. VII, 232. Etiam apud. Palaeph. Glaucus est Ἀνθηδόνιος τὸ γένος.

906. *ardet.* Berol., Flor., Neap., Ox., Pal. 2., Urb., Vrat. et VI e melioribus Heinsii *haeret*, quod cur elegantissimae vulgatae *ardet* praetulerit Heinsius non apparet. — Cant., Erf. 1., Goth. 1., Pal. 1., Vat. 1. et X alii Heinsii *ardens.*

909. *in summum montis*, at supra v. 888. *intra exiguum temporis.* — *prope litora*, sc. Italiae Messeniam contra. XIV, 17.

910. *collectus*, i. q. *cuneatus* v. 778. — Flor., Vrat., complures Heinsii et edd. Venn. *conjectus.* Thu. *conjunctus.*

911. *sub arboribus.* Dresd., Ox. et III Heins. *sine arboribus*, quod recepit Heinsius. Sed mihi non ineptum videtur *sub arboribus*, quod in omnibus prope codd. et vett. edd. legitur, ut valeat *arboribus obsitus, tectus*, ut latens videre posset, quis ille esset, qui ipsum persequeretur. — Dresd., Bersm., Lips. 2. et nonnulli Heinsii *conversus.* Mendose. — *convexus* est declivis, ut XIV, 17.

912. *monstrumne*, propter inferiorem corporis partem.

913. Construe: *admiraturque colorem, caesariemque - tegentem, et quod - - excipiat.*

915. *tortilis*, in arcum curvatus. Ipse Glaucus v. 963.

Cruraque pinnigero curvata novissima pisce.

Conf. III, 681.

916. *sensit.* Nonnulli Heinsii *sentit*,

Sensit, et innitens quae stabat proxima moli,
„Non ego prodigium, nec sum fera bellua, virgo;
Sed deus“ inquit „aquae, nec majus in aequora Proteus
Jus habet et Triton Athamantiadesque Palaemon.
Ante tamen mortalis eram; sed, scilicet altis
Deditus aequoribus, jam tum exercebar in illis.
Nam modo ducebam ducentia retia pisces,
Nunc in mole sedens moderabar arundine linum.
Sunt viridi prato confinia litora, quorum
Altera pars undis, pars altera cingitur herbis;
Quas neque cornigerae morsu laesere juvencae,
Nec placidae carpsistis oves hirtaeve capellae,
Non apis inde tulit collectos sedula flores,
Non data sunt capiti genialia serta, nec unquam
Falciferae secuere manus. Ego primus in illo
Cespite consedi, dum lina madentia sicco;
Utque recenserem captivos ordine pisces,
Insuper exposui, quos aut in retia casus,
Aut sua credulitas in aduncos egerat hamos.
Res similis fictae; sed quid mihi fingere prodest?
Gramine contacto coepit mea praeda moveri,
Et mutare latus, terraque, ut in aequore, niti;
Dumque moror mirorque simul, fugit omnis in undas
Turba suas, dominumque novum litusque relinquit.
Obstupui, dubitoque diu causamque requiro:

quod Heinsius temere recepit — *moli*, rupi. — *innitens*, nam sedere non poterat biformis Glaucus.

917. *nec sum*. Berol., Dresd., Goth. 1., Lips. 2. et meliores (?) Heinsii *non sum*. Iidem v. 918. *sum deus* pro *sed deus*, ex interpretamento.

918. *in aequore*. Medic. 3., Rottend. et Vrat. *in aequora*, quod recepit Heinsius. Restitui *in aequore*, ut de regno et loco ubi imperium habeat, Glaucus dicat. — De *Proteo* VIII, 130., de *Tritone* I, 133. et de *Palaemone* IV, 466 — 540.

919. Unus cod. apud Bersm. *Athamantiadesve*, quod temere recepit Heinsius.

920. *sed scilicet*. Conf. IV, 135.

921. *deditus aequoribus*, labori in aequore. — *jam tum*, cum nondum incola maris essem, *exercebar in illo*. Optimam hanc scripturam *jam tum* Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. et castigatiores Heinsii confirmant. Reliqui *tantum*, ut illud *deditus aequoribus* exponat. Minus eleganter.

922. *ducere p.*, quod alibi *fallere, decipere*.

923. Conf. III, 586. et 592. et II, 12.

928. *tulit flores*. Eodem modo Virg. Georg. IV, 54. de apibus *metunt flores*.

929. *genialia*, festa, h. e. quibus ornatur caput, cum genio indulgetur. Conf. X, 95. IV, 14. — Ad illa *non data sunt* adde e versu praecedenti *inde*.

934. Conf. VIII, 861.

937. *et mutare latus*, ex natura piscium in terra jacentium et semivivorum. Confirmant eam scripturam Arond., Berol., Flor., Goth. 1., Medic. 3. 4., Mor. 1., Neap., Ox. et XII alii Heins. Reliqui *motare*, c. gl. Dresd. *frequenter movere*, non male. — *terraque*. Ita saepe praepositio primo loco omittitur. Vid. ad VII, 708. — *niti* proprie de hominibus et animalibus in terra vel stantibus vel incedentibus. Hinc etiam pisces niti in aequore dicuntur, cum ab eo sustentantur. *Gier*.

939. *relinquunt*. XVIII Heins. et ed. pr. *relinquit*. Goth. 2. et VIII Heins. *reliquit*. — *suas*, quibus assueti.

940. *dubitoque diu*. Ita Berol., Dresd., Bas. 2., Lips. 2., Neap., X alii Heins., nonnulli apud Ciof. et edd. Venn. — II Heinsii *dubitoque prius* et unus *dubitoque simul*. Cod. Bersm.,

Num deus hoc aliquis, num sucus fecerit herbae.
„„Quae tamen has“ inquam „vires habet herba?““
manuque
Pabula decerpsi decerptaque dente momordi.
Vix bene combiberant ignotos guttura sucos;
Cum subito trepidare intus praecordia sensi,
Alteriusque rapi naturae pectus amore.
Nec potui restare diu, „„Repetendaque nunquam
„„Terra, vale!““ dixi, corpusque sub aequore mersi.
Dî maris exceptum socio dignantur honore,
Utque mihi quaecumque feram mortalia demant,
Oceanum Tethynque rogant. Ego lustror ab illis,
Et purgante nefas novies mihi carmine dicto
Pectora fluminibus jubeor supponere centum.
Nec mora, diversis lapsi de partibus amnes
Totaque vertuntur supra caput aequora nostrum.
Quae postquam redeunt, alium me corpore toto,
Ac fueram nuper, nec eundem mente recepi.
Hactenus acta tibi possum memoranda referre,
Hactenus et mimini, nec mens mea cetera sensit.
Hanc ego tunc primum viridem ferrugine barbam

Goth. 1., Zwicc. et ed. pr. *dubiusque diu causamque requiro*. Mendose. Goth. 2., Bas. 1. 3. 4., St. Gall., Vrat., Sulm. 1. 2. et Vat. Ciof. *dubiusque fui causamque requiro*, quae sine dubitatione inventio librariorum est. Heinsius, licet optima scriptura adesset, conjecturam suam dedit: *dubiusque diu, quae causa, requiro. — dubito* i. e. dubius haesi.

943. *decerpsi - decerptaque*. Vid. 1, 33.

946. *alteriusque naturae*, alterius elementi, sc. aquae.

947. *restare diu*, i. e. manere diu. — Goth. 1. et Medic. 3. *restare loco*.

948. *sub aequore*. Dresd., Goth. 2., Vrat. et castigatiores (?!) Heinsii *sub aequora*, utrumque latinum est; itaque codicum et vett. editionum auctoritatem sequendam putavi. Vid. 878. *vicino sub aequore mergor*. XIV, 548. *medioque sub aequore mersit*.

949. *socio honore*, honore ut socius esset.

951. *Tethyn*. II, 69. Ut Hercules IX, 262 sqq. flammis, sic Glaucus lustratione mortalitatem exuit.

952. „*et jubeor carmine, nefas* (sordes mortales) *purgante, novies dicto pectora centum fluminibus supponere*, i. e *mergere*.

954. *diversis - de partibus*, i. e. de regionibus. II, 160. — Sulm. 1., Berol. et III Heins. *de fontibus*. Vat. Ciof. et II Heins. *de montibus*.

956 — 959. Hunc, optimum sane ad sensum, versuum ordinem ex auctoritate codicum Ciof. omnium, plerorumque Heins., Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1., Lips. 2. et veterum edd. cum Jahno revocavi. Plerique vetustiores (?) Heins., Goth. 2., Vrat. et Zwicc. 956. et 957. post 959. ponunt. Utrumque versuum ordinem etiam Vivian. e codd. suis annotavit. Goth. 2. et Vrat. *rediit*; nimirum qui versus 956. et 957. post 959 ponunt. Reliqui omnes *redeunt*. — II Bersm., unus Sulm. et II Vatt. Ciof. *quam fueram*, vulgari varietate. — Dresd., Goth. 1., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *neque eundem*, vulgari et ipsa variante. — Multi Heins. *miranda referre*. — Cod. Bersm., Berol., Lips. 2. et ed. pr. *sentit*. Male. Heinsius et ejus sectatores secundum eum quem receperuut versuum ordinem ediderunt: *Hactenus a. t. p. mem. referre; Hactenus et m., nec m. m. c. sensit. Quae postquam rediit; alium me corpore toto, Ac f. nuper, nec eundem mente, recepi*. Verum in hoc ordine vox *recepi* minus quadrat: dicendum erat *sensi* vel tale quidpiam. *Jahn*.

960. *viridem*. Cod. Bersm., Vrat. et quidam Heinsii *viridi*. — De colore *ferrugineo*, caeruleo illo, sed qui in fu-

Caesariemque meam, quam longa per aequora verro,
Ingentesque humeros et caerula brachia vidi,
Cruraque pinnigero curvata novissima pisce.
Quid tamen haec species, quid dîs placuisse marinis,
Quid juvat esse deum, si tu non tangeris istis?“
Talia dicentem, dicturum plura, reliquit
Scylla deum. Furit ille irritatusque repulsa
Prodigiosa petit Titanidos atria Circes.

scum vel etiam nigrum abit, qualis fusco marino ipsique mari est, vid. Voss. ad Virg. Georg. I, 467. Non. 16. 7. *Vere ferrugineus color caeruleus est.* — Cod. Bersm., Berol., Goth. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *tunc.*

961. *verro*, verrens trahо. Conf. v. 492. *verro* autem, quia caesaries rigida et horrida.

962. *ingentes*, quia jam deus factus. Conf. 865., ubi Acis *major* factus.

963. *cruraque.* Vid. 916. Vellej. Pat. II. c. 83. *cum caeruleatus et nudus caputque redimitus arundine et caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset.* — Berol., Goth. 1., Vrat. et ed. pr. *pennigero.*

966. Berol. *Scylla – plura.*

968. *Titanidos atria Circes.* Circe venefica filia fuit Solis, Titanis (I, 10.), et Perses s. Perseïdis, nymphae marinae. IV, 205. Vid. XIV, 10. et 260.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER QUARTUS DECIMUS.

Jamque Giganteis injectam faucibus Aetnen
Arvaque Cyclopum, quid rastra, quid usus aratri,
Nescia, nec quicquam junctis debentia bobus,
Liquerat Euboïcus tumidarum cultor aquarum,
Liquerat et Zanclen adversaque moenia Rhegî,
Navifragumque fretum, gemino quod litore pressum
Ausoniae Siculaeque tenet confinia terrae.

1. *Glaucus a Scylla repudiatus* (XIII, 965.) *Circen adit ac petit, ut veneficio nympham ad amorem sui incendat. Circe irata Scyllam sibi praeferri inferiorem aemulae partem in canes marinos mutat. Postea eadem in rupem mutata est.* Hyg. F. 199. Virg. Cir. 68 sqq.

1. Construe: *Jamque Eub. cult. tumid. aq. liquerat Aetnen, Gigant. fauc. injectam et arva Cycl., nescia quid. . . sint, nec quicq. junctis bubus deb.* — De *Gig.* – *Aetnen* vid. V, 346 — 353. — Scripturam *Aetnen* exhibent Flor. et Thu. — Reliqui *Aetnam*, quod genuinum videtur.

2. *arvaque Cyclopum.* XIII, 770. — *nescia etc.*; nam sponte omnia proferebant. Hom. Od. IX, 108. de Cyclopibus:

Οὔτε φυτεύουσιν χερσὶν φυτὸν οὔτ' ἀρόωσιν·
Ἀλλὰ τάγ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται.

Itaque *arva* improprie dixit agros Cyclopum; *arvum* enim ab arando. — Genev., Voss., Zwicc., margo Bersm. et alii libri apud Ciof. *quis usus.* Sed *usus aratri* per periphrasin aratrum declarat. Conf. I, 408. VIII, 246. XIV, 553. Fast. V, 592.

3. *bobus.* Bersm., Goth. 2., Ioan., meliores Heins. et ed. pr. *bubus.* — Reliqui *bobus*, quae vera scriptura videtur. Altera forma nata ab grammaticis videtur, qui *bobus* priorem corripere putarent, quod tamen nondum satis exploratum est. Vid. not. ad Her. V, 116. et Leop. Schneid. Gramm. Lat. P. II. Vol. I. p. 268. et conf. Met. XV, 12. — Plin. Paneg. c. 30. *Aegyptus nihil imbribus coeloque debet.*

4. *Euboïcus cultor aquarum*, Glaucus. Vid. ad XIII, 905.

5. *Zanclen.* XIII, 729. – *Rhegium* oppidum in Bruttiis ad fretum Siculum contra Messanam. Hinc *adversa.* Conf. XIII, 541.

6. *navifragum* pro *naufragum* etiam Virg. A. III, 553. — Berol., Goth. 1., Lips. 2., Zwicc. deteriores Heins. et edd. Venn. *naufrag.* — *pressum* arcte inclusum, coërcitum. I, 48. Conf. XV, 290 sqq.

7. *confinia tenet*, confine est.

Inde, manu magna Tyrrhena per aequora lapsus,
Herbiferos adiit colles atque atria Glaucus
Sole satae Circes, variarum plena ferarum.
Quam simul adspexit, dicta acceptaque salute
„Diva, dei miserere, precor; nam sola levare
Tu potes hunc“ dixit - „videar modo dignus - amorem.
Quanta sit herbarum, Titani, potentia, nulli,
Quam mihi, cognitius, qui sum mutatus ab illis.
Neve mei non nota tibi sit causa furoris,
Litore in Italico, Messania moenia contra,
Scylla mihi visa est. Pudor est promissa precesque
Blanditiasque meas contemtaque verba referre.
At tu, sive aliquod regnum est in carmine, carmen
Ore move sacro, sive expugnacior herba est,
Utere tentatis operosae viribus herbae.
Nec medeare mihi sanesque haec vulnera mando;
Fine nihil opus est, partem ferat illa caloris.“

8. *inde*, a freto illo. — *magna*, ut dei marini. XIII, 962. — *labi* apte et eleganter de celeri motu pisci similis dei. Conf. v. 821. VI, 218. Atque eam scripturam confirmant Arond., Bas. 1., Berol., Cant., Erf. 1., Pal. 1., Par. 1., Lips. 2., Vat. 1., Zwicc., II Vatt. Ciof., multi alii Heins. et ed. pr. — Reliqui *vectus*.

10. „*Circen* insignem veneficam Solis et Persae filiam Aeetae Colchorum regis sororem in insulam quondam Oceani occidentalis transtulerat antiquitas. Hom. Od. X, 135 sqq., ut Ulixem eo deferret, juxta litus Italiae collocavit. Vid. Heyn. Excurs. I. ad Aen. VII.“ *Gier.* — *Sole satae*. Cf. XIII, 968. — *variarum plena ferarum*, sc. in quas veneficio homines converterat. Vid. v. 255 sqq.

11. *dicta acceptaque salute*. Conf. v. 271.

14. *Titani*. XIII, 968. Ultima syllaba correpta, ut in *Adoni* X, 543., *Derceti* IV, 45. — *herbarum potentia*. Conf. I, 522. De herbarum in re magica usu conf. etiam v. 266 seqq. VII, 224 seqq.

15. *qui - ab illis*. XIII, 944 seqq.

16. *furoris*, furiosi amoris. De constructione illa: *neve . . furoris, litore etc.* conf. VII, 520.

17. *litore in Italico etc.* Vid. 5. et XIII, 904 seqq.

18. *mihi*, a me.

20. *aliquod regnum*, aliqua potentia, aliqua vis magica. — Zulich. pro v. l. *aliquid regni*, quod temere edidit Heinsius. Flor. *aliquod regni*. Cant., Pal. 2., Zwicc. et V Heins. *aliquid regnum*. Conf. IV, 536. — *carmen*, formula incantationis. VII, 137.

21. *move*, profer, edic, quia quae proferuntur, moventur. X, 149. Heyn. ad Virg. A. I, 262. Bentl. ad Hor. Od. III, 7, 20. — Cant. et III Heins. *sive hoc expugnacior*. Lips. 2. *sive hoc pugnantior*. Par. 2., Flor., Goth. 2., Pal. 1., Vrat. et multi ex melioribus Heins. *sive expugnatior*. Vulgo *sive expugnacior*. Cod. Bersm., Dresd., Bas. 1. 2., Par. 2., Sulm. 1., multi Heins. et ed. pr. *sive expugnantior*. Varietas originem suam a grammaticis habere videtur, qui Nasonem ita nova verba, imprimis composita a simplicibus saepe formare ignorarent. Conf. IX, 619. — *expugnax* declarat: quae vi sua vincit et ad deditionem cogit.

22. *operosae*, quae multum operae, potestatis habet, efficacis.

24. „(nam) *fine* (amoris) *nihil opus est*, (sed) *partem* . .“ Hanc scripturam exhibent aliquot Heins., Bas. 2. a corr. et Bas. 3. — *nihil* posteriori productu, ut VII, 644. Pont. III, 1, 11. *morte nihil opus est*. Conf. Trist. V, 14, 41. Atque omnino syllabas medias ante vocales in arsi saepe produci multis ostendimus exemplis ad Trist. III, 15, 36. Vid. ad Met. I, 114. Multi Heins. *fine opus est nullo*, nonnulli Heins. et Pal. 2. *fine opus nullo*. Dresd. et Thu. *sive opus est nullo*, Lips. 2. pro v. l., Cael., Sulm. 1. et multi Heins. *hoc mihi nil opus*. Unus Bas., Vat. et II Heins. *sic mihi nil opus est*. Gron. *hoc quoque nil opus est*. Vulg. *fineque*

At Circe - neque enim flammis habet aptius ulla
Talibus ingenium: seu causa est hujus in ipsa,
Seu Venus indicio facit hoc offensa paterno -
Talia verba refert: „Melius sequerere volentem,
„Optantemque eadem parilique cupidine captam!
Dignus eras ultro, poteras certeque, rogari,
Et si spem dederis, - mihi crede - rogaberis ultro.
Neu dubites, adsitque tuae fiducia formae,
En ego, cum dea sim, nitidi cum filia Solis,
Carmine cum tantum, tantum quoque gramine possim,
Ut tua sim, voveo. Spernentem sperne, sequenti
Redde vices, unoque duos ulciscere facto.“
Talia tentanti „Prius“ inquit „in aequore frondes,“
Glaucus „et in summis nascentur montibus algae,
„Sospite quam Scylla nostri mutentur amores.“

nil opus est. Duae igitur sunt scripturae, quae ab Ovidio esse possunt: *fineque nil opus est* et *fine nihil opus est*, e quibus ego insolentiorem et, ut mihi videtur, ad sententiam aptiorem et concinniorem praetuli. Nam reliquae manifestae interpolationes sunt. — *caloris*, i. q. *furoris* v. 16. — De sententia, Tib. I, 2, 65.

Non ego, totus abesset amor, sed mutuus esset,
Orabam, nec te posse carere velim.

25. *flammis aptius talibus*, amori aptius. Art. A. I, 237. *animus caloribus aptus.* - Permulti codd. cum ed. pr. *altius*, inepte.

26. *hujus*, sc. apti flammis ingenii.

27. *indicio - offensa paterno.* Solis, qui amorem Veneris et Martis prodiderat. IV, 171 seqq.

28. *melius sequer. volentem*, q. e. sapientius faceres, si amore prosequereris aliquam volentem et cupidam amari.

30. *dignus eras - rogari.* De *dignus* cum infinit. vid. I, 240. Sensus est: „*Dignus eras ultro rogari, et certe poteras* (potuisses), *sc. ultro rogari. Ultro* conjungendum esse cum *rogari*, apparet etiam ex illo *rogaberis ultro*. Pessima est interpunctio: *dignus eras: ultro poteras certeque rogari.* — Cod. Bersm. *dignus eras: poteras ultro c. rogari.* Unus Vat. Ciof. *ultroque potest certeque rogari.* — Deinde Pal. 1., Cant., Urb. et VI alii Heins. *certoque.* Erf. et III alii Heinsii: *dignus eras ultro certe poterasque rogari.* Omnes frustra. Conjecturas editorum afferre piget. De positione illius *que* secundo loco conf. X, 144.

31. *adsitque.* Ex illo *neu* conjunctio *ut* repetenda, ut saepe. Trist. I, 8, 49.

Effice peccati ne sim memor hujus, et illo
Officium laudem, quo queror ore tuum —

ubi vid. not., quem dicendi modum ignorantes librarii *absit* scripserunt, quod legitur in Erf. 1., Mor. 1., Thu., Vrat., Zwicc. et VII Heinsianis. — Scripturam *neu dubites* exhibent II Bersm., meliores (?) Heins., Berol., Dresd., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 1. et vett. edd. — Goth. 2. et Vrat. *non dub.* Reliqui *ne dub.*

34. *cum tantum, tantum quoque.* Ita multi Heinsii, Berol., Dresd., Par. 2., Lips. 2., Vrat. et ed. pr. — Multi alii Heinsii, uterque Bersm., omnes Ciof., Pal. 2., Par. 1., Twisd. 1. 2. et alii *cum tantum, quantum quoque.* Mendose. Heins. conjectura est, *cum tantum, tantum cum.*

35. *spernentem*, sc. Scyllam. — *sequenti*, sc. mihi.

36. *redde vices*, par pari refer. — *duos*, sc. me, quae aemulam odi et te, qui ab ea spretus es. Scripturam *duos* praeter sensus bonitatem confirmant Vat. et V Heinsii. Reliqui omnes *duàs*, in qua ego rectum sensum reperire non possum: certe contortus est, quem Regius proposuit: *et me quia tibi ea quae rogasti concedere nolo, et Scyllam quia te est aspernata.*

37. *prius - in aequore frondes etc.* Conf. XIII, 324.

39. *sospite quam Scylla*, quam, dum Scylla (adhuc) sospes est, . . .

Indignata dea est, et, laedere quatenus ipsum
Non poterat - nec vellet amans, - irascitur illi,
Quae sibi praelata est; Venerisque offensa repulsa
Protinus horrendis infamia pabula sucis
Conterit, et tritis Hecateïa carmina miscet,
Caerulaque induitur velamina, perque ferarum
Agmen adulantum media procedit ab aula,
Oppositumque petens contra Zancleïa saxa
Rhegion, ingreditur ferventes aestibus undas,
In quibus ut solida ponit vestigia terra,
Summaque decurrit pedibus super aequora siccis.
Parvus erat gurges, curvos sinuatus in arcus,
Grata quies Scyllae, quo se referebat ab aestu
Et maris et coeli, medio cum plurimus orbe
Sol erat et minimas a vertice fecerat umbras.
Hunc dea praevitiat portentificisque venenis
Inquinat, hic pressos latices radice nocenti
Spergit, et obscurum verborum ambage novorum
Ter novies carmen magico demurmurat ore.
Scylla venit, mediaque tenus descenderat alvo;

41. „*nec vellet* (sc. si posset quippe) *amans.*“ Ipsum autem *non poterat* veneficio suo laedere, quia deus erat.

42. *Veneris repulsa*, amoris repulsa.

43. *pabula*, gramina. XIII, 943. Remed. A. 249.

— *Haemoniae si quis mala pabula terrae,*
Et magicas artes posse juvare putat.

Cod. Bersm., Berol., Dresd., Cael., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 2., III Vatt. Ciof. et plerique Heinsii *infam. gramina*, ex glossa. Reliqui cum vett. edd. *inf. pabula.* Vid. not. ad v. 408. — Pro *sucis* codd. prope omnes *succis.*

44. *conterit et tritis.* Vid. ad I, 33. — *et tritis Hec. verba miscet.* Virg. Georg. II, 129.

— — — — — *novercae*
Miscueruntque herbas et non innoxia verba.

Conf. Met. VII, 248. — *Hecateïa*, magica, ab Hecate, artium magicarum praeside. VI, 139. VII, 74.

45. *caerula*, ut dea marina. *perque ferarum agmen.* Vid. ad v. 10. et 255.

47. *oppositumque.* Heinsius primus, quod nonnisi II Bonon. exhibent, recepit *oppositamque.* Male. nam talia nomina urbium et neutrius sunt et feminini. Her. XVI, 49. XVII, 240. ubi vid. not. Hor. Od. IV, 4, 53. *Ilio cremato.* Virg. A. V, 261. *Ilio sub alto*, ubi Servius: *Virgilius semper genere neutro.*

48. *ferventes.* Vulg. *ferventesque.* Codd. Viv., vetustiores Heinsii, omnes Jahni et ed. pr. *que* omittunt. Recte. Ipsum enim Rhegium non jam ingreditur. Junge: *et petens Rhegion contra Zancl. saxa oppositum, ingreditur undas ferventes aestibus*, h. e. fretum. De eodem freto Siculo Flor. II. c. 2. *fretum - fabulosis infame monstris aestuque violentum.* — 49. *terra.* Franc. et Sprot. *ripa.* Praepositio altero loco omissa ut saepe. Vid. index.

51. *parvus gurges.* XIII, 902.

53. *plurimus*, vehementissimus. — *medio orbe*, medio cursu, meridie. De re conf. III, 50. 144. V, 614.

55. *hunc*, sc. gurgitem — *praevitiat*, sc. antequam Scylla advenit. Ab Ovidio novatum verbum, ut hujus generis permulta. Conf. v. 134. VI, 478. VII, 489. XI, 731. et vid. not. ad Trist. IV, 6, 30. — Pro *portentificis*, q. e. portenta s. monstra efficiens, Bersm., Bas. 2., Ox., Pal. 2., Vat. Ciof. et VI alii Heinsii *portentiferis. Portentificis* dictum est ut V, 217. *saxifici vultus* Medusae et VIII, 358. *vulnificus sus.*

56. *hic pressos latices.* Unus Bersm., Bon. 3., Gron. 1. et alter Hamb. *fusos*, quod recepit Heinsius, qui etiam scripturam omnium prope codd. et vett. editionum *hic* in *huic* corrupit. De re conf. VII, 251. 264.

57. De *ambage* conf. VII, 761. Fast. IV, 261. *ambages sortis obscurae.*

58. *demurmurat.* Vid. VII, 251.

Cum sua foedari latrantibus inguina monstris
Adspicit. Ac primo, non credens corporis illas
Esse sui partes, refugitque abigitque timetque
Ora proterva canum; sed quos fugit, attrahit una,
Et corpus quaerens femorum crurumque pedumque,
Cerbereos rictus pro partibus invenit illis,
Statque canum rabies, subjectaque terga ferarum
Inguinibus truncis uteroque exstante coërcet.
Flevit amans Glaucus, nimiumque hostiliter usae
Viribus herbarum fugit connubia Circes.
Scylla loco mansit, cumque est data copia primum,
In Circes odium sociis spoliavit Ulixen.
Mox eadem Teucras fuerat mersura carinas,
Ni prius in scopulum, qui nunc quoque saxeus exstat,
Transformata foret: scopulum quoque navita vitat.
Hunc ubi Trojanae remis avidamque Charybdin
Evicere rates: cum jam prope litus adessent
Ausonium, Libycas vento referuntur ad oras.

60. *foedari*, turpari, deformari. VII, 64. 65. — Scylla succincta *latrantibus canibus* etiam apud Virg. Ecl. VI, 75. Aliter describitur Aen. III, 426.

Prima hominis facies et pulcro pectore virgo
Pube tenus, postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas utero commissa luporum.

Conf. Hom. Od. XII, 85 seqq.

65. *Cerbereos rictus*, q. e. rictus quales Cerberi. IV, 459.

66. *statque*, fixa est, haeret. Sensus est: *canesque rabidi corpore fixi sunt et inguinibus truncis et utero terga subjecta ferarum adhaerent:* pro quo poeta dicit: ipsa *coërcet*. 1, 31. — Franc. et alter Hamb. *cohaerent*. Juret. et unus Patav. *cohaeret*, alii *cohercet*. Reliqui *coercet*.

71. *Ulixen*. Cum Ulixes in itinere illo decem annorum et erroribus a Circe veniens, quae eum amarat, Scyllam praeterveheretur, illa sex de sociis ejus devoravit. Hom. Od. XII, 85 seqq. et 245 sqq. Virg. Cir. 57. Aen. III, 684.

72. *Teucras*, Trojanas, Aeneae. XIII, 705. — Jam demum poeta ad Aeneae fata, unde digressus est XIII, 730., redit: in quibus narrandis vestigia premit Virgilii Aen. I. III. V. Sed fabulas de Cercopibus et Sibylla inseruit.

75. *Aeneas in itinere in Italiam, quum jam prope litus adesset, tempestate in Libyam projectus ad Didonem, reginam Carthaginis, venit. Post brevem moram Italiam repetit, et inter alia Pithecusas insulas prope Italiam sitas, in quibus Cercopes in simias mutati erant, praetervectus Cumas appellitur.*

75. *hunc*, sc. scopulum. Bas. 1. 2., Dresd., Vrat. et meliores (?) Heinsii *hanc*, quod dedit Heinsius. - *avidamque Charybdin*. XIII, 731. VII, 63.

76. *evicere*, evasere non sine labore, eluctatae sunt. XV, 706.

77. Conf. Virg. A. III, 687 seqq. Litus legunt Siciliae australe et occidentale, ad Drepanum supra Lilybaeum promontorium appellunt ibique moritur Anchises. Vere anni sequentis classis e Sicilia solvit versus Latium, sed tempestate ab Aeolo Junonis precibus excitata (Virg. A. I.) naves omnes *Libycas ad oras referuntur*. Egressus Aeneas Carthaginem intrat, ubi Dido regina amore ejus incensa est (Hinc *excipit animoque domoque*); quem quum Aeneas neglexisset, eamque reliquisset (hoc est *discidium Phrygii mariti*), illa furore correpta (hinc *non bene* q. e. aegre impatienter *latura*) *sacra* simulans (hinc *decipit omnes* sc. putantes vera sacra parari v. 81.) structo rogo eoque accenso se ipsa gladio occidit. — *Phrygius* s. Trojanus maritus est Aeneas, qui tamen non verus ejus maritus sed amator fuerat. — *Sidonis* est Dido, ut e Phoenicia, cujus urbs Sidon, oriunda, qua relicta in Libyam immigrarat et tum Carthaginem condebat. Virg. I. IV. — Vett. edd. *dissidium*, q. e. discordia. Perperam.

Excipit Aenean illic animoque domoque,
Non bene discidium Phrygii latura mariti,
Sidonis, inque pyra sacri sub imagine facta
Incubuit ferro, deceptaque decipit omnes.
Rursus arenosae fugiens nova moenia terrae,
Ad sedes Erycis fidumque relatus Acesten
Sacrificat, tumulumque sui genitoris honorat;
Quasque rates Iris Junonia paene cremarat,
Solvit, et Hippotadae regnum terrasque calenti
Sulfure fumantes Acheloïadumque relinquit
Sirenum scopulos. Orbataque praeside pinus
Inarimen Prochytenque legit sterilique locatas
Colle Pithecusas, habitantum nomine dictas.
Quippe deûm genitor, fraudem et perjuria quondam

78. *excipit – animoque domoque.* Her. VI, 55. *tectoque animoque recepi.* Art. II, 407. *Thestiaden thalamoque animoque recepit.* Vid. IX, 279. et not. ad XI, 674.

81. *deceptaque*, sc. ab Aenea. Lusus non magnopere probandus.

82. *arenosae – terrae*, Libyae, per periphrasin.

83. *ad sedes Erycis.* Eryx, oppidum Siciliae, ab Eryce, filio Veneris conditum. Acestes, rex Segestae in Sicilia, filius Trojanae et Crimisi, fluminis Siciliae. — *relatus.* Nam etiam in primo itinere in Italiam (v. 76.) ab eo hospitaliter excepti erant. Virg. A. I, 195. et V, 36 seqq. Hinc etiam *fidum.* — Flor. et IV Heins. *ad sedemque.*

84. *tumulumque – honorat.* Nam Anchises, quum primum in Siciliam venissent, ibi mortuus et humatus fuerat. *honorat*, sc. inferiis et certaminibus. Virg. A. V.

85. *Iris* jubente Junone mulieribus Trojanis, errorum marisque fessis persuaserat, ut classem incenderent. Ita cum IV naves combustae essent, Jupiter immissa vehementi pluvia ignem extinxit. Aen. V, 606 seqq. – *Iris Junonia.* I, 271.

86. *Hippotadae*, Hippotae filii (IV, 663.) Aeoli, regis ventorum. Aeoli regnum autem h. l. dicuntur insulae Aeoliae s. Liparcae in mari Tyrrheno s. *Tusco* (v. 223.) inter Italiam et Siciliam. Mel. I. c. 18. — *calenti sulfure.* Montem igni vomum significat.

87. Codd. Ciof., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat. et ed. pr. *reliquit.* Heinsius tacet. *Jahn.* — *Acheloïadum* pro *Acheloïdum.* Conf. V, 70.

88. *Sirenum scopuli* sunt tres insulae ad litus Campaniae, scopulis infames. Mel. II. c. 4. Heyn. ad Virg. A. V, 864. De *Sirenibus*, Acheloï filiabus, vid. ad V, 551. — *orbataque praeside pinus. Praeses* est Palinurus. Is peritissimus erat Aeneae gubernator in itinere in Italiam, sed prope Sirenas cum obdormivisset in mare delapsus in undis periit. Virg. Aen. V, 867.

89. *Inarime*, *Prochyte* et *Pithecusae* et eaedem sunt insulae ad litus Campaniae. Ac prima nomen Latinum habet *Aenaria.* Livius, eam significans, VIII. c. 22. scribit: *in insulas Aenariam et Pithecussas egressi.* Cf. Mel. II. c. 7. Heyn. Exc. II. ad Aen. IX, 716. Strab. V. p. 379. Gier. ad h. l. Hodie Ischia dicta. — *Prochyte* insula inter Pithecusas et Misenum promontorium. — *Pithecusae* insulae prope Cumas, quarum nomen poeta, ut postulabat operis sui ratio, a Gr. *πίθηκος* q. e. *simia*, deducit. Cf. Plin. H. N. III. c. 6. — „Nomen *Inarime* fluxit ex loco vel depravato vel male intellecto Hom. Il. II, 783. *Εἰν Ἀρίμοις*, quod Arimos nonnulli in hanc insulam transferebant. Strab. V. p. 379. addit, simios Etruscis dictos esse arimos. Vid. Munk. ad Lactant. Argum. Heyn. Exc. II. ad Virg. A. IX. *Gier.*

91. *fraudem et perjuria.* Cercopes qui prius in Lydia habitasse dicuntur, Jovi in pugna contra Titanas et Saturnum patrem (I, 113.) auxilium polliciti erant, quum autem pactam mercedem accepissent, eum irriserunt. Iratus Jupiter eos in simias convertit. Harpocrat. *Ξεναγόρας δὲ εἰς πιθήκους αὐτοὺς μεταβαλεῖν φησι καὶ τὰς Πιθηκούσσας νήσους ἀπ' αὐτῶν κληθῆναι.* Zenob. Cent. I. c. 5. IV. c. 50. Graecis *cercopes* etiam genus simiorum caudatorum est. *cercopithecos* in Aethiopia memorat et describit Plin. H. N. VIII. c. 21.

Cercopum exosus gentisque admissa dolosae,
In deforme viros animal mutavit, ut îdem
Dissimiles homini possent similesque videri;
Membraque contraxit, naresque a fronte remissas
Contudit, et rugis peraravit anilibus ora,
Totaque velatos flaventi corpora villo
Misit in has sedes, nec non prius abstulit usum
Verborum et natae dira in perjuria linguae;
Posse queri tantum rauco stridore reliquit.
Has ubi praeteriit, et Parthenopeïa dextra
Moenia deseruit; laeva de parte canori
Aeolidae tumulum et loca feta palustribus ulvis,
Litora Cumarum vivacisque antra Sibyllae,
Intrat et, ut manes adeat per Averna paternos,
Orat. At illa diu vultum tellure moratum
Erexit, tandemque deo furibunda recepto
„Magna petis," dixit „vir factis maxime, cujus
„Dextera per ferrum, pietas spectata per ignes.
Pone tamen, Trojane, metum, potiere petitis,
Elysiasque domos et regna novissima mundi

95. *„et nares prius cum fronte coëuntes a fronte remisit et contudit."* Heinsii scriptura *resimas* conjectura est Salmasii.

96. *rugis peraravit*, ut *sulcavit cutem rugis* III, 276.

97. *tota - corpora.* De accus. hoc I, 332.

99. *natae in.* Vid. ad IX, 180.

100. *„posse queri tantum - iis reliquit."* II, 483. *posse loqui eripitur.* Pal. 1. et III alii Heinsii *relinquit.*

101. *Aeneas quum Cumas advenisset, juvante Sibylla, vate Cumana, in tartarum descendit, ubi a patre suo fata sua cognoscit. In reditu ex inferis Sibylla ei transformationem suam narrat.* Virg. Aen. VI.

101. *has*, sc. sedes. — *Parthen. moenia*, Neapolin. XV, 712.

102. *canori Aeolidae*, i. e. Miseni, Aeoli filii. Prop. III, 18, 3. *tubicen Misenus.* Misenus erat Aeneae tubicen artificioque suo tantam Tritonis (I, 334 seqq. II, 8.) invidiam concitarat, ut is eum in mare dejiceret. Aeneas in promontorio vicino tumulum exstruxit, ac promontorium inde nomen *Misenum* accepit. Virg. Aen. VI. Dion. Hal. I. c. 53.

103. *festa.* VII, 129. Virg. Aen. I, 51. *loca feta furentibus austris.* — II Heins., Bas. 3. *paludibus udis*, ex Ib. 225. Gron. 1., Nor., II Heins., Bas. 1. et pro v. l. Par. 2., unus Bersm. et ed. Ven. 2. *palustribus ulvis.* Pal. 2., Par. 1. 2. et reliqui *palustribus undis.* Mendose.

104. *Cumae*, oppidum maritimum Campaniae, a Chalcidensibus in Euboea conditum. Liv. VIII. c. 22. *Cumani ab Chalcide Euboica originem trahunt.* Inde v. 155. *Euboica urbs.* Ibi, in antro, vates, Sibylla Cumaea, sedem habebat et vaticinia dabat. Heyn. Excurs. II. ad Aen. VI — *vivacis.* Vid. v. 132 seqq.

105. *per Averna.* Vid. ad V, 540. — *manes paternos.* Vid. 84. — *ut adeat*, ut adire possit, liceat. VI, 476. *ut eat visura sororem - petit.* Flor. *et ad manes veniat.*

106. *vultum - moratum.* Medic. 4., Ox., Pal. 2., Thu. et VIII alii Heinsii *vultus - moratos*, quod cum Heinsio in textum recipiendi nullam video causam. — De re conf. XIII, 125.

107. *deo furibunda recepto.* Vid. I, 640. Huc pertinet quod Fast. VI, 5. vates de se ipse dicit:

Est deus in nobis agitante calescimus illo.

Conf. Virg. Aen. VI, 48 seqq.

109. *pietas sp. per ignes.* XIII, 624 seqq. Concinnior est scriptura *per ignem*, quam exhibent Berol., Gron. et alii IV Heins. Sed tamen mutare non audeo. Conf. VIII, 76.

111. *regna novissima* est Tartarus. Vid. ad V, 368. — *Elysias domus* i. q. *arva piorum* XI, 62.

Me duce cognosces, simulacraque cara parentis.
Invia virtuti nulla est via.“ Dixit, et auro
Fulgentem ramum silva Junonis Avernae
Monstravit, jussitque suo divellere trunco.
Paruit Aeneas, et formidabilis Orci
Vidit opes, atavosque suos umbramque senilem
Magnanimi Anchisae, didicit quoque jura locorum,
Quaeque novis essent adeunda pericula bellis.
Inde ferens lassos averso tramite passus
Cum duce Cumaea, fallit sermone laborem,
Dumque iter horrendum per opaca crepuscula carpit,
„Seu dea tu praesens, seu dîs gratissima,“ dixit
„Numinis instar eris semper mihi, meque fatebor
Muneris esse tui, quae me loca mortis adire,
Quaeque loca me visae voluisti evadere mortis.
Pro quibus aërias meritis evectus ad auras
Templa tibi statuam, tribuam tibi turis honorem.“
Respicit hunc vates et suspiratibus haustis
„Nec dea sum,“ dixit „nec sacri turis honore

112. *simulacra*, manes, umbrae.

114. *Juno Averna* est Proserpina, quae etiam saepe *Juno Stygia* et *infernа* dicitur. V, 391 seqq. Juno igitur translate pro summa regina est. Virg. A. VI, 136.

— — — *latet arbore opaca*
Aureus et foliis et lento vimine ramus
Junoni infernae dictus sacer.

115. Cod. Bersm., Bas. 2., Zwicc. et meliores (?) Heinsii *develiere*. Met. II, 358. *truncis avellere corpora tentat*. Ceterum colorem duxit hic locus a more vetustatis, quo supplices ramum olivae insigne pacis prae se ferrent. Vid. Heyn. Exc. VI. ad Virg. Aen. VI.

117. *opes*, regnum ac multitudinem incolarum.

118. *jura*, instituta. Conf. IV, 766.

119. *nova bella* secundum Par. 2. gloss. sunt ea bella, quae cum Turno gessit Aeneas propter Laviniam Latini regis filiam, quae ipsi desponsata erat quamque Turnus rapere voluit. Virg. Aen. VI, 891.

120. *averso*, retro ferente. XII, 136.

Retroque ferenti
Aversos passus medio lapis obstitit arvo.

Vid. Graev. ad Flor. II. c. 12. 5. Codd. Viv., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 2., Zwicc. et Vrat. *adverso*.

121. *fallit*. Cod. Bersm., Bas. 1. 4., Goth. 1. 2., Berol., Pal. 2., Par. 2., unus Sulm., Vrat. et multi Heinsii *mollit*. Reliqui cum vett. edd. *fallit*. Utrumque ad sententiam rectum est: nam *mollire* est *minuere*, levare; *fallere* est facere, ne sentiatur. VI, 60. *studio fallente laborem*, ex quo loco illud *fallit* nostro loco ortum esse videtur.

122. *per opaca crepuscula*, lux maligna et similis crepusculo. V, 507.

123. *praesens*, vera et viva.

125. *muneris esse tui*. Codices Ciof. uno excepto, plurimi Heinsii, uterque Bersm., Dresd., Par. 1., Lips. 2. et ed. pr. *munus habere tuum*. Reliqui cum vett. edd. *me - muneris esse tui*. In priori scriptura aliquid deest, sc. alterum *me*; nam sensus est *me me munus habere tuum*. Codd. Viv. *me muneris esse tui*, vel *me munus habere tuum*. Hor. Od. IV, 3, 21.

Totum muneris hoc tui es (Pieri),
Quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae:
Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

Conf. Met. V, 343. Epist. Sab. II, 2.

127. *aërias auras*. Conf. IX, 219.

128. *turis honorem*, frequens periphrasis. Cod. Bersm., Berol., Par. 2., Goth. 1., Gron. 1., Medic. 3. 4., Pal. 2. et ed. pr. *turis honorem*, ut aliis quoque locis legitur, h. l. etiam praeferendum, quia *turis honore* sequitur, qui locus huic respondet. Conf. X, 681. — Vulg. *turis honores*.

129. *vates*, Sibylla.

130. Berol. *non dea sum*.

„Humanum dignare caput. Neu nescius erres,
Lux aeterna mihi carituraque fine dabatur,
Si mea virginitas Phoebo patuisset amanti.
Dum tamen hanc sperat, dum praecorrumpere donis
Me cupit, „„Elige," ait „virgo Cumaea, quid optes,
„„Optatis potiere tuis."" Ego pulveris hausti
Ostendens cumulum, quot haberet corpora pulvis,
Tot mihi natales contingere vana rogavi.
Excidit, ut peterem juvenes quoque protinus annos.
Hoc tamen ille mihi dabat, aeternamque juventam,
Si Venerem paterer. Contemto munere Phoebi
Innuba permaneo. Sed jam felicior aetas
Terga dedit, tremuloque gradu venit aegra senectus;
Quae patienda diu est. Nam jam mihi saecula septem
Acta vides; superest, numeros ut pulveris aequem,
Ter centum messes, ter centum musta videre.
Tempus erit, cum de tanto me corpore parvam
Longa dies faciet, consumtaque membra senecta
Ad minimum redigentur onus. Nec amata videbor,
Nec placuisse deo. Phoebus quoque forsitan ipse
Vel non agnoscet, vel dilexisse negabit:
Usque adeo mutata ferar, nullique videnda,

131. „*neu nescius*, sc. quae sim, *erres*." De verborum compositione conf. v. 32. et 33. Scripturam *neu* exhibent nonnulli Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat. et vett. edd. Reliqui *ne*. Conf. v. 32. — *lux* pro vita, ut VI, 272. et passim.

134. *praecorrumpere*, *ante* corrumpere donis quam concubitu. Vid. v. 55. IX, 295. Conf. XIV, 55.

135. *virgo Cumaea*. Vid. 121.

138. *vana*, stulta.

139. *excidit*, animo, memoria. — *juvenes annos*, ut VII, 295. Alter Hamb., unus Heins. et Leid. *excidit optarem*.

142. *innuba permaneo*. Apud Tibull. II, 5, 63. Sibylla: *Vera cano; sic - aeternum sit mihi virginitas*.

145. *numeros pulveris*, i. q. supra v. 137. *corpora pulveris*.

146. *musta*, vindemias. Fast. III, 557.

Tertia nudandas acceperat area messes,
Inque cavos ierant tertia musta lacus;
Pellitur Anna domo.

Superest cum infinit. etiam VII, 149. Ceterum aetas Sibyllae in proverbium abiit. Fast. III, 531.

Sole tamen vinoque calent, annosque precantur,
Quot sumant cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos,
Quae sit per calices facta Sibylla suos.

Prop. II, 2, 15.

Hanc utinam faciem nolit mutare senectus,
Etsi Cumaeae saecula vatis aget.

147. *tempus erit, cum de tanto me*. Goth. 1. *quo me de tanto*. Lips. 2. *cum de tanta me*. Reliqui omnes, ut edidimus.

148. *faciet - redigentur*. Arond., Cant., Dresd., Erf. 1., Medic. 3., Neap., Pal. 1., Urb., Vat. 1. et multi Heinsii *faciat* et *redigantur*. Sed futurum in ore vaticinantis aptius esse videtur, et majorem quoque auctoritatem vetustatis habet. Fast. I, 529.

Tempus erit, quum vos orbemque tuebitur idem,
Et fient ipso sacra colente deo.

Conf. tamen X, 207. — De *longa die* genere feminino vid. not. ad XV, 869.

150. *agnoscet*, sc. ante cognitam et amatam. Medic., Ox., Zwicc. et XV Heinsii *non cognoscet*.

152. *nullique videnda*, i. e. etsi nulli h. e. a nullo videri possim. XV, 844. *nulli cernenda*.

Voce tamen noscar: vocem mihi fata relinquent.
Talia convexum per iter memorante Sibylla,
Sedibus Euboïcam Stygiis emergit in urbem
Troïus Aeneas, sacrisque ex more litatis,
Litora adit nondum nutricis habentia nomen.
Hic quoque substiterat post taedia longa laborum
Neritius Macareus, comes experientis Ulixei;
Desertum quondam mediis in rupibus Aetnae
Noscit Achaemeniden, improvisoque repertum
Vivere miratus „ Quis te casusve deusve
Servat, Achaemenide? Cur“ inquit „barbara Grajum
Prora vehit? Petitur vestra quae terra carina?“
Talia quaerenti jam non hirsutus amictu,

154. *Aeneas Cumis Caietam vela dat. In eadem navi fuit etiam Achaemenides Ithacensis, unus e sociis Ulixis, qui ab eo in antro Polyphemi Cyclopis in Sicilia relictus et postea ab Aenea, quum et idem eo venisset, servatus et in navim receptus fuerat. Is Caietae alterum Ulixis olim socium, Macareum Ithacensem reperit, qui ei suos et sociorum casus narrat, in quibus unum viginti de sociis a Circe in sues conversos sed Ulixis ope et opera pristinam figuram recepisse.* Virg. A. III, 590 seqq. Hom. Od. X.

154. *convexum iter*, i. q. *via declivis* IV, 432. Cf. XIII, 911. et X, 53.

155. *Euboïcam in urbem*, Cumas. Vid. v. 104. Virg. A. VI, 2. *Euboïcis Cumarum allabitur oris.* Liv. VIII. c. 22. Scripturam *emergit* exhibent alter Bersm., quidam apud Cioff., Goth. 1., meliores Heinsii et ed. pr. Reliqui omnes *emersit*, quod verum videtur.

156. *ex more.* Berol. Par. 1. et III Heins. *e more.* — *sacris – litatis*, ex Virg. A. IV, 50. *sacrisque litatis*, ubi Servius notat: *dis litatis dicere debuit; non enim sacra, sed deo sacris litamus id est placamus.* Prop. IV, 1, 24. quoque *exta litare.*

157. *litora – nomen.* Cajeta promontorium et oppidum maritimum Latii, auctore Virg. A. VII, 1 seqq. a Cajeta, Aeneae nutrice, ibi humata, Cajeta dictum.

158. *substiterat. Subsistunt*, qui cessant ab itinere et haerent aliquo loco. *Gier. post taedia longa locorum.* Hi labores infra exponuntur.

159. *Neritius Macareus: Neritius* a Nerito Ithacae monte. Hom. Od. IX, 22.

Ναιετάω Ἰθάκην εὐδείελον, ἐν δ' ὄρος αὐτῇ
Νήριτον εἰνοσίφυλλον ἀριπρεπές. —

experiens, qui multa expertus est, qualis describitur ab Homero Od. I, 1 sqq. — Ceterum hic versus affertur a Prisciano VI. c. 18. ad firmandam formam *Ulixei.* Codices vero variant. Berol. *Ulixi.* Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat. et Zwicc. *Ulixis.* Ed. pr. *Ulixei.* Cod. Bersm. et nonnulli apud Viv. *Ulysis.* Reliqui *Ulyssei.*

160. *desertum mediis rupibus.* In antro Polyphemi socii trepidi eum deseruerant. Virg. A. VII, 617. *Hic me – immemores socii vasto Cyclopis in antro Deseruere.* Erf. et X Heins. exhibent *mediis qui v.* — Berol., Par. 2., Flor., Hamb. 1., III Heins. et ed. pr. *mediis e r.* Vulg. *mediis in rupibus*, quod, ut majori codicum auctoritate confirmatum, revocavi.

162. *quis.* Berol., Flor., Hamb. 1., Medic. 3., Neap. et Six. *qui*, quod horum paucorum codicum auctoritate recipere non debebat Heinsius.

163. *barbara prora* est Phrygia, Trojana, Aeneae. XI, 162. — *Grajum.* Erat Achaemenides ex exercitu Graecorum, atque inde *Grajus* vocatur. Conf. v. 220.

164. *vestra – carina.* Bas. 2. a corr., Berol., Ox., Pal. 2. et IV alii Heins. *vestrae carinae*, quod ad mutandum semper pronus recepit Heinsius.

165. *jam non hirsutus etc.*, qualem Aeneas eum in Sicilia invenerat. Virg. Aen. III, 590 – 595.

— *Subito e silvis, macie confecta suprema,*
Ignoti nova forma viri miserandaque cultu
Procedit, supplexque manus ad litora tendit.

Jam suus et spinis conserto tegmine nullis,
Fatur Achaemenides: „Iterum Polyphemon et illos
„Adspiciam fluidos humano sanguine rictus,
Hac mihi si potior domus est Ithaceque carina,
Si minus Aenean veneror genitore: nec unquam
Esse satis potero, praestem licet omnia, gratus.
Quod loquor et spiro, coelumque et lumina solis
Adspicio, possimne ingratus et immemor esse?
Ille dedit, quod non anima haec Cyclopis in ora
Venit, et, ut lumen jam nunc vitale relinquam,
Aut tumulo aut certe non illa condar in alvo.
Quid mihi tunc animi - nisi si timor abstulit omnem
Sensum animumque - fuit, cum vos petere alta relictus
Aequora conspexi? Volui inclamare, sed hosti
Prodere me timui. Vestrae quoque clamor Ulixis

Respicimus. Dira illuvies immissaque barba,
Conscrtum tegumen spinis; at cetera Grajus
Et quondam patriis ad Trojam missus in armis.

166. *conserto*, ex Virg. l. l. Infra v. 345. est *comprensus*. — *jam suus*, jam proprio cultui redditus, ut cognosci posset.

168. *fluidos - rictus*. Virg. A. III, 626.

— *vidi atro cum membra fluentia tabo*
Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus.

169. *hac carina*, quam haec barbara s. Aeneae carina est. „Receptam l. Naugerius primum ex conjectura dedit eamque Par. 2. confirmat. Cod. Bersm. et Vrat. *hac mihi si potior domus est Ithacique carina*. Il libri apud Bersm. *hac mihi s. p. d. e. Ithacaeque carina*. Unus et alter Ciof. et aliquot Heinsii *haec mihi s. p. d. e. Ithacique c.* — Goth. 2. *hac m. ni p. d. e. Ithacique c.* Pal. 2., Par. 1., plerique apud Ciof. et plurimi Heins. et reliqui: *haec mihi ni potior domus est Ithacique carina*, nisi quod in uno Mor. *Ithacaque*, in Twisd. *Ithaca atque*, in Dresd., Lips. 2. et nonnullis Heins. *Ithaci atque*. Recepta scriptura, etsi parvam habet auctoritatem, unice apta mihi videtur loci rationi. Praecessit: *cur barbara prora s. carina Grajum vehit?* Ad quae Ach. respondet: *Iterum Pol. - rictus, si hac* (barbara de qua tu quaeris) *carina mihi potior est domus et Ithace etc.*

172. *caelumque et lumina solis*. Bonon. 1. *solemque et sidera coeli*. Berol. *coelum et fida sidera solis*. Par. 2., Flor., Neap., Par. 2., Vrat. et nonnulli Heinsii *coelumque et sidera solis*. Planud. τὸν ἀστέρα ἡλίου. Sed cur insolitam illam paucorum mediocris notae codicum scripturam optimae omniumque prope codicum et veterum editionum testimonio confirmatae vulgatae anteponamus?

173. *aspicio*. Cod. Bersm., Berol., Par. 2., Flor., Goth. 1., Pal. 2., Neap., Vrat. et quidam Heinsii *respicio*. Reliqui et vett. edd. *aspicio*. — Deinde uterque Bersm., Par. 2., Flor., Neap., Vrat., quidam Heins. et vett. edd. *possimne*. Reliqui *possumne*.

174. *anima*, vita.

175. *ut*, etiamsi vel fac. II, 79.

176. *condere in* cum accus. et abl. ponitur. Conf. v. 209. XII, 17. Ad rem conf. v. 204. VI, 665. Optimam scripturam *aut tumulo* confirmant Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., meliores Heins. et ed. pr. — Reliqui exhibent *ut tumulo*. Mendose.

177. *quid animi*. I, 358. — Scripturam *nisi si* tuentur uterque Bersm., Dresd., Goth. 2., Vrat., Zwicc., plurimi Heins. et vett. edd. - Codd. Ciof., multi Heins. et Lips. 2. *nisi quod t.* Goth. 1. et vulg. *nisi timor*. X, 200.

179. *conspexi*. Cod. Bersm., Berol., Hamb. 1., Pal. 2. et V Heins. *prospexi*, quod recipere non debebat Heinsius.

180. *timui me prodere*. Conf. I, 593. — *vestrae - rati*, qua vos cum Ulixe vehebamini. Quum Ulixes cum plurimis sociorum Polyphemi manibus, postquam uno, quem habebat, oculo orbarat, salvus evasisset, navimque jam conscendisset, e longinquo inclamatum irrisit:

Paene rati nocuit: vidi, cum monte revulsum
Immanem scopulum medias permisit in undas,
Vidi iterum, veluti tormenti viribus acta,
Vasta giganteo jaculantem saxa lacerto,
Et, ne deprimeret fluctusve lapisve carinam,
Pertimui, jam me non esse oblitus in illa.
Ut vero fuga vos ab acerba morte removit;
Ille quidem totam gemebundus obambulat Aetnam,
Praetentatque manu silvas, et luminis orbus
Rupibus incursat, foedataque brachia tabo
In mare protendens, gentem exsecratur Achivam
Atque ait: „„O si quis referat mihi casus Ulixen
„„Aut aliquem e sociis, in quem mea saeviat ira,
Viscera cujus edam, cujus viventia dextra
Membra mea laniem, cujus mihi sanguis inundet
Guttur, et elisi trepident sub dentibus artus!
Quam nullum aut leve sit damnum mihi lucis ademtae!““

quo facto Polyphemus fecit, quod h. l. narratur. Hom. Od. IX, 475.

181. ***cum monte revulsum.*** Inepta est scriptura Flor., Neap. et Strozz. ***cum monte revulso***, quam recepit Heinsius. Codd. Ciof., Pal. 2. et Par. 1. ***a monte revulsum.*** XII, 341. ***saxumque e monte revulsum mittere conatur.*** Cf. XIII, 882. Ceterum etiam haec expressa sunt ex Hom. Od. IX, 481.

Ἦκεν ἀποῤῥήξας κορυφὴν ὄρεος μεγάλοιο,
Κὰδ δ' ἔβαλε προπάροιθε νεὼς κυανοπρώροιο,
Τυτθὸν ἐδεύησεν δ' οἰήϊον ἄκρον ἱκέσθαι,
Ἐκλύσθη δὲ θάλασσα κατερχομένης ὑπὸ πέτρης.

vidi iterum. Hom. v. 537.

Ἐξαῦτις πολὺ μείζονα λᾶαν ἀείρας
Ἧκ' ἐπιδινήσας, ἐπέρεισε δὲ ἶν' ἀπέλεθρον.

182. ***permisit.*** Conf. XII, 282.

186. ***„„jam oblitus doloris, me non esse in illa.“***

187. ***removit.*** Sic cod. Bersm., Arond., Cant., Dresd., Farnes., Goth. 1., Gron. 1., Mor. 1., Pal. 1., Par. 1. et pro v. l. 2., Lips. 2., Urb., Vat. 1., II Vatt. Ciof., Zwicc. et multi Heins. — Vat. 2. et II Heins. ***redemit.*** Medic. 3. ***revellit.*** Unus Bon. ***revulsit.*** Reliqui, qui videntur esse pauci, cum vett. edd. ***reduxit***, certe minus eleganter, quam ***removit.*** Ceterum eleganter furentem ob oculum effossum (XIII, 773.) describit.

188. ***gemebundus***, στεναχίζων. Sprot. ***fremebundus.*** Fortasse e Virg. A. III, 664. ***dentibus infrendens gemitu.*** Franc. et alter Hamb. ***tremebundus.*** — Deinde Bas., Berol., Dresd., Franc., Goth. 1. 2., Pal. 2., Vrat. et multi Heinsii ***tota Aetna.*** Frustra. Eodem modo Fast. 1, 122.

Libera perpetuas ambulat illa vias.

189. ***praetentatque manu.*** Hoc caeci faciunt vel in tenebris euntes, ne offendant. Deteriores Heinsii ***pertentat***, quo perquirendi omnia studium significaretur. Ib. v. 259.

— — ***trepidumque ministro***
Praetentes baculo, luminis orbus, iter.

Conf. X, 455. 456. — ***silvas***, h. e. an silva, arbores obstent. Plin. N. H. IX. c. 32. ***cochleae corniculis praetentant iter.***

190. ***tabo***, sc. oculi ab Ulixe ei torre effossi.

192. ***Ulixen*** Berol. et Goth. 1. 2. Meliores Heins. ***Ulyssen.*** Codd. Ciof., Dresd., Lips. 2., Vrat. et Zwicc. ***Ulixem.*** Reliqui ***Ulyssem.*** Eadem in iisdem libris varietas est v. 241.

193. ***in quem.*** Cod. Bersm., Berol., Gron., Pal., Lips. 2., Vat. et XVI Heins. ***in quo.*** Utrumque dicitur: itaque vulgatam retinui. Pro ***ex sociis*** Berol., Dresd., Goth. 2., Vrat., Zwicc., meliores (?) Heins. et ed. pr. ***e sociis.***

197. ***quam nullum aut leve.*** Her. XVII, 85.

Saepe vel exiguo vel nullo murmure dixi.

Virg. A. III, 622.

„Haec et plura ferox. Me luridus occupat horror
Spectantem vultus etiamnum caede madentes,
Crudelesque manus et inanem luminis orbem,
Membraque et humano concretam sanguine barbam.
Mors erat ante oculos; minimum tamen illa malorum.
Et jam prensurum, jamjam mea viscera rebar
In sua mersurum, mentique haerebat imago
Temporis illius, quo vidi bina meorum
Ter quater affligi sociorum corpora terrae.
Quae super ipse jacens, hirsuti more leonis,
Visceraque et carnes cumque albis ossa medullis
Semanimesque artus avidam condebat in alvum.
Me tremor invasit, stabam sine sanguine maestus,
Mandentemque videns ejectantemque cruentas
Ora dapes, et frusta mero glomerata vomentem.
Talia fingebam misero mihi fata parari,
Perque dies multos latitans, omnemque tremiscens

Visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero quum corpora nostro
Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent
Limina; vidi atro quum membra fluentia tabo
Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus.

198. *luridus.* Ab effectu. I, 147.

199. *etiamnum.* Bersm. *etiam tunc.* Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *etiam nunc.* Heinsius tacite edidit *etiamnum*, quod reliqui (?) libri mei exhibent. *Jahn.*

200. *luminis orbem.* XIII, 851. — In Dresd., Farnes., Lips. 2., Sulm. 1., II Vatt. Ciof. et Zwicc. hic versus post sequentem legitur. De Heinsii codd. nihil constat. Reliqui ut dedimus.

201. *concret. s. barbam.* XII, 280.

202. *minimum tamen illa malorum.* Ita Goth. 1., Par. 1., Lips. 2., Bas. 1., Vat. et multi Heins., Urb. *ante m.* Berol. et Pal. 2. *ipsa m.* Reliqui *ipsa doloris*, nisi quod Dresd. et Zwicc. *illa d.*; quae scriptura vix Latina est.

203. *jamjam.* Ita optime Dresd., Zwicc. et castigatiores Heins. Vulgo *jam nunc.* Trist. I, 2, 19.

Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum,
Jamjam tacturos sidera summa putes.

204. *mersurum.* Conf. v. 176. VI, 651. 664.

265. *bina.* Hom. Od. IX, 289.

ξὺν δὲ δύω μάρψας, ὥστε σκύλακα ποτὶ γαίῃ
κόπτ', ἐκ δ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέε, δεῦε δὲ γαῖαν.

Virg. Aen. III, 623.

Vidi egomet, duo de numero quum corpora nostro
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum sanieque expersa natarent
Limina.

Multi codd. mendose *viva.*

206. *affligi - terrae.* Conf. XII, 139.

207. *quae.* Ita Dresd., Vrat. et castigatiores (?) Heins. — Edd. Venn. *dum.* Reliqui *cum*, ut hi tres versiculi sint protasis versuum 210—212. Certe minus elegans scriptura est.

208. *cumque albis.* Pal. 2. *oumque esis.* Neap. *oblisisque.* Cant., Dresd., Goth. 2., Vrat., Mor. 1. et VI alii Heins. *cumque ipsis.*

209. *seman.* Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Zwicc. et vett. edd. *semianimesque.* Heins. tacite edidit *semanimesque*, quod Vrat. habet.

211. Virg. A. III, 631.

— — — — jacuitque per antrum
Immensus, saniem eructans ac frusta cruento
Per somnum commixta mero —

214. Virg. Aen. III, 646.

— vitam in silvis inter deserta ferarum
Lustra domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopas
Prospicio sonitumque pedum vocemque tremisco.

Ad strepitum, mortemque timens cupidusque moriri,
Glande famem pellens et mixta frondibus herba,
Solus, inops, exspes, leto poenaeque relictus.
Hanc procul adspexi longo post tempore navim,
Oravique fugam gestu ad litusque cucurri;
Et movi, Grajumque ratis Trojana recepit.
Tu quoque pande tuos, comitum gratissime, casus,
Et ducis et turbae, quae tecum est credita ponto.“
Aeolon ille refert Tusco regnare profundo,
Aeolon Hippotaden, cohibentem carcere ventos:
Quos bovis inclusos tergo-memorabile munus-
Dulichium sumsisse ducem, flatuque secundo
Lucibus isse novem, et terram adspexisse petitam.
Proxima post nonam cum sese aurora moveret;
Invidia socios praedaeque cupidine victos,
Esse ratos aurum, demsisse ligamina ventis,
Cum quibus isse retro, per quas modo venerat undas,
Aeoliique ratem portus repetisse tyranni.
„Inde Lami veterem Laestrygonis“ inquit „in urbem

Victum infelicem, baccas lapidosaque corna,
Dant rami et volsis pascunt radicibus herbae.
Omnia collustrans hanc primum ad litora classem
Conspexi venientem.

215. *moriri*, antiqua forma poetica. Rudim. Gramm. L. I. 263. Priscian. X. c. 2. §. 8. Terent. Eun. III, 1, 42. *risu omnes qui aderant emoriri.* Conf. XIII, 130. — *cupidus* cum inf. ut passim apud poetas. X, 472. De conjunctis his contrariis *mortemque timens cupidusque moriri* conf. v. 279. *et pudet et referam*; ubi vid. not.

218. Quidam Heinsii codd. *haud procul.* Scripturam *navim* exhibent Berol., Goth. 2., Vrat., XII Heins. et ed. pr. Reliqui omnes *navem*, quod verum videtur. — *longo tempore.* Conf. X, 180.

219. *fugam*, discessum, fugiendi potestatem. VI, 572. — *gestu orare*, ut VI, 579.

220. *Grajumque.* Conf. v. 163.

222. Heinsius tacite novavit: *quae tecum credita ponto est.*

223. *Aeolus* regnabat in insulis Aeoliis. Vid. not. ad v. 86. — *carcere*, sc. in antris montis. IV, 663. De anadiplosi illa vid. III, 207. 208. IX, 454. 455. V, 129. 130. XII, 172. 173. Hom. Od. I, 22. et II. VI, 153. 154. et not. ad Trist. I, 10, 29.

225. *bovis tergo*, utre ex tergo bovino confecto. Quum Ulixes e Sicilia veniens ad Aeoli sedem appulisset, is, ut esset a tempestatum injuria tutus, varios ei dedit ventos utribus inclusos, ut eos, quos vellet, emitteret et flare juberet. Hom. l. l.

226. *Dulichium-ducem.* XIII, 107.

227. *terram-petitam*, patriam, Ithacam. — Bas. 1. et II Gron. *paternam.*

228. *cum sese Aur. m.* VI, 48.

229. *victos.* Medic. 2. et unus Voss. *ductos.* Cael., Par. 1. 2., Lips. 2., II Vatt. Ciof., Zwicc., multi Heins. et ed. pr. *captos.* Reliqui *victos.* Sola codicum auctoritate res dijudicanda. — *invidia-victos*, invidentes Ulixi, quem solum res pretiosas in patriam secum ducere putarent. Hom. l. l.

231. „*cum quibus isse retro in ăs undis, per quas modo venerat.*“

232. *Aeolii tyranni*, Aeoli: nam Aeolus rex insularum Aeoliarum (vid. ad v. 223.) et, ut modo dictum est, dominus ventorum.

233. *Laestrygones* fuerunt fera gens, quae cum Lamo rege Formianum agrum in Latio incoluisse et Formias oppidum condidisse dicitur. Plin. N. H. III. c. 5. Hor. Od. III, 17. Horum rex Antiphates unum de tribus Ulixis sociis devoravit. Hom. l. l.

— — — *ἐκόμεσθα Λάμου αἰπὺ πτολίεθρον,*
Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην, etc.

Cic. ad Att. II. 13. *si vero in hanc τηλέπυλον veneris Λαιστρυγονίην, Formias dico, qui fremitus hominum! quam irati animi!*

„Venimus; Antiphates terra regnabat in illa.
Missus ad hunc ego sum, numero comitante duorum,
Vixque fuga quaesita salus comitique mihique;
Tertius e nobis Laestrygonis impia tinxit
Ora cruore suo. Fugientibus instat et agmen
Concitat Antiphates: coëunt et saxa trabesque
Conjiciunt, merguntque viros merguntque carinas.
Una tamen, quae nos ipsumque vehebat Ulixen,
Effugit. Amissa sociorum parte dolentes
Multaque conquesti terris allabimur illis,
Quas procul hinc cernis. Procul hinc - mihi crede- videnda est
Insula, visa mihi; tuque, o justissime Troum,
Nate dea, - neque enim finito Marte vocandus
Hostis es - Aenea, moneo, fuge litora Circes!
Nos quoque Circaeo religata in litore pinu,
Antiphatae memores immansuetique Cyclopis,
Ire negabamus et tecta ignota subire:
Sorte sumus lecti, sors me fidumque Politen,
Eurylochumque simul nimiique Elpenora vini,
Bisque novem socios Circaea ad moenia misit.
Quae simul attigimus, stetimusque in limine tecti;
Mille lupi mixtaeque lupis ursaeque leaeque
Occursu fecere metum; sed nulla timenda,

238. *agmen concitat.* Hom. v. 115. ὃ τεῦχε βοὴν διὰ ἄστεος.

240. *conjiciunt.* Alter Hamb. et pro v. l. Erf. 1. *continuant.* Vid. Hom. Od. X, 121.

241. *Ulixen.* Vid. ad v. 192.

244. *videnda est*, videtur, videri potest. Scilicet, quum prius de loci situ dixisset: *quas procul hinc cernis*, repetitis verbis *procul hinc* nunc universe dicit, omnibus eam insulam videri, admonitionemque adjungit. Pro *mihi crede* Berol., Neap. et Par. 1. *tibi crede.* Med. 4. *tibi cede.* Gron. 1. et III Heins. *tibi credo.* Jun. *tibi certe.* Reliqui *mihi crede.* Varietas orta est e neglectis parentheseos signis. Deinde uterque Bersm., Cant., Goth. 1., Medic. 4., Pal. 2., Vat. 1. et multi Heinsii *videnda est.* — Heinsii conjectura est *procul hinc tibi* (cerne). De illo *mihi crede* cf. v. 31. XV, 254.

245. *finito Marte*, bello Trojano.

248. „*nos quoque . . , memores . ., negabamus . .*; (sed) *sorte sumus lecti . .* — De illo *relig. pin.* conf. XIII, 439. — *Antiph.* Vid. 233. Ceterum expressit Naso Hom. Od. X, 199.

Μνησαμένοις ἔργων Λαιστρυγόνος Ἀντιφάταο
Κύκλωπός τε βίης μεγαλήτορος, ἀνδροφάγοιο,

De *Cyclope* vid. v. 165 sqq. *immansuetique.* Conf. XV, 85.

250. Syllaba *us* in *negabamus* longa, ut in arsi et caesura. Vid. ad I, 114. X, 98. XV, 634. Quod librarii ignorantes voculae *et* substituerunt *sed* vel *nec.*

251. Homerus XXIII missos narrat, e quibus nonnisi Eurylochum ducem et v. 225. Politen nominat. Sed X, 552. et XI, 60 seqq. Elpenor inebriatus de Circes tecto decidisse fractaque cervice mortuus esse narratur. Hinc *nimii vini. Gier.* Hor. Od. I, 36. *multi Damalis meri.* Suet. Oct. c. 76. *Augustus cibi minimi erat.* Colum VI. c. 2. *multi cibi et edaces.*

254. *mille lupi*, sc. veneficiis domiti. Totus hic locus expressus est ex Hom. Odyss. X, 212.

Ἀμφὶ δέ μιν λύκοι ἦσαν ὀρέστεροι ἠδὲ λέοντες,
Τοὺς αὐτὴ κατέθελξεν, ἐπεὶ κακὰ φάρμακ' ἔδωκεν.
Οὐδ' οἵγ' ὥρμήθησαν ἐπ' ἀνδράσιν, ἀλλ' ἄρα τοίγε
Οὐρῇσι μακρῇσι περισσαίνοντες ἄνεσταν.

Nullaque erat nostro factura in corpore vulnus.
Quin etiam blandas movere per aëra caudas,
Nostraque adulantes comitant vestigia; donec
Excipiunt famulae perque atria marmore tecta
Ad dominam ducunt. Pulchro sedet illa recessu,
Sublimi solio, pallamque induta nitentem
Insuper aurato circumvelatur amictu.
Nereïdes nymphaeque simul, quae vellera motis
Nulla trahunt digitis nec fila sequentia ducunt;
Gramina disponunt, sparsosque sine ordine flores
Secernunt calathis variasque coloribus herbas.
Ipsa, quod hae faciunt, opus exigit, ipsa, quis usus
Quoque sit in folio, quae sit concordia mixtis,
Novit, et advertens pensas examinat herbas.
Haec ubi nos vidit: dicta acceptaque salute
Diffudit vultus, et reddidit omnia votis.
Nec mora, misceri tosti jubet hordea grani
Mellaque vimque meri cum lacte coagula passo,
Quique sub hac lateant furtim dulcedine, sucos

259. *comitant*, in modo agendi, ut VIII, 693. II, 441. XIII, 55.

260. *marmore tecta*. Hom. v. 211. 311. 348. Virg. A. VII, 12.

261. *recessu*. Conf. I, 177. — *sedet* dignitatem declarat.

262. *sublimi solio*. Quod ablativi plures juxta positi sunt, nihil habet, quod vituperari possit, dummodo recte interpungas et recte pronuntes. — Berol., Gron. 1. et IV alii Heinsii *sublimis* quod *s* suum a *solio* mutuavit. Cf. tamen II, 1. Plurimi codices etiam *solemni* quod, cum de festo h. l. non agatur, minime ferendum est. Vid. Hom. v. 311. — *nitentem*. Hom. v. 543. ἀργύφεον φάρος.

263. *amictus* etiam de tegumento capitis dicitur. Virg. Aen. III, 545. *et capita ante aras Phrygio velamur amictu*.

264. *Nereïdes*. I, 302. Apud Hom. v. 221. 254. cantantem Circen reperiunt et telam texentem. Sic etiam Virg. A. VII, 12 sqq. Apud eundem Hom. v. 347. ministras habet IV fontium, fluminum et silvarum filias.

265. *ducunt*. Conf. IV, 36.

267. *variasque*. Cod. Bersm., Par. 1. 2., pauci Heins. *variisque*. Vid. IX, 691. — *secernunt*, secretos reponunt.

268. *exigit*, inspicit, examinat. V, 572. X, 587.

269. *quis usus in*. Conf. II, 332.

270. *advertens*, i. e. intento animo. — *pensas*, impositas ad secernendum etc.

272. *diffudit*, exhilaravit. III, 318. *Jovem, diffusum nectare*. IV, 766. *Postquam generosi munere Bacchi Diffudere animos* Sensus est: *omnia quae nos ei optaramus s. voveramus, aeque bonis votis reddidit*. Plurimi veteres Heins. et Viv. *omina* vel *omnia votis*. II ex melioribus Heins. *omina voce*. — Berol., Dresd., Goth. 1. 2. et ed. pr. *omina vocis*. Reliqui *omnia votis. Omina votis* mihi perquam contortum et e similitudine literarum natum videtur.

273. *tosti*. XI, 120. Hom. Od. X, v. 234.

Ἐν δέ σφιν τυρόν τε καὶ ἄλφιτα καὶ μέλι χλωρὸν
Οἴνῳ Πραμνείῳ ἐκύκα· ἀνέμισγε δὲ σίτῳ
Φάρμακα λύγρ', ἵνα πάγχυ λαθοίατο πατρίδος αἴης.

Conf. II. XI, 638.

274. *lac coagula passum* est densatum, spissatum coagulo. XIII, 830. Fast. IV, 545.

Mox epulas ponunt, liquefacta coagula lacte,
Pomaque et in teneris aurea mella favis.

passo a *patior*. — Vulgo *meri et cum*. Inepte. Sed vett. edd., uterque Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 2., Zwicc. et nonnulli Heins. *et* omittunt. — *meri vim*, merum, per periphrasin.

275. Construe: *et adjicit sucos, qui sub hac dulcedine lateant, palato s. gustu percipi non possint*.

Adjicit. Accipimus sacra data pocula dextra,
Quae simul arenti sitientes hausimus ore,
Et tetigit summos virga dea dira capillos;-
Et pudet, et referam-setis horrescere coepi,
Nec jam posse loqui; pro verbis edere raucum
Murmur, et in terram toto procumbere vultu,
Osque meum sensi pando occallescere rostro,
Colla tumere toris, et qua modo pocula parte
Sumta mihi fuerant, illa vestigia feci.
Cumque eadem passis-tantum medicamina possunt!-
Claudor hara; solumque suis caruisse figura
Vidimus Eurylochum: solus data pocula fugit.
Quae nisi vitasset, pecoris pars una manerem
Nunc quoque setigeri, nec tantae cladis ab illo
Certior ad Circen ultor venisset Ulixes.
Pacifer huic dederat florem Cyllenius album:
Moly vocant Superi: nigra radice tenetur.
Tutus eo monitisque simul coelestibus intrat
Ille domum Circes, et, ad insidiosa vocatus
Pocula, conantem virga mulcere capillos
Repulit et stricto pavidam deterruit ense.

276. *sacra dextra*, ut deae.

278. *dira*, ut magica.

279. *et pudet et referam.* Conf. v. 215. VIII, 505. X, 371. 372. XI, 126. Remed. Am. v. 407. *et pudet et dicam.* Her. XVII, 177. *et libet et timeo.* Trist. V, 7, 57. *et pudet et referam*, ubi vid. not.

280. *nec jam posse loqui.* Vid. II, 483. — 282. *rostro* est abl.

283. *colla tumere toris.* Conf. II, 854. et XII, 402. — „*qua parte corporis modo mihi* (i. e. *a me*) *pocula sumta fuerant* (significat autem *manus*), *illa vestigia feci.* Sc. manibus in anteriores pedes mutatis. — *vestigia facere* pro *incedere*, ut Virg. Georg. II, 474.

285. *cumque eadem passis'*, cum sociis, qui eodem modo transformati erant.

286. *suis* a *sus.* Receptam scripturam tuentur Bersm., Arond., Goth. 1., Graev., Gron. 1., Hamb. 1., Ox., Par. 2., Thu. et X alii Heins. — Bas. 2., Par. 2., Dresd. pro v. l. et ed. pr. *claudor in hara suis*, *s. c. f.* Bas. 1. pro v. l. *ara*, q. e. *hara.* — Reliqui *claudor in antra. suis solum c. f.* Hor. Epist. 1, 11, 23.

— — — — *Circes pocula nosti:*
Quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis et excors,
Vixisset canis immundus vel amica luto sus.

288. *manerem.* Ita jure correxit Gruterus, de sua enim mutatione nunc loquitur, non de Eurylochii; nec *maneret* de Eurylocho, qui mutatus non erat, recte dictum foret.

289. *ab illo certior*, pro ab illo certior factus.

291. *Cyllenius*, Mercurius, qui *pacifer* est, ut deorum nuntius et facundus interpres. Fast. V, 665.

Pacis et armorum superis inimique deorum
Arbiter, alato qui pede carpis iter.

De re conf. Hom. Od. X, 274 seqq.

292. *mo'y vocant superi.* Conf. XI, 640. Homerum expressit Naso (Od. X, 304.):

Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε (ᾗ ἁρμακον),
γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος.
Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν
Ἀνδράσι γε θνητοῖσι· θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Conf. Plin. N. H. XXV. c. 4. De diversis rerum nominibus apud divos et homines conf. XI, 640.

293. *monit. coel.*, consilio Mercurii.

295. *virga.* Hom. v. 319. ῥάβδῳ πεπληγυῖα.

296. *stricto det. ense.* Hoc erat ex

Inde fides dextraeque datae, thalamoque receptus
Conjugii dotem sociorum corpora poscit.
Spargimur ignotae sucis melioribus herbae,
Percutimurque caput conversae verbere virgae,
Verbaque dicuntur dictis contraria verbis.
Quo magis illa canit, magis hoc tellure levati
Erigimur, setaeque cadunt, bifidosque relinquit
Rima pedes, redeunt humeri et subjecta lacertis
Brachia sunt. Flentem flentes amplectimur illum,
Haeremusque ducis collo; nec verba locuti
Ulla priora sumus, quam nos testantia gratos.
Annua nos illic tenuit mora, multaque praesens
Tempore tam longo vidi, multa auribus hausi,
Hoc quoque cum multis, quod clam mihi retulit una
Quatuor e famulis, ad talia sacra paratis.
Cum duce namque meo Circe dum sola moratur,
Illa mihi niveo factum de marmore signum
Ostendit juvenile, gerens in vertice picum,
Aede sacra positum multisque insigne coronis.
Quis foret et quare sacra coleretur in aede,
Cur hanc ferret avem, quaerenti et scire volenti
„Accipe," ait „Macareu, dominaeque potentia quae sit
Hinc quoque disce meae." „Tu dictis adjice mentem."
„Picus in Ausoniis, proles Saturnia, terris
Rex fuit, utilium bello studiosus equorum.

monitis illis Mercurii. Hom. Od. X, 293 seq.

297. *inde fides etc.* Vid. Hom. 346.

298. *conjugii dotem*, praemium. — *sociorum corpora*, ut sociorum corpora in pristinam figuram restituat.

299. *ignotae.* Jur., Berol., Medic. 4., Mor. 1., Ox., Pal. 2. et X Heins. *innocuae*, quod ego horum auctoritate librorum recipere non audeo. Notio, quod *innocua* ea herba fuerit, declarata est illo *melioribus*. — De re vid. Hom. l. l.

300. *conversae verbere virgae*, contraria parte virgae. — De accus. illo *caput* vid. ad I, 332.

301. *dictis*, antea dictis, cum in sues converteremur.

302. *canere*, in carminibus magicis passim dicitur. VII, 618. — *tellure levati.* Fast. IV, 528. *seque levat saxo.*

304. *rima*, fissura, qualis est porcorum. — Pro *redeunt* cod. Bersm., Mor. 1. et ed. pr. *redeuntque*. Codd. Ciof., plerique Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat. et vett. edd. *humeri et*. In Zwicc. et multis Heins. *et* deest.

305. *illum*, Ulixen.

309. *auribus hausi.* Conf. XIII, 787.

311. *ad talia sacra paratis. quae ad talia* (magica) *sacra* ministrae aderant s. ministrabant.

313. *duce meo*, Ulixe.

314. Multi Heins., Goth. 1., Lips. 2. et Zwicc. *ostendens.*

319. *adjice*, adverte.

320. *Famula Circes Macareo* (223.) *narrat, Circen amore incensam fuisse Pici, antiqui Italiae regis, et cum ejus amorem sprevisset, in picum avem mutasse.* Virg. A. VII, 187 seqq. et Heyn. Exc. V. et Serv. ad h. l.

320. *In Ausoniis terris*, in Italia. Nam Ausones antiquissima gens Italiae. Hoc autem loco intelligenda Italiae pars ea, quae postea dicta est Latium, cujus vetustissimus rex Saturnus fuit, Saturni filius Picus. Virg. A. VII, 48.

— — *Fauno Picus pater isque parentem*
Te, Saturne, refert, tu sanguinis ultimus auctor.

321. *studiosus equorum.* Virg. A. VII, 189. *Picus equum domitor.*

Forma viro, quam cernis, erat; - licet ipse decorem
Adspicias fictaque probes ab imagine veram -
Par animus formae. Nec adhuc spectasse per annos
Quinquennem poterat Graja quater Elide pugnam;
Ille suos Dryadas Latiis in montibus ortas
Verterat in vultus, illum fontana petebant
Numina, Naïades, quas Albula, quasque Numici,
Quas Anienis aquae, cursuque brevissimus Almo
Narque tulit praeceps, et opacae Farfarus undae,
Quaeque colunt Scythicae stagnum nemorale Dianae

322. *quam cernis*, sc. *in hoc de marmore signo*. Vid. 313.

323. *ficta*, ad imitationem expressa. — *probes*, probam judices.

324. Sensus est: *nondum per annos h. e. per aetatem poterat spectator fuisse Grajae pugnae s. ludorum Olympicorum, quos quinto quoque ineunte Graeci edebant.* Nam poetae R. (vid. Forc. in v.) Olympiadem V annorum aequalemque lustro fecerunt. Vid. Pont. I, 4, 6. IV, 6, 5. Cic. quoque de Orat. III. c. 32. *quinquennali celebritate ludorum Olympicorum.*

325. Pessime alii post *pugnam* punctum ponunt: est enim eadem sententiae ratio, qualis est XIII, 711—715. et XIII, 880—884. — Ceterum mire variant in h. l. veteres libri. Vers. 324. omnes *tot annos*. Vers. 325. Franc. et in marg. Goth. 2. *quinquennis*. Deinde codd. Viv. ex parte, Dresd. et nonnulli Heinsii *poteras*. Nonnulli Heins. *poterant*. Bersm., Par. 2., Pal. 1., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et plures Heins. *poteram*. Reliqui *poterat*. — Bersm., Goth. 2. pro v. l., Franc. et margo Bas. *Grajam q. e. pugnam*. Alter Bersm. *pugna q. e. Graja*. Codd. Viv. et Ciof., Exc. Herc., Pal. 2. et reliqui *Graja q. e. pugna*. Exc. Herc. *quater elide*. Codd. Viv., Ciof., uterque Bersm., Heinsii omnes et reliqui tum vett. edd. *quater edere*. Quae nunc pro vulgata est: *Graja quater Elide pugna*, elegans correctio Heinsii est. Sed nihil incertius est, quam scripturae e variis diversorum codd. variantibus conglutinatae. Probabilior Farnabii conjectura est: *nec adhuc sp. per annos Quinquennem p. Grajos quater edere pugnam.* — *Graja Elide*, Olympiae in Elide, quae est regio Peloponnesi. V, 494.

326. *Dryadas*. III, 507. Nep. Alcib. III. *omnium oculos ad se converteret.*

328. *Albula*, postea Tiberis dicta. Fast. II, 389.

Albula, quem Tibrin mersus Tiberinus in undis
Reddidit.

Liv. I. c. 3. *Tiberinus* (Albanorum rex) *qui in trajectu Albulae amnis submersus celebre ad posteros nomen flumini dedit.* Vid. interpp. ad Virg. VIII, 331. Numicius et ipse fluvius Latii, in mare Tyrrhenum sive inferum sese exonerans. Conf. v. 599.

329. *quas*. Unus Bonon. *quasque*. Priscian. VI. c. 3. *aut*, qui v. 328. *quaque Numici* exhibet. *Anien* vel *Anio* Latii amnis, qui prope Romam in Tiberin influit. *Almo* amnis agri Romani prope Romam in Tiberim defluens. Fast. IV, 337.

330. *Nar* et *Farfarus* amnes, qui et ipsi in Tib. influunt. Virg. A. VII, 517. *sulfurea Nar albus aqua*. Olim *Fabaris* dictus. Virg. A. VII, 715. — Scripturam *Narque* Bersm. servavit. Reliqui mendose *Narve*. Servius ad Aen. VII, 715. *et amoenae Farfarus umbrae*. Cod. Bersm., Berol., Flor., Hamb., Pal. 2., Par. 2., Sulm. 2., Vrat., VIII Heins. et ed. pr. *et opacae F. umbrae*, quod ex Servii l. l. fluxisse videtur. Reliqui omnes *et opacae F. undae*.

331. *Scythicae - Dianae*, h. e. Tauricae. In Chersonneso Taurica Diana celeberrimum habebat templum, in quo ei hospites qui in illos tractus venirent mactabantur. Eo Iphigeniam, cum in eo esset, ut immolaretur, abstulit (XII, 1 seqq.), sacerdotemque fecit. Quum autem Orestes, Iphigeniae frater cum Pylade amico eodem venisset, et jam mactandus esset, ab sorore agnitus cum Iphigenia deae simulacrum abstulit portavitque vel in Zminthum insulam, vel in Atticam, vel in Laconiam vel, aliis auctoribus, quos Naso sequitur, Ariciam in Latio, ubi lucus et templum ejus fuisse traditur. Vid. Hyg. F. 369. Pausan. III. c. 16. et Metam. XV, 488.

Finitimosque lacus. Spretis tamen omnibus unam
Ille colit nympham, quam quondam in colle Palatî
Dicitur ancipiti peperisse Venilia Jano.
Haec ubi nubilibus primum maturuit annis,
Praeposito cunctis Laurenti tradita Pico est.
Rara quidem facie, sed rarior arte canendi, -
Unde Canens dicta est -, silvas et saxa movere
Et mulcere feras et flumina longa morari
Ore suo volucresque vagas retinere solebat.
Quae dum feminea modulatur carmina voce,
Exierat tecto Laurentes Picus in agros,
Indigenas fixurus apros, tergumque premebat
Acris equi, laevaque hastilia bina ferebat,
Puniceam fulvo chlamydem comprensus ab auro.
Venerat in silvas et filia Solis easdem,
Utque novas legeret fecundis collibus herbas,
Nomine dicta suo Circaea reliquerat antra.
Quae simul ac juvenem virgultis abdita vidit;
Obstupuit, cecidere manu, quas legerat herbas,

— *stagnum nemorale*, est lacus in luco prope Ariciam. — Par. 2. *regnum nem.*, quod fluxit e Lucan. III, 86. Agitur h. l. de *Najadibus*. Fast. III, 263.

Vallis Aricinae silva praecinctus opaca
Est lacus, antiqua religione sacer.

Conf. Virg. A. VII, 761 sqq. et Strab. V. p. 239.

333. *colit*. Berol., unus Gron., Jun. *fovet*, quod temere recepit Heinsius. Nec scriptura *nymphen*, quam idem induxit Heinsius, satis certa est, quam nonnisi Par. 2., Flor. et quidam Heinsii tuentur. Nam reliqui omnes *nympham*. — *Palatî collis* est unus de VII collibus urbis Romae.

334. *ancipiti*, *bifronti* ut Virg. Aen. VII, 180. dicitur. Fast. I, 95.

Tum sacer, ancipiti mirandus imagine, Janus
Bina repens oculis obtulit ora meis.

Nam Janus, numen Latii bifrons fingebatur. Inde Naso Fast. I, 65.

Jane biceps, anni tacite labentis origo,
Solus de superis qui tua terga vides.

Par. 2., Flor., Hamb. 1., Med. 3., Neap., Thu., Vat. 1., Vrat. et IV Heins. *ionio*. Gron. 1. et Jun. *aonio*. — De *Venilia* Jani uxore vid. Heyn. Exc. V. ad Virg. A. VII.

336. *Laurenti*, Laurento, Latii oppido. Virg. A. VII, 171. *Laurentis regia Pici.*

338. *Canens*, alibi non memoratur. Vide tamen Heyn. Exc. modo laudatum. *Gier. silvas et saxa movere etc.* Colorem duxit hic locus a fabula Orphei. Vid. X, 86 sqq.

343. *tergumque premebat*. Conf. VI, 223. VIII, 34.

344. *laevaque - ferebat*. Virg. A. I, 313.

Bina manu lato crispans hastilia ferro.

Conf. A. XII, 165.

345. *ab auro*, ab aurea fibula s. per auream fibulam. Vid. not. ad III, 571. — *comprensus*, constrictus. Conf. v. 394. et 166. — De accus. *chamydem* vid. ad I, 332. — Mire iterum dissident libri veteres. Nam unus Gif., Berol., Farn., Flor., Gron. 1., Par. 2., unus Sulm., Vrat., XII Heins. *contractus*. XII Heins. *conteetus*. Thys. *contextus*. Singuli *contortus*, *concinctus*, *complexus*. Cod. Bersm., Urb. et XX Heins. *compressus*. — Deinde pauci codd. cum vett. edd. *phoeniciam* v. *Poeniciam*. Omnes frustra.

346. *filia Solis*, Circe. IV, 205. XIII, 968.

347. *herbas*, sc. vim magicam habentes. Vid. 266 sqq.

348. *antra*. Ita Dresd., Goth. 1., Par. 1., Lips. 2., plerique et optimi Heins. et ed. pr. Vulg. *arva*, male: nam in arvis et finibus suis manserat.

350. *manu*. Berol., Gron. 1., Jun.,

Flammaque per totas visa est errare medullas.
Ut primum valido mentem collegit ab aestu;
Quid cuperet, fassura fuit: ne posset adire,
Cursus equi fecit circumfususque satelles.
„„Non tamen effugies, vento rapiare licebit,
Si modo me novi, si non evanuit omnis
Herbarum virtus nec me mea carmina fallunt.““
Dixit, et effigiem nullo cum corpore falsi
Finxit apri, praeterque oculos transcurrere regis
Jussit et in densum trabibus nemus ire videri,
Plurima qua silva est, et equo loca pervia non sunt.
Haud mora, continuo praedae petit inscius umbram
Picus, equique celer spumantia terga relinquit,
Spemque sequens vanam silva pedes errat in alta.
Concipit illa preces et verba venefica dicit,
Ignotosque deos ignoto carmine adorat,
Quo solet et niveae vultum confundere lunae,
Et patrio capiti bibulas subtexere nubes.
Tum quoque cantato densetur carmine coelum

Thu. et pro v. l. Par. 2. *sinu*, quod edidit Heinsius; sed mihi magis ex natura puellarum esse videtur, flores legentium, et aptius huic loco ac gravius, prae stupore moveri partem corporis. — Berol., Goth. 1., Par. 2., Sulm. 1. 2., Zwicc., quidam Ciof. et multi Heins. *herbae*. Reliqui *herbas*. Utrumque dici potest, sed posterior oratio usitatior est, quae etiam multo majorem habet auctoritatem codicum. Terent. Andr. v. 3. *populo ut placerent, quae scripsisset fabulas*. Conf. Met. VII, 59.

351. *errare*. Cod. Bersm., Berol., Dresd., Pal. 2., Ox., Vrat. et III Heins. *torrere*. Bas. et plures Heins. *ardere*.

354. *circumfusus*. Conf. III, 180.

355. *non tamen*. Berol., Dresd., Pal. 2. et plurimi (?) Heins. *non ait*, ex interpretamento. — *licebit*, ubi ex vulgari dicendi consuetudine poneretur *licet*, apud poetas saepe legitur. Conf. II, 58. Trist. V, 14, 3. Hor. Sat. II, 2, 59. Epod. XV, 19.

356. *si modo me novi*. Conf. XI, 452. XII, 394.

357. *h. virtus*, h. vires. XIII, 942. — Vrat. et deteriores Heins. *et me mea*.

360. *trabibus*, arboribus. VIII, 329. IV, 360. Val. Fl. III, 484. *densos trabe Mysia montes*.

361. *plurima*, densissima. XI, 140. VIII, 583.

362. *praedae umbram*, fictam effigiem illam apri.

363. *spumantia*, sc. sudore. — Berol. et IV Heins. *fumantia*, quod recipere in textum tam parva auctoritate non debebat Heinsius et fluxisse videtur e Virg. Georg. II, 542. Meliores (?!) Heinsii etiam *relinquit*.

365. *verba venefica*. Ita Cael., Dresd., Goth. 2., Par. 1., Lips. 2., Bas. 3., Bas. 2. in marg., unus Sulm., Zwicc., meliores Heinsii magno numero et ed. pr. — Reliqui *verba precantia*, ex II, 482. — Deinde Heinsius primus edidit *dicit*, quod Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Vrat., a 1. m. Zwicc. et ed. pr. confirmant, et praestat, ut inter praesentia *errat*, *adorat*.

366. *ignotos deos*, sc. magarum. Conf. v. 404. Stat. Theb. IV, 516.

Et triplicis mundi summum, quem scire nefastum est.

367. *confundere*, hebetare, turbare, turbidam reddere. Conf. IV, 332. VII, 207. Curt. VIII. c. 3. *confuderat oris exsanguis notas pallor*. — Menard., Bas. 3. et III alii Heins. *deducere*, ut XII, 263., ab inepto sciolo.

368. *patrio*, Solis. Vid. IV, 205. XIII, 968. et conf. IV, 332. et VII, 207 sqq. — *subtexere nubes*. Lucret. VI, 481. *caerula subtexere nimbis*. Virg. A. III, 582. *coelum subtexere fumo*.

369. *densetur*. Ita Arond., Par. 2., Cant., Hamb., Medic. 3., Nor., Neap., Pal. 1., Thu., Vat. 1. et V alii Heins. Reliqui *densatur*, quod nescio an verum putem, quum Ovidius antiquas formas

Et nebulas exhalat humus, caecisque vagantur
Limitibus comites, et abest custodia regis.
Nacta locum tempusque „„Per o tua lumina,“ dixit
„„Quae mea ceperunt, perque hanc, pulcherrime, formam,
Quae facit, ut supplex tibi sim dea, consule nostris
Ignibus et socerum, qui pervidet omnia, Solem
Accipe, nec durus Titanida despice Circen.““
Dixerat. Ille ferox ipsamque precesque repellit,
Et „„Quaecumque es,“ ait „non sum tuus: altera captum
Me tenet, et teneat per longum, comprecor, aevum;
Nec Venere externa socialia foedera laedam,
Dum mihi Janigenam servabunt fata Canentem.““
Saepe retentatis precibus Titania frustra
„„Non impune feres: neque enim reddere Canenti,
Laesaque quid faciat, quid amans, quid femina disces
Rebus“ ait, „sed amans et laesa et femina Circe.“
„Tum bis ad occasum, bis se convertit ad ortus,
Ter juvenem baculo tetigit, tria carmina dixit.
Ille fugit, sed se solito velocius ipse
Currere miratus, pennas in corpore vidit,
Seque novam subito Latiis accedere silvis

fere nusquam affectet. Vid. ad XIII, 605. — Goth. 2. et vett. edd. *tunc quoque*.

371. *regis*. Cod. Bersm., Hamb. et IV alii Heins. *regi*, quas delicias suas cupide arripuit Heinsius. Vid. ad XIII, 875. 853. 494. — Urb. *ut abest*. De re conf. supra v. 354.

372. *nacta – tempusque*. Conf. IX, 572.

373. *quae mea ceperunt*. Prop. I, 1, 1.

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.

375. Conf. II, 32. et IV, 172. Scripturam *pervidet* et sensus confirmat, et codd. Berol., Flor., Hamb. 1., Neap., Pal. 1., Par. 1., Lips. 2., Urb. et multi Heins. — Goth. 2., Ox., Vrat. et XI Heins. *providet*. Reliqui *praevidet*.

376. *Titanida*, Titanis filiam. I, 10.

377. *repellit*. Alter Bersm., Berol., Goth. 1. et pro v. l. 2., Pal. 2., Sulm. 1. 2., Vat. Ciof., Vrat. et vett. edd. *reliquit;* nisi quod ed. pr. *relinquit*. X, 82. — 380. *socialia*, generaliter pro *conjugialia*. — Conf. XI, 743. Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. et V Heins. *foed. rumpam*. Etiam *laedam* generaliter dictum et poetice, pro specie *rumpam*.

381. *Janigenam*. Vid. 334.

383. *reddēre*, redderis. — *neque enim* Gron. 1., Mor. 2. et Bas. 3. Reliqui omnes *neque ait*, quod verum videtur; neque in repetitione verbi *ait* haerendum. Conf. tamen II, 474.

385. *Circe est*. Berol., Lips. 2. et Vrat. et sine dubio etiam nonnulli Heinsii *est* omittunt.

386. *ad ortus*. Berol. et multi ex optimis Heins. (?) et edd. Venn. *ad ortum*. Reliqui omnes *ad ortus*. Dresd., Goth. 2., Lips. 2. et Zwicc. etiam *ad occasus*.

387. *ter juvenem baculo*. Virg. A. VII, 189. *quem* (Picum) *capta cupidine conjux* (h. e. amans)

Aurea percussum virga versumque venenis (h. e. herbis venenatis vel magicis)
Fecit avem Circe sparsitque coloribus alas.

Conf. Met. VII, 189.

388. *sed se*. Unus Voss. *sese solito*. Ad rem conf. III, 799.

389. *seque novam – silvis*. Conf. V, 674. — Berol., Dresd., Goth. 1., Vrat., Zwicc. et haud dubie etiam nonnulli Heinsii *miratur*. — *Latiis*. Vid. 336. nonnulli codd. et edd. Venn. *latis*. — Ceterum suo more, eleganter, poeta naturam pici in usum suum convertit.

Indignatus avem, duro fera robora rostro
Figit, et iratus longis dat vulnera ramis.
Purpureum chlamydis pennae traxere colorem,
Fibula quod fuerat vestemque momorderat aurum,
Pluma fit, et fulvo cervix praecingitur auro,
Nec quicquam antiquum Pico, nisi nomina, restat.
Interea comites, clamato saepe per agros
Nequicquam Pico nullaque in parte reperto,
Inveniunt Circen, - nam jam tenuaverat auras,
Passaque erat nebulas ventis ac sole resolvi -
Criminibusque premunt veris, regemque reposcunt,
Vimque ferunt saevisque parant incessere telis.
Illa nocens spargit virus sucosque veneni,
Et Noctem Noctisque deos Ereboque Chaoque
Convocat, et longis Hecaten ululatibus orat.
Exsiluere loco - dictu mirabile - silvae,
Ingemuitque solum, vicinaque palluit arbor,
Sparsaque sanguineis rubuerunt pabula guttis,
Et lapides visi mugitus edere raucos,

393. *purp. chlamydis - colorem.* Cf. v. 345.

394. Construe: *aurum, quod fuerat fibula et vestem momorderat. . .* Conf. 345. — De *momorderat* cf. VIII, 318.

395. *praecingitur.* I, 699.

396. *nec quicquam antiquum,* ut VI, 305. *nihil est in imagine vivum.* Berol. et Flor. *antiqui.* Arond., Neap. et X alii Heins. *antiquo.* Duo Bersm., plurimi Heinsii, Dresd., Zwicc. et ed. pr. *restant.* Par. 1. 2. et reliqui cum edd. Venn. *restat.* Utrum germanum sit, nonnisi accuratiori codicum collatione dijudicari potest; nisi quod *restant* insolentius est, et Ovidius ita etiam aliis locis est locutus. Trist. I, 2, 1.

Di maris et coeli, quid enim nisi vota supersunt.

Trist. IV, 10, 85.

Si tamen exstinctis aliquid nisi nomina restant.

Pont. IV, 2, 45.

Quid nisi Pierides, solatia frigida, restant?

Virg. Ecl. VIII, 67.

nil hic nisi carmina desunt.

Sallust. Cat. c. 25. *ei cariora semper omnia, quam decus atque pudicitia fuit.* Cic. Phil. IV. c. 4. *Quis igitur illum consulem nisi latrones putant?* Vid. Zumpt. Gramm. L. §. 370.

397. *Eadem Circes famula Macareo porro narrat* (320.), *Pici socios a Circe in feras mutatos, et amicam Canentem in aëra diffluxisse. — clamato.* Conf. II, 443.

399. *nam jam - auras.* Vid. v. 369.

400. *resolvi*, dissipari. XI, 516. Par. 2., Flor., Goth. 1., Hamb. 1., Mor. 1., Thu., Vrat. et IV Heins. *recludi.*

401. *criminibus premunt*, criminando urguent. *Gierig.*

402. *incessere telis.* XIII, 566.

404. *Ereboque Chaoque.* Priscian. VI. c. 17. excitat hunc versum, ut nunc legitur, additque: *id est ab Erebo et a Chao, sicut a pelago.* E Chao Erebus et Nox nati. Hesiod. Theog. v. 123. Erebi et Noctis nati nominantur a Cic. N. D. III. c. 17. — Berol. *et Noctis Noctemque deos Erebumque Chaoque.* Goth. 1. 2. et Zwicc. *Herebumque Chaosque.* Nonnulli Heinsii *Erebonque Chaonque.* Reliqui cum vett. edd. et Prisc. l. l. *Erebeque Chaoque.*

405. *longi ululatus* etiam III, 706. Erf. 1., Dresd., Pal. 1., Thu., Urb., Vat. 1., II Vatt. Ciof., plurimi Heins. et ed. pr. *magnis.* — *Hecaten.* Cf. VII, 74. et 190 sqq.

406. *exsiluere.* Ita Vrat. vetustiores Heins. et vett. edd. Reliqui *exsiliere.* Conf. III, 670. V, 35. VI, 77. 658. IX, 340.

407. *arbor.* IV Heins. *arbos.*

408. *rubuerunt.* Berol., Goth. 1., Cael., Mor., unus Sulm,. Vrat., Zwicc., nonnulli Heins. et ed. pr. *maduerunt.* Cael., Dresd. et unus Vat. Ciof. *gramina.* Vid. ad v. 43.

Et latrare canes, et humus serpentibus atris
Squalere, et tenues animae volitare silentum.
Attonitum monstris vulgus pavet; illa paventum
Ora venenata tetigit mirantia virga.
Cujus ab attactu variarum monstra ferarum
In juvenes veniunt, nulli sua mansit imago.
Presserat occiduus Tartessia litora Phoebus,
Et frustra conjux oculis animoque Canentis
Exspectatus erat. Famuli populusque per omnes
Discurrunt silvas atque obvia lumina portant.
Nec satis est nymphae flere et lacerare capillos,
Et dare plangorem; - facit haec tamen omnia, seque
Proripit ac latos errat vesana per agros.
Sex illam noctes, totidem redeuntia solis
Lumina viderunt inopem somnique cibique,
Per juga, per valles, qua fors ducebat, euntem.
Ultimus adspexit fessam luctuque viaque
Tibris et in gelida ponentem corpora ripa.
Illic cum lacrimis ipsos modulata dolores
Verba sono tenui maerens fundebat, ut olim
Carmina jam moriens canit exsequialia cygnus.

411. *squalere*, turpiter obducta, sordida esse. — *tenues*, quia sine corpore. — De *silentum* cf. V, 356. XIII, 25. XV, 772. et 797. — „Scripturam autem *volitare silentum* confirmant quidam libri apud Mariang. Accursium, Arond., Erf. 1., Goth. 2., Neap., Par. 1., Pal. 1., Lips, 2., Urb., Vat. 1., Zwicc. et circiter XX Heins. — Par. 2. et reliqui *volitare videntur*. Rhythmus vv. *silentum* et *paventum* per se quidem in carminibus Latinis non probatur, sed Ovidio condonandus. Cf. VI, 414 sq. 522 seq. VIII, 360 sq. 441 seq. XV, 151 seq. 428 — 430." *Jahn*. Addo et plenior est oratio addito illo *silentum* et ingrata repetitio *visi*, *videntur*.

413. *in juvenes*, comites Pici veniunt, eos superveniunt, comites in ea monstra mutantur. *Gier*.

416. *Phoebus*. I, 10. II, 1 sqq. — *Tartessia*, Hispanica, Hesperia, occidentalia, a Tartesso urbe maritima in Hispania Baetica. — De verbo *presserat* conf. IX, 286. Pro *presserat* Flor., Goth. 1., Gron. 1., Hamb. 1., Mor. 1., Neap., Thu., Urb., Vrat., XX Heins. et ed. pr. *sparserat*. Etiam in nomine *Tartessia*, ut in insolentioribus nominibus propriis solent, valde discrepant. Alii *Traphesia*, *Thephesia*, *Testesia*, *Cephesia*, *Cepheia*, *Carthesia*, *Carchesia*, *Carpesia*.

417. *oculis animoque*. Cf. VII, 347.

418. *per omnes silvas*. Vid. 342.

410. *lumina*, faces.

420. *lacerare capillos*. XI, 725. X, 788. IV, 590. — *plangorem dare* pro *plangi*. VI, 248.

421. *sequi*. Medic. 4. a 1. manu *sese*.

422. Conf. V, 440 seqq. - IV Heins. *Latios*. *Latos* rectius vagos errores declarat, atque ita libri veteres prope omnes.

426. *ultimus*. I, 728.

428. *ipsos modulata dolores*, quae omnia caneret, nunc ipsos quoque dolores per modos efferens. Argutatur suo more poeta. Cod. Bersm., plurimi Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Vrat., Zwicc. *ipso modulata dolore*. Reliqui cum vett. edd. *ipsos modulata dolores*, quae mihi vera scriptura videtur; est enim Nasoniani acuminis et simplicior, quam altera et usitatius est deponens *modulata*, quam modus patiendi.

429. *olim*, q. e. aliquando, ut *quondam* fere in similitudinibus ponitur. Hor. Sat. I, 1, 25.

430. Olores morientes canere veterum scriptis celebrata fabula est. V, 386. Her. VII, 1.

Sic ubi fata vocant, udis abjectus in herbis
Ad vada Maeandri concinit albus olor.

Vid. interpp. ad Plat. Phaed. p. 84. 85. ed. Steph. Conf. Ael. V. H. I. c. 14.

Luctibus extremum tenues liquefacta medullas
Tabuit, inque leves paulatim evanuit auras.
Fama tamen signata loco est; quem rite Canentem
Nomine de nymphae veteres dixere Camenae.
Talia multa mihi longum narrata per annum
Visaque sunt. Resides et desuetudine tardi
Rursus inire fretum, rursus dare vela jubemur.
Ancipitesque vias et iter Titania vastum
Dixerat, et saevi restare pericula ponti;
Pertimui, fateor, nactusque hoc litus adhaesi.“
Finierat Macareus; urnaque Aeneïa nutrix
Condita marmoreo tumulo breve carmen habebat:
HIC ME, CAJETAM, NOTAE PIETATIS ALUMNUS
EREPTAM ARGOLICO, QUO DEBUIT IGNE, CREMAVIT.
Solvitur herboso religatus ab aggere funis,
Et procul insidias infamataeque relinquunt
Tecta deae, lucosque petunt, ubi nubilus umbra
In mare cum flava prorumpit Tibris arena,

Propter cantum autem haec avis Apollini sacra. Callim. H. Apoll. v. 5. — *exsequialia*, funebria, a Nasone novatum verbum.

431. De accus. illo *medullas* vid. ad I, 332. — *tenues*, molles. — Uterque Bersm., Dresd., Lips. 2., Zwicc., plurimi Heins. et ed. pr. *teneras*. — De re conf. V, 426 sqq. et VII, 380 sqq.

432. *evanuit*, resoluta est.

433. *signata est*, velut signum sive nota haesit. Virg. Aen. VII, 3. *ossa signant nomen.*

434. *Camenae* erant mulieres vaticinantes, post cum Musis confusae. Vid. Heyn. Exc. V. ad Aen. VII. et Met. XV, 482. Verum suspectae sunt hae Camenae; quae auctores non habent nisi Berol., Bas. 2., Bon. 3., Flor. 1., Hamb. 2. et Mor. 1. Reliqui *coloni*, quod verum videtur.

435. *talia*, sc. qualia haec quae famula Circes narravit. Vid. 310. — *longum per annum*, sc. quem cum Ulixe apud Circen egimus. Vid. 308.

438. *Titania*, Circe. Vid. 382.

440. *hoc litus*, Cajetanum. Vid. v. 157. 158.

441. *Aeneas Cajeta* (v. 154.) *in Latium pervenit, ubi ab Latino rege benigne exceptus est, qui ei filiam suam Laviniam in matrimonium dedit. Quare et Aeneae et Latino a Turno, Rutulorum rege, cui Lavinia jam ante desponsata fuerat, bellum illatum est. Aeneas Evandrum in auxilium vocat. Turnus Venulum ad Diomeden, ut auxilium imploraret, misit, cui Diomedes auxilium negat et ea data occasione casus suos post Trojam devastatam narrat, inter alia etiam maximam sociorum suorum partem in aves esse conversam.* Virg. Aen. XI, 225 seqq. Antonin. Lib. XXXVII. Plin. X. c. 44. Ael. H. A. I. c. 1. Augustin. de Civ. D. XVIII. c. 16.

441. Poeta redit ad v. 157. Conf. Virg. Aen. VII. init.

442. Bas. 3. a 1 m., Goth. 2., Dresd. et II Heins. *marmorea*, quod tam incerta auctoritate in textum recipere non debebat Heinsius. — *carmen*. Vid. not. ad II, 326.

443. Bas. 1. et III Heins. *Cajetem. notae pietatis.* XIII, 624 seqq. Hor. Od. II, 2. *notus animi paterni.*

444. *ereptam Arg.* etc., quam Argolico h. e. Graecorum Ilium cremantium igne eripuit (XIII, 624 sqq.) et *debito*, q. e. quem pietas postulavit, *igne eremavit.*“

445. Conf. v. 248. et XIII, 439.

446. *infamatae*, sc. veneficio.

447. *lucosque* etc. Expressa sunt e Virg. VII, 29.

Atque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum
Prospicit. Hunc inter fluvio Tiberinus amoeno
Vorticibus rapidis et multa flavus arena
In mare prorumpit.

Vid. Heyn. Exc. III. ad Aen. VII.

448. *flava*. Sic Berol., Bon. 3., Flor., Hamb. 1. et unus Voss. — Reliqui *fulva*. Sed scriptura *flava* etiam eo confirmatur, quod perpetuum prope Tiberis epitheton est et quod Virgilius,

Faunigenaeque domo potitur nataque Latini,
Non sine Marte tamen. Bellum cum gente feroci
Suscipitur, pactaque furit pro conjuge Turnus.
Concurrit Latio Tyrrhenia tota, diuque
Ardua sollicitis victoria quaeritur armis.
Auget uterque suas externo robore vires,
Et multi Rutulos, multi Trojana tuentur
Castra. Neque Aeneas Evandri ad moenia frustra,
At Venulus frustra profugi Diomedis ad urbem
Venerat. Ille quidem sub Iapyge maxima Dauno
Moenia condiderat dotaliaque arva tenebat;
Sed Venulus Turni postquam mandata peregit
Auxiliumque petit; vires Aetolius heros

quem Naso h. l. ad verbum expressit, loco modo citato *flavus* habet: *multa flavus arena in mare prorumpit.*

449. *Latinus*, Latii vel Laurenti in Latio tum rex, filius Fauni et Pici nepos fuit. Filia autem, quam Aeneae desponderat, Lavinia dicta. Virg. A. VII, 45.

— — — *Rex arva Latinus et urbis*
Jam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno et nympha genitum Laurente Marica
Accipimus. Fauno Picus pater, isque parentem
Te, Saturne, refert, tu sanguinis ultimus auctor.

450. *cum gente feroci*, cum Rutulis, gente Latii, cujus rex tunc Turnus erat. — *pacta*, nam ut supra dictum est, ei ante desponsata fuerat. Liv. I. c. 1. Dion. Hal. I. c. 58.

452. *Latio*, in Latio. Virg. l. l. v. 43. de eadem re:

dicam
Tyrrhenamque manum totamque sub arma coactam
Hesperiam.

453. *sollicitis*, cum studio portatis. *Ea arma* sive bella tenent libros VI posteriores Aeneïdis.

455. *Rutulos* adjuvabant Mezentius Etruscorum rex cum filio Lauso, Aventinus Herculis filius, Catillus et Coras, Tiburtini, Camilla e Volscorum gente, alii. Virg. A. VII, 647. — Unus Mor. *sequuntur.*

456. Evander, e patria Arcadia profugus, Fauno regnante in Italiam venisse Palanteumque urbem ad montem, qui postea Palatinus vocatus est, condidisse dicitur. Virg. A. VIII, 513 seqq. Dion. Hal. I. c. 31. Justin. XLIII. c. 1. — Scripturam *ad limina* tuentur Par. 1., Lips. 2. et multi (?) Heins. Reliqui cum vett. edd. *ad moenia*, quod revocavi apteque illis *ad urbem* s. *ad arces* respondet. — *neque-frustra*, nam non modo benigne ab eo excipitur, sed CCCC equitum subsidio adjuvatur, quibus praerat Pallas, Evandri filius. Virg. A. VIII, 514 seqq. *Gier.*

457. *Venulus*, quem Turnus miserat. Post excidium Trojae Diomedes (XIII, 100 sqq.) post multos casus in Apuliam pervenerat, ubi accepta in matrimonium Dauni filia, Euippe, oppidum, Argos Hippium condiderat. Vid. Heyn. Exc. ad Virg. Aen. XI, 243. Strab. VI. p. 434. Ad eum autem Turnus miserat, quia ut Graecus Trojanis infestus erat. Virg. A. VIII, 9.

Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem etc.

Flor. et III alii Heins. *magnam profugi D.*, ex Virg. l. l. — *at-frustra* respondet illi *neque frustra* v. 456. Nonnulli Heins. etiam *frustra magni D.* Mendosum et illud. — Alter Bersm., Bas. 1., Dresd., Par. 1., Lips. 2., Vat. Ciof., Zwicc. et plurimi Heins. *ad arces.* Reliqui omnes cum vett. edd. *ad urbem*, quod mihi genuinum videtur, ut Ovidius, quomodo etiam supra, Virgilium ad verbum expresserit.

458. *Iapyge.* Iapygia regio ad sinum Tarentinum; saepe tamen hoc nomine tota Apulia, Calabria sive Messapia et aliae regiones comprehenduntur. Inde *Daunus Iapyx* etiam v. 510., qui fuit rex Apuliae. Heyn. ad Virg. Aen. XI, 246 seq.

460. Ex Virg. XI, 226 sqq.

461. *auxiliumque petit.* Ita uterque Bersm., Bas. 3. 2. a rec. m., Berol., Dresd., Vrat., multi vetustiores Heins. et ed. Ven. 2. — Pal. 2. *auxilium et petiit.* Reliqui *auxilium petiit.* Men-

Excusat, nec se aut soceri committere pugnae
Velle sui populos, aut, quos e gente suorum
Armet, habere ullos. „Neve haec commenta putetis,
„Admonitu quanquam luctus renoventur amari,
Perpetiar memorare tamen. Postquam alta cremata est
Ilios, et Danaas paverunt Pergama flammas,
Naryciusque heros a Virgine, virgine rapta
Quam meruit poenam solus, digessit in omnes;
Spargimur et, ventis inimica per aequora rapti,
Fulmina, noctem, imbres, iram coelique marisque
Perpetimur Danaï, cumulumque Capharea cladis.
Neve morer referens tristes ex ordine casus,
Graecia tum potuit Priamo quoque flenda videri.

dose: nam in illis *auxiliumque petit* mandata illa continentur, et pertinent igitur haec verba ad protasin. Depravatio orta videtur eo, quod librarii post *peregit* praeteritum desiderarent. Virg. A. III, 1.

Postquam — — ceciditque superbum
Ilium, et omnis humo fumat Neptunia Troja.

Aetolius heros. Diomedes fuit Argorum rex, Aetolius dictus, quia Tydeus pater a Calydone in Aetolia, ubi ejus pater Oeneus rex fuit, oriundus erat. Vid. v. 512., ubi Diomedes *Oenides* appellatur. — *vires excusat*, excusat se, quod vires h. e. copias et opes bellicas non habeat. Tac. Ann. I. c. 44. *reditum Agrippinae excusavit ob imminentem partum et hiemem.*

462. *soceri*, Danni. Vid. ad v. 457. Cod. uterque Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Lips. 2., Zwicc. et multi Heinsii *aut* non agnoscunt.

463. Cod. Bersm., Dresd. et multi (?) Heins. *nec quos e.* Lips. 2. *nec quo se.*

464. *ullos.* Arond., Bas. 1., Flor., Pal. 2., unus Sulm., unus Vat. Ciof. et XX Heins. *viros*, quod mihi ex interpretamento ortum videtur. — *e gente suorum* intellige *Argivorum*; nam hi, ut infra narratur, in itinere magna ex parte in aves conversi fuerant. V. 510.

465. *renoventur.* Gron. 1. et nonnulli Heins. *renovantur.* Sed conjunctivus recte habet, sive *quanquam* cum conjunctivo positum, quod apud poetas saepe fit, intelligas, sive *renoventur* conjunctivum, quem vobant modestiae, accipias, sive conjunctivum propter obliquam orationem positum putes. Quod ad rem, huc pertinet Virg. A. II, 3.

Infandum, regina, jubes renovare dolorem.

Ad rem vid. Virg. A. XI, 243 sqq.

466. *perpetiar*, sustinebo, animum obdurabo.

467. Codd. Viv., Bas. 1. 2. 3., Berol., Dresd., Goth. 2., plurimi Heins. et edd. Venn. *Ilios.* Reliqui *Ilion.* Res decernenda est accuratiori collatione codicum, quanquam Ovidius etiam aliis locis, ubi nomen cum adjectivo in feminino posuit, usus est *Ilios.* Vid. not. ad Her. I, 48. Conf. Hor. III, 3, 23. ibique Bentl. — *Pergama.* Vid. ad XII, 591. — *Danaas*, Graecas. XII, 13.

468. *Narycius heros*, Ajax, Oïlei filius (XII, 602.) a Naryce, oppido Locridis. VIII, 312. — *a Virgine*, a Minerva. II, 579. — *virgine rapta*, Cassandra. Vid. not. ad XIII, 410. Virg. II, 403.

469. Cod. Bersm. *solus poenam*, quod tacite edidit Heinsius. — *digessit in omnes*, scelere suo effecit, ut in omnes infamia extenderetur.

471. *noctem*, tenebras.

472. „et pro cumulo cladis *Capharea* i. e. naufragium ad Capharea.“ Nam Caphareus est promontorium in oriente Euboeae, ubi classis Graecorum a Troja redeuntium Minervae ira ob scelus illud Ajacis naufragium fecit. Hom. Od. I, 326. 327. III, 184 seqq. Solin. II. Conf. Virg. A. XI, 259. ibique interpp. — De illo *cumulumque cladis* conf. XI, 206.

473. *neve*, et ne, quod passim apud Nasonem etiam non praecedente negatione legitur. Vid. ad Her. XVI, 71. Met. I, 151. II, 482. IV, 800. — Cod. Bersm., Goth. 1., Vrat., Zwicc., omnes (?) fere Heins. et ed. pr. *referam*, Bas. 4. *referam tristesque.*

474. *Graecia - videri.* Virg. A. XI, 259. *vel Priamo miseranda manus,*

Me tamen armiferae servatum cura Minervae
Fluctibus eripuit. Patriis sed rursus ab Argis
Pellor, et antiquo memores de vulnere poenas
Exigit alma Venus; tantosque per alta labores
Aequora sustinui, tantos terrestribus armis,
Ut mihi felices sint illi saepe vocati,
Quos communis hiems importunusque Caphareus
Mersit aquis, vellemque horum pars una fuissem.
Ultima jam passi comites belloque fretoque
Deficiunt, finemque rogant erroris. At Acmon
Fervidus ingenio, tum vero et cladibus asper,
„„Quid superest, quod jam patientia nostra recuset
Ferre, viri? dixit. „Quid habet Cytherea, quod ultra -
Velle puta - faciat? Nam dum pejora timentur,
Est in vota locus; sors autem ubi pessima rerum est,
Sub pedibus timor est securaque summa malorum.
Audiat ipsa, licet, et, quod facit, oderit omnes

Unus Bersm., Bas. 3. 4. *tunc.* Reliqui omnes *tum.* Conf. v. 480.

475. *armiferae.* Minerva ut dea belli plena armatura fingitur. VI, 78.

476. *patriis ab Argis*, ubi pater, Calydone profugus, consederat et ipse Diomedes postea rex fuit. Scripturam *ab Argis* tuentur Bas. 2. 3., Par. 1. 2., Dresd. et multi Heinsii. — Flor. et nonnulli Heins. *ab aris.* Cod. Bersm., Bas. 4., Goth. 1. 2., Vrat., Lips. 2. et Zwicc. *ab arvis.* Reliqui *ab agris. ab Argis*, si non genuinum, tamen elegantius et doctius est.

477. *pellor.* Veram caussam, sc. quod uxoris adulterium ibi compererat, prudens reticet Diomedes; et fugam suam (nam *pellor* h. l. est *fugio*) ad alia refert. — *antiquo de vulnere.* Lucem huic loco affert Virg. A. XI, 278.

Haec (mala) *adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt*
Tempore, cum ferro coelestia corpora demens
Appetii et Veneris violavi vulnere dextram.

Conf. Hom. Il. V, 330 sqq. — *antiquo*, sc. in bello Trojano. — *memores poenas*, ut *memores iras* XII, 583. Conf. v. 694.

481. Barb. et Langerm. *importunisque*, quod temere recepit Heinsius. — *communis hiems*, tempestas (v. 470 sqq.), quae tetigit omnes Graecos.

482. *fuissem.* Ita Par. 2., Flor., Hamb. 1., Lips. 2., multi Heins. et ed. pr. Reliqui *fuisse.* Conf. III, 468. IX, 491. 532.

484. *Acmon*, unus e comitibus Diomedis, Pleurone, Aetoliae urbe (VII, 382), oriundus. Inde *Pleuronius* v. 494. Plerique cum vett. edd. *Agmon.* — *deficiunt*, sc. animis.

485. *asper*, exacerbatus. Zwicc. *tunc.*

486. Cod. Bersm., Goth. 1., Lips. 1., plerique castigatiores Heins. et ed. pr. *vestra.* Reliqui *nostra*, quod revocavi, quia haec etiam ad ipsum pertinent; et sequitur v. 493. *spernimus — nobis.*

487. *Cytherea*, Venus. X, 717.

488. *est in vota locus.* Sic Heinsius edidit e Thu. et XII aliis codd. Reliqui omnes *est locus in votis.* Prius certe elegantius est; an verum sit, non facile dijudicari potest. — Deinde *Berol.*, Goth. 1. 2. et Vrat. *est* omittunt, quod commode abesse potest, praesertim quum v. seq. *est* sequatur. — Construe: *ubi autem sors pessima rerum est*, (*tum*) *timor sub pedibus est, et summa malorum secura i. e. sine cura est, s. summam malorum non curant homines.* De dictione illa *sub pedibus est timor* conf. Georg. II, 492. De illo *secura* conf. XII, 199. Ad sententiam Pont. II, 2, 31.

— — — Fortuna miserrima tuta est:
Nam timor eventus deterioris abest.

491. *licet.* De producta verbi syllaba *et* in arsi ac caesura cf. v. 250. et 519. — Unus Medic., unus Heins. et alter Thu. *licet*, *licet ut facit o.* Par. 2. *licet quin quod facit*, *o.* Goth. 1. et Hamb. 1. *licet quam quod f. o.* Alii singuli aliter. Omnes propter difficultatem, quam sibi fingerent, illius *et* producti.

Sub Diomede viros; odium tamen illius omnes
Spernimus, et magno stat magna potentia nobis!“ “
„Talibus iratam Venerem Pleuronius Acmon
Instimulat verbis, veteremque resuscitat iram.
Dicta placent paucis: numeri majoris amici
Acmona corripimus. Cui respondere volenti
Vox pariter vocisque via est tenuata, comaeque
In plumas abeunt, plumis quoque colla teguntur
Pectoraque et tergum, majores brachia pennas
Accipiunt, cubitique leves sinuantur in alas,
Magna pedum digitos pars occupat, oraque cornu
Indurata rigent finemque in acumine ponunt.
Hunc Lycus, hunc Idas et cum Rhetenore Nycteus,
Hunc miratur Abas, et dum mirantur, eandem
Accipiunt faciem; numerusque ex agmine major
Subvolat et remos plausis circumvolat alis.
Si volucrum quae sit subitarum forma requiris:
Ut non cygnorum, sic albis proxima cygnis.

493. *et magno stat etc.* Ita codices et vett. edd. tantum non omnes, nisi quod Berol., Mor. 1., Exc. Polit. et X Heins. *et parvo*, quod alii editores ediderunt. Sed eandem sententiam habet *magno*, si ironice Acmonem loqui intelligimus. Codd. Viv. *et magno*, vel *et parvo*. Hoc autem vult, socios superiores esse omni Veneris injuria.

494. *iratam*. Chartaceus Heins. et pro v. l. Zulich., quorum perparva auctoritas est, *invitam*. Et habet illud *iratam — veteremque iram*, quod improbandum sit, quanquam tenendum est, vim omnem positam esse in illo *veterem*, non in *iram*. Sed nec *invitam* de irata jam tamque dirum vindictam exercente Venere aptum est.

497. *corripimus*, sc. dictis, ut est III, 565. — Unus Medic., Neap. et Urb. *paranti*, quod librarii ex frequenti Ovidii usu (II, 432. V, 459. VIII, 363. al.) obtruserunt. Reliqui *volenti*. *Jahn*. De hac transformatione conf. II, 373 sqq. et Virg. l. I. v. 272.

499. *plumis quoque*. Flor., Goth. 2., Gron. 1., Hamb. 1., Mor. 1., Thu. 1. 2., Vrat. et X Heins. *nova*, non male; sed tot reliquorum codicum et vett. editionum scripturam nolui ejicere.

501. *sinuantur* exquisite de alarum curvatura. *Gier*. Nonnulli Heins. et edd. Venn. *tenuantur*. Alter Bersm., Dresd., Cael., Pal. 2., Lips. 2., Vat. Ciof., Zwicc., omnes fere Heins. et ed. pr. *curvantur*.

502. *pedis*. Mor. 1. et VI alii Heins. *pedum*.

503. *finemque in acumine ponunt*, et in acumen desinunt.

504. *Lycus - Nycteus*, socii Diomedis.

505. *miratur*. Franc. et Vat. 2. *mirantur*, quod hac auctoritate recipere non debebat Heinsius. Vid. ad XIII, 721. 633. Quanquam h. l. pluralis concinnior: *hunc mirantur et dum mirantur*.

506. Virg. A. XI, 272. de iisdem:
Et socii amissi petierunt aethera pennis,
Fluminibusque vagantur aves - heu dira meorum
Supplicia! — et scopulos lacrimosis vocibus implent.

507. *circumvolat*. Pal. 2. *circumsonat*, quod temere recepit Heinsius. — *plausis alis*, ut I, 466. *percussis alis*. Conf. VIII, 238.

508. *subitarum*. Vulg. *dubiarum*. Bersm., Arond., Bas. 1., Gron. 1., Pal. 2., Thu. et XVI Heins. *subitarum*. Recte. Conf. I, 315. Nam dubiae non erant aves Diomedeae, sed subito natae.

509. *ut non - sic*. I, 370. Etiam Lycophron v. 595. has aves Diomedeas, anatibus paullo majores diemque piscando in medio pelago exigentes, cum cygnis comparat; Plin. vero X. c. 44. fulicarum similes tradit. Referuntur hodie inter anseres procellarios (Sturmvögel). Degunt juxta insulas Diomedeas Apuliam contra. Plin. d. l. *Aedem*, Diomedis, *quotidie plene gutture madentibus pennis perluunt atque purifi-*

Vix equidem has sedes et Iapygis arida Dauni
Arva gener teneo minima cum parte meorum.“
Hactenus Oenides. Venulus Calydonia regna
Peucetiosque sinus Messapiaque arva relinquit;
In quibus antra videt, quae multa nubila silva
Et levibus guttis manantia semicaper Pan
Nunc tenet, at quodam tenuerunt tempore nymphae.
Appulus has illa pastor regione fugatas
Terruit, et primo subita formidine movit;
Mox, ubi mens rediit et contemsere sequentem,
Ad numerum motis pedibus duxere choreas.
Improbat has pastor, saltuque imitatus agresti
Addidit obscenis convicia rustica dictis,
Nec prius obticuit, quam guttura condidit arbor.
Arbor enim est, sucoque licet cognoscere mores:
Quippe notam linguae baccis oleaster amaris
Exhibet, asperitas verborum cessit in illas.
Hinc ubi legati rediere, negata ferentes

cant: unde origo fabulae, Diomedis socios in earum effigies mutatos. Gier.

510. *Iapygis Dauni.* Vid. 458 sqq. — *arida.* Apulia aquarum inops. Inde Hor. Od. III, 30, 11. *pauper aquae Daunus*, et Epod. III, 16. *siticulosa Apulia.* — *et* h. l. vim explicandi habet, de quo usu vid. not. ad I, 21.

512. *Venulus a Diomede rediens Messapiam venit, ubi pastor quidam Apulus, qui nymphas obscoenis dictis lacessierat, in oleastrum arborem mutatus erat.*

512. *hactenus.* II, 610. VII, 794. — *Oenides*, Diomedes. Vid. 461. — *Calydonia regna* h. l. non propria Calydon in Aetolia intelligenda, sed nova illa a nepote Calydonii regis, Oenei, Deomede, in Apulia condita. Vid. 458.

513. *Peucetii* et *Messapii* Apuliae sive Iapygiae populi sunt. 458. Namque Iapyx, Daunus et Peucetius, Lycaonis filii, has oras occupasse traduntur ab Ant. Liberal. c. 31. — In scriptura *Peucetiosque*, quam exhibent edd. Venn. codices mire dissentiunt, ac Burmannus de Heinsianis notat: *nullus fere inter se consentit sed omnes fere diversa lectionum monstra exhibent.* Dant autem singuli *Puteolosque*, *Paucesiosque. Plaucesiosque*, *Pleurenosque*, *Pleuconiosque*, *Pluoethiosque*, *Plucedosque*, *Plauceiosque*, al. — Deinde Berol. et plerique (?) Heinsii *relinquit.* Reliqui *reliquit*, quod germanum esse videtur.

514. *nubila*, umbrosa. IV, 432.

515. *levibus guttis.* Cod. Bersm., Cael., unus Sulm., Flor., Medic. 3., Neap., Vat. 1. et XIII alii Heins. et pro v. l. Arond., Par. 2. *lev. cannis.* Inepte. Fast. V, 661.

— *ut vivo subii rorantia saxo*
Antra.

Conf. Met. III, 177. — *leves guttae* sunt tenues. — Pan cum cornibus et caprinis pedibus fingebatur (I, 699. 193.), qui persaepe cum Fauno confunditur.

516. *quodam.* Goth. 1. 2., Lips. 2., Twisd. et a 1. m. Vrat. et edd. Venn. *quondam*, sed tum illud *tempore* prorsus abundat: certe non causa adest vulgatam mutandi. — 517. *fugatas terruit*, fugavit ac terruit.

518. *movit.* Vld. I, 55. et conf. IV, 802.

519. *rediit.* De producta syllaba *it* in arsi ac caesura vid. v. 491. IX, 612. et I, 114. et index in v. *it* et *et.*

520. *motis pedibus.* Hor. Od. II, 12, 17. *quam nec ferre pedem dedecuit choris.*

523. *quam g. condidit.* Cf. X, 521.

424. *arbor enim est.* Flor. *arbore enim*, quod temere recepit Heinsius. Particula *enim* ita saepius expositiones quasi inducit. Vid. not. ad II, 399. 400. VI, 667. 668. XI, 637. 438.

526. *cessit in illas*, abit in illas. — Mor. et Medic. *mansit in illis.* Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Par. 1. 2., Lips. 2., plurimi Heins. et ed. pr. *cessit in illis.* Mendose. Conf. XI, 143.

527. *Naves Aeneae*, *Turno faces*

Arma Aetola sibi; Rutuli sine viribus illis
Bella infausta gerunt, multumque ab utraque cruoris
Parte datur. Fert, ecce, avidas in pinea Turnus
Texta faces, ignesque timent, quibus unda pepercit.
Jamque picem et ceras alimentaque cetera flammae
Mulciber urebat, perque altum ad carbasa malum
Ibat, et incurvae fumabant transtra carinae;
Cum, memor has pinus Idaeo vertice caesas,
Sancta deûm genitrix tinnitibus aethera pulsi
Aeris et inflati complevit murmure buxi,
Perque leves domitis invecta leonibus auras
„Irrita sacrilega jactas incendia dextra,
Turne,“ ait, „eripiam, nec me patiente cremabit
Ignis edax nemorum partes et membra meorum.“
Intonuit dicente dea, tonitrumque secuti
Cum saliente graves ceciderunt grandine nimbi;
Aëraque et tumidum subitis concursibus aequor
Astraei turbant et eunt in proelia fratres.
E quibus alma parens unius viribus usa
Stuppea praerupit Phrygiae retinacula classis,

inferente, a matre deûm Cybele in nymphas mutantur. Virg. A. IX, 76 seqq. coll. X, 219 sqq. A lin *legati.* Venulus cum comitibus. — *ferentes*, referentes. Conf. XI, 350.

528. *Aetola.* Vid. v. 461. *Rutuli.* Vid. 455. — *sine v. illis*, illinc exspectatis. Berol. et Pal. 2. *sine v. ullis.*

529. *infausta.* Flor., Hamb., Urb. et IV Heins. *instructa.* Berol., Goth. 2., Vrat. et VI Heins. *infesta.*

530. *in pinea – texta*, in naves. XI, 524. et not. ad I, 95. De illo *avidas* conf. v. 541. IX, 234. et XII, 280.

531. *texta*, naves. XI, 524. Vid. Aen. IX, 71 sqq. — *ignes timent*, timent ne igne pereant.

533. *Mulciber*, ipse deus pro re cui praeest. IX, 263. VII, 104.

534. *transtra.* Berol., Flor., Hamb., Medic. 4., Neap., Ox., Thu. et VI alii Heins. *igne carinae.* Bonon. et alius Heins. *rostra.* Reliqui *transtra.*

535. *Idaeo*, Idae montis, qui Cybelae, matri deorum, sacer, quae dea Aeneae etiam illa ligna ad naves construendas ipsa praebuerat. Virg. A. XI, 80 seqq. Ejus sacra a Corybantibus sacerdotibus inter sonitum cymbalorum, cornuum ac tibiarum celebrabantur. Atque ipsa quoque hujusmodi comitatu procedit, uti Bacchus III, 528 seqq. IV, 28 – 30. Vid. Lucret. II, 601 seqq.

536. *aethera.* Goth. 1. *aëra.* — *pulsi aeris*, cymbalorum. Vid. ad III, 532.

537. *luxum* h. l. pro Phrygia tibia incurva e buxo. IV, 30.

538. *domitis invecta leonibus.* Vid. X, 704.

539. *incendia*, poetice pro materia, ex qua incendia nascuntur.

540. Apud Virg. A. IX, 115. Cybele de eadem re:

Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves,
Neve armate manus: maria ante exurere Turno,
Quam sacras dabitur pinus.

543. *cum saliente grandine.* Conf. XII, 480. Virg. Georg. I, 449.
— *in tectis crepitans salit horrida grando.*

544. Goth. 2. et unus Heins. *subitis tumidum.*

545. *Astraei fratres*, venti Astraei et Aurorae filii. Hesiod. Theog. v. 378. Conf. Met. I, 57 seqq.

546. „*e quibus* (ventis tribus) *unius viribus usa alma parens* (Cybele) *praerupit eto.*“

547. *praerupit.* Alter Bersm., Berol., Pal. 2., Vrat. et unus Heins. *praerumpit.* Goth. 2., nonnulli Heins. et ed. pr. *prorump.* Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1., Zwicc. et multi castigatiores (?) Heinsii *prorupit.* Reliqui omnes *praerupit.* Apparet, cur *praerupit* revocarimus. — Pro *classis* Berol., Vrat., Zwicc., plurimi Heinsii et vett. edd. *puppis.* Mendose. — *Phrygiae*, Troja-

Fertque rates pronas, medioque sub aequore mergit.
Robore mollito lignoque in corpora verso
In capitum facies puppes mutantur aduncae,
In digitos abeunt et crura natantia remi,
Quodque sinus fuerat, latus est, mediisque carina
Subdita navigiis spinae mutatur in usum,
Lina comae molles, antennae brachia fiunt,
Caerulus, ut fuerat, color est. Quasque ante timebant,
Illas virgineis exercent lusibus undas
Naïdes aequoreae, durisque in montibus ortae
Molle fretum celebrant, nec eas sua tangit origo,
Non tamen oblitae, quam multa pericula saevo
Pertulerint pelago, jactatis saepe carinis
Supposuere manus, nisi si qua vehebat Achivos:
Cladis adhuc Phrygiae memores, odere Pelasgos,
Neritiaeque ratis viderunt fragmina laetis
Vultibus, et laetis videre rigescere puppim
Vultibus Alcinoï saxumque increscere ligno.
Spes erat, in nymphas animata classe marinas

nae, Aeneae. Virg. A. IX, 117. de eadem re:

— — — *Et sua quaeque*
Continuo puppes abrumpunt vincula ripis,
Delphinumque modo demersis aequora rostris
Ima petunt. Hinc virgineae (mirabile monstrum)
Quot prius aeratae steterant ad litora puppes,
Reddunt se totidem facies pontoque feruntur.

550. *facies*, i. e. species. Goth. 1., Jur., Mor. 1. 3. et alter Thu. *faciem*. — Reliqui cum vett. edd. *facies*. Secuti sumus majorem fidem codicum.

552. *sinus*, sinuosum latus navis. Gl. Bas. 1. *sinuositas navium*. Neap. *quodque prius fuerat latus est*, ex interpretamento. Gron. 1. *quodque simul fuerat*. IV Heins. *quodque ratis f. l. e.* Berol., Arond., Medic. 4., Mor. 1., Pal. 2., Ox., Thu. et XIV alii Heins. *quodque latus f., latus est*. Reliqui cum vett. edd. ut dedimus.

553. *spinae in usum*. Conf. I, 408. Quidam Viv. *curvatur*.

556. *exercent*, movent, vexant. Similiter *exercere terram* arando.

557. *durisque*, apte respondet illi *molle*. Codd. Ciof. plerique, exc. Pol., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 2. et multi Heins. *summisque*, quod inventum librariorum est.

559. *saevo*. Ita codd. Viv., uterque Bersm., Capr., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., unus Sulm., Urs., Vrat., atque inde conjectura est de Heinsianis. Vulgo *saepe*.

561. *supp. manus*, sc. ad juvandum. — *Archivi et Pelasgi* pro Graecis. Vid. VII, 49. — *clades Phrygiae*, Trojae excidium.

563. *Neritiae*, Ulixis. V. 159. XIII, 712. Multi codd. *Naritiae*. Mendose. — *viderunt fragm.*, sc. tum cum Ulixes a Calypso rediret et Neptunus ejus navem perfregisset.

564. Alcinous Phaeacum rex Ulixem post naufragium benigne excepit, atque navi sua in patriam portavit. Navis in reditu a Neptuno in saxum mutata. Oderant autem novae nymphae Alcinoum, quia virum sibi infestum foverat. Hom. Od. VII, 328. et XIII, 155 sqq. Procop. de bello Goth. IV. *Navem ex alba petra, quae in Phaeacide regione apud mare visitur, aliqui eam esse autumant, qua Ulysses Ithacam fuit advectus.*

564. *puppim*. Ita Berol. et multi (?) Heins. Reliqui *puppem*. Goth. 1., Berol. et Nor. *et laetae*. Et v. 565. Berol., Par. 2., unus Bas., Gron., et pro v. l. Arond. et II Heins. *cautibus*. Repetitio illa *et lactis vultibus* prorsus de more Nasonis est. Amor. 1, 15.

Gallus et Hesperiis et Gallus notus Eois,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

566. *Aenean tanden vincit et Tur-*

Posse metu monstri Rutulum desistere bello.
Perstat; habetque deos pars utraque, quodque deorum est
Instar, habent animos. Nec jam dotalia regna,
Nec sceptrum soceri, nec te, Lavinia virgo,
Sed vicisse petunt, deponendique pudore
Bella gerunt. Tandemque Venus victricia nati
Arma videt, Turnusque cadit, cadit Ardea Turno
Sospite dicta potens. Quam postquam barbarus ignis
Abstulit, et tepida latuerunt tecta favilla;
Congerie e media tum primum cognita praepes
Subvolat et cineres plausis everberat alis.
Et sonus et macies et pallor et omnia, captam
Quae deceant urbem, nomen quoque mansit in illa
Urbis, et ipsa suis deplangitur Ardea pennis.
Jamque deos omnes ipsamque Aeneïa virtus

nus in pugna caeditur. Ardea, Rutulorum urbs, incenditur, e cujus cinere ardea avis evolat.

566. *In nymphas animata classe.* Conf. IV, 619 et I, 157.

567. *monstri.* Vid. ad II, 367.

568. Junge: *habetque deos (et quidem propitios) et habent animos, quod deorum instar est*, i. e. *quod tantam saepe vim habet, quam ipsi di.*" — Strozz. 1. pro v. l. *quique deorum instar.* Pal. 2. et chartaceus Heins. *quisque d. instar.* Goth. 1. *quidque d. est instar.* Pal. 2., Par. 1. 2. et reliqui cum vett. edd. *quodque deorum est instar*, vel *quodque deorum instar*; nam Dresd., Par. 1. 2. et plurimi Heins. *est* non habent. — Similiter Maxentius apud Virg. X, 773. *dextra mihi deus.* — Ceterum a parte Turni erant Juno et ab Aenea mater ejus Venus. XIII, 625.

570. *soceri*, Latini regis. Conf. not. ad v. 449. Heinsius ex conjectura: *soceri sceptrum.*

571. *vicisse*, victoriam. Conf. v. 100. II, 483.

572. „*et bella gerunt pudore ea deponendi*". Conf. VIII, 47.

573. *Turnusque cadit*, sc. in certamine singulari cum Aenea. Virg. A. XII, 926.

574. *barbarus*, externus, Trojanus. Conf. v. 163. — Scripturam *barbarus ignis* tuentur Berol., Briant., Cael., Dresd., Farnes., Goth. 2., Par. 2., II Vatt. Ciof., Vrat. et potior pars Heins. — Reliqui plerique cum vett. edd. *barbarus ensis.* Priorem scripturam confirmat etiam Serv. ad Virg. A. VII, 411. *Illud namque Ovidii in Metamorphosi fabulosum est, incensam ab Aenea Ardeam et in hanc avem esse conversam.*

576. *praepes*, ardea. — Cael., Dresd., Franc., Goth. 1., Par. 1., Lips. 2., unus Sulm., nonnulli Ciof. et multi Heins. *in media*, Par. 2., Vrat. et quidam Heins. praepositionem omittunt. Reliqui *e media.* Deinde Berol., Pal. 2. et Zwicc. *tunc.* Reliqui *tum.* — *tum primum cognita.* Conf. XII, 526.

577. *cineres pl. everberat alis.* Virg. A. XII, 866. *clypeumque everberat alis.* Quint. I. O. II. c. 4. *corvum qui os oculosque hostis Galli rostro atque alis everberaret.* Bas. 3. et unus Heins. *subverberat.*

578. *sonus*, sc. querulus.

580. *deplangitur*, se deplangit (VIII, 528. XI, 75. IV, 590.), quod signum summi luctus. Conf. IV, 545. — *ipse suus, ipse meus, ipse tuus* oratio Nasoni imprimis solemnis. XIII, 809. 815. VI, 493. IX, 156. 473. XI, 118. X, 111. 170. 215. 277. III, 229. 387. 440. II, 382. Vid. not. ad Trist. II, 2.

581. *Aeneas in deum convertitur.* Virg. A. XII, 791 seqq. et Liv. I. c. 2. Simillimus est locus IX, 259 sqq., ubi placata Junone Hercules mortalitatem exuit flammis, ut hic Aeneas undis. Juv. Sat. XI, 63. *alter aquis, alter flammis ad sidera missus.* — *ipsamque Junonem.* Juno omnium deorum infestissime Aenean oderat, maxime propter judicium Paridis, qui Veneri Aeneae matri pulcritudinis pretium adjudicarat, nec odium illud recens sed vetustum. Fast. VI, 43. de ea re Juno ipsa loquitur:

Causa duplex irae: rapto Ganymede dolebam (X, 155.),
Forma quoque Idaeo judice, victa mea est.

Junonem veteres finire coëgerat iras;
Cum bene fundatis opibus crescentis Iuli
Tempestivus erat coelo Cythereïus heros,
Ambieratque Venus superos, colloque parentis
Circumfusa sui „Nunquam mihi“ dixerat „ullo
„Tempore, dure pater, nunc sis mitissimus opto,
Aeneaeque meo, qui te de sanguine nostro
Fecit avum, quamvis parvum des, optime, numen,
Dummodo des aliquod: satis est inamabile regnum
Adspexisse semel, Stygios semel isse per amnes.“
Assensere dei, nec conjux regia vultus
Immotos tenuit, placatoque annuit ore.
Tum pater „Estis“ ait „coelesti munere digni,
Quaeque petis, pro quoque petis: cape, gnata, quod optas!“
Fatus erat. Gaudet gratesque agit illa parenti,
Perque leves auras junctis invecta columbis
Litus adit Laurens, ubi tectus arundine serpit
In freta flumineis vicina Numicius undis.
Hunc jubet Aeneae, quaecumque obnoxia morti,
Abluere et tacito deferre sub aequora cursu.
Corniger exsequitur Veneris mandata, suisque,

Conf. Virg. A. XII, 791 sqq.

582. *coëgerat.* Sic Dresd., Berol., castigatiores Heinsii magno numero, Goth. 2., Lips. 2. et Zwicc. Reliqui cum vett. edd. *coërcuit.*

583. *bene fundatis opibus*, sc. a patre, ut stare possent sub tutela Laviniae. Liv. I. c. 2.

584. *tempestivus*, maturus. — *Cythereïus heros.* XIII, 625. XV, 492.

585. *ambieratque Venus superos.* XIII, 289.

586. *circumfusa.* IV, 360.

587. *opto.* Cod. Bersm., Gron. 1., Pol., Par. 1., Zwicc., Thu. et multi alii Heins. *oro.* Reliqui *opto.* Codd. Viv. *oro* vel *opto.* Conf. v. 595. Aeneas erat f. Veneris, igitur de Venere avum fecerat.

589. *quamvis parvum des numen*, quamvis inter minores deos, indigetes, al., referas. — Cod. Bas., Dresd., Pal. 2., Par. 1., VII alii Heins. et pro v. l. Par. 2. *munus.*

590. *satis est etc.* Aeneas ante cum Sibylla ad inferos descenderat. Vid. v. 116 sqq. Virg. A. VI.

591. *Stygios.* I, 139.

592. *conjux regia*, c. Jovis deorum regis. Virg. A. XII, 841. de eadem re:

Annuit his Juno et mentem laetata retorsit.

595. *„Tum pater ait: Estis coelesti munere digni et tu, quae petis, et ille* (filius tuus), *pro quo petis etc.* Atque eam unice aptam scripturam confirmant Par. 2. et castigatiores Heinsii magno (?) numero; item Goth. 1., qui *est ait . . digni.* Codd. Viv. et Ciof., Par. 1. et reliqui *est is ait . . dignus*, sc. Aeneas. — Iidem cast. Heinsii, Berol., Cael., Dresd., Goth. 1., Maff. 1. 2., Pal. 2., Par. 1. 2. et Lips. 2. *munere.* Recte. Reliqui *numine.* — Boxh. et Goth. 2. *gnata.*

597. *junctis i. columbis.* Vid. ad XV, 386. — Berol., Gron. 1. et III alii Heins. *nivcis.*

598. *tectus arundine*, ut di fluviorum solent. — *serpit.* Vers. 601. *tacito cursu* Fast. III, 653. *placidus.* Vid. Heyn. Exc. III. ad Virg. A. VII.

599. *Numicius*, parvus fluvius Latii, qui in mare Tyrrhenum influit. Ceterum, ut Aeneas, sic quoque Glaucus ab omnibus partibus mortalibus undarum vi expurgatus esse narratur. XIII, 950 sqq. Conf. IX, 239 sqq. Huc pertinet Tib. II, 5, 43.

Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici
Unda deum coelo miserit Indigetem.

602. *corniger* Numicius, ut deus fluvii. Vid. ad XIII, 894. IX, 1.

Quicquid in Aenea fuerat mortale, repurgat
Et respersit aquis; pars optima restitit illi.
Lustratum genitrix divino corpus odore
Unxit, et ambrosia cum dulci nectare mixta
Contigit os, fecitque deum; quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem temploque arisque recepit.
Inde sub Ascanii ditione binominis Alba
Resque Latina fuit. Succedit Silvius illi;
Quo satus antiquo tenuit repetita Latinus
Nomina cum sceptro. Clarum subit Alba Latinum.
Epitos ex illo est, post hunc Capetusque Capysque,
Sed Capys ante fuit. Regnum Tiberinus ab illis
Cepit, et in Tusci demersus fluminis undis
Nomina fecit aquae. De quo Remulusque feroxque

Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici
Unda deum coelo miserit Indigetem.

604. *respersit.* Berol., Goth. 2., Lips. 2., Vatt. Ciof., multi Heins. et ed. pr. *respergit.* Zwicc. *respargit.* Reliqui *respersit.*

605. *lustratum* explicatur XIII, 931.

607. *contigit os.* Conf. II, 123. *Quirinus* est nomen Romuli inter deos relati. *Turba Quirini* igitur pro populo Romano. XV, 756. Impositum ei Jovis vel Patris Indigetis nomen, exstructum ei ad ripas Numicii sacellum cum luco. Liv. *Situs est* (Aeneas), *quemcunque eum dici jus fasque est, super Numicium flumen, Jovem Indigetem appellant. Gier.*

609. *Pomona numen hortorum et felicium arborum inter alios Vertumnum deum, qui eam amabat, sprevit. Spretus amator forma sumta anili eam adit et ut ei ostendat, quam gravi poena spretus amor a dis castigetur, Anaxareten narrat, quod Iphidis amorem sprevisset, in saxum esse conversam. Sumta deinde figura formosi adolescentis ad conjugium eam permovit.*

609. *Ascanii.* Filius Aeneae et *Ascanius* et *Iulus* (583.) nominabatur. Inde *binominis.* Liv. I. c. 3. Fast. IV, 39. Virg. A. I, 267.

At puer Ascanius cui nunc cognomen Iulo
Additur.

Alba urbs Latii ab Ascanio condita est.

610. Sequuntur reges Albae. Conf. Fast. IV, 39 sqq., in quorum ordine Aeneas Silvius, Latini pater, non memoratur. — Liv. *Silvius deinde regnat, Asc. filius, casu quodam in silvis natus.* Conf. Fast. I. I.. Vulgo *successit.* Sed cod. Bersm., Par. 2., Berol., Flor., Goth. 1. 2., Medic. 3., Vat. 1., Vrat., XX Heins. et ed. pr. *succedit.*

611. „*a quo satus Latinus tenuit repetita nomina a. cum sceptro.* Vid. Fast. I. I. — *repetita:* nam etiam Laviniae Ascanii novercae pater Latinus dictus. Vid. 449.

612. *clarum s. Alba Latinum.* Sic recte Mor. 1. et Vrat., atque ita etiam Fast. IV, 45.

Isque (Silvius), *Latine, tibi pater est: subit Alba Latinum;*
Proximus est titulis Epitos, Alba, tuis.

Subit autem i. q. *succedit.* — Exc. Calandr. *clarus subit Alba Latino.* Codd. Naug., Par. 1. 2., plerique Heins. et alii cum vett. edd. *clarus subit ecce Latino Epitos ex illo s. ex illo est,* quae scriptura sensu caret. Singuli codices aliter, quorum variantes omitto.

613. *Epitos.* Ita Berol., Par. 2., alter Erf., Goth. 1., Gron. 1., Twisd. 1. et Vrat. Reliqui *Iphitus* vel *Ipitus.* Genuinum videtur *Epitus.* Deinde Bas. 2. 3. 4., cod. Bersm., Goth. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc., vetustiores (?) Heins. et vett. edd. *Ep. ex illo est.* Reliqui *est* omittunt, quod etiam elegantius abest. Ceterum Livius Epitum non memorat. *Latino Alba ortus, Alba Atys, Atye Capys, Capye Capetus, Capeto Tiberinus.* Itaque *Epyti* loco *Atyn* refert. Sed Naso etiam Fast. IV, 43. *Epitum* vocat.

614. *Tuscum flumen,* Albula, postea Tiberis dicta. Vid. ad v. 328. et Fast. IV, 47.

616. *feroxque Acrota. Acrota* Latino nomine Agrippa est, ut eum Naso quoque vocat Fast. IV, 49.

Acrota sunt geniti. Remulus maturior annis
Fulmineo periit, imitator fulminis, ictu.
Fratre suo sceptrum moderatior Acrota forti
Tradit Aventino, qui, quo regnarat, eodem
Monte jacet positus tribuitque vocabula monti.
Jamque Palatinae summam Proca gentis habebat.
Rege sub hoc Pomona fuit, qua nulla Latinas
Inter Hamadryadas coluit sollertius hortos,
Nec fuit arborei studiosior altera fetus;
Unde tenet nomen. Non silvas illa nec amnes;
Rus amat et ramos felicia poma ferentes.
Nec jaculo gravis est, sed adunca dextera falce,
Qua modo luxuriem premit et spatiantia passim
Brachia compescit, fisso modo cortice virgam
Inserit et sucos alieno praestat alumno.
Nec sentire sitim patitur, bibulaeque recurvas

Jam tamen Agrippam genitum, Remulumque nepotem
Viderat; in Remulum fulmina missa ferunt. —

ubi tamen poeta diversam genealogiam habet, uti etiam Liv. l. l. *Agrippa inde Tiberini f., post Agrippam Romulus Silvius, a patre accepto imperio regnat, Aventino fulmine ipse ictus regnum per manus tradidit. is sepultus in eo colle, qui nunc est pars Romanae urbis, cognomen colli fecit. Proca deinde regnat, is Numitorem atque Amulium procreat.*

617. *imitator fulminis.* De ea re praeter hunc locum nihil constat. Sed simile quid de Salmoneo narratur Virg. VI, 585.

Vidi et crudelis dantem Salmonea poenas,
Dum flammas Jovis et sonitus imitatur Olympi.

619. *moderatior*, minus superbus. XIII, 356.

621. *mons Aventinus*, unus de VII collibus Romae. Liv. l. l. Fast. IV, 51. — *positus* ut *situs* de sepulto.

622. *jamque etc.* Ex conjectura primum editum est, nec ulli codices confirmant, qui omnes exhibent: *Jamque Palatinus summae loca gentis habebat.* Prorsus mendose: neque enim *loca summae gentis* recte dicitur, nec unquam Palatinus rex fuit. Recepta autem scriptura et recta et elegans est: nisi quod illa *Palatina gens* non satis manifesta est, etsi explicetur *gens circa Palatinum montem*; nam agitur h. l. de gente Albana s. Latii. — *Proca*, ut VI, 400. *Marsya.* — *summa gentis*, ut XIII, 162. *summa sceptri.*

624. *Hamadr.* I, 690.

626. *nec silvas illa nec amnes*, ut Dryades et Najades. III, 507. I, 691.

627. *felicia poma.* Conf. IX, 92. Virg. *infelix lolium et steriles dominantur avenae.*

628. *jaculo*, sc. ad venandum. II, 414. — *gravis*, gravata, armata.

629. *premit*, compescit, amputat, succidit. Virg. Georg. I, 157. *falce premes umbras.* Vid. Hor. Od. I, 31, 9. *luxuriem*, ramos nimis sese extentendes et succis fraudantes arborem. Idem rami *brachia exspatiantia*, luxuriose excrescentia, ut IV, 364. *spatiantes alae.* — *passim*, in omnes partes. Virg. Georg. II, 370. *ramos compesce fluentes. Gier.*

630. *fisso - cortice.* Cod. Bersm., Berol., Gron. 1., Pal 1., Par. 2., Stat., Zwicc., X Heins. et edd. Ven. *fissa.* Reliqui *fisso*, atque Ovidius hoc nomine fere constanter utitur genere masculino. Conf. IX, 353. I, 554. IX, 362. VII, 626. VIII, 643. 663. — Scripturam *virgam* nonnisi Berol., Gron. 1. et IV alii Heins. tuentur. Reliqui *lignum.* — De re conf. Virg. G. II, 73—82.

631. *praestat.* Berol., Cael., Dresd., Goth. 2., Lips. 2., Vat. Ciof., Zwicc. et plurimi ex vetustioribus Heinsii *praebet.* Reliqui *praestat*, quod librariorum inventionibus parum simile est.

632. *nec sentire sitim patitur.* Heinsius iterum pro scriptura omnium librorum conjecturam suam dedit: *nec patitur sent. sitim.*

Radicis fibras labentibus irrigat undis.
Hic amor, hoc studium; veneris quoque nulla cupido est.
Vim tamen agrestum metuens, pomaria claudit
Intus, et accessus prohibet refugitque viriles.
Quid non et Satyri, saltatibus apta juventus,
Fecere, et pinu praecincti cornua Panes,
Silvanusque suis semper juvenilior annis,
Quique deus fures vel falce vel inguine terret,
Ut poterentur ea? Sed enim superabat amando
Hos quoque Vertumnus: neque erat felicior illis.
O quoties habitu duri messoris aristas
Corbe tulit verique fuit messoris imago!
Tempora saepe gerens foeno religata recenti
Desectum poterat gramen versasse videri.
Saepe manu stimulos rigida portabat, ut illum
Jurasses fessos modo disjunxisse juvencos.
Falce data frondator erat vitisque putator.
Induerat scalas; lecturum poma putares.
Miles erat gladio, piscator arundine sumta.
Denique per multas aditum sibi saepe figuras
Reperit, ut caperet spectatae gaudia formae.

633. *labentes undae* h. l. sunt undae, quae calle ducuntur.

634. *cupido est.* Bas. 1., Bersm. et Dresd. *est* omittunt.

635. *agrestes* qui sint v. 37. declaratur. De gen. *agrestum* conf. I, 150. XV, 743.

637. Satyri, Panes, Silvanus et Priapus hilarioris ingenii dì et ubique ad nequitias proni describuntur. De *Satyris* vid. I, 193., de *Panibus* v. 515. et I, 699. ac de accus. *cornua* vid. ad I, 332.

639. Silvanus praeses silvarum et agrorum plerumque senex fingebatur. — *juvenilior*, lascivior, ad Venerem pronior. Nonnulli codd. et vett. edd. *Silenusque*. At huic Bacchi comiti inter deos agrestes nullus locus est.

640. *quique – terret*, Priapus, deus hortorum, qui cum falce et enormi membro virili fingebatur, cujusque statuae in hortis et agris collocabantur. Vid. ad Trist. I, 10. et conf. Met. IX, 347.

641. *poterentur.* De hac forma vid. ad XIII, 130. et Val. Fl. VII, 54.

642. *Vertumnus* hortorum deus et anni vicissitudinum praeses, qui se in omnes vertere formas fingebatur. Prop. IV, 2, 42.

At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu patria lingua dedit.

Et rursus ibidem:

Opportuna mea est cunctis natura figuris,
In quamcunque voles verte, decorus ero.

643. In hoc loco ob oculos habuit Prop. l. l.

Corbis in imposito pondere messor eram.

Et rursus:

Da falcem et torto frontem mihi comprime foeno;
Jurabis nostra gramina secta manu.
Est etiam aurigae species Vertumnus et ejus,
Trajicit alterno qui leve pondus equo.

646. *versasse.* Ita cod. Bersm., Bas. 1., Erf. 1. 2., Jur., Pal. 2. et X Heins. — Reliqui *versare.* At prius genuinum esse declarat ratio loci.

647. *stimulos.* Vid. ad II, 127.

648. *jurasses.* Arond., Boxh., Cael., Goth. 1. 2., Ox., Vatt. Ciof. et XI Heins. *jurares.* Optimam vulgatam donec codices accuratius excussi fuerint, retinendam putavi.

650. *induerat scalas*, sese armarat scalis. Gierig interpretatur: *incedebat capite per gradus scalarum inserto;* qui verus esse sensus videtur.

651. *miles erat quondam.* Prop. l. l.

Ille etiam picta redimitus tempora mitra,
Innitens baculo, positis per tempora canis,
Assimulavit anum cultosque intravit in hortos,
Pomaque mirata est, „Tantoque potentior!“ inquit,
Paucaque laudatae dedit oscula, qualia nunquam
Vera dedisset anus, glebaque incurva resedit,
Suspiciens pandos autumni pondere ramos.
Ulmus erat contra speciosa tumentibus uvis:
Quam socia postquam pariter cum vite probavit,
„At si staret“ ait „caelebs sine palmite truncus;
„Nil praeter frondes, quare peteretur, haberet.
Haec quoque, quae juncta vitis requiescit in ulmo,
Si non juncta foret, terrae acclinata jaceret.

Arma tuli quondam et memini laudabar in illis.

654. *picta redim. mitra.* II Heins. et ed. pr. *vitta.* Mendose. Fast. IV, 517. *Simularat anum mitraque capillos presserat.* Fast. III, 669.

Illa levi mitra canos redimita capillos.

655. *per tempora*, hic et illic sive ubique in temporibus. Bas. 3., Berol. et VI Heins. *ad tempora*, quod fluxit e III, 275. Dicitur *per tempora*, *ad tempora*, *in tempora* et *in temporibus.* Vid. VI, 26. XV, 211. *sparsis per tempora canis.* — 656. *assimulavit anum.* Plaut. Capt. II, 1, 33. *assimulo servum.* Conf. III, 275.

657. *tantoque potentior*, sc. quam ego opinata sum. Senec. de Tranq. An. c. 15. *Laudemus toties dignum laudibus et dicamus: tanto fortior, tanto felicior!* — Codd. Viv. *potentior* vel *peritior. peritior* exhibent etiam Bersm., Farn., Goth. 2., Ioan., Lips. 2., Stat., nonnulli Ciof., multi Heins. et edd. Venn. Ex interpretamento. Post hunc v. Dresd., Goth. 1., Zwicc., margo Sulm., Vat. Ciof. recentior addunt:

Salve virginei flos intemerate pudoris.

Quidam Viv., quidam Heins. et vett. edd.

Omnibus ex nymphis, quas continet Albula ripis,
Salve virginei flos intemerate pudoris.

Priorem etiam Bas. 2. in marg. et posteriorem in textu. — Plerique tamen Viv., Bersm., Briant., Cael., VII Vatt. Ciof. et reliqui omnes et ed. pr. neutrum horum versuum agnoscunt. Atque ut de auctoritate codicum nihil dicam, neque alteruter solus quod ad sententiam ferendus, neque utrique simul; non enim recte post *tanto potentior* sequitur: *salve etc.*, neque plena oratio est; si dicas *tanto potentior es omnibus etc.*, non sequente *quanto.* Librarii qui eam interpretationem invenerunt, ignorabant esse formulam: *tanto melior, tanto felicior, tanto nequior etc.*, de qua vid. interpretes ad Phaedr. III, 5, 3. et ad Terent. Adelph. IV, 1, 22. et Heaut. III, 2, 37. et Gron. Obs. II. c. 21.

658. *pauca* cum *laudatae* jungendum. *Dedit oscula qualia etc.* Conf. II, 430 seqq.

659. *incurva*, maligne ac versute tanquam anus incurvata. Vid. III, 276.

660. Nonnulli Heinsii *curvos* vel *gravidos*, ex interpretatione.

661. *speciosa tumentibus.* Plurimi (immo perpauci) vett. Heins., Par. 2. et pro v. l. Vrat. *spatiosa tumentibus.* Cod. Bersm., pervetusti codd. Mariang. Accurs., Berol., Dresd., Goth. 2., Par. 1. et Lips. 2. *speciosa tumentibus.* Zwicc. *spec. virentibus.* Reliqui *speciosa nitentibus. Spatiosa* recipere non sum ausus, quod parvam habet auctoritatem codicum, nec *tumentibus*, quamvis retinuerim, satis certum videtur; certe scriptura *nitentibus* bonitate ei minime cedit.

662. *socia cum vite.* De usu Italorum vites ulmis adjungendi vid. X, 100. Her. V, 47.

Non sic appositis vincitur vitibus ulmus.

Ceterum commode vitium ulmis adjunctarum exemplo utitur ad commendandum Pomonae conjugium.

666. *si non juncta foret.* Berol., Bon. 1., Thu. et pro v. l. Goth. 2. *nupta*, quod etsi elegantius est et id quod significare Vertumnus vult, clarius significat, tamen repugnantibus reliquis codd. omnibus cum vett. edd. recipere non sum ausus. Cic. de Senect. c. 15. *Vitis*

Tu tamen exemplo non tangeris arboris hujus,
Concubitusque fugis, nec te conjungere curas!
Atque utinam velles; Helene non pluribus esset
Sollicitata procis, nec quae Lapitheïa movit
Proelia, nec conjux timidi aut audacis Ulixei.
Nunc quoque, cum fugias averserisque petentes,
Mille viri cupiunt et semideique deique,
Et quaecumque tenent Albanos numina montes.
Sed tu si sapies, si te bene jungere anumque
Hanc audire voles, quae te plus omnibus illis,
Plus, quam credis, amo; vulgares rejice taedas,
Vertumnumque tori socium tibi delige; pro quo
Me quoque pignus habe: neque enim sibi notior ille est,
Quam mihi. Nec toto passim vagus errat in orbe;
Haec loca sola colit, nec, uti pars magna procorum,
Quam modo vidit, amat: tu primus et ultimus illi
Ardor eris, solique suos tibi devovet annos.
Adde, quod est juvenis, quod naturale decoris

quidem, quae natura caduca est, et nisi fulta sit, ad terram fertur, eadem, ut se erigat, claviculis suis quasi manibus, quicquid est nacta, complectitur.

668. 669. *tu tamen – curas!* verba sunt castigantis. — *utinam velles* protasis est, cujus apodosis est: *Helene non pluribus esset etc.* Vid. not. ad Her. 1, 5 seqq. — *Helene* pulcra filia Ledae et Tyndarei, uxor Menelai et Paridis. XIII, 200.

670. *nec quae Lapith.*, Hippodamia. Vid. XII, 210 sqq.

671. *nec conjux – Ulixei*, Penelope. — Scripturam *timidis audacis* solus Barb. habet. Reliqui *timidi aut audacis*, quod vetulae ambiguum de Ulixe judicium cum libris omnibus retinere malui, quam acerbam vituperationem, quam scriptura *timidis audacis* continet; quae praeterea nonnisi uno codice confirmatur. Pro *Ulixei* Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 2., Vrat. et Zwicc. *Ulixis*. Reliqui *Ulyssei*. Vid. v. 159.

672. Berol., Goth. 2., Vrat., Zwicc. *adverseris*.

673. *mille viri – semideique deique.* Inest gradatio. Hinc inepte Heinsius cum uno Leid. edidit *mille proci*. – Cod. Bersm., IX alii Heins. et ed. pr. *cupiunt te*. non male. Lips. 2. *cupiunt te et*.

674. *Albani montes* in Latio siti, ad quorum radices Alba longa sita fuit.

675. *anum hanc*, i. e. me. — Goth. 1. 2. et multi (?) Heins. *si sapias* et *velis*. Utrumque dici potest; itaque causam non video cur vulgatam et veteribus libris magis confirmatam scripturam mutandam putem. Vid. ad XIII, 672. XI, 538. 626.

677. *vulgares taedas;* vulgare conjugium. I, 483. — *rejice* primam habet longam ut II, 582. IX, 32. et passim.

678. *delige.* Flor. et Hamb. 1. *selige.* perperam. *selige* enim separat. Berol., Lips. 2. et multi Heins. *dilige.*

680. Uterque Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Vrat. et vett. edd. *nec passim toto.*

681. *haec loca magna colit.* Mire iterum variant codices. Quidam (?) apud Viv. et unus Heins. pro v. 1. exhibet *haec loca sola.* Cod. Bersm., Arond., Cant., Erf. 1. 2., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 2., Lips. 2., Vrat. et XX Heins. *nec loca magna.* Bas. 1. 2. 3. 4., Par. 1., Dresd. reliqui omnes cum vett. edd. *haec loca magna*, quae genuina mihi scriptura videtur, et vero aptissima est. *Loca magna* autem intelligenda de magna regione, quam Vertumnus colit. Scriptura *sola* orta videtur e glossa, illi *magna* addita.

682. *tu primus etc.* Prop. I, 12, 20. *Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.*

684. *juvenis.* Ita pingi et fingi solebat, cinctus corona e frondibus tenensque cornu copiae. *Gier.* — *naturale*, ab ipsa natura.

Munus habet, formasque apte fingetur in omnes,
Et, quod erit jussus, jubeas licet omnia, fiet.
Quid, quod amatis idem? quid, quae tibi poma coluntur,
Primus habet, laetaque tenet tua munera dextra?
Sed neque jam fetus desiderat arbore demtos,
Nec, quas hortus alit, cum sucis mitibus herbas,
Nec quicquam, nisi te: miserere ardentis, et ipsum,
Quod petit, ore meo praesentem crede precari,
Ultoresque deos, et pectora dura perosam
Idalien memoremque time Rhamnusidis iram.
Quoque magis timeas: - etenim mihi multa vetustas
Scire dedit - referam tota notissima Cypro
Facta, quibus flecti facile et mitescere possis.
Viderat a veteris generosam sanguine Teucri
Iphis Anaxareten, humili de stirpe creatus;
Viderat, et totis perceperat ossibus aestum,
Luctatusque diu, postquam ratione furorem
Vincere non potuit, supplex ad limina venit,
Et modo nutrici miserum confessus amorem,
Ne sibi dura foret, per spes oravit alumnae,

685. *formas - in omnes.* Vid. 665. 643 seqq. — *apte*, sic ut deceant. Tib. IV, 2, 14.

Mille habet ornatus, mille decenter habet.

Prop. IV, 2, 21.

Opportuna mea est cunctis natura figuris:
In quamcunque voles verte, decorus erit.

687. *quid, quae tibi.* Dresd., Goth. 2. et Vrat. *quod quae*, quae scriptura elegantior est, quam reliquorum codicum *quid, quae*, quae tamen mihi vera videtur. Prop. IV, 2, 41.

Nam quid ego ad'iciam, de quo mihi maxima cura est,
Hortorum in manibus dona probata meis.

primus habet. Prop. v. 13.

Prima mihi variat liventibus uva racemis
Et coma lactenti spicea fruge tumet.

189. *fetus - arbore demtos.* Conf. XI, 113. Her. XX, 9. *demtus ab arbore fetus.* Cf. IV, 125. — Cod. Bersm. et IV Heins. *fructus*, ex glossa.

692. *quod petit.* Berol., Dresd. et II Heins. *qui petit.* Optima vulgata. Sensus hic est: *et crede, ore meo cum ipsum praesentem id quod petit*, sive *desiderat, precari.*

694. *Idalia.* Idalium mons Cypri. Sed est etiam Idalium oppidum, ubi fanum habebat Venus, quae inde Idalia dicta. Hamb. 1., Mor. 1., Ox., VI alii Heins. et ed. pr. *Idalien.* Vrat. *Idaliem.* Ad *memorem iram* conf. XII, 583. — *Rhamnusis*, Nemesis. Vid. not. ad III, 406.

695. *timeas.* Verborum repetitio Nasoni solemnis. Eam optimam scripturam confirmant cod. Bersm., Flor., Goth. 1., Jur., unus Maff., Neap., Urb., Vrat., Zwicc., Sulm., Thu., plurimi alii Heins. et quidam apud Viv. — Reliqui cum vett. edd. *caveas.*

696. *scire dedit.* Conf. I, 486. et III, 338. — Scriptura *tota referam* conjectura est Heinsii.

698. „*generosum a sanguine veteris Teucri.*“ *Teucer* Telamonis Salaminiorum regis filius, Ajacis frater, a patre, quia Ajacem fratrem non salvum e bello Trojano reduxerat, ex patria pulsus Cyprum fugit, novamque ibi Salamina condidit.

700. *ossibus aestum.* Ita cod. Bersm., Berol., Flor., Goth. 1., Vrat. et plerique vetustiores (?) Heinsii. Reliqui *ossibus ignes*, quod est in simillimo loco VII, 9.

703. *miser amor* dicitur, ut *misere amare*, pro *ardenter amare.*

704. *de multis etc.* Codices in scriptura hujus versus in quatuor discedunt partes. Multi apud Vivian., Goth. 2., Mor. 1., Par. 1., Lips. 2., Thu., X Heins., Bas. 3. a rec. m. et ed. pr. *de multis blanditus cuique ministris*, quae

Et modo de multis blanditus cuique ministris
Sollicita petiit propensum voce favorem.
Saepe ferenda dedit blandis sua verba tabellis,
Interdum madidas lacrimarum rore coronas
Postibus intendit, posuitque in limine duro
Molle latus, tristisque serae convicia fecit.
Surdior illa freto surgente, cadentibus Hoedis,
Durior et ferro, quod Noricus excoquit ignis,
Et saxo, quod adhuc vivum radice tenetur,
Spernit et irridet, factisque immitibus addit
Verba superba ferox, et spe quoque fraudat amantem.
Non tulit impatiens longi tormenta doloris
Iphis, et ante fores haec verba novissima dixit:
„„Vincis, Anaxarete, neque erunt tibi taedia tandem
Ulla ferenda mei. Laetos molire triumphos,
Et Paeana voca, nitidaque incingere lauro!

a Viviano primum edita nunc pro vulgata est et sensus bonitate commendatur. — Alii codd. apud Viv., Franc. et Neap. *de multis alicui suadendo ministris;* Calandr. et V Heins. *de m. suadendo cuique ministris.* — Goth. 1., Hamb. 1. 2., Medic. 3., Pal. 1., Urb., Vat. 1., Vrat. et VII Heins. *de multis alicui blandita ministris.* — Berol., Pal. 2. et reliqui cum edd. Venn. *de multis alicui blanditus amicis.* Posterior scriptura, imprimis illud *amicis* manifesta interpolatio est. — Tertia corrupta est, sententiaeque repugnat. Neque illud *suadendo* ad sensum aptum est. Restat, quam recepimus.

707. *tabellis.* Vid. IX, 523. 571. 575. 587.

708. *coronas postibus intendit.* Virg. A. IV, 506. *intenditque locum sertis.* Aen. II, 236. *vincula collo intendunt.* Unus Medic. *inseruit.* Ad rem Tib. I, 2, 13.

Te meminisse decet, quae plurima voce peregi
Supplice, quum posti florea serta darem.

709. *duro* et *molle* h. l. opponuntur. Ad rem conf. A. A. II, 237.

710. *tristisque.* „*et tristis, quod non admitteret, serae convicia fecit.*“ Bas. 3. *tristique*, quod temere induxit Heinsius. Quod ad sententiam, haec res passim a poetis, qui de amore scripserunt, memorata legitur. Vid. interpp. ad Amor. I, 2, 6 seqq. Tib. 1, 2, 9.

711. *freto surgente* i. e. surgentibus sive tumidis fluctibus. — Scripturam *surdior* exhibent codices Berol., alter Erf., Gron. 1. et IV Heins. Reliqui omnes *saevior.* Sed *surdior* certe elegantius est: ut alterum simile surditatem quae non audiat, alterum duritiam declaret. Conf. XIII, 804. Her. VIII, 9. *surdior ille freto.* — *Hoedi* II stellae in manu aurigae, quarum ortu et occasu gravissimae tempestates erant. Vid. Colum. XI. c. 1. et Serv. ad Virg. IX, 668. et interpp. ad Virg. Georg. I, 205. Theocr. Id. VII, 53. De illo *cadentibus* conf. XI, 594. Sed pro scriptura *Hoedi* cod. Bersm., plerique codd. Ciof., multi Heins., Dresd., Goth. 1., Pal. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *austris.* Par. 2. et XV Heins. *euris.* Frustra.

712. *Noricum ferrum* Plinius N. H. XXXIV. c. 14. praestantissimum dicit, unde *Noricus ensis* Hor. Od. I, 16, 9. *Noricum* autem pars Illyrici.

713. *vivum radice.* Unus Bonon., Bersm., Bas. 1., Goth. 1. 2., Hamb., Ox. et complures Heins. *viva radice.* Vrat. et Zwicc. *vivo.* Unus Heins. *firma r.* Voss. *nimia r.* Unus Heins. *dura r.* Reliqui cum vett. edd. *vivum radice.* non male. *vivum*, ut vivum sit. — *Viva radix* est non revulsa. *Saxi radices* etiam Lucret. II, 102.

719. *moliri* est *magno apparatu parare.*

720. *Paeana voca*, quia cantus triumphalis verbis: *io Paean*, incipiebat.

Dicite io Paean, et io bis dicite Paean.

Atque adeo *paeanas* dixere omnia epinicia. De illo *nitida* conf. I, 552. — *Lauro* autem incinctos fuisse triumphantes, notissimum est. Vid. I, 552.

Vincis enim, moriorque libens. Age, ferrea, gaude!
Certe aliquid laudare mei cogeris, eritque
Quo tibi sim gratus, meritumque fatebere nostrum.
Non tamen ante tui curam excessisse memento,
Quam vitam, geminaque simul mihi luce carendum est.
Nec tibi Fama mei ventura est nuntia leti;
Ipse ego, ne dubites, adero, praesensque videbor,
Corpore ut exanimi crudelia lumina pascas. —
Si tamen, o superi, mortalia facta videtis;
Este mei memores - nihil ultra lingua precari
Sustinet - et longo facite ut narremur in aevo,
Et, quae demsistis vitae, date tempora famae!"""
„Dixit; et ad postes, ornatos saepe coronis,
Humentes oculos et pallida brachia tollens,
Cum foribus laquei religaret vincula summis,
„„Haec tibi serta placent, crudelis et impia?""" dixit,
Inseruitque caput, sed tum quoque versus ad illam,
Atque onus infelix elisa fauce pependit.
Icta pedum motu trepidantem et multa gementem

721. *vincis enim.* Ita cod. Bersm., Bas. 1. 2. 3. 4., Berol., Dresd., Flor., Goth. 2. a corr., Medic. 3. 4., Neap., Ox., Pal. 1. 2., Urb., Vat. 1., Vrat., Zwicc., plurimi Heins. et vett. edd. — Pauci cum vulgata *vincis ait.*

723. *quo*, qua re.

724. *tui curam*, amorem in te meum. Ita exhibent cod. Bersm., quidam apud Naug., nonnulli Viv., codd. Ciof., Arond., Bas. 1., Berol., Cal., Erf. 1., Goth. 1., Gron. 1., Thu., Vrat., Zwicc., complures Heins. et edd. Venn. — Flor., Hamb. 1. et Mor. *tibi curam.* Pauci cum vulg. *mihi curam:* Heinsii praeterea conjectura est *cessisse.* Terent. Hecyr. III, 2, 12. *cura ex corde excessit.*

725. *geminaque luce.* Etiam Latini amicas *suam vitam* appellabant. Hinc h. l. *gemina luce*, q. e. vita mea et te, vitae instar amata. Arond., Par. 2., Berol., Flor., Goth. 2., Hamb. 1., Neap., Vrat. et VIII Heinsii *est* omittunt.

729. *facta.* Arond., Par. 2. et XII Heinsii *fata.* Mendose, suicidium enim declarat.

731. *facite ut narremur.* Virg. A. II, 549. *Neoptolemum narrare memento.* Vellej. P. II. c. 29. *operis modus paucis eum* (Pompejum) *narrari jubet.* — Mor. 1., Pal. 1. et III Heins. *facite ut memoremur*; ex interpretamento. — *facite narremur*, Par. 2., Flor., Gron. 1., Neap., Vrat. et IV Heins., quae parva auctoritas est.

733. *saepius - coronis.* Vid. v. 708.

734. *pallida brachia.* Conf. VII, 345. — Cod. Bersm., quidam Heinsii et ed. pr. *tendens*, quod non apparet cur Heinsius omnium reliquorum vett. librorum scripturae *tollens* anteposuerit.

735. *foribus - summis.* X, 379. *zona summo de poste revincta.* — Flor. et Neap. *summi*, quod idem temere novavit Heinsius.

737. *inserere.* Conf. X, 378. Vulg. *ad illam est*, sed vetustiores Heins., Berol., Dresd., Goth. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *est* omittunt, quod etiam rectius et elegantius abest, ut *versus* sit participium.

738. *elisa fauce.* Conf. XII, 142.

739. Junge: *janua icta motu pedum visa est ded. trepidantem* (tremulum) *et multa* (valde) *gementem* (Conf. IV, 450.) *sonum et* (postquam) *adaperta* (est), *factum prodidit.* — *multa gementem.* Virg. G. III, 226. *multa gemens.* — Codices mire variant. Bon, 1., Mor. 1., alter Erf. et IV Heins. *trepidantum et morte paventem*, nisi quod Erf. et IV Heins. *paventum.* — X Heins., Lips. 2. et ed. pr. *trepidantum et multa timentum.* — Plerique Heins. *trepidantum et multa timentem.* Uterque Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., Vrat. et ed. Ven. 1. *trepidantem et* (Goth. 1. ac) *multa timentem.* Medic. chart. *moventem*, unus Bas. *paventem*, unus Leid. *trementem.* Thys. et Zwicc. *trepidantem et cuncta timentem.* Unus Heins. *trepidantis et multa*

Visa dedisse sonum est, adapertaque janua factum
Prodidit. Exclamant famuli, frustraque levatum —
Nam pater occiderat – referunt ad limina matris.
Accipit illa sinu, complexaque frigida nati
Membra sui, postquam miserorum verba parentum
Edidit et matrum miserarum facta peregit,
Funera ducebat mediam lacrimosa per urbem,
Luridaque arsuro portabat membra feretro.
Forte viae vicina domus, qua flebilis ibat
Pompa, fuit, duraeque sonus plangoris ad aures
Venit Anaxaretes, quam jam deus ultor agebat.
Mota tamen „„Videamus“ ait „miserabile funus:““,
Et patulis iniit tectum sublime fenestris.
Vixque bene impositum lecto prospexerat Iphin:
Diriguere oculi, calidusque e corpore sanguis
Inducto pallore fugit, conataque retro
Ferre pedes, haesit, conata avertere vultus,
Hoc quoque non potuit, paulatimque occupat artus,
Quod fuit in duro jam pridem pectore, saxum.
Neve ea ficta putes, dominae sub imagine signum
Servat adhuc Salamis; Veneris quoque nomine templum
Prospicientis habet. Quorum memor, o mea, lentos
Pone, precor, fastus et amanti jungere, nymphe!
Sic tibi nec vernum nascentia frigus adurat

gementis. De codd. Cioff. nihil constat. Codd. Viv. *trepidantum et multa timentum*, vel *trepidantem et multa timentem*, vel *gementem*. Posterius etiam ed. Farnes., Ven. 1486. et cod. Polit. Heinsianam scripturam quae aptissimum sensum praebet retinuimus; nam veram scripturam ex hac obscuritate eruere difficile est.

744. *miserorum parentum verba*, verba qualia miseri parentes edere solent. Sed illud *miserorum*, quod poscit sententia, nonnisi Vrat. et III Heins. confirmant; reliqui omnes *miserarum*.

745. *facta*, planctus, alia.

746. *ducit funus* proprie, quae prima est in pompa funebri. Sed deinde omnino pro *efferre funus* ponitur. *Gier.*

747. De illo *lurida* conf. I, 147. — *arsuro - feretro*. Tib. I, 1, 61.

Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto.

750. *jam deus ultor agebat*. Vid. v. 693. — Bas. 2., Dresd., Gron. 1. et III alii Heins. *habebat*. *agebat* est *agitabat*, persequebatur. — *deus* intelligendus est Venus. Conf. v. 760. Sic Prop. III, 20, 22. de Venere et Amore *ultores deos*.

752. *patulis fenestris*, quod patulas fenestras habebat.

753. *vix bene prospexerat*. Conf. II, 47. Cant. *vix bene compositum*. Mendose.

754. *diriguere*. Conf. II, 348. V, 186. VI, 303. VII, 115. — Vetustiores (?) Heinsii *deriguere*.

755. *inducto pallore*. Conf. II, 307. VII, 202.

756. Jun. et XIII Heins. *conataque vertere*.

758. *quod fuit in - pectore*, duritiem animi significat. Igitur saxum in dilogia positum.

759. *signum*, statuam. Vid. 313. I, 406.

760. *Salamis*. Vid. v. 698.

761. *Veneris Prospicientis*, Venus cognomen hoc ab Anaxarete habet e fenestris prospiciente, quae sub ea forma a Venere in saxum mutata est. Zulich. et alter Thu. *ulciscentis*. — Heins. et Bas. 2. in marg. *optima*; ex glossa.

761. *lentos*, difficiles, duros, flecti nescios. XIII, 800.

762. *jungere*, junge te. — Pro *nymphe* Berol., Goth. 2. et Lips. 2. *nympha*.

763. *sic*. Vid. ad VIII, 860. — *adurere* et *urere* saepe de frigore. Fast. I, 679.

Poma, nec excutiant rapidi florentia venti!“
Haec ubi nequicquam formas deus aptus in omnes
Edidit; in juvenem rediit et anilia demit
Instrumenta sibi, talisque apparuit illi,
Qualis ubi oppositas nitidissima solis imago
Evicit nubes nullaque obstante reluxit,
Vimque parat: sed vi non est opus, inque figura
Capta dei nymphe est et mutua vulnera sensit.
Proximus Ausonias injusti miles Amulî
Rexit opes; Numitorque senex amissa nepotum
Munere regna capit, festisque Palilibus urbis
Moenia conduntur. Tatiusque patresque Sabini
Bella gerunt; arcisque via Tarpeja reclusa
Digna animam poena congestis exuit armis.

Vos date perpetuos teneris sementibus auctus,
Nec nova per gelidas herba sit usta nives.

Vid. not. ad Her. XII, 180. De illo *excutiant* v. 764. conf. X, 739. Eodem modo *decutere* Fast. V, 324.

765. *formasque aptus in omnes.* Cf. v. 685. Liv. XXXVIII. c. 21. *in quod minime apti.* Prop. IV, 2, 21.

Opportuna mea est cunctis natura figuris.

766. *anilia instrumenta*, rugas, canos, al. Vid. v. 654 — 656.

770. *inque figura capta - est* dicitur, ut *aestuare et ardere in aliquo.* VI, 490. VIII, 50.

771. Uterque Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat. et edd. Venn. et Parm. *nympha est.* — Cod. Bersm., Berol., Dresd., Bas. 2. et Zwicc. etiam *sentit.* — Bas. 3. *mitia vulnera.*

772. *Poeta ad Albae reges redit* (622.) *Romamque sub Numitore conditam, bellum cum Sabinis et Romuli mutationem in deum narrat.* Fast. II, 481 seqq. Liv. I. c. 16. Flor. I. c. 1.

772. *proximus*, sc. Procae. — *injusti miles Amuli* pro Amulius armorum vi ac ferocitate militari. Fast. III, 49. *contemtor Amulius aequi; Nam raptas fratri victor habebat opes.* Scilicet Numitori fratri regnum eripuit, Lausum filium ejus occidit, filiam ejus Iliam Vestalis ut fieret coëgit, et duos ejus filios, Romulum ac Remum, in Tiberim conjici jussit. Liv. I. c. 3. *Ausoniae opes* pro *Ausoniae res s. regnum.* Fast. IV, 250. *Iliacas Mater amavit opes.*

773. *Numitorque senex - capit.* Romulus ac Remus miro modo servati cum adolevissent, Amulio occiso avum Numitorem in regnum restituerunt. Inde *nepotum munere.* Fast. III, 67.

Romuleoque cadit trajectus Amulius ense,
Regnaque longaevo restituuntur avo.

Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Vrat., Zwicc. et plurimi Heinsii *nepotis.* Pluralem confirmat etiam Liv. I. c. 5. et 6.

774. Roma festo Palis, Itali numinis pastoritii, sive Palilibus, in monte Palatino condita est. Vellej. I. c. 8. *Romulus Romam urbem Parilibus* (q. e. Palilibus) *in Palatio condidit.* Vid. interpp. ad Fast. IV, 721 sqq. et Dion. Hal. I. c. 88. — Plerique (?) *Heinsii* codd., quidam Vivian. et ed. pr. *Parilibus.* Conf. Prop. IV, 1, 19.

775. *Tatius*, Sabinorum rex. — Dresd., Lips. 2., Vrat. et Zwicc. hic et infra: *Tacius. Tatiusque* exhibent Berol., Cael., Goth. 1. 2., Lips. 2., Sulm., Vrat., plerique Heins. et ed. pr. Reliqui *Tatius, que* omisso. — *bella gerunt*, sc. cum Romanis propter raptas Sabinas.

776. *arci* Romanae praeerat Sp. Tarpejus, cujus filia cum aquam sacris petitum extra moenia isset, corrumpi se passa est a Tatio, ut Sabinos in urbem acciperet. Accepti *congestis armis* obrutam necavere. Liv. I. c. 11. Dionys. Hal. II. c. 38 sqq. Fast. I, 211 sqq.

777. *digna* Berol., Vrat. et multi Heins. Reliqui *dignam*: sed et positio et vis sententiae poscit scripturam *digna.* Deinde cod. Bersm., Cantabr., Flor., Mor. 1., Neap., Pal. 1., Par. 1., Urb., Vrat. et multi Heins. *erut.* Berol., Dresd., Jun., Ox., Par. 2.,

Inde sati Curibus tacitorum more luporum
Ore premunt voces, et corpora victa sopore
Invadunt, portasque petunt, quas objice firmo
Clauserat Iliades. Unam tamen ipsa reclusit,
Nec strepitum verso Saturnia cardine fecit.
Sola Venus portae cecidisse repagula sensit,
Et clausura fuit, nisi quod rescindere nunquam
Dîs licet acta deûm. Jano loca juncta tenebant
Naïdes Ausoniae gelido rorantia fonte.
Has rogat auxilium, nec nymphae justa petentem
Sustinuere deam, venasque et flumina fontis
Elicuere sui. Nondum tamen invia Jani
Ora patentis erant, nec iter praecluserat unda:
Lurida supponunt fecundo sulfura fonti,
Incenduntque cavas fumante bitumine venas.
Viribus his aliisque vapor penetravit ad ima
Fontis; et Alpino modo quae certare rigori
Audebatis aquae, non ceditis ignibus ipsis.
Flammifera gemini fumant adspergine postes,
Portaque nequicquam rigidis permissa Sabinis

Sulm., Lips. 2., Thu., XX alii Heins. *edidit*, ex glossa. — *exuit animam*, deposito corpore tanquam veste. Stat. X, 943. *exuiturque animus*. *Gier.*

778. *sati Curibus* sunt incolae Curium, urbis primariae Sabinorum. *Gier.* Pro *tacitorum* unus Mor., Ox., Thu. et III alii Heins. *rapidorum*, a sciolo.

779. *premunt voces*. IX, 692. 764. *corpora victa sopore*. Conf. II, 267. Prjscian. II. c. 6. §. 34. *ut corp. – invadant p. petant, quas obice fultas*.

780. *objice firmo*. Arond., Goth. 1., Thu. et X Heins. *firma*. Est *obex* generis communis; quanquam masculinum usitatius est itaque scripturam *firma* tam levi auctoritate recipere non debebat Heinsius. Deinde veteres libri omnes *obice*, quod genuinum videtur.

781. *Iliades*, Iliae filius, Romulus. Vid. ad v. 772. Conf. v. 824. — Pro vulg. *reclusit* Boxh., Dresd., Erf. 1., Neap., Pal. 1., Par. 1., Urb.!, Vat. 1. et X alii Heinsii *recludit*.— *Saturnia* est Juno Saturni filia. Vid. ad I, 113. 612. Odium Junonis in Aenean et Trojanos etiam in seros eorum nepotes durabat atque vigebat, ut favor Veneris. Fast. I, 265. de eadem re:

Et jam contigerat portam, Saturnia cujus
Dempserat appositas insidiosa seras.

782. *verso cardine*. Conf. IV, 93.

784. De illo *nisi quod* conf. II, 451. IV, 673. De Jano v. 334. De *rescindere acta deûm* conf. II, 677.

785. *Jano loca juncta tenebant*. I, 749. *juncta parenti templa tenet*.

787. Quinque Heins. *precantem*.

788. *nec – sustinuere*, nec ferre potuerunt, h. e. nec negare potuerunt. Cic. ad Div. XI. 13. *cum sustinere eos* (rogantes) *non posset*. Liv. XXXI. c. 13. *senatus querentes eos non sustinuit*. — *venasque etc.* Macrob. I. c. 9. *Quumque Sabini per portam patentem irrupturi essent, fertur ex aede Jani per hanc portam magnam vim torrentium, undis scatentibus, erupisse: multasque perduellium catervas aut exustas ferventi aqua aut devoratas rapida voragine deperisse*. Conf. Fast. I, 269 sqq.

789. *ora Jani*, porta Jani.

790. *nec*. Cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat. et ed. pr. *neque*. — Cod. Bersm., VI alii Heins., Bas. 1. in margine et Vrat. *parentis*.

792. *cavas*. Bas. 1. *suas*.

794. *Alpino rigori*, rigori s. frigori quale est Alpium. Conf. Virg. Ecl. X, 47. De *certare* cum dat. vid. ad I, 19.

797. *permissa*, tradita, aperta. Ita recte Heinsius e Mor. 2. et VIII aliis dedit, quod etiam Berol., Goth. 2., Par. 2. et Vrat. exhibent. Reliqui *promissa*. — *rigidis*, ferocibus, duris bello. Conf. VIII, 20.

Fonte fuit praestructa novo, dum Martius arma
Indueret miles. Quae postquam Romulus ultro
Obtulit, et strata est tellus Romana Sabinis
Corporibus, strata estque suis, generique cruorem
Sanguine cum soceri permiscuit impius ensis;
Pace tamen sisti bellum nec in ultima ferro
Decertare placet, Tatiumque accedere regno.
Occiderat Tatius, populisque aequata duobus,
Romule, jura dabas; posita cum casside Mavors
Talibus adfatur divûmque hominumque parentem:
„Tempus adest, genitor, - quoniam fundamine magno
Res Romana valet et praeside pendet ab uno -
Praemia jam promissa mihi dignoque nepoti
Solvere, et ablatum terris imponere coelo.
Tu mihi concilio quondam praesente deorum —
Nam memoro, memorique animo pia verba notavi -
„„Unus erit, quem tu tolles in caerula coeli,““
„Dixisti: rata sit verborum summa tuorum!“

798. *praestructa*, obstructa. — *Martius miles* est miles Romanus, qui *Martius* vocatur, quia Ilia Romulum et Remum a Marte concepisse traditur. Fast. III, 59. Liv. X. c. 27. *Martia gens.*

799. Flor., Erf. 1., Par. 2. et nonnulli Heins. *inuerat.* Recte reliqui *indueret*, quod consilium ac voluntatem auctorum illius miraculi declarat. — Scripturam *quae* exhibent II Heins., Berol., Dresd. a 1. m., Goth. 1. 2., Vrat. et vett. edd. — Vulgo *quem*, nisi quod III Heins. et cod. Pol. *quam.* Sed *quae* illis *ultro obtulit* unice aptum est.

801. *strata estque.* Amat Naso verba sic repetere. Ambr., Bas. 2. et III Heins. *corporibusque suis strata est*, ab librariis. De positione illius *que* cf. X, 144. XIII, 508.

802. *gener* est Romanus, qui Sabinam raptam duxerat. Liv. I. c. 13. *ne se sanguine nefando soceri generique respergerent.*

803. *sistere.* Conf. VII, 711. III, 153. — *in ultima*, ad internecionem.

804. *Tatium accedere regno.* Liv. I. c. 13. *Silentium et repentina fit quies; inde ad foedus faciendum duces prodeunt, nec pacem modo sed et civitatem unam ex duabus faciunt, regnum consociant, imperium omne conferunt Romam.*

805. *occiderat Tatius*, in concursu facto apud Lavinium. Liv. I. c. 14.

806. *posita casside*, sc. ut milites qui aliquid dicturi, non pugnaturi sunt, facere solent. Fast. III, 1.

Bellice depositis clypeo paulisper et hasta,
Mars ades, et nitidas cassidis solve comas.

Ibidem v. 171.

Sic ego: sic posita dixit mihi cassside Mavors.

jura dabas, imperabas. I, 576.

809. *et praeside - uno;* nam Tatii morte confirmatum regnum Romanum omnisque potestas in unum Romulum cesserat. — Medic. *nec praeside*, quod temere dedit Heinsius.

810. *nepoti*, sc. tuo: nam Romulus f. Martis erat, Mars Jovis. Goth. 2., alter Hamb., unus Mor. et II Voss. *praemia quae*, quod temere recepit Heinsius. Bersm., Berol., Gron. 1., Ox., Thu., Vrat. et XVIII Heins. *praemia nunc.* Nonnulli etiam *praemia sunt.*

813. *memoro*, in memoriam tibi haec revoco. — Bas. 3. et Cantabr. *memoror*, quod nunc pro vulgata est, quanquam tam incerta Latinitate, quam levi auctoritate est. — *pia verba*, pietatem in filium et nepotem declarantia. Ad illa *memorique animo notavi* conf. IX, 778.

814. Idem versiculus legitur Fast. II, 487.

Unus erit, quem tu tolles in caerula coeli:
Tu mihi dixisti, sint rata dicta Jovis.

Versus est Enniannus, quem laudat Varro de Ling. Lat. VII. c. 2. Quibus locis scriptura nostri versus satis confir-

Annuit Omnipotens, et nubibus aëra caecis
Occuluit, tonitruque et fulgure terruit orbem.
Quae sibi promissae sensit data signa rapinae,
Innixusque hastae pressos temone cruento
Impavidus conscendit equos Gradivus, et ictu
Verberis increpuit, pronumque per aëra lapsus
Constitit in summo nemorosi colle Palatî,
Reddentemque suo jam regia jura Quiriti
Abstulit Iliaden. Corpus mortale per auras
Dilapsum tenues, ut lata plumbea funda
Missa solet medio glans intabescere coelo.
Pulchra subit facies, et pulvinaribus altis
Dignior, est qualis trabeati forma Quirini.

matur, quam exhibent etiam Par. 2., Briant., Cantabr., Flor., Farnes., Hamb. 1., Medic. 3. 4., Neap., Pal. 1., Par. 1., Urb., Vrat., Vat. 1., XVI Heins. et ed pr. Nam vulg. *ad sidera*. Etiam Lucr. I, 1089. V, 770. *caerula coeli* et *mundi*.

816. *caecis*, obscuris, ut *caeca nox, caeca caligo*.

817. *orbem*. Haec scriptura rei gravitati unice apta est, et exstat in plerisque codd. et vett. edd. — Confirmatur ea Fast. II, 489., ubi Naso de eadem re:

Jupiter annuerat. Nutu tremefactus uterque
Est polus.

Cael., Erf. 1., Medic. 3. 4., Mor. 1., Neap., Urb., Vat. 1., Vrat., nonnulli Ciof. et XII Heinsii *urbem*.

818. *promissae rapinae*. Mars sentit, his signis sibi concedi hoc, ut Romulum e terris raptum inferat coelo. *Gier*. Conf. v. 811.

819. *cruento*, apte de temone dei belli. — *pressos temone* pro *junctos currui*. Pro curru posuit temonem, qui et *premit* equos et ab iis *premitur*. *Gier*. Eodem modo *premi jugo* dicitur. I, 124.

820. *Gradivus*. Vid. VI, 427.

821. *per aëra lapsus*. I, 212. — Pal. et VII Heinsii *pronusque*.

822. *Palatî*. Vid. ad v. 774.

823. „*atque Iliaden* (Romulum) *abstulit qui jam sive nunc suo Quiriti regia jura redderet, ut humanae potentiae nihil deesset socio regni etiam Tatio morte sublato.*“ Factum hoc esse, cum ad Capreae paludem exercitum lustraret, tradunt historici. *Jura* ibi *dedisse* etiam Fast. d. l. narratur. Neque h. l. ipse in *Palatio* fuisse memoratur, sed Mars ibi constitit, ut deinde e vicinia Romulum auferret. *Gier*. Vulgo legitur *redd. suo non regia jura Q.*, quod commodo sensu caret. Codd. Viv. *suo non regia j.* vel *suo nunc reg. j.* vel *suo regalia j.* — Cael., Goth. 2., Pal. 2. et V Heins. *suo regalia j.* — Alter Bersm., Bas. 1., Dresd., Erf. 1., Flor., Jur., Zwicc. et XIV Heins. *suo jam regia i.* — Cod. Bersm., Arond., Goth. 1., Ox., Thu., Urb., Vrat. et XX Heins. *suo nunc regia i.* Duae igitur ad sensum aptissimae sunt scripturae: *suo jam* et *suo nunc regia jura*. Sed majorem codicum auctoritatem habet *suo nunc regia j.*, quae etiam omnibus illis confirmatur codd., qui exhibent *non*, quod e *nunc* ortum videtur.

825. *ut lata etc.* Conf. II, 727. VII, 778. — Idem Senec. Quaest. nat. II. c. 57. habet: *liquescit excussa glans funda et attritu aëris velut igne destillat*. Lucret. VI, 178.

— — *plumbea vero*
Glans etiam longo cursu volvenda liquescit.

Conf. Stat. X, 533. et Virg. Aen. IX, 588. Quam vere illud dictum sit, nunc non quaeritur. — Neap. *ceu*, quod temere recepit Heinsius. Priscian. VI. c. 18. et VII. c. 8. cum omnibus reliquis codd. et vett. edd. *ut*.

826. *intabescere*, liquescere.

827. *subit* sc. in ejus locum. Conf. I, 130. — *dignior pulvinaribus altis*, dignior qui conviviis deorum interesset. Conf. VI, 173. Nam *pulvinaria*, lecti deorum in templis positi, hinc et lecti coelestes. Vid. lex. in v. *lectisternium*.

828. *est qualis*. Dresd., unus Heins. et Vat. 2. *et qualis*, quod sine justa causa recepit Heinsius. Fast. II, 503.

Flebat ut amissum conjux, cum regia Juno
Irin ad Hersiliam descendere limite curvo
Imperat et vacuae sua sic mandata referre:
„O et de Latia, o et de gente Sabina
Praecipuum, matrona, decus, dignissima tanti
Ante fuisse viri conjux, nunc esse Quirini,
Siste tuos fletus, et, si tibi cura videndi
Conjugis est, duce me lucum pete, colle Quirino
Qui viret et templum Romani regis obumbrat.“
Paret, et, in terram pictos delapsa per arcus,
Hersiliam jussis compellat vocibus Iris.
Illa verecundo vix tollens lumina vultu
„O dea, - namque mihi, nec quae sis dicere promtum est,
Et liquet esse deam - duc, o duc,“ inquit „et offer
Conjugis ora mihi: quem si modo posse videre
Fata semel dederint, coelum accepisse fatebor.“
Nec mora, Romuleos cum virgine Thaumantea
Ingreditur colles: ubi sidus ab aethere lapsum
Decidit in terras, a cujus lumine flagrans

Pulcher et humano major trabeaque decorus
Romulus in media visus adesse via.

Conf. Liv. I. c. 7.

829. *Etiam Hersilia Romuli conjux in deam mutata nomenque Hora accepit.*

829. *conjux*, Hersilia una e raptis Sabinis.

830. *Iris*, nuntia deorum. I, 270. — *limite curvo*, in arcu coelesti. Conf. v. 838. XI, 590. et 632. — Ambr. 1. et Jur. *Hersilien.* Reliqui omnes *Hersiliam*, quod v. 839. omnes exhibent. Item v. 848. nonnisi Berol. et Ox. *Hersilies*, reliqui omnes *Hersiliae.*

831. *vacuae* i. e. viduae quod exhibent unus Bas., Jun. et Sprot., ex glossa. Pro *sua sic* multi veteres Viv., Franc., Bas. 3. 4., Bas. 2. in marg., Goth. 2., Vrat., Zwicc. et multi Heins. *suasit*, e similitudine scripturae orta varietate.

832. *o et de Latia.* Ita Bas. 1., Berol., Dresd., Goth. 2., Mor., Thu. et XVI Heinsii, quod etiam concinnius est, quam vulg. *o et de Latio. Latia gens* etiam Fast. IV, 42. — De hiatu vid. V, 625.

833. *dignus* cum infinit. Vid. ad I, 240.

834. *Quirini*, dei. *Vir* et *Quirinus* opponuntur. De re vid. Flor. I. c. 1. Consecratis autem nova saepe nomina dabantur, ut Leucotheae et Palaemoni IV, 541.

836. *colle Quirino*, i. e. Quirinali. Cic. de Rep. II. c. 16. — Uterque Bersm., Dresd., Goth. 2., Par. 1. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *Quirini.* Reliqui *Quirino*, quod non mutandum; nam *Quirinus* etiam adjectivum est. Vid. ad I, 563. et ad Trist. III, 1, 40. Et *Quirini* antecessit.

837. *Romani regis*, Romuli. Fast. II, 511.

Templa deo (Quirino) *fiunt, collis quoque dictus ab illo.*

841. *nec promtum est et liquet*, q. e. *et non promtum est et liquet.* Conf. II, 42.

843. *quae.* Ita Berol., Goth. 1. 2., Hamb. 1., Medic. 3., Pal. 2., Vat. 1., Vrat., Zwicc. et X Heins. Reliqui *quem*, quod, donec codices accuratius excussi fuerint, revocandum putavi. Conf. v. 835.

844. *videbor.* Bas. 1. 3. 4., cod. Bersm., Berol., Capran., Dresd., Goth. 1. 2., unus Maff., Pal. 2., multi Heins. et pro v. l. Zwicc. *fatebor*, quod sine idonea causa recepit Heinsius, et fluxisse videtur e VI, 356. — *coelum adipisci* saepe pro cumulo beatitudinis declaratur. Hor. Od. I, 1, 36. *sublimi vertice sidera ferire*; ibique interpp. Cic. Tusc. 1.

845. *Thaumantea.* IV, 480. De spondeo in quinto pede vid. ad I, 62. *Romulei colles* i. q. supra v. 836. *collis Quirinus.*

846. *ubi.* Ita uterque Bersm., Goth. 1. 2., Dresd., Vrat., Bas. 1. 2. 4. et plerique Heinsii. Vulgo *ibi.*

Hersiliae crinis cum sidere cessit in auras.
Hanc manibus notis Romanae conditor urbis
Excipit, et priscum pariter cum corpore nomen
Mutat Horamque vocat; quae nunc dea juncta Quirino est.

851. *Hora* nomen etiam alibi prima brevi reperitur. Val. Fl. VI, 58.

Insuper auratos collegerat ipse dracones
Matris Horae specimen.

Scripturam *Horam* codices prope omnes et ed. pr. confirmant. Vulg. *Oram*. Est autem *Hora*, Ὥρα, dea juventutis, de qua vid. Gell. N. A. XIII. c. 22. Enn. I.

Teque, Quirine pater, veneror Horamque Quirini.

Ceterum *Horam* esse Hersiliam transformatam unus auctor est Ovidius.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER QUINTUS DECIMUS.

Quaeritur interea, quis tantae pondera molis
Sustineat tantoque queat succedere regi.
Destinat imperio clarum praenuntia veri
Fama Numam. Non ille satis cognosse Sabinae
Gentis habet ritus; animo majora capaci
Concipit, et quae sit rerum natura requirit.
Hujus amor curae, patria Curibusque relictis,
Fecit, ut Herculei penetraret ad hospitis urbem.

1. *Numa e Sabinis Crotona profi-ciscitur, ut ibi Pythagoraeorum doctrinam cognosceret. Ubi urbis originem quaerenti narratur, Myscelum, Alemonis filium, Argivum, ab Hercule jussum urbem in Italia condere. Qui cum patriam relinquere voluisset, ob eam causam in jus vocatum omnesque civium calculos atros in albos mutatos esse. Quo facto absolutum emigrasse et Crotona condidisse.* Vid. Strab. VI. 1. 12. Livius L. I. Numam audisse Pythagoram gravibus argumentis refellit. Conf. Dionys. Hal. II. c. 59. et Cic. Tusc. IV. c. 1. Sed historiae scriptor munus suum explet, et poeta suum, sed diverso modo.

1. *quis.* Berol., Ox. et Goth. 1. *qui*, quod h. l., ut multis aliis, poetae temere obtrusit Heinsius.— *molis.* Trist. II, 221. ad Augustum:

Non ea te moles Romani nominis urget.

2. *tanto regi*, Romulo. XIV, 805 sqq. — *sustineat pondera molis.* Conf. II, 297.

3. *clarum.* Liv. I. c. 18. *Inclita justitia religioque ea tempestate Numae Pompilii erat.* — *Consultissimus vir omnis divini atque humani juris.* Conf. Flor. I. c. 2. et Fast. III, 275 sqq. — *praenuntia veri.* Virg. Aen. IV, 188. Fama

Tam ficti pravique tenax quam nuntia veri.

4. *Sabinae gentis.* Liv. I. c. 18. (Numa) *Curibus Sabinis habitabat. Cures* autem caput regionis Sabinae. — *ritus*, mores. — *satis habet*, qui acquiescit in aliqua re. Vid. interpp. Sallust. Jug. XXXI. c. 20.

5. Bas. 3. *usus gentis habet.*

6. *concipit*, cogitat, ad majora intendit animum. Conf. I, 777. *quae sit rerum natura*, communis antiquissimorum philosophorum inquisitio atque investigatio. Virg. Georg. II, 474 sqq. Hor. Epist. I, 12, 16 sqq.

7. *hujus curae*, hujus studii, ut v. 65. *Gierig.*

8. *Herculeus hospes* est Croton, qui Herculem, ex Hispania redeuntem ho-

Graja quis Italicis auctor posuisset in oris
Moenia, quaerenti sic e senioribus unus
Retulit indigenis, veteris non inscius aevi:
„Dives ab oceano bobus Jove natus Iberis
Litora felici tenuisse Lacinia cursu
Fertur et, armento teneras errante per herbas,
Ipse domum magni nec inhospita tecta Crotonis
Intrasse et requie longum relevasse laborem;
Atque ita discedens „„Aevo“ dixisse „nepotum
„„Hic locus urbis erit!““ promissaque vera fuerunt.
Nam fuit Argolico generatus Alemone quidam
Myscelos, illius dîs acceptissimus aevi:
Hunc super incumbens pressum gravitate soporis
Claviger alloquitur: „„Patrias, age, desere sedes!
„„I, pete diversi lapidosas Aesaris undas!““
„Et, nisi paruerit, multa ac metuenda minatur.
Post ea discedunt pariter somnusque deusque.
Surgit Alemonides, tacitaque recentia mente
Visa refert, pugnatque diu sententia secum:

spitaliter excepit, ut statim sequitur. Diod. IV. c. 25. — *penetraret*, perveniret.

9. „*quaerenti* (Numae), *quis auctor in Italicis oris Graja* (Crotonis) *moenia posuisset? Graja* autem moenia, quia Croton pars Graeciae Magnae in ea Italiae ora, quae postea Calabria dicta est.

11. *inscius*. St. Gall. et V Heins. *immemor*.

12. *Jove natus*, sc. ex Alcmena, est Hercules. VI, 112. — *dives Iberis bobus*, abactis bobus Geryonis apud Iberiam. Vid. IX, 184. Apollod. II. c. 5. Cod. Bersm., Bas. 1., Vrat., meliores Heins. et ed. pr. *bubus*. Reliqui *bobus*. Vid. not. ad XIV, 3.

13. *lit. Lacinia*. Promontorium est Lacinium in oriente Bruttii, ubi templum Junonis erat, de quo Liv. XXIV. c. 3.: *Sex millia aberat ab urbe* (Crotone) *nobile templum, ipsa urbe nobilius, Laciniae Junonis, sanctum omnibus circa populis*. Vid. v. 701. et Plin. N. H. III. c. 10.

15. *inhospita tecta*. Conf. I, 218.

18. *hic locus urbis erit*, hoc loco urbs condetur. — *aevo nepotum*, pro *olim, aliquando*.

19. *Argolico*, ex Argolide in Peloponneso.

20. *Myscelos*. Codices *Mycilus, Micylus, Mirsclus, Missilus*, al. Sed Strab. l. l. habet *Myscelos*. Hoc autem loco Latina forma videtur restituenda, quae in omnibus codicibus exstat. Strabone auctore L. VI. c. 1. Myscelus non Argivus, sed Achaeus s. Ripaeus fuit. Conf. Herod. VIII. c. 47. Strab. VIII.

21. *hunc super incumbens*. Conf. XI, 657.

22. *claviger* et *clavigerum numen* pro Hercule obvium; clavus enim constans Herculis telum atque insigne. Vid. v. 284. et ad IX, 114. — Hunc verborum ordinem Viv. et Ciof. e codicibus suis reposuerunt, eumque codex Bersm., castigatiores Heinsii, Bas. 1. 2., St. Gall., Goth. 1., Par. 2. in lit., Vrat., Zwicc. et ed. pr. confirmant. Quidam Viv., Par. 1. et reliqui *Cl. alloquitur: lapid. Aesaris undas I pete diversi, patrias age desere sedes*. Praeterea codd. Viv., Dresd. a 1. m., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *et pete*, quod verum videtur. — Codex Bersm., Dresd. a 2. m., Farnes., Par. 1. 2., Sulm. et vulg. *i pete*. *Jahn*.

25. *Aesar* vel Aesarus fluvius ea Italiae parte quae Calabria dicitur. Liv. XXIV. c. 3. *flumen, quod medio oppido* (Crotone) *fluxerat, extra frequentia tectis loca praeterfluebat*. Strab. VI. c. 1. — *diversi*, ut *diverso orbe* II, 323. Art. A. III, 124.

Lectaque diverso litore concha venit.

lapidosas, calculos multos habentes. Fast. III, 273. *lapidosus rivus*.

26. *recentia – visa*. Bas. 1. et a recent. m. Bas. 2., Jur., Mor. 1., Ox. et IV alii Heins. *recondita – visa*. — *mente refert*. Conf. I, 165.

27. *pugnatque – secum*. Hor. Epist.

Numen abire jubet, prohibent discedere leges,
Poenaque mors posita est patriam mutare volenti.
Candidus oceano nitidum caput abdiderat Sol,
Et caput extulerat densissima sidereum Nox;
Visus adesse idem deus est eademque monere,
Et, nisi paruerit, plura et graviora minari.
Pertimuit, patriumque simul transferre parabat
In sedes penetrale novas. Fit murmur in urbe,
Spretarumque agitur legum reus, utque peracta est
Causa prior, crimenque patet sine teste probatum;
Squalidus ad superos tollens reus ora manusque
„„O cujus coelum bis sex fecere labores,
Fer precor“ inquit „opem: nam tu mihi criminis auctor.““
„Mos erat antiquus, niveis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absolvere culpa.

I, 1, 97. *mea quum pugnat sententia secum.* Conf. infra v. 648.

28. Lycurgi et Saleuci legibus e patria migrare non licebat; mitiores Solonis leges permittebant. Vid. Plat. Crit.

30. *candidus*, a puro nitore. Tib. I, 3, 94. *candida Aurora. Lucifer albus* infra v. 189. Her. XVI, 320.

Candidior medio nox erit illa die.

Monosyllaba illa in fine v. 30. et 31. cum vi sibi respondent, et omnino quaesitam illi versus habent concinnitatem. Conf. VII, 633. Virg. A. II, 250. *ruit oceano nox.* V, 92.

— *et lux tarde discedere visa*
Praecipitatur aquis et aquis nox surgit ab isdem.

34. *patrium - penetrale*, patrios penates et sacra, continens pro contento: nam penates stabant in penetrali. Conf. XII, 245. Virg. A. I, 6. de Aenea: *dum conderet urbem inferretque deos Latio.* — Bas. 3. *extimuit.* Berol. *extremuit.* Mor. 1. *patriumque palam.*

36. *agiturque reus*, accusatur, ex jure; apud Nasonem imprimis frequens formula. Vid. not. ad Trist. I, 1, 24.

37. *causa prior*, prior causae pars, sc. auditis accusatoribus et reo. — *patet sine teste probatum;* nam ipse Myscelus erat confessus. Scripturam *crimenque patet* confirmant Dresd., Lips. 2., Sulm., Zwicc., meliores Heinsii et edd. Venn. Nam vulg. *crimenque patens*, quod mendosum est.

38. *squalidus* de more reorum, qui ad misericordiam commovendam nigras vestes inducrent, capillos et barbam promitterent. Conf. II, 381. — Scripturam *tollens* tuentur uterque Bersm., Berol., Capran., Farnes., Goth. 1., Par. 2., Sulm., Twisd. 1. 2., Ursin., Vrat. et ed. pr. — Reliqui *tendens*, constanti horum verborum permutatione. Utrum verum sit, nonnisi accuratissima codicum collatione sciri potest.

39. „*o cujus coelum*, cujus numen et immortalitatem, *bis sex fecere labores*, qui bis sex laboribus immortalitatem et coelum tibi peperisti.“ Quem simplicem loci sensum cum non caperent librarii, scripturam vario modo corruperunt. Nam Arond., Goth. 2., unus Vat. Ciof., Lips. 2., X Heins. et margo Farnes. *o tu quem celebrem*, Lips. 2. *tum* pro *tu.* Unus Medic. et Ox. *o cujus celebrem.* Bas. 4. a 2. m., Bas. 3. in marg. *o tu quem coelum.* Reliqui omnes, ut edidimus. — *bis sex* Herculis labores supra IX, 182 sqq. memorati sunt.

41. *antiquus.* Ita recte edidit Heinsius, idque codex Bersm., Berol., Cael., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 2., Vrat. et ed. pr. tuentur. Vulgo *antiquis*, quod probabile est illis ablativis *niveis - lapillis* originem suam debere. — *lapillis*, ψήφοις. Postea etiam fabae usurpabantur.

42. *absolvere culpa.* Thu. et Medic. 4. *culpae.* Viv. codd. *culpa* v. *culpas.* Dresd, Goth. 1., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et XIII Heins. *culpas.* Cod. Bersm., Berol., Par. 2., XXV Heins. et ed. pr. *culpam.* Par. 1., Bas. 2. a 2. m. et reliqui cum edd. Venn. et Parm. *abs. culpa*, quod verum videtur. Nam *culpae* parvam habet auctoritatem, *culpam* et *culpas* a consuetudine dicendi abhorrent et minus concinna sunt.

Tunc quoque sic lata est sententia tristis, et omnis
Calculus immitem demittitur ater in urnam.
Quae simul effudit numerandos versa lapillos;
Omnibus e nigro color est mutatus in album,
Candidaque Herculeo sententia numine facta
Solvit Alemoniden. Grates agit ille parenti
Amphitryoniadae, ventisque faventibus aequor
Navigat Ionium, Lacedaemoniumque Tarentum
Praeterit et Sybarin Salentinumque Neretum
Thurinosque sinus Temesenque et Iapygis arva.
Vixque pererratis, quae spectant litora, terris,
Invenit Aesarei fatalia fluminis ora,
Nec procul hinc tumulum, sub quo sacrata Crotonis
Ossa tegebat humus, jussaque ibi moenia terra
Condidit, et nomen tumulati traxit in urbem.“
Talia constabat certa primordia fama
Esse loci positaeque Italis in finibus urbis.
Vir fuit hic, ortu Samius; sed fugerat una

43. *tunc quoque.* Unus Heins. *nunc quoque.* Codd. Viv., Vrat., Bas. 1. 2. et ed. pr. *tum quoque.* Reliqui *tunc quoque.*

44. *calculus – in urnam.* Prop. IV, 11, 49.

Quamlibet austeras de me ferat urna tabellas.

Dresd., Zwicc. et vett. edd. *dimittitur.*

47. *Herc. numine*, Herculis vi ac potestate divina. Bas. 1. 3. 4. et X Heins. *Herc. munere.* — *numine* etiam gravius est.

48. *Amphitryoniadae*, Herculi, (vid. IX, 140.), qui *parens* dicitur, ut di saepe *patres* appellantur.

50. *Tarentum Lacedaemonium* vocatur, quia Lacedaemonii Phalanto duce alteri ejus conditores fuerunt. Pausan. Phoc. p. 822. Strab. VI. p. 426. Justin. III. c. 4. Hor. Od. II, 6, 11. *regnata petam Laconi rura Phalanto;* ubi vid. interpp.

51. *Sybaris* oppidum et idem ad sinum Tarentinum situm, postea Thurium vocatum. Plin. H. N. III. c. 11. *Oppidum Croto, amnis Neaethus. Oppidum Thurium inter duos amnes Arathin et Sybarin, ubi urbs eodem nomine.* – Deinde pluribus interjectis; *Barion ante Iapyx a Daedali filio, a quo et Iapygia.* — Pro *Neretum* nonnullae editiones *Neaethum.* Cod. Cael., Sulm. III Vatt. Ciof. *Veretum* et alius Vat. *Verethum.* Reliqui omnes *Neretum* aut *Nerethum.* „*Neanthum* Regius ob nullam aliam causam invexit, quam quod meminerat, Strabonem hunc facere Salentinorum fluvium.“ *Gier.* Sed *Neretum* recte habet, quod est oppidum Salentinorum. Plin. l. l. Ptol. III. c. 1.

52. *Thurinosque sinus. Thurium s. Thurii* urbs ab Atheniensibus condita, quo loco Sybaris fuerat. Conf. Strab. VI. c. 1. — *Temese* oppidum Bruttiorum ad Tyrrhenum mare situm. Conf. VII, 207. Mela II. c. 4. Strab. VI. c. 1. Sed *Temese* parum aptum Mysceli itineri, certe reliqua loca omnia ad Ionium sita sunt: ut Naso h. l. parum accuratus fuisse videatur. Nam, quod pauci codd. exhibent *Nemesen, Nemesem* et *Nomesen*, incognita nomina sunt. Burmannus conjecit *Crimisenque*, vel *Camerenque* ex Fast. III, 582. vel *Temenenque* ex Liv. XXV. c. 9. — *Iapygis arva.* Iapygia fuit regio in extrema Italia inter Tarentum et Brundusium. Plin. l. l. *amnes, Iapyx* a Daedali filio rege, a quo et *Iagygia.*

54. *fatalia*, jussa, ab Hercule numine ei assignata. — VII Heins., marg. Bas. 4. et margo Bersm. *fat. – arva.*

55. *Crotonis.* Vid. 15. — *sacrata*, quia ea violare nefas.

57. *traxit*, transtulit.

60. *Numa Crotone Pythagorae Samii doctrina imbuitur, praecipue de metempsychosi ac de mutatione ac transformatione rerum.* Vid. not. ad v. 1.

60. Pythagoras e causis h. l. significatis Samo patria fugerat. — *hic*, Crotone.

Et Samon et dominos, odioque tyrannidis exsul
Sponte erat. Isque, licet coeli regione remotus,
Mente deos adiit, et quae natura negabat
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.
Cumque animo et vigili perspexerat omnia cura;
In medium discenda dabat, coetusque silentum
Dictaque mirantum magni primordia mundi
Et rerum causas et, quid natura, docebat,
Quid deus, unde nives, quae fulminis esset origo,
Jupiter an venti discussa nube tonarent,
Quid quateret terras, qua sidera lege mearent,
Et quodcumque latet. Primusque animalia mensis
Arguit imponi, primus quoque talibus ora
Docta quidem solvit, sed non et credita, verbis:
„Parcite, mortales, dapibus temerare nefandis
Corpora: sunt fruges, sunt deducentia ramos

61. *domini* sunt tyranni Polycrates et Syloson, ejus frater, a quibus, reversus a peregrinatione, qua Aegyptum lustraverat Persarumque magos adierat (Cic. Fin. V. c. 29.), patriam oppressam reperit. Herod. III. c. 39. Diog. Laert. VIII. c. 47. Plut. de Placit. I. c. 3. — *exsul* etiam qui sponte patriam deserit.

62. *remotus*. Ambr. 1., Bas. 3., Dresd. et Hamb. et pro v. l. Par. 2. *remotos*, quod praepropere deditHeinsius. — *coeli regione* est quantum coelum est, quantum spatii inter terram et deorum sedem est. — De producta syllaba *it* v. 63. vid. ad I, 114. et X, 15. IX, 611. — *mente deos adiit* h. l. de studio divina ac coelestia cognoscendi. — Unus Medic. *negarat*.

64. *pectoris*, mentis. — *hausit*, percepit, cognovit.

65. *in medium dare*, ut *in medium proferre*, est in communem usum dare s. tradere. Cic. Off. I. c. 7. *communes utilitates in medium afferre*.

66. *coetusque*. Ita Bas. 1. 3. 4., Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1., Lips. 2., Zwicc. et plerique vetustiores Heinsii. — Reliqui cum vett. edd. *coetumque*. Prius gravius est. — *silentium*, quia discipuli Pythagorae per primos V annos tacere debebant et tantum audire, quae ἐχεμυθία Pythagoreorum dicta est. Dicta autem ejus admirabantur adeo, ut in disputando, quare ita esset, responderent: *Ipse dixit*, ut denique ex domo ejus templum facerent ipsumque pro deo colerent. Justin. XX. c. 4. Lucian. Vit. auct. c. 3. — Ceterum de his antiquae philosophiae quaestionibus conf. Virg. Georg. II, 475. ad fin. Prop. III, 3, 47 sqq. Lucret. I, 194. ibique interpp. — Hor. Od. I, 28, 14. de Pythagora: *non sordidus auctor naturae verique*.

68. *quid natura*. Bas. 3. *quae natura*.

69. *quid deus*, i. e. quae natura dei s. deorum. Cod. Bersm., Dresd., Mor. 1., Pal. 2., Par. 2. et VIII Heinsii *quis deus*.

70. *Jupiter, an venti*. *Jovem tonare* persuasio vulgi, alterum erat opinio physicorum. Vid. not. ad I, 56. — *discussa nube*, ut XI, 522. *discutiunt nubes*.

71. *quid quateret terras*, de terrae motu accipiendum. — *mearе* et *meatus* de sideribus. Lucret. I, 129. ubi vid. Wakefield. Cic. de Nat. D. II. c. 19. *sidera ab ortu ad occasum commeantia*. — Bas. 2. et Mor. *micarent*. Cod. Bersm. et Bas. 3. *manerent*.

72. „*et* (omnino) *quodcunque latet*."

73. *arguit*, reprehendit, increpuit, nefas esse docuit. Cod. Bersm., Arond., Barb., Bas. 1., Pal. 2., Jur., Sulm. et unus Voss. *arcuit*, quod cupidius arripuit Heinsius.

74. *sed non et credita*, sc. a vulgo. Conf. VII, 98. Virg. A. II, 247.

Ora dei jussu non unquam credita Teucris.

75. *parcite*, nolite, ut saepe (conf. v. 174.) quae est oratio supplicantis et deprecantis. Vid. ad Trist. I, 2, 2. — *nefandis*, abominandis, a natura homini non destinatis. *Gier.*

76. *deducentia ramos – poma*. Conf. XIII, 812. Remed. A. v. 175. *curvatos pomorum pondere ramos*.

Pondere poma suo, tumidaeque in vitibus uvae;
Sunt herbae dulces, sunt, quae mitescere flamma
Mollirique queant; nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia flore.
Prodiga divitias alimentaque mitia tellus
Suggerit atque epulas sine caede et sanguine praebet.
Carne ferae sedant jejunia, nec tamen omnes:
Quippe equus, et pecudes armentaque gramine vivunt.
At quibus ingenium est immansuetumque ferumque,
Armeniae tigres iracundique leones
Cumque lupis ursi, dapibus cum sanguine gaudent.
Heu quantum scelus est, in viscera viscera condi,
Congestoque avidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusque animantem animantis vivere leto!
Scilicet in tantis opibus, quas optima matrum
Terra creat, nil te nisi tristia mandere saevo
Vulnera dente juvat, ritusque referre Cyclopum;

78. *herbae dulces* ac mites (sc. per se) h. l. opponuntur iis, quae mitescere flamma queant. — Berol. et III Heins. *flammis*. Antiquus cod. Viv., Briant., Cael., Sulm. et II Heins. *mitescere possunt* (Viv. *possint*) *et mollire famem*, manifesta interpolatio. Absurdi librarii est inventio scriptura Genev. *mitescere ventrem Et laxare queant*.

79. *lacteus humor*, lac. Eadem periphrasis IX, 358.

80. *redol. flore*. Par. 1. 2., Berol. a 1. m., Goth. 2., Thu. et X alii Heins. *florem*, quod idem Heinsius sine justa causa novavit, quamvis *redolere aliquid* non raro legatur. Hor. Sat. I, 3, 27. *pastillos Rufillus olet*. Prop. III, 1, 16. Vid. Met. V, 405. Her. XV, 75.

Non Arabo noster rore capillus olet.

Virg. Georg. IV, 169.

— redolentque thymo fragrantia mella.

De *thymo* conf. Art. A. I, 93.

81. *mitia*, hominis naturae apta. opponitur feris carnis epulis. Saepe de solis frugibus dicitur. Conf. II, 288.

83. *suggerit*, subministrat. Sic Lucret. I, 7. *tellus submittit flores*. — *mitia*, non fera et sanguinea. II, 288.

85. *ingenium*, natura, animus.

86. *Armeniae* h. l. adjectivum et pro *ferae* est. Prop. I, 9, 19. *Armenias tigres*. Conf. VIII, 121. — Nor., Lips. 2. et IV Heins. *Armeniacque*, quod cupidius arripuit Heinsius, et fluxit ex VIII, 121., ubi tamen alia ratio sententiae est. — *tigris* priorem corripit et producit. Vid. Amor. II, 14, 35. et Met. VIII, 121. *Armeniae* autem adjectivum ut Prop. l. l. Amor. l. l. Tib. III, 6, 15.

87. *dapibus cum sanguine*, h. e. dapibus *sanguineis* vel *non sine sanguine*. Virg. A. II, 72. *poenas cum sanguine poscunt*. Aen. IV, 514. *herbae nigri cum lacte veneni*.

88. „*viscera* (q. e. carnes.) *in viscera* (in ventrem) *condi*." Bas. 1., Berol., quidam Viv. et nonnulli recentiores Heins. et ed. pr. *in viscere*. Conf. v. 458.

89. *congestoque - corpore*, congestis carnibus. Conf. VI, 651. - *pinguescere* cum invidia dictum pro nutriri.

90. *scilicet* indignantis est. V, 22.

92. *creat*. Ita Dresd., Goth. 2., Par. 1. et plerique (?) vetustiores Heinsii. Voss. *parat*, q. e. *parit*. Reliqui omnes cum vett. edd. *creat*, quod revocavimus. Deinde Grou. et a 1. m. Vrat. *laeto*.

93. *vulnera*, vulneribus s. morsibus lacerata. I, 190. *vulnus recidere*, partem vulnere morbidam. — *Ritus* illos Cyclopum describit Virg. A. III, 623.

Vidi egomet, duo de numero quum corpora nostro
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent
Limina; vidi atro quum membra fluentia tabo
Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus.

Conf. Met. XIV, 205 seqq.

Nec, nisi perdideris alium, placare voracis
Et male morati poteris jejunia ventris?
At vetus illa aetas, cui fecimus aurea nomen,
Fetibus arboreis et, quas humus educat, herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
Tunc et aves tutae movere per aëra pennas,
Et lepus impavidus mediis erravit in arvis,
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo,
Cuncta sine insidiis, nullamque timentia fraudem,
Plenaque pacis erant. Postquam non utilis auctor
Victibus invidit, quisquis fuit ille, deorum,
Corporeasque dapes avidam demersit in alvum;
Fecit iter sceleri, primoque e caede ferarum
Incaluisse putes maculatum sanguine ferrum:
Idque satis fuerat, nostrumque petentia letum
Corpora missa neci salva pietate fatemur:
Sed quam danda neci, tam non epulanda fuerunt.

94. *placare jejunia.* Conf. VIII, 848.

95. *male morati*, incontinentis, impotentis.

96. *cui fecimus aurea nomen.* Conf. I, 169. VI, 400. X, 223. XV, 740. Sueton. Claud. c. 24. *Gabinio - cognomen Chaucius usurpare concessit.* De aetate aurea vid. I, 88 sqq.

97. *foetibus arborcis* cum respectu ad *foetus animantium* dictum.

99. *tutae.* Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Jur., Medic. 4., Mor. 1., Par. 1. 2., Lips. 2., Thu., Vrat., Zwicc., VI Heins. et vett. edd. *tutae.* Reliqui *tutas.* Utrumque recte dicitur; sed prius majorem habere auctoritatem vetustatis videtur, et concinnius est: nam sequitur *lepus impavidus mediis in arvis*, quod respondet illis *aves tutae per aëra* hujus versus. Unus Heins. *tunc volucres tutas.*

100. *in arvis.* Berol., Zwicc. et vetustiores Heinsii *in agris.* Conf. I, 533.

101. *nec sua credulitas.* Conf. VIII, 859. XIII, 934.

103. *non utilis* per λιτότητα perniciosissimus. Conf. XIII, 38. XIV, 590.

104. *deorum.* Bas. 3., Cantabr., alter Hamb., II Heins. et margo Goth. 2. *virorum.* Reliqui omnes cum vett. edd. *deorum*, quod mihi verum videtur. *Victus deorum* sunt victus simplices, quos di hominibus dederunt et ut aptos humanae naturae assignaverunt, fruges, poma, herbae. Pessima est interpunctio, *quisquis fuit ille deorum*, quo scelus illud ipsis dis tribuitur; et manca est sententia quia, in illo *victibus* aliquid deest, quod illis *corporeis dapibus* v. 105. opponatur. Atque idem valet de scriptura *quisquis fuit ille virorum.* Nec recta est interpretatio *victibus virorum* esse pro *victibus humanis*; ac *virorum* parvam habet auctoritatem vetustatis. Conjecturae sunt *priorum*, *ferorum*, *ferarum*, *leonum*, al. — *invidit*, contemsit.

105. *corporeas*, e corporibus sive animalibus. — Dresd., Goth. 2. et Vrat. *dimisit.* Zwicc. et VIII Heins. *demisit*, quod fluxit ex VIII, 837. Reliqui *demersit*, quod gravius, quia rei invidiam magis declarat. Conf. VI, 664.

106. *fecit iter sceleri etc.* viam aperuit ad animalia mactanda. Ac primum quidem sciendum est maculatum esse ferarum sanguine et incaluisse e caede ferarum. — Illi *primo* respondet illud *inde* v. 111., quare Heinsius novare non debebat *primaque* quod nonnisi Bas. 2., Argent. et Zwicc. exhibent.

107. *putes.* Ita vetus codex Bersm., Bas. 1., in marg. Par. 2., Cael., Hamb. 1., Neap., Urb., Sulm., III Heins. et vett. edd. — Vrat. et III Heins. *putem.* Reliqui fere omnes *potest*; non male.

108. *idque satis fuerat*, non ulterius debebant progredi. — S. Gall. a 1. m. *fuerit.* Mendose. Conf. Her. V, 69.

109. *corpora nostrum letum petentia* sunt corpora ferarum. — *salva pietate*, i. e. non laesa quae animantibus debetur pietate. De illo *missa neci* conf. VII, 606. Conf. etiam not. ad III, 695.

110. De illo *quam - tam* conf. XII, 220. et IV, 211. — *epulandus* in modo

Longius inde nefas abiit, et prima putatur
Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperit anni;
Vite caper morsa Bacchi mactandus ad aras
Ducitur ultoris: nocuit sua culpa duobus;
Quid meruistis, oves, placidum pecus inque tuendos
Natum homines, pleno quae fertis in ubere nectar,
Mollia quae nobis vestras velamina lanas
Praebetis, vitaque magis quam morte juvatis?
Quid meruere boves, animal sine fraude dolisque,
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?
Immemor est demum nec frugum munere dignus,

patiendi etiam Senec. Troad. 1109. *Nec parva gregibus membra Diomedes suis Epulanda posuit.* Vid. not. ad Her. I, 50. Sed h. l. *epulanda* propter illud *danda*, h. e. concinnitatis potissimum causa posuit. Plin. H. N. VIII. c. 43. etiam transitive *epulari pullos.*

111. *longius inde nefas abiit*, progressum est. Fast. IV, 85. *quo non livor abit?*

112. *prima hostia*, sc. Cereris. Fast. I, 348.

Prima Ceres avidae gavisa est sanguine porcae,
Ulta suas merita caede nocentis opes.

Varro de Re Rust. II. c. 4. *A suillo pecoris genere immolandi initium sumtum videtur. Cujus vestigia sunt, quod initiis Cereris porci immolantur: et quod initiis pacis, foedus cum feritur, porcus occiditur.*

113. *interceperit.* Conf. VIII, 292. — Cod. Bersm., Bas. 1. 2. 4., Cael., Farnes., Sulm., Zwicc., XI Heins. et ed. pr. *eruerat.* Iidem et Goth. 1. *interceperat.* Recte habet conjunctivus: est enim ex mente illorum dictum, qui primum suem sceleste mactarunt. Si vero scripsisset *eruerat* et *interceperat* ipse de suo causam addidisset.

114. *vite caper rosa.* Fast. I, 357.

Rode caper, vitem: tamen hinc cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Mactandus - ducitur plerique vetustiores Heins. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1., Zwicc., Vrat., multi Heins. et ed. pr. *mactatus - ducitur.* Nonnulli Heins. *mactatus ad a. Ultoris ductus.* Berol. et Pal. 2. *mactatur ad a. Ult. ductus.* Par. et reliqui *mactatus ad a. Dicitur ultoris.*

115. *nocuit sua culpa duobus, sui* et *apro.* Fast. I, 361.

Culpa sui nocuit, nocuit quoque culpa capellae.

duobus, ubi etiam *ambobus* locum habere poterat. Conf. v. 740. V, 441. VIII, 711.

116. *quid meruistis*, quid deliquistis. Fast. I, 367.

Quid bos, quid placidae commeruistis oves?

Varr. R. R. II. c. 1. *putant oves assumtas et propter utilitatem et propter placiditatem.* Conf. Terent. Ad. IV, 1, 18. — *in tuendos homines*, ut tueantur sc. et lacte et lana, ut statim sequitur. Hinc male in Bas. 1., Par. 2., altero Hamb., uno Mor., uno Pal. et Goth. 2. pro v. l. *inque tegendos.* — De *natus in* conf. XIV, 99. Hor. Od. I, 27, 1. *Natis in usum laetitiae scyphis.*

117. *nectar* tropice etiam de quovis potu dulci. Conf. VI, 356.

118. *vestras - lanas.* Berol., Bas. 1. et 2. in marg. *vestris lanis.*

120. *dolisque.* Ita cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Par. 1., Lips. 2., Vrat. et Zwicc., atque inde conjici potest de Heinsianis. — Goth. 1. et ed. pr. *dolisve.* Vulg. *doloque.* Leges antiquae parcere bubus aratoribus jubebant. Vid. Ael. V. H. VIII. c. 3. V. c. 14. Varr. R. R. II. c. 5. Plin. VIII. c. 45. Pythagoras discipulos suos βοὸς ἀροτῆρος ἀπέχεσθαι nominatim jusserat.

121. *natus* h. l. cum infinitivo, ut casu communi. Hor. Epist. I, 2, 27.

Nos numeri sumus et fruges consumere nati.

Vid. not. ad III, 615. V, 75. 146. et ad Trist. V, 7, 19. Cic. N. D. II. c. 63. de bubus: *cervices natae ad jugum, tum vires humerorum et latitudines ad aratra extrahenda.*

122 *immemor*, ingratus. — Vrat. pro v. l. et Bas. 2. pro v. l. *divum* pro *demum.*

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER QUINTUS DECIMUS.

Quaeritur interea, quis tantae pondera molis
Sustineat tantoque queat succedere regi.
Destinat imperio clarum praenuntia veri
Fama Numam. Non ille satis cognosse Sabinae
Gentis habet ritus; animo majora capaci
Concipit, et quae sit rerum natura requirit.
Hujus amor curae, patria Curibusque relictis,
Fecit, ut Herculei penetraret ad hospitis urbem.

1. *Numa e Sabinis Crotona proficiscitur, ut ibi Pythagoraeorum doctrinam cognosceret. Ubi urbis originem quaerenti narratur, Myscelum, Alemonis filium, Argivum, ab Hercule jussum urbem in Italia condere. Qui cum patriam relinquere voluisset, ob eam causam in jus vocatum omnesque civium calculos atros in albos mutatos esse. Quo facto absolutum emigrasse et Crotona condidisse.* Vid. Strab. VI. 1. 12. Livius L. I. Numam audisse Pythagoram gravibus argumentis refellit. Conf. Dionys. Hal. II. c. 59. et Cic. Tusc. IV. c. 1. Sed historiae scriptor munus suum explet, et poeta suum, sed diverso modo.

1. *quis.* Berol., Ox. et Goth. 1. *qui*, quod h. l., ut multis aliis, poetae temere obtrusit Heinsius.— *molis.* Trist. II, 221. ad Augustum:

Non ea te moles Romani nominis urget.

2. *tanto regi*, Romulo. XIV, 805 sqq. — *sustineat pondera molis.* Conf. II, 297.

3. *clarum.* Liv. I. c. 18. *Inclita justitia religioque ea tempestate Numae Pompilii erat.* — *Consultissimus vir omnis divini atque humani juris.* Conf. Flor. I. c. 2. et Fast. III, 275 sqq. — *praenuntia veri.* Virg. Aen. IV, 188. Fama

Tam ficti pravique tenax quam nuntia veri.

4. *Sabinae gentis.* Liv. I. c. 18. (Numa) *Curibus Sabinis habitabat. Cures* autem caput regionis Sabinae. — *ritus*, mores. — *satis habet*, qui acquiescit in aliqua re. Vid. interpp. Sallust. Jug. XXXI. c. 20.

5. Bas. 3. *usus gentis habet.*

6. *concipit*, cogitat, ad majora intendit animum. Conf. I, 777. *quae sit rerum natura*, communis antiquissimorum philosophorum inquisitio atque investigatio. Virg. Georg. II, 474 sqq. Hor. Epist. I, 12, 16 sqq.

7. *hujus curae*, hujus studii, ut v. 65. *Gierig.*

8. *Herculeus hospes* est Croton, qui Herculem, ex Hispania redeuntem ho-

Graja quis Italicis auctor posuisset in oris
Moenia, quaerenti sic e senioribus unus
Retulit indigenis, veteris non inscius aevi:
„Dives ab oceano bobus Jove natus Iberis
Litora felici tenuisse Lacinia cursu
Fertur et, armento teneras errante per herbas,
Ipse domum magni nec inhospita tecta Crotonis
Intrasse et requie longum relevasse laborem;
Atque ita discedens „„Aevo“ dixisse „nepotum
„„Hic locus urbis erit!““ promissaque vera fuerunt.
Nam fuit Argolico generatus Alemone quidam
Myscelos, illius dîs acceptissimus aevi:
Hunc super incumbens pressum gravitate soporis
Claviger alloquitur: „„Patrias, age, desere sedes!
„„I, pete diversi lapidosas Aesaris undas!““
„Et, nisi paruerit, multa ac metuenda minatur.
Post ea discedunt pariter somnusque deusque.
Surgit Alemonides, tacitaque recentia mente
Visa refert, pugnatque diu sententia secum:

spitaliter excepit, ut statim sequitur. Diod. IV. c. 25. — *penetraret*, perveniret.

9. „*quaerenti* (Numae), *quis auctor in Italicis oris Graja* (Crotonis) *moenia posuisset? Graja* autem moenia, quia Croton pars Graeciae Magnae in ea Italiae ora, quae postea Calabria dicta est.

11. *inscius*. St. Gall. et V Heins. *immemor*.

12. *Jove natus*, sc. ex Alcmena, est Hercules. VI, 112. — *dives Iberis bobus*, abactis bobus Geryonis apud Iberiam. Vid. IX, 184. Apollod. II. c. 5. Cod. Bersm., Bas. 1., Vrat., meliores Heins. et ed. pr. *bubus*. Reliqui *bobus*. Vid. not. ad XIV, 3.

13. *lit. Lacinia*. Promontorium est Lacinium in oriente Bruttii, ubi templum Junonis erat, de quo Liv. XXIV. c. 3.: *Sex millia aberat ab urbe* (Crotone) *nobile templum, ipsa urbe nobilius, Laciniae Junonis, sanctum omnibus circa populis*. Vid. v. 701. et Plin. N. H. III. c. 10.

15. *inhospita tecta*. Conf. I, 218.

18. *hic locus urbis erit*, hoc loco urbs condetur. — *aevo nepotum*, pro *olim, aliquando*.

19. *Argolico*, ex Argolide in Peloponneso.

20. *Myscelos*. Codices *Mycilus, Micylus, Mirsclus, Missilus*, al. Sed Strab. l. l. habet *Myscelos*. Hoc autem loco Latina forma videtur restituenda, quae in omnibus codicibus exstat. Strabone auctore L. VI. c. 1. Myscelus non Argivus, sed Achaeus s. Ripaeus fuit. Conf. Herod. VIII. c. 47. Strab. VIII.

21. *hunc super incumbens*. Conf. XI, 657.

22. *claviger* et *clavigerum numen* pro Hercule obvium; clavus enim constans Herculis telum atque insigne. Vid. v. 284. et ad IX, 114. — Hunc verborum ordinem Viv. et Ciof. e codicibus suis reposuerunt, eumque codex Bersm., castigatiores Heinsii, Bas. 1. 2., St. Gall., Goth. 1., Par. 2. in lit., Vrat., Zwicc. et ed. pr. confirmant. Quidam Viv., Par. 1. et reliqui *Cl. alloquitur: lapid. Aesaris undas I pete diversi, patrias age desere sedes*. Praeterea codd. Viv., Dresd. a 1. m., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *et pete*, quod verum videtur. — Codex Bersm., Dresd. a 2. m., Farnes., Par. 1. 2., Sulm. et vulg. *i pete*. *Jahn*.

25. *Aesar* vel Aesarus fluvius ea Italiae parte quae Calabria dicitur. Liv. XXIV. c. 3. *flumen, quod medio oppido* (Crotone) *fluxerat, extra frequentia tectis loca praeterfluebat*. Strab. VI. c. 1. — *diversi*, ut *diverso orbe* II, 323. Art. A. III, 124.

Lectaque diverso litore concha venit.

lapidosas, calculos multos habentes. Fast. III, 273. *lapidosus rivus*.

26. *recentia - visa*. Bas. 1. et a recent. m. Bas. 2., Jur., Mor. 1., Ox. et IV alii Heins. *recondita - visa*. — *mente refert*. Conf. I, 165.

27. *pugnatque - secum*. Hor. Epist.

Numen abire jubet, prohibent discedere leges,
Poenaque mors posita est patriam mutare volenti.
Candidus oceano nitidum caput abdiderat Sol,
Et caput extulerat densissima sidereum Nox;
Visus adesse idem deus est eademque monere,
Et, nisi paruerit, plura et graviora minari.
Pertimuit, patriumque simul transferre parabat
In sedes penetrale novas. Fit murmur in urbe,
Spretarumque agitur legum reus, utque peracta est
Causa prior, crimenque patet sine teste probatum;
Squalidus ad superos tollens reus ora manusque
„„O cujus coelum bis sex fecere labores,
Fer precor“ inquit „opem: nam tu mihi criminis auctor.““
„Mos erat antiquus, niveis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absolvere culpa.

I, 1, 97. *mea quum pugnat sententia secum.* Conf. infra v. 648.

28. Lycurgi et Saleuci legibus e patria migrare non licebat; mitiores Solonis leges permittebant. Vid. Plat. Crit.

30. *candidus*, a puro nitore. Tib. I, 3, 94. *candida Aurora. Lucifer albus* infra v. 189. Her. XVI, 320.

Candidior medio nox erit illa die.

Monosyllaba illa in fine v. 30. et 31. cum vi sibi respondent, et omnino quaesitam illi versus habent concinnitatem. Conf. VII, 633. Virg. A. II, 250. *ruit oceano nox.* V, 92.

— et lux tarde discedere visa
Praecipitatur aquis et aquis nox surgit ab isdem.

34. *patrium - penetrale*, patrios penates et sacra, continens pro contento: nam penates stabant in penetrali. Conf. XII, 245. Virg. A. I, 6. de Aenea: *dum conderet urbem inferretque deos Latio.* — Bas. 3. *extimuit.* Berol. *extremuit.* Mor. 1. *patriumque palam.*

36. *agiturque reus*, accusatur, ex jure; apud Nasonem imprimis frequens formula. Vid. not. ad Trist. I, 1, 24.

37. *causa prior*, prior causae pars, sc. auditis accusatoribus et reo. — *patet sine teste probatum;* nam ipse Myscelus erat confessus. Scripturam *crimenque patet* confirmant Dresd., Lips. 2., Sulm., Zwicc., meliores Heinsii et edd. Venn. Nam vulg. *crimenque patens*, quod mendosum est.

38. *squalidus* de more reorum, qui ad misericordiam commovendam nigras vestes induerent, capillos et barbam promitterent. Conf. II, 381. — Scripturam *tollens* tuentur uterque Bersm., Berol., Capran., Farnes., Goth. 1., Par. 2., Sulm., Twisd. 1. 2., Ursin., Vrat. et ed. pr. — Reliqui *tendens*, constanti horum verborum permutatione. Utrum verum sit, nonnisi accuratissima codicum collatione sciri potest.

39. „*o cujus coelum*, cujus numen et immortalitatem, *bis sex fecere labores*, qui bis sex laboribus immortalitatem et coelum tibi peperisti.“ Quem simplicem loci sensum cum non caperent librarii, scripturam vario modo corruperunt. Nam Arond., Goth. 2., unus Vat. Ciof., Lips. 2., X Heins. et margo Farnes. *o tu quem celebrem*, Lips. 2. *tum* pro *tu.* Unus Medic. et Ox. *o cujus celebrem.* Bas. 4. a 2. m., Bas. 3. in marg. *o tu quem coelum.* Reliqui omnes, ut edidimus. — *bis sex* Herculis labores supra IX, 182 sqq. memorati sunt.

41. *antiquus.* Ita recte edidit Heinsius, idque codex Bersm., Berol., Cael., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 2., Vrat. et ed. pr. tuentur. Vulgo *antiquis*, quod probabile est illis ablativis *niveis - lapillis* originem suam debere. — *lapillis*, ψήφῳ οἷς. Postea etiam fabae usurpabantur.

42. *absolvere culpa.* Thu. et Medic. 4. *culpae.* Viv. codd. *culpa* v. *culpas.* Dresd, Goth. 1., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et XIII Heins. *culpas.* Cod. Bersm., Berol., Par. 2., XXV Heins. et ed. pr. *culpam.* Par. 1., Bas. 2. a 2. m. et reliqui cum edd. Venn. et Parm. *abs. culpa*, quod verum videtur. Nam *culpae* parvam habet auctoritatem, *culpam* et *culpas* a consuetudine dicendi abhorrent et minus concinna sunt.

Tunc quoque sic lata est sententia tristis, et omnis
Calculus immitem demittitur ater in urnam.
Quae simul effudit numerandos versa lapillos;
Omnibus e nigro color est mutatus in album,
Candidaque Herculeo sententia numine facta
Solvit Alemoniden. Grates agit ille parenti
Amphitryoniadae, ventisque faventibus aequor
Navigat Ionium, Lacedaemoniumque Tarentum
Praeterit et Sybarin Salentinumque Neretum
Thurinosque sinus Temesenque et Iapygis arva.
Vixque pererratis, quae spectant litora, terris,
Invenit Aesarei fatalia fluminis ora,
Nec procul hinc tumulum, sub quo sacrata Crotonis
Ossa tegebat humus, jussaque ibi moenia terra
Condidit, et nomen tumulati traxit in urbem.“
Talia constabat certa primordia fama
Esse loci positaeque Italis in finibus urbis.
Vir fuit hic, ortu Samius; sed fugerat una

43. *tunc quoque.* Unus Heins. *nunc quoque.* Codd. Viv., Vrat., Bas. 1. 2. et ed. pr. *tum quoque.* Reliqui *tunc quoque.*

44. *calculus – in urnam.* Prop. IV, 11, 49.

Quamlibet austeras de me ferat urna tabellas.

Dresd., Zwicc. et vett. edd. *dimittitur.*

47. *Herc. numine*, Herculis vi ac potestate divina. Bas. 1. 3. 4. et X Heins. *Herc. munere.* — *numine* etiam gravius est.

48. *Amphitryoniadae*, Herculi, (vid. IX, 140.), qui *parens* dicitur, ut di saepe *patres* appellantur.

50. *Tarentum Lacedaemonium* vocatur, quia Lacedaemonii Phalanto duce alteri ejus conditores fuerunt. Pausan. Phoc. p. 822. Strab. VI. p. 426. Justin. III. c. 4. Hor. Od. II, 6, 11. *regnata petam Laconi rura Phalanto;* ubi vid. interpp.

51. *Sybaris* oppidum et idem ad sinum Tarentinum situm, postea Thurium vocatum. Plin. H. N. III. c. 11. *Oppidum Croto, amnis Neaethus. Oppidum Thurium inter duos amnes Arathin et Sybarin, ubi urbs eodem nomine.* – Deinde pluribus interjectis; *Barion ante Iapyx a Daedali filio, a quo et Iapygia.* — Pro *Neretum* nonnullae editiones *Neaethum.* Cod. Cael., Sulm. III Vatt. Ciof. *Veretum* et alius Vat. *Verethum.* Reliqui omnes *Neretum* aut *Nerethum.* „*Neanthum* Regius ob nullam aliam causam invexit, quam quod meminerat, Strabonem hunc facere Salentinorum fluvium.“ *Gier.* Sed *Neretum* recte habet, quod est oppidum Salentinorum. Plin. l. l. Ptol. III. c. 1.

52. *Thurinosque sinus. Thurium* s. *Thurii* urbs ab Atheniensibus condita, quo loco Sybaris fuerat. Conf. Strab. VI. c. 1. — *Temese* oppidum Bruttiorum ad Tyrrhenum mare situm. Conf. VII, 207. Mela II. c. 4. Strab. VI. c. 1. Sed *Temese* parum aptum Mysceli itineri, certe reliqua loca omnia ad Ionium sita sunt: ut Naso h. l. parum accuratus fuisse videatur. Nam, quod pauci codd. exhibent *Nemesen*, *Nemesem* et *Nomesen*, incognita nomina sunt. Burmannus conjecit *Crimisenque*, vel *Camerenque* ex Fast. III, 582. vel *Temenenque* ex Liv. XXV. c. 9. — *Iapygis arva.* Iapygia fuit regio in extrema Italia inter Tarentum et Brundusium. Plin. l. l. *amnes, Iapyx* a Daedali filio rege, a quo et *Iagygia.*

54. *fatalia*, jussa, ab Hercule numine ei assignata. — VII Heins., marg. Bas. 4. et margo Bersm. *fat. – arva.*

55. *Crotonis.* Vid. 15. — *sacrata*, quia ea violare nefas.

57. *traxit*, transtulit.

60. *Numa Crotone Pythagorae Samii doctrina imbuitur, praecipue de metempsychosi ac de mutatione ac transformatione rerum.* Vid. not. ad v. 1.

60. Pythagoras e causis h. l. significatis Samo patria fugerat. — *hic*, Crotone.

Et Samon et dominos, odioque tyrannidis exsul
Sponte erat. Isque, licet coeli regione remotus,
Mente deos adiit, et quae natura negabat
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.
Cumque animo et vigili perspexerat omnia cura;
In medium discenda dabat, coetusque silentum
Dictaque mirantum magni primordia mundi
Et rerum causas et, quid natura, docebat,
Quid deus, unde nives, quae fulminis esset origo,
Jupiter an venti discussa nube tonarent,
Quid quateret terras, qua sidera lege mearent,
Et quodcumque latet. Primusque animalia mensis
Arguit imponi, primus quoque talibus ora
Docta quidem solvit, sed non et credita, verbis:
„Parcite, mortales, dapibus temerare nefandis
Corpora: sunt fruges, sunt deducentia ramos

61. *domini* sunt tyranni Polycrates et Syloson, ejus frater, a quibus, reversus a peregrinatione, qua Aegyptum lustraverat Persarumque magos adierat (Cic. Fin. V. c. 29.), patriam oppressam reperit. Herod. III. c. 39. Diog. Laert. VIII. c. 47. Plut. de Placit. I. c. 3. — *exsul* etiam qui sponte patriam deserit.

62. *remotus*. Ambr. 1., Bas. 3., Dresd. et Hamb. et pro v. l. Par. 2. *remotos*, quod praepropere deditHeinsius. — *coeli regione* est quantum coelum est, quantum spatii inter terram et deorum sedem est. — De producta syllaba *it* v. 63. vid. ad I, 114. et X, 15. IX, 611. — *mente deos adiit* h. l. de studio divina ac coelestia cognoscendi. — Unus Medic. *negarat*.

64. *pectoris*, mentis. — *hausit*, percepit, cognovit.

65. *in medium dare*, ut *in medium proferre*, est in communem usum dare s. tradere. Cic. Off. I. c. 7. *communes utilitates in medium afferre*.

66. *coetusque*. Ita Bas. 1. 3. 4., Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1., Lips. 2., Zwicc. et plerique vetustiores Heinsii. — Reliqui cum vett. edd. *coetumque*. Prius gravius est. — *silentium*, quia discipuli Pythagorae per primos V annos tacere debebant et tantum audire, quae ἐχεμυθία Pythagoreorum dicta est. Dicta autem ejus admirabantur adeo, ut in disputando, quare ita esset, responderent: *Ipse dixit*, ut denique ex domo ejus templum facerent ipsumque pro deo colerent. Justin. XX. c. 4. Lucian. Vit. auct. c. 3. — Ceterum de his antiquae philosophiae quaestionibus conf. Virg. Georg. II, 475. ad fin. Prop. III, 3, 47 sqq. Lucret. I, 194. ibique interpp. — Hor. Od. I, 28, 14. de Pythagora: *non sordidus auctor naturae verique*.

68. *quid natura*. Bas. 3. *quae natura*.

69. *quid deus*, i. e. quae natura dei s. deorum. Cod. Bersm., Dresd., Mor. 1., Pal. 2., Par. 2. et VIII Heinsii *quis deus*.

70. *Jupiter, an venti*. *Jovem tonare* persuasio vulgi, alterum erat opinio physicorum. Vid. not. ad I, 56. — *discussa nube*, ut XI, 522. *discutiunt nubes*.

71. *quid quateret terras*, de terrae motu accipiendum. — *meare* et *meatus* de sideribus. Lucret. I, 129. ubi vid. Wakefield. Cic. de Nat. D. II. c. 19. *sidera ab ortu ad occasum commeantia*. — Bas. 2. et Mor. *micarent*. Cod. Bersm. et Bas. 3. *manerent*.

72. „*et* (omnino) *quodcunque latet*.“

73. *arguit*, reprehendit, increpuit, nefas esse docuit. Cod. Bersm., Arond., Barb., Bas. 1., Pal. 2., Jur., Sulm. et unus Voss. *arcuit*, quod cupidius arripuit Heinsius.

74. *sed non et credita*, sc. a vulgo. Conf. VII, 98. Virg. A. II, 247.

Ora dei jussu non unquam credita Teucris.

75. *parcite*, nolite, ut saepe (conf. v. 174.) quae est oratio supplicantis et deprecantis. Vid. ad Trist. I, 2, 2. — *nefandis*, abominandis, a natura homini non destinatis. *Gier.*

76. *deducentia ramos - poma*. Conf. XIII, 812. Remed. A. v. 175. *curvatos pomorum pondere ramos*.

Pondere poma suo, tumidaeque in vitibus uvae;
Sunt herbae dulces, sunt, quae mitescere flamma
Mollirique queant; nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia flore.
Prodiga divitias alimentaque mitia tellus
Suggerit atque epulas sine caede et sanguine praebet.
Carne ferae sedant jejunia, nec tamen omnes:
Quippe equus, et pecudes armentaque gramine vivunt.
At quibus ingenium est immansuetumque ferumque,
Armeniae tigres iracundique leones
Cumque lupis ursi, dapibus cum sanguine gaudent.
Heu quantum scelus est, in viscera viscera condi,
Congestoque avidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusque animantem animantis vivere leto!
Scilicet in tantis opibus, quas optima matrum
Terra creat, nil te nisi tristia mandere saevo
Vulnera dente juvat, ritusque referre Cyclopum;

78. *herbae dulces* ac mites (sc. per se) h. l. opponuntur iis, quae mitescere flamma queant. — Berol. et III Heins. *flammis*. Antiquus cod. Viv., Briant., Cael., Sulm. et II Heins. *mitescere possunt* (Viv. *possint*) *et mollire famem*, manifesta interpolatio. Absurdi librarii est inventio scriptura Genev. *mitescere ventrem Et laxare queant*.

79. *lacteus humor*, lac. Eadem periphrasis IX, 358.

80. *redol. flore*. Par. 1. 2., Berol. a 1. m., Goth. 2., Thu. et X alii Heins. *florem*, quod idem Heinsius sine justa causa novavit, quamvis *redolere aliquid* non raro legatur. Hor. Sat. I, 3, 27. *pastillos Rufillus olet*. Prop. III, 1, 16. Vid. Met. V, 405. Her. XV, 75.

Non Arabo noster rore capillus olet.

Virg. Georg. IV, 169.

— redolentque thymo fragrantia mella.

De *thymo* conf. Art. A. I, 93.

81. *mitia*, hominis naturae apta. opponitur feris carnis epulis. Saepe de solis frugibus dicitur. Conf. II, 288.

83. *suggerit*, subministrat. Sic Lucret. I, 7. *tellus submittit flores*. — *mitia*, non fera et sanguinea. II, 288.

85. *ingenium*, natura, animus.

86. *Armeniae* h. l. adjectivum et pro *ferae* est. Prop. I, 9, 19. *Armenias tigres*. Conf. VIII, 121. — Nor., Lips. 2. et IV Heins. *Armeniacque*, quod cupidius arripuit Heinsius, et fluxit ex VIII, 121., ubi tamen alia ratio sententiae est. — *tigris* priorem corripit et producit. Vid. Amor. II, 14, 35. et Met. VIII, 121. *Armeniae* autem adjectivum ut Prop. l. l. Amor. I. l. Tib. III, 6, 15.

87. *dapibus cum sanguine*, h. e. dapibus *sanguineis* vel *non sine sanguine*. Virg. A. II, 72. *poenas cum sanguine poscunt*. Aen. IV, 514. *herbae nigri cum lacte veneni*.

88. „*viscera* (q. e. carnes.) *in viscera* (in ventrem) *condi*.“ Bas. 1., Berol., quidam Viv. et nonnulli recentiores Heins. et ed. pr. *in viscere*. Conf. v. 458.

89. *congestoque - corpore*, congestis carnibus. Conf. VI, 651. — *pinguescere* cum invidia dictum pro nutriri.

90. *scilicet* indignantis est. V, 22.

92. *oreat*. Ita Dresd., Goth. 2., Par. 1. et plerique (?) vetustiores Heinsii. Voss. *parat*, q. e. *parit*. Reliqui omnes cum vett. edd. *creat*, quod revocavimus. Deinde Grou. et a 1. m. Vrat. *laeto*.

93. *vulnera*, vulneribus s. morsibus lacerata. I, 190. *vulnus recidere*, partem vulnere morbidam. — *Ritus* illos Cyclopum describit Virg. A. III, 623.

Vidi egomet, duo de numero quum corpora nostro
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent
Limina; vidi atro quum membra fluentia tabo
Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus.

Conf. Met. XIV, 205 seqq.

Nec, nisi perdideris alium, placare voracis
Et male morati poteris jejunia ventris? 95
At vetus illa aetas, cui fecimus aurea nomen,
Fetibus arboreis et, quas humus educat, herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
Tunc et aves tutae movere per aëra pennas,
Et lepus impavidus mediis erravit in arvis, 100
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo,
Cuncta sine insidiis, nullamque timentia fraudem,
Plenaque pacis erant. Postquam non utilis auctor
Victibus invidit, quisquis fuit ille, deorum,
Corporeasque dapes avidam demersit in alvum; 105
Fecit iter sceleri, primoque e caede ferarum
Incaluisse putes maculatum sanguine ferrum:
Idque satis fuerat, nostrumque petentia letum
Corpora missa neci salva pietate fatemur:
Sed quam danda neci, tam non epulanda fuerunt. 110

94. *placare jejunia.* Conf. VIII, 848.

95. *male morati*, incontinentis, impotentis.

96. *cui fecimus aurea nomen.* Conf. I, 169. VI, 400. X, 223. XV, 740. Sueton. Claud. c. 24. *Gabinio - cognomen Chaucius usurpare concessit.* De aetate aurea vid. I, 88 sqq.

97. *foetibus arboreis* cum respectu ad *foetus animantium* dictum.

99. *tutae.* Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Jur., Medic. 4., Mor. 1., Par. 1. 2., Lips. 2., Thu., Vrat., Zwicc., VI Heins. et vett. edd. *tutae.* Reliqui *tutas.* Utrumque recte dicitur; sed prius majorem habere auctoritatem vetustatis videtur, et concinnius est: nam sequitur *lepus impavidus mediis in arvis*, quod respondet illis *aves tutae per aëra* hujus versus. Unus Heins. *tunc volucres tutas.*

100. *in arvis.* Berol., Zwicc. et vetustiores Heinsii *in agris.* Conf. I, 533.

101. *nec sua credulitas.* Conf. VIII, 859. XIII, 934.

103. *non utilis* per λιτότητα perniciosissimus. Conf. XIII, 38. XIV, 590.

104. *deorum.* Bas. 3., Cantabr., alter Hamb., II Heins. et margo Goth. 2. *virorum.* Reliqui omnes cum vett. edd. *deorum*, quod mihi verum videtur. *Victus deorum* sunt victus simplices, quos di hominibus dederunt et ut aptos humanae naturae assignaverunt, fruges, poma, herbae. Pessima est interpunctio, *quisquis fuit ille deorum*, quo scelus illud ipsis dis tribuitur; et manca est sententia quia, in illo *victibus* aliquid deest, quod illis *corporeis dapibus* v. 105. opponatur. Atque idem valet de scriptura *quisquis fuit ille virorum.* Nec recta est interpretatio *victibus virorum* esse pro *victibus humanis*; ac *virorum* parvam habet auctoritatem vetustatis. Conjecturae sunt *priorum*, *ferorum*, *ferarum*, *leonum*, al. — *invidit*, contemsit.

105. *corporeas*, e corporibus sive animalibus. — Dresd., Goth. 2. et Vrat. *dimisit.* Zwicc. et VIII Heins. *demisit*, quod fluxit ex VIII, 837. Reliqui *demersit*, quod gravius, quia rei invidiam magis declarat. Conf. VI, 664.

106. *fecit iter sceleri etc.* viam aperuit ad animalia mactanda. Ac primum quidem sciendum est maculatum esse ferarum sanguine et incaluisse e caede ferarum. — Illi *primo* respondet illud *inde* v. 111., quare Heinsius novare non debebat *primaque* quod nonnisi Bas. 2., Argent. et Zwicc. exhibent.

107. *putes.* Ita vetus codex Bersm., Bas. 1., in marg. Par. 2., Cael., Hamb. 1., Neap., Urb., Sulm., III Heins. et vett. edd. — Vrat. et III Heins. *putem.* Reliqui fere omnes *potest*; non male.

108. *idque satis fuerat*, non ulterius debebant progredi. — S. Gall. a 1. m. *fuerit.* Mendose. Conf. Her. V, 69.

109. *corpora nostrum letum petentia* sunt corpora ferarum. — *salva pietate*, i. e. non laesa quae animantibus debetur pietate. De illo *missa neci* conf. VII, 606. Conf. etiam not. ad III, 695.

110. De illo *quam - tam* conf. XII, 220. et IV, 211. — *epulandus* in modo

Longius inde nefas abiit, et prima putatur
Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperit anni;
Vite caper morsa Bacchi mactandus ad aras
Ducitur ultoris: nocuit sua culpa duobus;
Quid meruistis, oves, placidum pecus inque tuendos
Natum homines, pleno quae fertis in ubere nectar,
Mollia quae nobis vestras velamina lanas
Praebetis, vitaque magis quam morte juvatis?
Quid meruere boves, animal sine fraude dolisque,
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?
Immemor est demum nec frugum munere dignus,

patiendi etiam Senec. Troad. 1109. *Nec parva gregibus membra Diomedes suis Epulanda posuit.* Vid. not. ad Her. I, 50. Sed h. l. *epulanda* propter illud *danda*, h. e. concinnitatis potissimum causa posuit. Plin. H. N. VIII. c. 43. etiam transitive *epulari pullos.*

111. *longius inde nefas abiit*, progressum est. Fast. IV, 85. *quo non livor abit?*

112. *prima hostia*, sc. Cereris. Fast. I, 348.

Prima Ceres avidae gavisa est sanguine porcae,
Ulta suas merita caede nocentis opes.

Varro de Re Rust. II. c. 4. *A suillo pecoris genere immolandi initium sumtum videtur. Cujus vestigia sunt, quod initiis Cereris porci immolantur: et quod initiis pacis, foedus cum feritur, porcus occiditur.*

113. *interceperit.* Conf. VIII, 292. — Cod. Bersm., Bas. 1. 2. 4., Cael., Farnes., Sulm., Zwicc., XI Heins. et ed. pr. *eruerat.* Iidem et Goth. 1. *interceperat.* Recte habet conjunctivus: est enim ex mente illorum dictum, qui primum suem sceleste mactarunt. Si vero scripsisset *eruerat* et *interceperat* ipse de suo causam addidisset.

114. *vite caper rosa.* Fast. I, 357.

Rode caper, vitem: tamen hinc cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Mactandus - ducitur plerique vetustiores Heins. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1., Zwicc., Vrat., multi Heins. et ed. pr. *mactatus - ducitur.* Nonnulli Heins. *mactatus ad a. Ultoris ductus.* Berol. et Pal. 2. *mactatur ad a. Ult. ductus.* Par. et reliqui *mactatus ad a. Dicitur ultoris.*

115. *nocuit sua culpa duobus, sui* et *apro.* Fast. I, 361.

Culpa sui nocuit, nocuit quoque culpa capellae.

duobus, ubi etiam *ambobus* locum habere poterat. Conf. v. 740. V, 441. VIII, 711.

116. *quid meruistis*, quid deliquistis. Fast. I, 367.

Quid bos, quid placidae commeruistis oves?

Varr. R. R. II. c. 1. *putant oves assumtas et propter utilitatem et propter placiditatem.* Conf. Terent. Ad. IV, 1, 18. — *in tuendos homines*, ut tueantur - sc. et lacte et lana, ut statim sequitur. Hinc male in Bas. 1., Par. 2., altero Hamb., uno Mor., uno Pal. et Goth. 2. pro v. l. *inque tegendos.* — De *natus in* conf. XIV, 99. Hor. Od. I, 27, 1. *Natis in usum laetitiae scyphis.*

117. *nectar* tropice etiam de quovis potu dulci. Conf. VI, 356.

118. *vestras - lanas.* Berol., Bas. 1. et 2. in marg. *vestris lanis.*

120. *dolisque.* Ita cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Par. 1., Lips. 2., Vrat. et Zwicc., atque inde conjici potest de Heinsianis. — Goth. 1. et ed. pr. *dolisve.* Vulg. *doloque.* Leges antiquae parcere bubus aratoribus jubebant. Vid. Ael. V. H. VIII. c. 3. V. c. 14. Varr. R. R. II. c. 5. Plin. VIII. c. 45. Pythagoras discipulos suos *βοὸς ἀροτῆρος ἀπέχεσθαι* nominatim jusserat.

121. *natus* h. l. cum infinitivo, ut casu communi. Hor. Epist. I, 2, 27.

Nos numeri sumus et fruges consumere nati.

Vid. not. ad III, 615. V, 75. 146. et ad Trist. V, 7, 19. Cic. N. D. II. c. 63. de bubus: *cervices natae ad jugum, tum vires humerorum et latitudines ad aratra extrahenda.*

122 *immemor*, ingratus. — Vrat. pro v. l. et Bas. 2. pro v. l. *divum* pro *demum.*

Qui potuit curvi demto modo pondere aratri
Ruricolam mactare suum, qui trita labore
Illa, quibus toties durum renovaverat arvum,
Tot dederat messes, percussit colla securi.
Nec satis est, quod tale nefas committitur: ipsos
Inscripsere deos sceleri, numenque supernum
Caede laboriferi credunt gaudere juvenci.
Victima labe carens et praestantissima forma -
Nam placuisse nocet -, vittis praesignis et auro,
Sistitur ante aras, auditque ignara precantem,
Imponique suae videt inter cornua fronti,
Quas coluit, fruges, percussaque sanguine cultros
Inficit in liquida praevisos forsitan unda.
Protinus ereptas viventi corpore fibras
Inspiciunt, mentesque deûm scrutantur in illis.
Unde fames homini vetitorum tanta ciborum?
Audetis vesci, genus o mortale? Quod, oro,
Ne facite, et monitis animos advertite nostris,
Cumque boum dabitis caesorum membra palato,
Mandere vos vestros scite et sentite colonos.

124. *ruricolam - suum.* Conf. V, 479. — 126. Bas. 2. et II alii Heins. *dederant.* Male.

127. *ipsos inscrips. deos sceleri*, i. e. scelus ad deos tanquam auctores retulerunt, dis imputarunt. Conf. X, 199. Senec. de brev. vit. c. 15. *vitiis auctores inscribere deos.* Met. X, 199. *dextram inscribere leto.*

128. *numenque supernum.* Universe dictum, licet Jovem significet, cui potissimum tauri immolabantur. Vid. IV, 756. Fast. I, 579. — 129. Dresd. et St. Gall. *placare.*

131. *nam placuisse nocet.* Conf. I, 662. IX, 478. — *vittis et auro praesignis. aurum* accipiendum de more cornua victimarum auro obducendi. Vid. VII, 161. et 429. Virg. Aen. IX, 627. Cic. de Div. II. c. 30. — Pro *nam* cod. Bersm., Zwicc. et multi (?) Heins. *jam*, et pro *praesignis* unus Bas., unus Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1., Par. 2., Vrat., deteriores Heinsii et ed. pr. *insignis.* Codd. Ciof. et reliqui cum edd. Venn. *praesignis.*

132. *ignara* sc. quid sibi paretur.

134. *fruges*, molam salsam, qua spargebatur victima. Vid. interpp. ad Virg. Aen. XII, 173. Mor. 1. *segetes.*

135. *unda*, sc. quae adstabat ad res sacras purgandas aut manus abluendas. — *liquida*, pura. III, 486. Ceterum argutatur poeta in illo *praevisos.* Conf. Fast. I, 327.

136. Cod. Bersm., Dresd., Franc., Goth. 2., Par. 1., Sulm., Vrat. et plurimi Heins. cum vett. edd. *corpore*, quod verum videtur, etiam sententiae causa; nam *fibras eripi corpore* rectius dicitur, quam *pectore.* — Fibrae autem tenuissimae extorum partes, quas potissimum inspiciebant haruspices. *Prosecta* in Fastis vocantur. Tibull. I, 8, 3.

Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra deorum,
Praecinit eventus nec mihi cantus avis.

137. *mentesque.* Unus Medic. *mentemque.* Sil. It. V, 59. *mentes deorum explorare.*

138. *unde fames.* Vrat. *vetitorum est.* Goth. 1., Pal. 2., Lips. 2., Zwicc. *cupido est.* Reliqui codices et vett. edd. *unde fames:* iidem *est* omittunt. „Postquam poeta demonstravit, quam male agant ii, qui bovem mactent, quamque temerarii sint, quod deos huic sceleri inscribant, recurrit ad sententiam primariam et indignabundus exclamat: Unde tandem tanta fames vetitorum ciborum homini est. Ut boves diis immolandos censeatis: qui fit ut vos quoque iis vesci audeatis? Versus igitur minime otiosus vel debilis.“ Haec recte disputavit contra Bothium *Jahn.*

139. *genus o mortale.* Cod. Bersm. *genus immortale.* Male.

142. *vestros colonos*, ut *ruricolam suum.* v. 124.

Et quoniam deus ora movet, sequar ora moventem
Rite deum, Delphosque meos ipsumque recludam
Aethera et augustae reserabo oracula mentis.
Magna nec ingeniis evestigata priorum,
Quaeque diu latuere, canam! Juvat ire per alta
Astra, juvat, terris et inerti sede relicta,
Nube vehi, validique humeris insistere Atlantis,
Palantesque homines passim ac rationis egentes
Despectare procul, trepidosque obitumque timentes
Sic exhortari, seriemque evolvere fati:
O genus attonitum gelidae formidine mortis,
Quid Styga, quid tenebras et nomina vana timetis,
Materiem vatum, falsique pericula mundi?
Corpora sive rogus flamma seu tabe vetustas
Abstulerit; mala posse pati non ulla putetis:
Morte carent animae, semperque, priore relicta

143. *ora movet*, ora mea solvit, ut loquantur.

144. *Delphos - meos*, sapientiam meam, metonymia: nam Delphis suis Apollo responsa dabat. IX, 332. — *rite*, ut fas est.

145. *aethera*, res coelestes. — *augustae*, altae ac divinae. I, 76.

146. *evestigata*. Ita cod. Bersm., Par. 2., Bas. 2. pro v. l., Berol., Mor. 1., Thu., Vrat. et X Heins. Vid. Senec. Contr. II. c. 9. Reliqui cum vett. edd. *investigata*, quod cum longe majorem habeat vett. librorum auctoritatem nescio an germanum putem; nam *investigata* etiam valet *investigando explorata*.

147. *juvat ire*, mente me attollam. — *per alta astra*. Cod. Bersm., Par. 2., Lips. 2., multi Heins. et ed. pr. *per astra alta*.

148. *iners* terra saepe dicitur q. e. immota, et mobili aëri opponitur. De illo *et* cum vi explicandi vid. not. ad I, 21. IV, 757. — Jun. *relictis*, quod temere recepit Heinsius.

149. *humeris Atlantis*. Vid. IV, 657 sqq. De quantitate hujus nominis vid. ad IV, 644.

150. *palantes*, huc illuc errantes. Locus colorem duxit ex Lucret. II, 7 seqq.

Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere,
Edita doctrina sapientum, templa serena;
Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare atque viam palanteis quaerere vitae.

Zwicc. *pallantesque*, sed a rec. m. *pallentesque*, quod etiam Dresd. habet. Frustra. — Vetus cod. Pol. et unus Medic. *animos*, quod temere edidit Heinsius. — Deinde Berol., Dresd., Lips. 2., Vrat. et quidam Heins. *passim et rat.* Codd. Viv., nonnulli e vetustioribus Heins., edd. Venn. et vulg. *passim ac rat.* Sed cod. Bersm., reliqui Heins., Zwicc. et ed. pr. *ac* omittunt Denique quidam Heins. et Viv. codd., Dresd. et margo Bas. *ratione carentes*. Quanta depravatio in uno versiculo.

152. *evolvere*, explicare, narrare, metaphora a libris repetita, qui evolvuntur. — *seriem*, ordinem. Conf. Virg. A. IX, 528.

Et mecum ingentis oras (Musae) *evolvite belli.*

153. *attonitum*. X, 154.

154. *Styga*. I, 139. *tenebras* sc. Orci. — Goth. 1. et nonnulli Heinsii *quid nomina*, quod de more suo cupide arripuit Heinsius. Vid. ad XIII, 12.

155. *falsique pericula mundi*, pericula, poenas et terrores ficti regni et sedis defunctorum. Conf. IV, 457 sqq. — Neap. et unus Voss. *piacula*, quod temere recepit Heinsius. *materiem vatum*, in quibus describendis et augendis vates versantur.

157. Sensus est: *non putetis, corpora, sive rogus flamma seu vetustas tabe absumserit, mala* (adhuc) *ulla pati posse. animae* (autem) *morte carent, neque in tartarum, ut vulgo credunt, perveniunt etc.* Cod. St. Gall. *vidctis*.

158. Sequitur celebratum illud Pythagorae dogma de transformatione et

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER QUINTUS DECIMUS.

Quaeritur interea, quis tantae pondera molis
Sustineat tantoque queat succedere regi.
Destinat imperio clarum praenuntia veri
Fama Numam. Non ille satis cognosse Sabinae
Gentis habet ritus; animo majora capaci
Concipit, et quae sit rerum natura requirit.
Hujus amor curae, patria Curibusque relictis,
Fecit, ut Herculei penetraret ad hospitis urbem.

1. *Numa e Sabinis Crotona proficiscitur, ut ibi Pythagoraeorum doctrinam cognosceret. Ubi urbis originem quaerenti narratur, Myscelum, Alemonis filium, Argivum, ab Hercule jussum urbem in Italia condere. Qui cum patriam relinquere voluisset, ob eam causam in jus vocatum omnesque civium calculos atros in albos mutatos esse. Quo facto absolutum emigrasse et Crotona condidisse.* Vid. Strab. VI. 1. 12. Livius L. I. Numam audisse Pythagoram gravibus argumentis refellit. Conf. Dionys. Hal. II. c. 59. et Cic. Tusc. IV. c. 1. Sed historiae scriptor munus suum explet, et poeta suum, sed diverso modo.

1. *quis.* Berol., Ox. et Goth. 1. *qui*, quod h. l., ut multis aliis, poetae temere obtrusit Heinsius.— *molis.* Trist. II, 221. ad Augustum:

Non ea te moles Romani nominis urget.

2. *tanto regi*, Romulo. XIV, 805 sqq. — *sustineat pondera molis.* Conf. II, 297.

3. *clarum.* Liv. I. c. 18. *Inclita justitia religioque ea tempestate Numae Pompilii erat.* — *Consultissimus vir omnis divini atque humani juris.* Conf. Flor. I. c. 2. et Fast. III, 275 sqq. — *praenuntia veri.* Virg. Aen. IV, 188. Fama

Tam ficti pravique tenax quam nuntia veri.

4. *Sabinae gentis.* Liv. I. c. 18. (Numa) *Curibus Sabinis habitabat. Cures* autem caput regionis Sabinae. — *ritus*, mores. — *satis habet*, qui acquiescit in aliqua re. Vid. interpp. Sallust. Jug. XXXI. c. 20.

5. Bas. 3. *usus gentis habet.*

6. *concipit*, cogitat, ad majora intendit animum. Conf. I, 777. *quae sit rerum natura*, communis antiquissimorum philosophorum inquisitio atque investigatio. Virg. Georg. II, 474 sqq. Hor. Epist. I, 12, 16 sqq.

7. *hujus curae*, hujus studii, ut v. 65. *Gierig.*

8. *Herculeus hospes* est Croton, qui Herculem, ex Hispania redeuntem ho-

Graja quis Italicis auctor posuisset in oris
Moenia, quaerenti sic e senioribus unus
Retulit indigenis, veteris non inscius aevi:
„Dives ab oceano bobus Jove natus Iberis
Litora felici tenuisse Lacinia cursu
Fertur et, armento teneras errante per herbas,
Ipse domum magni nec inhospita tecta Crotonis
Intrasse et requie longum relevasse laborem;
Atque ita discedens „„Aevo“ dixisse „nepotum
„„Hic locus urbis erit!““ promissaque vera fuerunt.
Nam fuit Argolico generatus Alemone quidam
Myscelos, illius dîs acceptissimus aevi:
Hunc super incumbens pressum gravitate soporis
Claviger alloquitur: „„Patrias, age, desere sedes!
„„I, pete diversi lapidosas Aesaris undas!““
„Et, nisi paruerit, multa ac metuenda minatur.
Post ea discedunt pariter somnusque deusque.
Surgit Alemonides, tacitaque recentia mente
Visa refert, pugnatque diu sententia secum:

spitaliter excepit, ut statim sequitur. Diod. IV. c. 25. — *penetraret*, perveniret.

9. „*quaerenti* (Numae), *quis auctor in Italicis oris Graja* (Crotonis) *moenia posuisset? Graja* autem moenia, quia Croton pars Graeciae Magnae in ea Italiae ora, quae postea Calabria dicta est.

11. *inscius*. St. Gall. et V Heins. *immemor*.

12. *Jove natus*, sc. ex Alcmena, est Hercules. VI, 112. — *dives Iberis bobus*, abactis bobus Geryonis apud Iberiam. Vid. IX, 184. Apollod. II. c. 5. Cod. Bersm., Bas. 1., Vrat., meliores Heins. et ed. pr. *bubus*. Reliqui *bobus*. Vid. not. ad XIV, 3.

13. *lit. Lacinia*. Promontorium est Lacinium in oriente Bruttii, ubi templum Junonis erat, de quo Liv. XXIV. c. 3.: *Sex millia aberat ab urbe* (Crotone) *nobile templum, ipsa urbe nobilius, Laciniae Junonis, sanctum omnibus circa populis*. Vid. v. 701. et Plin. N. H. III. c. 10.

15. *inhospita tecta*. Conf. I, 218.

18. *hic locus urbis erit*, hoc loco urbs condetur. — *aevo nepotum*, pro *olim, aliquando*.

19. *Argolico*, ex Argolide in Peloponneso.

20. *Myscelos*. Codices *Mycilus, Micylus, Mirsclus, Missilus*, al. Sed Strab. l. l. habet *Myscelos*. Hoc autem loco Latina forma videtur restituenda, quae in omnibus codicibus exstat. Strabone auctore L. VI. c. 1. Myscelus non Argivus, sed Achaeus s. Ripaeus fuit. Conf. Herod. VIII. c. 47. Strab. VIII.

21. *hunc super incumbens*. Conf. XI, 657.

22. *claviger* et *clavigerum numen* pro Hercule obvium; clavus enim constans Herculis telum atque insigne. Vid. v. 284. et ad IX, 114. — Hunc verborum ordinem Viv. et Ciof. e codicibus suis reposuerunt, eumque codex Bersm., castigatiores Heinsii, Bas. 1. 2., St. Gall., Goth. 1., Par. 2. in lit., Vrat., Zwicc. et ed. pr. confirmant. Quidam Viv., Par. 1. et reliqui *Cl. alloquitur: lapid. Aesaris undas I pete diversi, patrias age desere sedes*. Praeterea codd. Viv., Dresd. a 1. m., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *et pete*, quod verum videtur. — Codex Bersm., Dresd. a 2. m., Farnes., Par. 1. 2., Sulm. et vulg. *i pete*. *Jahn*.

25. *Aesar* vel Aesarus fluvius ea Italiae parte quae Calabria dicitur. Liv. XXIV. c. 3. *flumen, quod medio oppido* (Crotone) *fluxerat, extra frequentia tectis loca praeterfluebat*. Strab. VI. c. 1. — *diversi*, ut *diverso orbe* II, 323. Art. A. III, 124.

Lectaque diverso litore concha venit.

lapidosas, calculos multos habentes. Fast. III, 273. *lapidosus rivus*.

26. *recentia – visa*. Bas. 1. et a recent. m. Bas. 2., Jur., Mor. 1., Ox. et IV alii Heins. *recondita – visa*. — *mente refert*. Conf. I, 165.

27. *pugnatque – secum*. Hor. Epist.

Numen abire jubet, prohibent discedere leges,
Poenaque mors posita est patriam mutare volenti.
Candidus oceano nitidum caput abdiderat Sol,
Et caput extulerat densissima sidereum Nox;
Visus adesse idem deus est eademque monere,
Et, nisi paruerit, plura et graviora minari.
Pertimuit, patriumque simul transferre parabat
In sedes penetrale novas. Fit murmur in urbe,
Spretarumque agitur legum reus, utque peracta est
Causa prior, crimenque patet sine teste probatum;
Squalidus ad superos tollens reus ora manusque
„„O cujus coelum bis sex fecere labores,
Fer precor“ inquit „opem: nam tu mihi criminis auctor.““
„Mos erat antiquus, niveis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absolvere culpa.

I, 1, 97. *mea quum pugnat sententia secum.* Conf. infra v. 648.

28. Lycurgi et Saleuci legibus e patria migrare non licebat; mitiores Solonis leges permittebant. Vid. Plat. Crit.

30. *candidus*, a puro nitore. Tib. I, 3, 94. *candida Aurora. Lucifer albus* infra v. 189. Her. XVI, 320.

Candidior medio nox erit illa die.

Monosyllaba illa in fine v. 30. et 31. cum vi sibi respondent, et omnino quaesitam illi versus habent concinnitatem. Conf. VII, 633. Virg. A. II, 250. *ruit oceano nox.* V, 92.

— et lux tarde discedere visa
Praecipitatur aquis et aquis nox surgit ab isdem.

34. *patrium - penetrale*, patrios penates et sacra, continens pro contento: nam penates stabant in penetrali. Conf. XII, 245. Virg. A. I, 6. de Aenea: *dum conderet urbem inferretque deos Latio.* — Bas. 3. *extimuit.* Berol. *extremuit.* Mor. 1. *patriumque palam.*

36. *agiturque reus*, accusatur, ex jure; apud Nasonem imprimis frequens formula. Vid. not. ad Trist. I, 1, 24.

37. *causa prior*, prior causae pars, sc. auditis accusatoribus et reo. — *patet sine teste probatum;* nam ipse Myscelus erat confessus. Scripturam *crimenque patet* confirmant Dresd., Lips. 2., Sulm., Zwicc., meliores Heinsii et edd. Venn. Nam vulg. *crimenque patens*, quod mendosum est.

38. *squalidus* de more reorum, qui ad misericordiam commovendam nigras vestes inducrent, capillos et barbam promitterent. Conf. II, 381. — Scripturam *tollens* tuentur uterque Bersm., Berol., Capran., Farnes., Goth. 1., Par. 2., Sulm., Twisd. 1. 2., Ursin., Vrat. et ed. pr. — Reliqui *tendens*, constanti horum verborum permutatione. Utrum verum sit, nonnisi accuratissima codicum collatione sciri potest.

39. „*o cujus coelum*, cujus numen et immortalitatem, *bis sex fecere labores*, qui bis sex laboribus immortalitatem et coelum tibi peperisti.“ Quem simplicem loci sensum cum non caperent librarii, scripturam vario modo corruperunt. Nam Arond., Goth. 2., unus Vat. Ciof., Lips. 2., X Heins. et margo Farnes. *o tu quem celebrem*, Lips. 2. *tum* pro *tu*. Unus Medic. et Ox. *o cujus celebrem*. Bas. 4. a 2. m., Bas. 3. in marg. *o tu quem coelum*. Reliqui omnes, ut edidimus. — *bis sex* Herculis labores supra IX, 182 sqq. memorati sunt.

41. *antiquus*. Ita recte edidit Heinsius, idque codex Bersm., Berol., Cael., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 2., Vrat. et ed. pr. tuentur. Vulgo *antiquis*, quod probabile est illis ablativis *niveis - lapillis* originem suam debere. — *lapillis*, ψήφοις. Postea etiam fabae usurpabantur.

42. *absolvere culpa*. Thu. et Medic. 4. *culpae*. Viv. codd. *culpa* v. *culpas*. Dresd, Goth. 1., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et XIII Heins. *culpas*. Cod. Bersm., Berol., Par. 2., XXV Heins. et ed. pr. *culpam*. Par. 1., Bas. 2. a 2. m. et reliqui cum edd. Venn. et Parm. *abs. culpa*, quod verum videtur. Nam *culpae* parvam habet auctoritatem, *culpam* et *culpas* a consuetudine dicendi abhorrent et minus concinna sunt.

Ludit ager, neque adhuc virtus in frondibus ulla est.
Transit in aestatem post ver robustior annus,
Fitque valens juvenis: neque enim robustior aetas
Ulla nec uberior nec, quae magis ardeat, ulla est.
Excipit autumnus posito fervore juventae
Maturus mitisque, inter juvenemque senemque
Temperie medius, sparsus quoque tempora canis.
Inde senilis hiems tremulo venit horrida passu,
Aut spoliata suos aut, quos habet, alba capillos.
Nostra quoque ipsorum semper requieque sine ulla
Corpora vertuntur, nec, quod fuimusve sumusve,
Cras erimus. Fuit illa dies, qua semina tantum
Spesque hominum primae materna habitavimus alvo.
Artifices natura manus admovit, et angi
Corpora visceribus distentae condita matris
Noluit, eque domo vacuas emisit in auras.
Editus in lucem jacuit sine viribus infans;
Mox quadrupes rituque tulit sua membra ferarum,
Paullatimque tremens et nondum poplite firmo
Constitit, adjutis aliquo conamine nervis.
Inde valens veloxque fuit, spatiumque juventae
Transit, et emensis medii quoque temporis annis

205. *ludit.* Unus Leid. et unus Voss. et S. Gall. *ridet.* Sed recte habet scriptura veterum librorum; *ludit* enim colorum multitudinem ac varietatem respicit. — *virtus*, firmitas, robur.

208. *ardeat.* *Ardere* tam de anni tempestate, quam de cupiditatibus imprimis de amore dicitur. Pal. 2. *aestuat.*

209. Bas. 1. in marg. et Bas. 3. *incipit. excipit*, succedit, subsequitur.

210. *maturus.* VIII, 617. *animo maturus et aevo.* — *mite* et de ingenio leni et de coelo temperato usurpatur oppositurque fervori. *Gier.* Hor. A. P. 115.

Maturusne senex an adhuc florente juventa
Fervidus.

Conf. Met. XII, 464.

211. *sparsus quoque tempora canis.* De accus. *tempora* vid. ad I, 332. et conf. infra v. 359. VIII, 568.

— *Lelex, raris jam sparsus tempora canis.*

Cod. Bersm., Arond., Zulich. et III alii Heins. *sparsis per tempora canis*, quod conflatum videtur e XIV, 655. Unus Heins., Dresd. et ed. pr. *sparsis quoque.* Dresd. a 1. m. *sparsis post t.*

217. Junge: *fuit illa dies, qua semina et primae tantum spes hominum materna habit. alvo.* Receptam scripturam confirmant et bonitas sensus, et Bonon. 1., Medic. 4., Mor. 1. et Thu. Item Pal. 1. 2., qui *matura* pro *materna* exhibent. Reliqui fere omnes cum vett. edd. *primae matris* aut cum vulg. *primae matrisque*, quae teneri non potest, quia hac scriptura aut verbum addendum aut illud *que* post *matris* delendum.

218. *artifices – manus.* Gell. N. A. XII. c. 1. *In ipsis hominem primordiis, dum fingitur, dum animatur, inter ipsas artificis naturae manus interfectum ire.* Junge: *et noluit corpora visceribus distentae matris condita angi.*

224. *adjutis.* Cod. Viv. *adjutis* v. *adjutisque.* Uterque Bersm., Cael., Berol., Dresd., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et plerique praestantiores Heins. et ed. pr. *adjutis.* Reliqui cum vulg. *adjutisque*, non recte: nam illa: *adjutis – nervis* pertinent ad illa: *nondum popl. f. constitit*, et valent: *quum nervi aliquo conamine adjuventur.*

226. *emensis* in modo patiendi, ut Virg. I, 450. *emenso quum jam decedet Olympo.* Vid. Markland. ad Stat. Silv. III, 5, 7. Scripturam *emensis*, quam primus dedit Heinsius, confirmant Bas. 2. 3., Berol., Thu. et unus Medic. — Unus Patav. *emersis.* Reliqui tantum non omnes cum vett. edd. *emeritis.* Mi-

Et Samon et dominos, odioque tyrannidis exsul
Sponte erat. Isque, licet coeli regione remotus,
Mente deos adiit, et quae natura negabat
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.
Cumque animo et vigili perspexerat omnia cura;
In medium discenda dabat, coetusque silentum
Dictaque mirantum magni primordia mundi
Et rerum causas et, quid natura, docebat,
Quid deus, unde nives, quae fulminis esset origo,
Jupiter an venti discussa nube tonarent,
Quid quateret terras, qua sidera lege mearent,
Et quodcumque latet. Primusque animalia mensis
Arguit imponi, primus quoque talibus ora
Docta quidem solvit, sed non et credita, verbis:
„Parcite, mortales, dapibus temerare nefandis
Corpora: sunt fruges, sunt deducentia ramos

61. *domini* sunt tyranni Polycrates et Syloson, ejus frater, a quibus, reversus a peregrinatione, qua Aegyptum lustraverat Persarumque magos adierat (Cic. Fin. V. c. 29.), patriam oppressam reperit. Herod. III. c. 39. Diog. Laert. VIII. c. 47. Plut. de Placit. I. c. 3. — *exsul* etiam qui sponte patriam deserit.

62. *remotus*. Ambr. 1., Bas. 3., Dresd. et Hamb. et pro v. l. Par. 2. *remotos*, quod praepropere deditHeinsius. — *coeli regione* est quantum coelum est, quantum spatii inter terram et deorum sedem est. — De producta syllaba *it* v. 63. vid. ad I, 114. et X, 15. IX, 611. — *mente deos adiit* h. l. de studio divina ac coelestia cognoscendi. — Unus Medic. *negarat*.

64. *pectoris*, mentis. — *hausit*, percepit, cognovit.

65. *in medium dare*, ut *in medium proferre*, est in communem usum dare s. tradere. Cic. Off. I. c. 7. *communes utilitates in medium afferre*.

66. *coetusque*. Ita Bas. 1. 3. 4., Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1., Lips. 2., Zwicc. et plerique vetustiores Heinsii. — Reliqui cum vett. edd. *coetumque*. Prius gravius est. — *silentium*, quia discipuli Pythagorae per primos V annos tacere debebant et tantum audire, quae ἐχεμυθία Pythagoreorum dicta est. Dicta autem ejus admirabantur adeo, ut in disputando, quare ita esset, responderent: *Ipse dixit*, ut denique ex domo ejus templum facerent ipsumque pro deo colerent. Justin. XX. c. 4. Lucian. Vit. auct. c. 3. — Cetera *de his* antiquae philosophiae quaestionibus conf. Virg. Georg. II, 475. ad fin. Prop. III, 3, 47 sqq. Lucret. I, 194. ibique interpp. — Hor. Od. I, 28, 14. de Pythagora: *non sordidus auctor naturae verique*.

68. *quid natura*. Bas. 3. *quae natura*.

69. *quid deus*, i. e. quae natura dei s. deorum. Cod. Bersm., Dresd., Mor. 1., Pal. 2., Par. 2. et VIII Heinsii *quis deus*.

70. *Jupiter, an venti*. *Jovem tonare* persuasio vulgi, alterum erat opinio physicorum. Vid. not. ad I, 56. — *discussa nube*, ut XI, 522. *discutiunt nubes*.

71. *quid quateret terras*, de terrae motu accipiendum. — *meare* et *meatus* de sideribus. Lucret. I, 129. ubi vid. Wakefield. Cic. de Nat. D. II. c. 19. *sidera ab ortu ad occasum commeantia*. — Bas. 2. et Mor. *micarent*. Cod. Bersm. et Bas. 3. *manerent*.

72. „*et* (omnino) *quodcunque latet*."

73. *arguit*, reprehendit, increpuit, nefas esse docuit. Cod. Bersm., Arond., Barb., Bas. 1., Pal. 2., Jur., Sulm. et unus Voss. *arcuit*, quod cupidius arripuit Heinsius.

74. *sed non et credita*, sc. a vulgo. Conf. VII, 98. Virg. A. II, 247.

Ora dei jussu non unquam credita Teucris.

75. *parcite*, nolite, ut saepe (conf. v. 174.) quae est oratio supplicantis et deprecantis. Vid. ad Trist. I, 2, 2. — *nefandis*, abominandis, a natura homini non destinatis. *Gier.*

76. *deducentia ramos – poma*. Conf. XIII, 812. Remed. A. v. 175. *curvatos pomorum pondere ramos*.

Quatuor aeternus genitalia corpora mundus
Continet: ex illis duo sunt onerosa, suoque
Pondere in inferius, tellus atque unda, feruntur,
Et totidem gravitate carent, nulloque premente
Alta petunt, aër atque aëre purior ignis.
Quae quanquam spatio distant; tamen omnia fiunt
Ex ipsis et in ipsa cadunt, resolutaque tellus
In liquidas rarescit aquas, tenuatus in auras
Aëraque humor abit, demto quoque pondere rursus
In superos aër tenuissimus emicat ignes.
Inde retro redeunt, idemque retexitur ordo:
Ignis enim densum spissatus in aëra transit,
Hic in aquas, tellus glomerata cogitur unda.
Nec species sua cuique manet, rerumque novatrix
Ex aliis alias reparat natura figuras.
Nec perit in toto quicquam - mihi credite - mundo;
Sed variat faciemque novat, nascique vocatur

239. *corpora genitalia sunt*, quae vim gignendi habent, i. q. *elementa* et *semina rerum*. Conf. I, 9. Virg. G. II, 324. Festus: *genitales deos dixerunt Aquam, Terram, Ignem, Aërem. Ea enim sunt semina rerum, quae Graecorum alii στοιχεῖα, alii σπέρματα vocant.* Vid. Diog. Laert. VIII. c. 25.

240. *ex illis - feruntur*. Vid. I, 29 seqq.

242. *nullo*, in neutro genere pro nulla re. Tac. Ann. III. c. 15. Justin. V. c. 1. *mysteria - nullo magis quam silentio solemnia*. Conf. v. 555. et I, 17.

244. Dresd., Goth. 1. 2., Medic., Vat., Zwicc. et XII Heinsii *distent*.

235. *cadunt*, recidunt, resolvuntur. Cic. de N. D. II. c. 53. *Quum quatuor sint genera corporum, vicissitudine eorum mundi continuata natura est. Nam ex terra aqua, ex aqua oritur aër, ex aëre aether; deinde retrorsum vicissem ex aethere aër, ex aëre aqua, ex aqua terra infima. Sic naturis his, ex quibus omnia constant, rursum, deorsum, ultro citro commeantibus mundi partium conjunctio continetur.*

246. *rarescit*, i. q. resolvitur v. tenuatur. Lucret. VI, 842. *rarescit quia terra colore*. Vid. interpp. ad Lucan. IV, 123. et Hand. ad Stat. Silv. I, 2, 126. *cum pluviis rarescunt nubila*. Thu. *rorescit*, quod temere dedit Heinsius. Deinde scripturam *tenuatus*, quam Micyllus primum dedit, tuetur et bonitas sententiae et codices Berol., Dresd. et Goth. 1. Vulg. *tenuatur*, quod ex glossa ad *tenuatus abit* ortum esse videtur. Sic v. 250. *spissatus transit*, pro spissatur. Virg. G. IV, 410. *in aquas tenues dilapsus abibit*. — Pro *abit* uterque Bersm., Capr., Dresd., Franc., Goth. 1. 2., Lips. 2., Sulm., Vrat., Zwicc., plurimi Heins., quidam Viv. et ed. pr. *habet*, frequenti corruptione.

246. *in auras aëraque*. Conf. IX, 210.

247. „*demto quoque pondere*, sc. aërio sive quod aëris esse solet.“

248. *emicat*. Unus Heins. *evolat*. Vid. I, 27. IV, 121. VI, 259. IX, 129. X, 653. — *redeunt*, „mutantur in pristinum statum.“ *Gier*.

249. *retexitur*, iterum texitur, repetitur.

250. *densum*, i. q. *spissum* I, 23. 52 sqq. — *transit* iterum sive redit. Ceterum ignem primum elementum dicit cum Stoicis. Cic. N. D. II. c. 24.

251. *glomerata*, condensata. I, 35. *terram - magni speciem glomeravit in orbis*. — *cogitur*, coalescit.

252. *nec species - figuras*. Conf. v. 178.

254. *nec perit - mundo*. Lucret. I, 225.

Nullius exitium patitur natura videri.

Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Par. 2., Lips. 2., Sulm., Vrat., Zwicc., plurimi Heins. *in toto*, quod cum majorem auctoritatem vetustatis habere videatur edidimus. Vulgo *in tanto*, ad sensum aeque aptum.

Nec, nisi perdideris alium, placare voracis
Et male morati poteris jejunia ventris?
At vetus illa aetas, cui fecimus aurea nomen,
Fetibus arboreis et, quas humus educat, herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
Tunc et aves tutae movere per aëra pennas,
Et lepus impavidus mediis erravit in arvis,
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo,
Cuncta sine insidiis, nullamque timentia fraudem,
Plenaque pacis erant. Postquam non utilis auctor
Victibus invidit, quisquis fuit ille, deorum,
Corporeasque dapes avidam demersit in alvum;
Fecit iter sceleri, primoque e caede ferarum
Incaluisse putes maculatum sanguine ferrum:
Idque satis fuerat, nostrumque petentia letum
Corpora missa neci salva pietate fatemur:
Sed quam danda neci, tam non epulanda fuerunt.

94. *placare jejunia.* Conf. VIII, 848.

95. *male morati*, incontinentis, impotentis.

96. *cui fecimus aurea nomen.* Conf. I, 169. VI, 400. X, 223. XV, 740. Suetou. Claud. c. 24. *Gabinio - cognomen Chaucius usurpare concessit.* De aetate aurea vid. I, 88 sqq.

97. *foetibus arboreis* cum respectu ad *foetus animantium* dictum.

99. *tutae.* Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Jur., Medic. 4., Mor. 1., Par. 1. 2., Lips. 2., Thu., Vrat., Zwicc., VI Heins. et vett. edd. *tutae.* Reliqui *tutas.* Utrumque recte dicitur; sed prius majorem habere auctoritatem vetustatis videtur, et concinnius est: nam sequitur *lepus impavidus mediis in arvis*, quod respondet illis *aves tutae per aëra* hujus versus. Unus Heins. *tunc volucres tutas.*

100. *in arvis.* Berol., Zwicc. et vetustiores Heinsii *in agris.* Conf. I, 533.

101. *nec sua credulitas.* Conf. VIII, 859. XIII, 934.

103. *non utilis* per λιτότητα perniciosissimus. Conf. XIII, 38. XIV, 590.

104. *deorum.* Bas. 3., Cantabr., alter Hamb., II Heins. et margo Goth. 2. *virorum.* Reliqui omnes cum vett. edd. *deorum*, quod mihi verum videtur. *Victus deorum* sunt victus simplices, quos di hominibus dederunt et ut aptos humanae naturae assignaverunt, fruges, poma, herbae. Pessima est interpunctio, *quisquis fuit ille deorum*, quo *scelus illud* ipsis dis tribuitur; et manca est sententia quia, in illo *victibus* aliquid deest, quod illis *corporeis dapibus* v. 105. opponatur. Atque idem valet de scriptura *quisquis fuit ille virorum.* Nec recta est interpretatio *victibus virorum* esse pro *victibus humanis*; ac *virorum* parvam habet auctoritatem vetustatis. Conjecturae sunt *priorum*, *ferorum*, *ferarum*, *leonum*, al. — *invidit*, contemsit.

105. *corporeas*, e corporibus sive animalibus. — Dresd., Goth. 2. et Vrat. *dimisit.* Zwicc. et VIII Heins. *demisit*, quod fluxit ex VIII, 837. Reliqui *demersit*, quod gravius, quia rei invidiam magis declarat. Conf. VI, 664.

106. *fecit iter sceleri etc.* viam aperuit ad animalia mactanda. Ac primum quidem sciendum est maculatum esse ferarum sanguine et incaluisse e caede ferarum. — Illi *primo* respondet illud *inde* v. 111., quare Heinsius novare non debebat *primaque* quod nonnisi Bas. 2., Argent. et Zwicc. exhibent.

107. *putes.* Ita vetus codex Bersm., Bas. 1., in marg. Par. 2., Cael., Hamb. 1., Neap., Urb., Sulm., III Heins. et vett. edd. — Vrat. et III Heins. *putem.* Reliqui fere omnes *potest;* non male.

108. *idque satis fuerat*, non ulterius debebant progredi. — S. Gall. a 1. m. *fuerit.* Mendose. Conf. Her. V, 69.

109. *corpora nostrum letum petentia* sunt corpora ferarum. — *salva pietate*, i. e. non laesa quae animantibus debetur pietate. De illo *missa neci* conf. VII, 606. Conf. etiam not. ad III, 695.

110. De illo *quam - tam* conf. XII, 220. et IV, 211. — *epulandus* in modo

Longius inde nefas abiit, et prima putatur
Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperit anni;
Vite caper morsa Bacchi mactandus ad aras
Ducitur ultoris: nocuit sua culpa duobus;
Quid meruistis, oves, placidum pecus inque tuendos
Natum homines, pleno quae fertis in ubere nectar,
Mollia quae nobis vestras velamina lanas
Praebetis, vitaque magis quam morte juvatis?
Quid meruere boves, animal sine fraude dolisque,
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?
Immemor est demum nec frugum munere dignus,

patiendi etiam Senec. Troad. 1109. *Nec parva gregibus membra Diomedes suis Epulanda posuit.* Vid. not. ad Her. I, 50. Sed h. l. *epulanda* propter illud *danda*, h. e. concinnitatis potissimum causa posuit. Plin. H. N. VIII. c. 43. etiam transitive *epulari pullos.*

111. *longius inde nefas abiit*, progressum est. Fast. IV, 85. *quo non livor abit?*

112. *prima hostia*, sc. Cereris. Fast. I, 348.

Prima Ceres avidae gavisa est sanguine porcae,
Ulta suas merita caede nocentis opes.

Varro de Re Rust. II. c. 4. *A suillo pecoris genere immolandi initium sumtum videtur. Cujus vestigia sunt, quod initiis Cereris porci immolantur: et quod initiis pacis, foedus cum feritur, porcus occiditur.*

113. *interceperit.* Conf. VIII, 292. — Cod. Bersm., Bas. 1. 2. 4., Cael., Farnes., Sulm., Zwicc., XI Heins. et ed. pr. *eruerat.* Iidem et Goth. 1. *interceperat.* Recte habet conjunctivus: est enim ex mente illorum dictum, qui primum suem sceleste mactarunt. Si vero scripsisset *eruerat* et *interceperat* ipse de suo causam addidisset.

114. *vite caper rosa.* Fast. I, 357.

Rode caper, vitem: tamen hinc cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Mactandus - ducitur plerique vetustiores Heins. Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Par. 1., Zwicc., Vrat., multi Heins. et ed. pr. *mactatus - ducitur.* Nonnulli Heins. *mactatus ad a. Ultoris ductus.* Berol. et Pal. 2. *mactatur ad a. Ult. ductus.* Par. et reliqui *mactatus ad a. Dicitur ultoris.*

115. *nocuit sua culpa duobus, sui* et *apro.* Fast. I, 361.

Culpa sui nocuit, nocuit quoque culpa capellae.

duobus, ubi etiam *ambobus* locum habere poterat. Conf. v. 740. V, 441. VIII, 711.

116. *quid meruistis*, quid deliquistis. Fast. I, 367.

Quid bos, quid placidae commeruistis oves?

Varr. R. R. II. c. 1. *putant oves assumtas et propter utilitatem et propter placiditatem.* Conf. Terent. Ad. IV, 1, 18. — *in tuendos homines*, ut tueantur- sc. et lacte et lana, ut statim sequitur. Hinc male in Bas. 1., Par. 2., altero Hamb., uno Mor., uno Pal. et Goth. 2. pro v. l. *inque tegendos.* — De *natus in* conf. XIV, 99. Hor. Od. I, 27, 1. *Natis in usum laetitiae scyphis.*

117. *nectar* tropice etiam de quovis potu dulci. Conf. VI, 356.

118. *vestras - lanas.* Berol., Bas. 1. et 2. in marg. *vestris lanis.*

120. *dolisque.* Ita cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Par. 1., Lips. 2., Vrat. et Zwicc., atque inde conjici potest de Heinsianis. — Goth. 1. et ed. pr. *dolisve.* Vulg. *doloque.* Leges antiquae parcere bubus aratoribus jubebant. Vid. Ael. V. H. VIII. c. 3. V. c. 14. Varr. R. R. II. c. 5. Plin. VIII. c. 45. Pythagoras discipulos suos *βοὸς ἀροτῆρος ἀπέχεσθαι* nominatim jusserat.

121. *natus* h. l. cum infinitivo, ut casu communi. Hor. Epist. I, 2, 27.

Nos numeri sumus et fruges consumere nati.

Vid. not. ad III, 615. V, 75. 146. et ad Trist. V, 7, 19. Cic. N. D. II. c. 63. de bubus: *cervices natae ad jugum, tum vires humerorum et latitudines ad aratra extrahenda.*

122 *immemor*, ingratus. — Vrat. pro v. l. et Bas. 2. pro v. l. *divûm* pro *demum.*

Qui fuerat dulcis, salibus vitiatur amaris?
Fluctibus ambitae fuerant Antissa Pharosque
Et Phoenissa Tyros: quarum nunc insula nulla est.
Leucada continuam veteres habuere coloni;
Nunc freta circuëunt. Zancle quoque juncta fuisse
Dicitur Italiae, donec confinia pontus
Abstulit et media tellurem repulit unda.
Si quaeras Helicen et Burin, Achaïdas urbes;
Invenies sub aquis, et adhuc ostendere nautae
Inclinata solent cum moenibus oppida mersis.
Est prope Pittheam tumulus Troezena sine ullis
Arduus arboribus, quondam planissima campi
Area, nunc tumulus: nam - res horrenda relatu —
Vis fera ventorum, caecis inclusa cavernis,
Exspirare aliqua cupiens, luctataque frustra
Liberiore frui coelo, cum carcere rima
Nulla foret toto nec pervia flatibus esset,

Exampeo cognomen est, adeo amaras aquas accipit, ut ipse quoque, jam sui dissimilis et non dulcis hinc defluat. Conf. Herodot. IV. c. 52. Plin. N. H. IV. c. 12. Vitruv. VIII. c. 3. Solin. c. 15. — *sales* dictum, ut mella, sudores, al. — Par. 2. et VII Heins. *et Scythiis*, Hamb. 1. *et Scythis.* — Barb., pro v. l. Arond.; Par. 1. et pro v. l. S. Gall. *sale nunc v. amaro.*

287. *ambitae.* Vid. ad I, 37. — *Antissa* parva insula cum urbe ejusdem nominis haud procul a Lesbo, quacum postea conjuncta fuit. Plin. H. N. II. c. 89. *rerum natura rursus abstulit insulas mari junxitque terris, Antissam Lesbo.* — *Pharos* insula et urbs apud Aegyptum, cui ponte juncta fuit, de qua idem Plin. II. c. 85. *Nascuntur* (terrae) *nec fluminum tantum invectu, sicut Echinades insulae ab Acheloo nunc congestae, majorque pars Aegypti a Nilo, in quam a Pharo insula noctis et dici cursum fuisse Homero credimus* (Odyss. IV, 354 seqq. Conf. Plin. XIII. c. 11. Lucan. X, 509. Strab. I. p. 63. XVII. p. 1140.); denique de Tyro Phoeniciae urbe idem V. c. 10. *Tyrus quondam insula, praealto mari DCC passibus divisa, nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens.* Conf. Mel. I. c. 12. Anachronismus, quod Naso Pythagoram de rebus disputantem inducit, quae post suam aetatem acciderunt, apud poetam non urgendus.

289. *Leucas* olim peninsula Acarnaniae, postea insula facta. Plin. II. c. 90. *Videmus hodieque mersam Acarnaniam Ambracio sinu. Ad hoc perrupit mare Leucada.* Conf. Flor. IV. c. 11. — *continuam*, continentem, cohaerentem cum terra. VIII, 589.

290. *Zancle*, urbs maritima ad fretum Siculum, hodie *Messina.* XIII, 729. Mel. II. c. 7. *Sicilia, ut ferunt, aliquando continens et agro Bruttio adnexa post freto maris Siculi abscissa est.* Plin. II. c. 88. Senec. N. Q. VI. c. 29. Conf. Virg. A. III, 414 sqq. — Zwicc. et edd. Venn. *circumeunt.*

292. *tellurem*, illam Italiae *junctam.*

293. *Helicen et Burin.* Plin. II. c. 92. *Pontus abstulit Elicen et Buram in sinu Corinthio, quarum in alto vestigia apparent.* Vid. Senec. Quaest. VI. c. 23. Diodor. XV. c. 43. ibique interpp. Oros. III. c. 3. — Bas. 4., S. Gall., Vrat. et vett. edd. *si quaeris.* Reliqui *si quaeras;* recte, sc. sequente futuro. Conf. Met III, 141. Her. XVI, 173. — Dresd., Vrat., Zwicc. et ed. pr. et Ven. 1. 2. *Elicen.* Plerique Viv. et ed. Ven. 2. *Buran.* Dresd., Lips. 2. et Zwicc. *Burim.* Quidam Viv., omnes Heins. cum vulg. *Burin.* Dresd. et edd. Venn. *Achaïdos.* Reliqui omnes *Achaïdas.*

296. *Pittheam Troezena.* Vid. VI, 418. et conf. VIII, 623. et Pausan. II. 34. Senec. l. l. VI. c. 12.

301. *luctata* frui. Vid. V, 354. 349. 394. I, 685.

302. *nec pervia - esset.* Parum accurata oratio, *rima nulla nec pervia flatibus.* Sed tamen consentientibus omnibus vett. libris mutare nihil audeo

Extentam tumefecit humum; ceu spiritus oris
Tendere vesicam solet, aut direpta bicorni
Terga capro. Tumor ille loci permansit et alti
Collis habet speciem, longoque induruit aevo.
Plurima cum subeant audita aut cognita nobis;
Pauca super referam. Quid? non et lympha figuras
Datque capitque novas? Medio tua, corniger Ammon,
Unda die gelida est, ortuque obituque calescit.
Admotis Athamanis aquis accendere lignum
Narratur, minimos cum luna recessit in orbes.
Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.
Crathis et hinc Sybaris nostris conterminus arvis

et hanc negligentiam, ut haud paucas alias, ab Nasone esse existimo.

304. *direpta*. Unus Mor. *crepta*. Goth. 2. *abrepta*. Cod. Bersm. et Dresd. *directa*. Reliqui omnes *direpta*. Vid. ad VI, 567. — Arond., Par. 2., Neap. et V alii Heins. *bicorni - capro*. Reliqui omnes *bicornis capri*. Perperam. — *direpta capro terga* autem *utres* sunt. Significat enim ludum agrestem in festo Bacchi, quo juvenes utres inflatos transilire solebant. Virg. Georg. II, 383.

— — *inter pocula laeti*
Mollibus in pratis unctos saluere per utres,

307. *subeant*. II, 755. — *audita aut cognita nobis*, i. quae audivi aut observando cognovi. — Goth. 1. et IV Heins. *vobis*, quod temere edidit Heinsius. — *super*, adhuc. Bas. 2. a 2. m. et Goth. pro v. l. *tamen*.

309. *corniger Ammon*. Vid. IV, 671. Curt. IV. c. 7. *Est etiam aliud Hammonis nemus; in medio habet fontem, aquam Solis vocant. Sub lucis ortum tepida manat; medio die - frigida eadem fluit, inclinato in vesperam calescit, media nocte fervida exaestuat etc.* Plin. II. c. 103. *Jovis Hammonis stagnum interdiu frigidus noctibus fervet.*

311. *Athamanis* sc. fons. Athamania regio Epiri. Plin. II. c. 106. *in Dodone Jovis fons quum sit gelidus, et immersas faces exstinguat, si exstinctae admoveantur, accendit. idem meridie semper deficit, qua de causa ἀναπανόμενον vocant.* Vid. Sotion in Paradox. de Flum. Mel. II. c. 3. Sed vitium latere in illo *Athamanis* videtur. Nam *Athamanis* si accipias cum quibusdam interpretibus pro *Athamanis regio*, et insolitum per se est, et contorta oratio est: *Athamanis regio admotis aquis accendere narratur*. Paullo audacior etiam oratio est: *Athamanis*, sc. fons, *admotis aquis accendere lignum narratur*. Sed tamen non sine exemplo. Vid. VI, 512. Sed quod majus est, haud notus est fons, simpliciter *Athamanis* dictus. Veterum librorum scriptura est *Athamantis*; sed Athamantia pars Thessaliae est. Vid. Heyn. ad Apollod. I. c. 9.

312. *recessit*, reducta, minuta est. — Exc. Cal., unus Medic. et edd. Venn. *recrescit*, ex interpretamento.

313. *Cicones*. XI, 3. Plin. II. c. 103. *in Ciconum flumine et in Piceno lacu Velino lignum dejectum lapideo cortice obducitur*. Conf. Senec. Q. N. III. c. 20. — Bonon. *reddat*. Vulgatam hujus et seq. versus lectionem Senec. Nat. Quaest. III. c. 20. confirmat. *Jahn*. Et conjunctivus h. l. minime ferendus est.

315. *Crathis et Sybaris* duo sunt flumina Lucaniae. — *hinc* δειχτιχῶς dictum, q. e. *ab hac parte;* pro quo Heinsius e Leid. et Pal. 1. temere recepit *et huic*, „*et huic electro*." Sed cui? — Unus Medic. *et hic*. *Nostris* recte: loquitur enim de sua regione, hoc est de Crotone, atque ita est in Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Zwicc. et plurimis ex vett. Heins. Vulgo *vestris*. Denique *arvis* confirmatur codice Bersm., Dresd., Goth. 2. et plurimis vett. Heinsii. Reliqui *oris:* minus recte. Eurip. Troad. v. 223. ὁ ξανθὰν χαίταν πυρσαίνων Κρᾶθις. Vib. Seq.: *Crathis, confinis Sybari, capillos facit aureo coloris*. Plin. XXXI. c. 2. *Qui Sybarin bibant, nigriores esse, durioresque et crispo capillo, qui ex Crathide, candidos, molliores ac porrecta coma*. Strab. VI. c. 1. ὁ δὲ Κρᾶ-

Electro similes faciunt auroque capillos.
Quodque magis mirum, sunt, qui non corpora tantum,
Verum animos etiam valeant mutare, liquores.
Cui non audita est obscoenae Salmacis undae,
Aethiopesque lacus: quos si quis faucibus hausit,
Aut furit aut patitur mirum gravitate soporem.
Clitorio quicumque sitim de fonte levarit,
Vina fugit, gaudetque meris abstemius undis:
Seu vis est in aqua calido contraria vino,
Sive - quod indigenae memorant - Amythaone natus
Proetidas attonitas postquam per carmen et herbas
Eripuit furiis, purgamina mentis in illas
Misit aquas, odiumque meri permansit in undis.
Huic fluit effectu dispar Lyncestius amnis;
Quem quicumque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quam si mera vina bibisset.
Est lacus Arcadiae - Pheneon dixere priores -
Ambiguis suspectus aquis, quas nocte timeto:
Nocte nocent potae, sine noxa luce bibuntur.
Sic alias aliasque lacus et flumina vires

θις τοὺς ἀνθρώπους ξανθοτριχεῖν ποιεῖ λουομένους.

319. ***obscoenae Salmacis undae***, sc. quae mares effeminandi vim habebat. Vid. IV, 285. — ***cui***, a quo. — Scripturam ***obscoenae undae*** tuentur Par. 2., Berol., Erf. 1. 2., Mor. 1., Neap., Pal. 1., Par. 1., Lips. 2., Vat. 1., Zwicc. et VI Heins. Vulg. ***obscoenae S. unda***, quae mihi vera videtur, ut significet ***unda fluvii s. fluvius obscoenae Salmacis Nymphae***. De re vid. IV, 285 sqq.

320. ***Aeth. lacus***. Isidor. Origg. XIII. c. 18. ***In Aethiopiae fonte rubro qui biberit, lymphaticus fit.*** — Goth. 2. et multi Heins. ***quos quisquis***. Frustra. III Heins. ***Aethiopumque***.

321. Heinsius sine omni librorum auctoritate novavit ***mirum patitur***.

322. ***Clitorius fons*** est apud Clitorium in Arcadia. Isid. l. l. ***ex Clitorio lacu qui biberint, vini taedium habent***. Idem refert Plin. XXI. c. 2. Conf. Vitruv. VIII. c. 3. Sotion in Parad. Conf. Apollod. II. c. 2. — Cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Lips. 2., Zwicc. et vett. edd. ***levavit***. Heinsius de suis codd. tacet.

325. ***Amythaone natus***, Melampus vates et medicus, qui Proeti Argorum regis (V, 238.) filias a Baccho vel Junone insanientes (***attonitas*** X, 154.) restituit. Apollod. I. c. 9. II. c. 2. ibique Heyn. Paus. II. c. 12. VIII. c. 18. Plin. XXV. c. 21. — ***purgamina mentis***, herbas illas. XI, 409. Huc pertinet Virg. Ecl. VIII, 101.

Fer cineres, Amarylli, foras rivoque fluenti
Transque caput jace: ne respexeris.

Conf. Tib. IV, 4, 7.

329. „***huic dispar effectu*** (est) ***fluit L.*** "***Lyncestius***, ad Lyncestin Macedoniae regionem pertinens. Thuc. IV. c. 124. populum τοὺς Λυγκηστάς, urbem τὴν Λύγκον appellat. Plin. II. c. 106. ***Lyncestis aqua quae vocatur acidula, vini modo temulentos reddit.*** Conf. Vitruv. VIII. c. 3. Aristot. Meteor. II. c. 3. Sotion de Flum. Senec. Quaest. N. III. c. 20.

330. ***traxit***, hausit.

332. ***lacus***. Gron., Medic. 3., Urb., Vrat. et VI Heins. ***locus***, quod temere induxit Heinsius. ***Lacus*** praeter veterum librorum auctoritatem confirmatur etiam Plin. IV. c. 10. ***Amnes: Ladon e paludibus Phenei***, et infra v. 355. ***Phenеos*** autem urbs Arcadiae. Pausan. VIII. c. 19. τὸ πρὸς Φενεῷ ὕδωρ, ὃ Στύγα ὀνομάζουσιν, ἐπ' ἀνθρώπου συμφορᾷ ἀνευρημένον. Conf. Herod. VI. c. 74. Sen. Quaest. N. III. c. 25. Isid. Origg. XIII. c. 13. ***in Achaïa aqua profluit e saxis Styx appellata, quod illico potata interficit.***

333. ***ambiguis***, de duplici aquarum nocte et die natura accipiendum.

Concipiunt; tempusque fuit, quo navit in undis,
Nunc sedet Ortygie. Timuit concursibus Argo
Undarum sparsas Symplegadas elisarum,
Quae nunc immotae perstant ventisque resistunt.
Nec, quae sulfureis ardet fornacibus, Aetne
Ignea semper erit: neque enim fuit ignea semper.
Nam sive est animal tellus et vivit, habetque
Spiramenta locis flammam exhalantia multis:
Spirandi mutare vias, quotiesque movetur,
Has finire potest, illas aperire cavernas;
Sive leves imis venti cohibentur in antris,
Saxaque cum saxis et habentem semina flammae
Materiam jactant, ea concipit ictibus ignem:
Antra relinquentur sedatis frigida ventis;
Sive bitumineae rapiunt incendia vires,
Luteave exiguis ardescunt sulfura fumis:
Nempe ubi terra cibos alimentaque pinguia flammae
Non dabit, absumtis per longum viribus aevum,
Naturaeque suum nutrimen deerit edaci,
Non feret illa famem desertaque deseret ignes.
Esse viros fama est in Hyperborea Pallene,

337. *sedet*, fixa et immota stat.— *Ortygie* est Delos, de qua vid. V 640. VI, 190. I, 694.

337. Junge: *Argo* (navis) *timuit* (olim) *sparsas* (dispersas et concurrentes) *Symplegadas concursibus* (propter concursus) *undarum elisarum*. De re vid. VII, 63.

338. De spondeo in quinto pede vid. ad I, 62. De *Symplegadibus* vid. ad VII, 62.

342. „*sive est animal tellus*, ex mente Stoicorum.“ Idem placuit Pythagorae. Vid. Arist. Phys. IV. c. 6. Senec. Quaest. III. c. 15.

344. A voce *spirandi* incipit apodosis. — *movetur*, sc. terrae motu.

345. *finire*, finem habere sinere, delere. Flor. II. c. 15. *Carthago finita est*.

346. *sive leves etc.*, ex mente Epicuri. Lucret. VI, 680 seqq.

348. *ea - ignem* ad protasin pertinent. Conf. XIV, 34. Sall. Cat. LI. §. 3. *si lubido possidet, ea dominatur: animus nihil valet*. Goth. 1. *et concipit*. — Berol., Vrat., castigatiores (?) Heins. et ed. pr. *materiem*. — *concipit ignem*, i. q. V. 350. *rapiunt incendia*. Lucil. Aetn. 456. *Ille* (lapis molaris) *ubi collegit flammas, jacit et simul ictu Materiam accendit cogitque liquescere secum*.

349. *sedatis - ventis*, postquam venti, qui ignis causa fuerunt, exitum invenerunt. — *frigida*, sine igne. Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat., IX Heins. et ed. pr. *relinquuntur*. Sed futurum confirmatur v. 345. et 355.

350. *rap. incendia*. Conf. III, 374. VII, 289. De toto hoc de Aetna loco conf. Justin. IV. c. 1.

351. *ardescunt*. Ita uterque Bersm., Dresd., Goth. 1. 2., Vrat., Par. 1. 2., Lips. 2., Zwicc., plurimi Heins. et vett. edd. Vulg. *arescunt*. Perperam. Pro *fumis* unus Bersm., Cael., Dresd., Pal. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et ed. pr. *flammis*, quod mihi ex interpretamento natum videtur: nam *exiguis fumis* de parva fumoque spisso simillima sulphuris flamma accipiendum. — *lutea*. XIV, 791. *lurida sulfura*.

353. *viribus*, sc. flammae.

354. *deerit* synaeresis. Conf. I, 77. — Cod. Bersm., Berol., Dresd. et Sulm. *deerit nutrimen*. Ed. pr. *nutrimenque suum naturae*.

355. *famem*, defectum alimentorum. — *deserta*, privata alimentis. — *deseret ignes*, exstinguetur.

356. *Pallene*, Thraciae peninsula et oppidum. Thucyd. I. Plin. IV. c. 17. Ad augendum miraculum *Hyperborea* h. l. appellatur, q. e. extrema aquilonis ora. Plin. IV. c. 12. *Hyperboreos* gentem felicem pone Riphaeos montes

Qui soleant levibus velari corpora plumis,
Cum Tritoniacam novies subiere paludem.
Haud equidem credo: sparsae quoque membra venenis
Exercere artes Scythides memorantur easdem.
Si qua fides rebus tamen est addenda probatis,
Nonne vides, quaecumque mora fluidoque calore
Corpora tabuerint, in parva animalia verti?
I quoque, delectos mactatos obrue tauros:
Cognita res usu - de putri viscere passim
Florilegae nascuntur apes, quae more parentum
Rura colunt, operique favent in spemque laborant.
Pressus humo bellator equus crabronis origo est.
Concava litoreo si demas brachia cancro,
Cetera supponas terrae; de parte sepulta
Scorpius exibit caudaque minabitur unca.
Quaeque solent canis frondes intexere filis
Agrestes tineae - res observata colonis -,
Ferali mutant cum papilione figuram.

ultraque aquilonem habitare tradit. Cf. Herod. VII. c. 123.

357. *corpora*, corpore. Vid. ad I, 332. Viv. codd. *qui* vel *queis*. Ed. Ald. 1. 2. *quis*. Conf. X, 432. XIV, 97.

358. *Triton. - paludem*. Vib. Sequest. de Palud. *Triton lacus Thraciae, in quo qui se novies immerserit, in avem convertitur*. De spondeo in quinto pede vid. v. 338. et ad I, 62.

359. *venenis*. Codd. Ciof., uterque Bersm., Bas. 2. 3. 4.,S. Gall., Berol., Dresd., Goth. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc., multi Heins. et ed. pr. *vencnis*, quod genuinum videtur. Vulg. *veneno*.

360. *artes - easdem*, sc. ut sese velent plumis.

361. *addenda*, habenda. Unus Mor., Neap. et Par. 1. *adhibenda*. — Poeta opinionem veterum e putridis corporibus sine generatione ac semine animalia oriri etiam I, 416 seqq. eleganter in usum suum convertit.

362. Cod. Gifanii, cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et edd. vett. *fluidoque*. Heinsius tacite edidit *fluidove*, quod etiam Goth. 1. exhibet.

364. Etiam haec fabula in veteribus scriptoribus saepius legitur. Isidor. Origg. XII. c. 8. *Has* (apes) *plerique experti sunt de boum cadaveribus nasci*. Et XI. c. 4. *Siquidem et per naturam pleraque mutationem recipiunt et corrupta in diversas species transformantur, sicut de vitulorum carnibus putridis apes, sicut de equis scarabaei, de mulis locustae, de cancris scorpiones*. Idem scribit Plin. H. N. XI. c. 20. 23. Varr. de re rust. III. c. 16. Nicand. Theriac. v. 133. Vid. Virg. G. IV, 281 seqq. ibique interpp. Fast. I, 376 seqq. — *delectos mactatos obrue*, i. e. *delectos macta et obrue*, in qua oratione mirari licet interpretes haesisse. Cf. Virg. Georg. I, 319. 320. Aen. VIII, 391. X, 503. et Met XV., 231. — *delectos*, pingues. Varro l. l. Optimam scripturam *i quoque* confirmant plurimi codd. et veteres edd. — Unus Gron. et Medic. 4. *hic quoque*. Goth. 1., IV Heins., Graev. *hinc quoque*. Cod. Bersm., Vrat., Thu. *his quoque*. Unus Six. *huic quoque*. Arond., III alii Heins., Par. 2. *hos quoque*. III Heinsii *dis quoque*. Neap., Fragm. Boxh. *in quoque*. Pro *delectos* Berol., Briant., Cant., Hamb. 1., Lips. 2., Sulm., Zwicc., XX Heins., Graev., Bersm., Vrat. a 1. m., Neap., Par. 2. *dilectos*. Perperam.

366. II Bersm., X alii Heins. et Goth. 1. *nascentur*.

367. „Aliter tauri rura colunt, aliter apes ruri mella legentes.“ *Gier*. — *operi favent*, opus cum laeto studio agunt.

368. *pressus homo* i. obrutus. — *bellator equus* expressum e Virg. II, 145. Nicand. Theriac. v. 133. ἵπποι δὴ σφηκῶν γένεσις, ταῦροι δὲ μελισσῶν. Vid. Plin. XI. c. 23.

369. *litoreus cancer*. Vid. X, 127. Conf. II, 83.

371. *caudaque min. unca*. Conf. II, 195 seqq. Unus Ambr. et Berol. *exsiliet*.

374. *ferali*, noxio. IX, 213. Plin.

Semina limus habet virides generantia ranas,
Et generat truncas pedibus; mox apta natando
Crura dat, utque eadem sint longis saltibus apta,
Posterior superat partes mensura priores.
Nec catulus, partu quem reddidit ursa recenti,
Sed male viva caro est: lambendo mater in artus
Fingit et in formam, quantam capit ipsa, reducit.
Nonne vides, quos cera tegit sexangula, fetus
Melliferarum apium sine membris corpora nasci,
Et serosque pedes serasque assumere pennas?
Junonis volucrem, quae cauda sidera portat,
Armigerumque Jovis Cythereïadasque columbas
Et genus omne avium mediis e partibus ovi
Ni sciret fieri, quis nasci posse putaret?
Sunt, qui, cum clauso putrefacta est spina sepulcro,
Mutari credant humanas angue medullas.
Haec tamen ex aliis generis primordia ducunt;

XI. c. 21. *Papilio - luminibus accensis advolitans pestifer, nec uno modo. Nam et ipse ceras depascitur, et relinquit excrementa, quibus teredines gignuntur.* Plin. XXVIII. c. 10. *Papilio quoque lucernarum luminibus advolans inter mala medicamenta numeratur.* Alii *feralem* dici contendunt, quod pro effigie simulacroque sumatur animi de corpore migrantis. Sed ea est aevi posterioris imago.

375. Conf. I, 416 seqq. Ranas e limo nasci et in eundem resolvi tradit etiam Plin. H. N. XI. c. 8. Scilicet ovula sua illae deponunt in limo. *Gier.*

378. *posterior - mensura*, mensura posteriorum crurum. Dresd. et Goth. *partes superat*, quod temere recepit Heinsius.

479. *nec catulus etc.* Plin. H. N. VIII. c. 54. *Hi sunt candida informisque caro, paullo muribus major, sine oculis, sine pilo; ungues tantum promixent; hanc lambendo paullatim figurant.* Isid. Origg. XII. c. 2. Ael. Hist. anim. II. c. 19. et V, c. 3. — *reddidit*, edidit. — *in artus fingit*, i. e. fingit, ut artus fiant. Conf. I, 83. IX, 63.

380. *male viva*, vix viva. IV, 285.

381. Berol., Lips. 2., III Heins. et ed. pr. *qualem capit.*

382. Junge: *nonne vides, fetus mellif. apium, quos - tegit, nasci corpora* (truncos) *sine membris...* Virg. Georg. IV, 310.

Trunca pedum primo: mox et stridentia pennis
Miscentur, tenuemque magis magis aëra carpunt.

cera sexang. Plin. XI. c. 2. *sexangulae omnes cellae, singulorum eae pedum opere.*

385. *Junonis volucrem*, pavonem. I, 720 seqq. — *sidera*, oculos. I, 664. 723.

386. *armiger Jovis*, aquila. Vid. XII, 560. — *Cyther.*, Veneris. Vid. IV, 190. Columbae Veneri sacrae, ejusque currus columbis trahebatur aut oloribus. XIV, 597. X, 708. — IX Heins., Lips. 2. et ed. pr. *armigeramque.* Perperam. Certe, ut B.-Crusius recte notat, illud dignius est, ut nomen honorificum *ministri Jovis* aquilae tribuatur. Conf. Hor. Od. IV, 4, 1. — Formam *Cythereïadasque* tuentur cod. Bersm., Cant., Franc., Goth. 1. 2., Medic. 4. atque eam metri quoque ratio poscit. Conf. VI, 414. Vulg. *Cythereïdasque.*

388. Unus Mor. *fieri, fieri quis posse putaret.*

389. *sunt - medullas.* Plin. X. c. 86 *Anguem ex medulla hominis spinae gigni, accepimus a multis: pleraque enim occulta et caeca origine proveniunt, etiam in quadrupedum genere.* Ael. H. A. I. c. 51. Isid. Origg. XII. c. 4. 48. — Cod. Bersm., Gron. 1. et X Heins. *credunt*, quod non apparet, cur nonnulli recentiores editores optimae et summa veterum libb. auctoritate confirmatae scripturae *credant* praetulerint.

391. „*haec tamen* (animalia) *generis primordia ex aliis animalibus ducunt.*“ Unus Leid. *ducunt primordia rebus*, quod glossema Heinsius in textum recepit. Medic. 4., Ox. 1., Thu. et X alii Heinsii *rebus primordia ducunt.* Male.

Una est, quae reparet seque ipsa reseminet, ales:
Assyrii phoenica vocant. Non fruge nec herbis,
Sed turis lacrimis et suco vivit amomi.
Haec ubi quinque suae complevit secula vitae,
Ilicis in ramis tremulaeve cacumine palmae
Unguibus et duro nidum sibi construit ore.
Quo simul ac casias et nardi lenis aristas,
Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrha;
Se superimponit, finitque in odoribus aevum.
Inde ferunt, totidem qui vivere debeat annos,
Corpore de patrio parvum phoenica renasci.
Cum dedit huic aetas vires, onerique ferendo est;
Ponderibus nidi ramos levat arboris altae,
Fertque pius cunasque suas patriumque sepulchrum,

392. *reseminare* novum verbum, quod est e corpore, tanquam semine denuo se gignere. Claudian. *pater est prolesque tibi.*

393. *Assyrii phoenica vocant.* Vulgo phoenicem in Arabia collocant. Nam *Assyrii* saepe pro Syris, Syri pro Arabibus. Hor. Od. II, 11. *Assyria nardus*, ubi vid. interpp. De fabulosa hac ave vid. Herodot. II. c. 73. Plin. X. c. 2. Tacit. Annal. VI. c. 28. Mel. III. c. 8. Interpp. ad Ael. H. A. VI. c. 58. — „Zwicc. et edd. vett. a Venn. ad Farnes. *non fr. nec h.* — Cod. Bersm., Berol. et Goth. 1. 2. *non fr. neque h.*, quod Lips. 2., Vrat. et ed. pr. confirmant.“ *Jahn*

394. *amomi.* X, 307. Claudian. v. 13.

Non epulis saturare famem, non fontibus ullis
Assuetus prohibere sitim, sed purior illum
Solis fervor alit.

395. *quinque saecula.* Tac. Annal. VI. c. 28. *De numero* (phonicum vitae) *annorum varia traduntur; maxime vulgatum quingentorum spatium. Sunt, qui asseverent mille quadringentos sexaginta.* Conf. Herod. l. l.

396. *ilicis.* Qui dubitant in oriente *ilices* esse, adeant Met. IX, 664. XI, 109. Joseph. Antiq. Jud. XIII. c. 5. et Jahn. Jahrb. für Philol. XII. P. I. p. 123. — Scripturam *tremulaeve* nonnisi Bersm., Arg., Bas., Dresd., Jun. et VII Heins. Reliqui *tremulaeque.* Male.

397. *duro-ore* recta periphrasis pro *rostro.* Conf. XI, 735. — Gron. 1. et Nor. *pando*, quod temere recepit Heinsius. Uterque Bersm., Bas. 1. in marg., *Bas.* 2. 3., Berol., Cael., Dresd., Goth. 1. 2., Franc., S. Gall., Pal. 2., Par. 1. 2., Lips. 2., Sulm., Vrat., Zwicc. plerique vett. Heins., edd. Venn. et Parm. *puro.* — Bas. 1., ed. pr. et rell. *duro.* Bas. 4. *et rostro nidum sibi construit ipsa.*

398. *lenis*, mollis. Unguentum nardi respicit poeta. — *aristas.* Isidor. Origg. XXVII. c. 9. *Nardus herba spinosa, — quarum alia Indica, alia Syriaca vocatur. Est autem Indicum multiforme, sed melius Syriacum, leve, fulvum, comosum spica parvum, odorisimum*, Cyperum simulans. Lactant. in carm. Phoen. v. 86. *teneras nardi pubentis aristas.* Vid. Plin. N. H. XII. c. 26. — Bas. 1., Pal. 1. 2., Par. 1., Ox., Vrat. 1. et XX alii Heins. *levis*, quod interpretantur *nitentis.* — *De casia* Plin. XII. c. 19. et interpp. ad Virg. G. II, 213.

399. *quassa*, contrita. De *myrrha* conf. X, 488 sqq. *Myrrha* fulva, unde *myrrheus* pro flavus. Plin. H. N. l. l. *senescentem casiae turisque surculis construere nidum, replere odoribus et supere mori. Ex ossibus deinde et medullis ejus nasci primo ceu vermiculum, inde fieri pullum.* Aliis auctoribus nidus solis radiis incenditur et ipsa Phoenix comburit et ex ejus cineribus pullus evolat. Claudian. v. 45 seqq. Lactant. v. 97. — 403. *oner. ferendo est.* Conf. IX, 684.

404. *levat*, liberat, exonerat. X, 176. „*ramos arboris altae exonerat ponderibus nidi.*“ Pro *altae* Burmannus suadet *almae*, quae quasi aluit et eduxit phoenicem. dubito an vere. Lact. Phoen. v. 39.“ *Summo considit in arboris altae vertice. Gier.*

405. Nidus idem est et patris sepulcrum et filii cunae.

Perque leves auras Hyperionis urbe potitus,
Ante fores sacras Hyperionis aede reponit.
Si tamen est aliquid mirae novitatis in istis,
Alternare vices et, quae modo femina tergo
Passa marem est, nunc esse marem miremur, hyaenam.
Id quoque, quod ventis animal nutritur et aura,
Protinus assimulat, tetigit quoscumque colores.
Victa racemifero lyncas dedit India Baccho:
E quibus, ut memorant, quicquid vesica remisit,
Vertitur in lapides et congelat aëre tacto.
Sic et curalium, quo primum contigit auras
Tempore, durescit; mollis fuit herba sub undis.
Deseret ante dies, et in alto Phoebus anhelos

406. *Hyperionis urbs*, Heliopolis in Aegypto, cultu Solis inclyta. Nam Hyperion vocatur Sol etiam VIII, 564. IV, 192. Vid. ad I, 10. — *potitus urbe.* Conf. XI, 55. 339. XIII, 729. Repetitio illa *Hyperionis* Nasoni solemnis. Vid. ad Trist. II, 261. Mela: *quum adolevit* (phoenix), *ossa pristini corporis inclusa myrrha Aegyptum exportat, atque in urbe, quam Solis appellant, fragrantibus archio bustis inferens, memorando funere conservat.*

407. *ante fores - aede*, h. e. ad aedem H. ante fores sacras. Sic *Marathone* pro *apud Marathonem*, et item alia. Sensus est, recte interpretante Jahno: Phoenix postquam Heliopolin pervenit, non intrat Hyperionis templum, sed ad aedem et ante fores nidum reponit. Paullo aliter rem narrat Plin. l. l. *totum deferre nidum prope Panchajam in Solis urbem, et in ara ibi reponere.* Conf. Herod. l. l. Lactant. in Phen. Tacit. l. l.

410. De fabula hac de hyaena Plin. H. N. VIII. c. 44. *Hyaenis utramque esse naturam et alternis annis mares, alternis annis feminas fieri, parere sine mari, vulgus credit, Aristoteles* (H. A. VI. c. 33.) *negat.* Cf. Ael. H. A. I. c. 25. Claudian. 92 seqq. Sed talia apud poetas in re fabulosa non urgenda. Pro *aede* unus Leid. et Thys. *orbe.* — Bon. et Thu. *miramur.* De illo *passa est tergo* conf. IX, 740.

411. *id quoque - aura*, chamaeleon, de quo Plin. H. N. VIII. c. 51. *Ipse celsus hianti semper ore solus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quam aeris alimento. — Et coloris natura mirabilior: mutat namque eum subinde et oculis et cauda et toto corpore, redditque semper quemcunque proxime attingit, praeter rubrum candidumque.* Isid. Origg. XII. c. 2. Plutarch. Alcib. c. 23.

412. Pro *assimulat, tetigit* Bas. 1. inter versus, Bonon. 1., Medic. 4. et XII Heins. *assimulat tactu.* Minus eleganter et minus expedita sententia, et tamen recepit Heinsius.

413. Bacchi currum a lyncibus trahi etiam supra IV, 25. memoratur; ubi victam quoque ab eo Indiam canit poeta, v. 20. Plin. VIII. c. 57. *Lyncum humor ita redditur — glaciatur arescitve in gemmas, carbunculis similes et igneo colore fulgentes, lyncurium vocatos, atque ob id succino a plerisque ita generari prodito.* Idem prodit Isid. Origg. XII. c. 2. — *racemif.* Fast. VI, 483.

Bacche, racemiferos hedera redimite capillos.

416. *curalium.* Ita Exc. Cal. et Pal. 1. Reliqui omnes *coralium.* sed *coralum* et *coralium* primam corripere ex poetarum locis docet Heinsius, ut Claud. Nupt. Hon. v. 169. Sidon. Apoll. XV, 110. Graecis κοράλιον, hinc recte *curalium* a Gr. κουράλιον. Vid. IV, 750. Isid. Orig. XVI. c. 8. *Corallius gignitur in mari, forma ramosus, colore viridis et maxime rubens, venae ejus candidae, sub aqua et molles, detractae confestim durantur et rubescunt, tactuque protinus lapidescunt.* Idem tradit Plin. XXXII. c. 2.

418. *deseret*, sc. me. Ita exhibent cod. Bersm., Berol., Cael., Capr., Sulm., II Vatt. Ciof., vetustiores Heins. codd. Viv. et ed. pr. Reliqui *desinet*, nisi quod Zwicc., unus Voss. et pro v. l. unus Arg. *desinat.* Certe pronomen *me* apud *deseret* haud commode omittitur. Alia est oratio: *dies deficiunt*, non addito *me.* De curru, cursu et equis Phoebi omnia explicata sunt libro II.

Aequore tinget equos, quam consequar omnia verbis,
In species translata novas. Sic tempora verti
Cernimus atque illas assumere robora gentes,
Concidere has. Sic magna fuit censuque virisque,
Perque decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.
Clara fuit Sparte, magnae viguere Mycenae,
Nec non Cecropiae, nec non Amphionis arces:
Vile solum Sparte est, altae cecidere Mycenae.
Oedipodioniae quid sunt nisi nomina Thebae?
Quid Pandioniae restant nisi nomen Athenae?
Nunc quoque Dardaniam fama est consurgere Romam,

419. *verbis*. Ita codd. Ciof., uterque Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc., plurimi Heins. et ed. pr. Vulgo *dictis*. Difficile est affirmare, utrum genuinum sit. Cic. Philipp. V. c. 13. *verbis laudes consequi*. Virg. Aen. I, 372.

— — si prima repetens ab origine pergam —
Ante diem clauso componat vesper Olympo.

420. *tempora*, conditio et status regnorum. Itaque male Heinsius ex conjectura dedit *tempore*. Sed scripturam *tempora* nonnisi Gron. 1., S. Gall., Medic. 4., Sulm., Vat. 1., Vrat. et X Heinsii et ed. Ald. 2. exhibent. Reliqui *omnia*, quod post illud: *omnia translata*, non ferendum, parumque aptum est iis quae sequuntur.

421. *illas*. Ita Bas. 1. 2. 4., S. Gall., uterque Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Gron. 1., Medic. 4., Pal. 1. 2., Lips. 2., Vat. 1., Vrat., plurimi Heinsii et ed. pr., quod concinnius est, quam vulg. *alias*.

422. *censu*, opibus. III, 588.

423. *perque decem annos*. Vid. XII, 19. 20.

424. *nunc*. Bas. 4. *haec*.

426. Varias dubitationes a viris doctis contra v. 426 — 430. motas scite refutavit Jahn: „... Haec omnia nihil ad hunc locum pertinent. Minime enim poeta nunc id agit, ut ex ruinis Trojae Romam prodiisse demonstret; sed exemplis comprobat sententiam v. 421. propositam, alias gentes concidere alias robora assumere. Atque illud facit v. 422 — 430., hoc a v. 431. Anachronismi et versus rythmici porro in Ovidio tam saepe recurrunt, ut ab his sumi argumentum nequeat. Tum bis commemorandae erant *Athenae*, Thebae, Sparta et Mycenae, quia inter versus 426. 427. et vss. 428 — 430. oppositionem sententiarum poeta esse voluit. Quod autem denique in paucis codicibus unus et alter versus omissus est, id in his versibus ὁμοιοτελεύτοις nemini mirum esse videbitur qui meminerit, quam saepe in talibus librarii peccaverint."

427. *Cecropiae – arces*, Athenae. II, 555. VI, 70. *Amph. arces*, Thebae. VI, 221. Scripturam *Cecropiae* Heinsius ex uno Voss. recepit, quod et concinnius est, et Naso priorem nominis *Cecrops* constanter producit. Vid. indices. Quamquam posterius parvi momenti est. Idem exhibet Bas. 2. Cod. Constant. Fanens. *nec non Cecropeos*. Vulg. *nec non et Cecropis*, quod mirari licet, quomodo in omnes codices et vett. edd. irrepserit.

428. Hic versus in Zwicc. deest.

429. *Oedipodioniae*, ab Oedipo infelici illo Thebarum rege. Eadem forma est Lucan. VIII, 407.

Oedipodionias infelix fabula Thebas.

Stat. Th. II, 505. et X, 801. Vrat. et Lips. 2. *Oedipodionidae*. Οἰδιποδίων producta paenultima pro Οἰδιποδίδης dicitur. — Pro optima scriptura *nomina* alter Strozzae et Par. 2. *fabula*, quod tam parva auctoritate non recipere licet. Nam repetitio illa *nomina* et *nomen* apud Nasonem non urgenda est. — In Dresd. et Goth. 2. hic versus post sequentem legitur.

430. *Pandioniae*, a Pandione Athenarum rege. VI, 426 sqq. Planudes hunc versum omisit, qui etiam in cod. Vrat. in textu deest, a rec. manu margini adscriptus est. *Jahn*.

431. *nunc quoque*, nostris quoque temporibus. *Dardania Roma* est *Trojana*,

Appenninigenae quae proxima Thybridis undis
Mole sub ingenti rerum fundamina ponit.
Haec igitur formam crescendo mutat, et olim
Immensi caput orbis erit: sic dicere vates
Faticinasque ferunt sortes; quantumque recordor,
Dixerat Aeneae, cum res Trojana labaret,
Priamides Helenus flenti dubioque salutis:
„„Nate dea, si nota satis praesagia nostrae
Mentis habes, non tota cadet te sospite Troja.
Flamma tibi ferrumque dabunt iter. Ibis et una
Pergama rapta feres, donec Trojaeque tibique
Externum patrio contingat amicius arvum.
Urbem etiam cerno Phrygios debere nepotes,
Quanta nec est nec erit, nec visa prioribus annis.
Hanc alii proceres per saecula longa potentem,
Sed dominam rerum de sanguine natus Iuli
Efficiet. Quo, cum tellus erit usa, fruentur
Aetheriae sedes, coelumque erit exitus illi.“ “

quia ab Aeneae nepotibus condita est. prop. IV, 1, 125.

Dicam Troja cades et Troïa Roma resurges.

Bas. 3. *assurgere.*

432. *Appenninigenae*, ex Appennino profluentis. Sic Virg. Aen. XI, 700. *Appenninicola*, ubi de scriptura hujus nominis vid. interpp. Met. IV, 173. *Junonigena*. Cf. not. ad III, 531. Dresd. et Zwicc. *Tibridis*. Reliqui omnes *Thybridis*.

433. *sub mole ingenti rerum fundamina ponit*, i. e. fundamenta ponit, quibus ingens moles superstruatur.

434. „haec igitur (Roma) formam *crescendo* mutat, ut illae *decrescendo*, *et olim*...“

435. *immensi caput orbis erit*. Conf. v. 736.

436. *quantumque recordor*. Recordabatur Pythagoras, qui Trojano bello, cum Euphorbus esset, interfuerat et haec tum ipse audiverat. Vid. v. 161. — Codd. Ciof., Berol., Goth. 1., Lips. 2. et Zwicc. *vaticinasque*. Thu. et III alii Heins. *faticanasque*, e IX, 418. Reliqui, ut edidimus.

437. Heinsius ad novandum semper pronus auctoritate unius Medic. et alterius de suis codicibus versum 437. male post v. 438. posuit. — Dresd., Bas. 2. et II Heins. *periret*.

438. *Priamides Helenus*. Vid. XIII, 99. 723. et conf. Virg. A. III, 374 — 462, Hom. Il. VI, 76. Helenus dicitur *οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος*. — *dubius salutis*. II, 765. Trist. III, 3, 25. *dubius vitae*. Vid. Rudim. Gramm. Vol. II. p. 72. — 439. *si*, quando. Conf. I, 378. *Gier.*

441. *flamma-iter*, per flammam ferrumque sospes evades.

442. *Pergama rapta feres*, i. e. Pergama rapies et tecum feres. Dicit autem sacra et Penates, quos secum portavit Aeneas, Troja fugiens et in quibus spes novorum Pergamorum. De *Perg.* vid. XII, 591. Virg. A. I, 68. *Ilium in Italiam portans.*

443. „*arvum externum amicius patrio*, sc. arvo.“ Bas. 1., Leid. et Par. 1. *externa patria. patria* etiam II Heins., Berol. et unus et alter Viv.

444. Junge: *Cerno etiam* (h. e. praeterea) *Phrygios nepotes* (h. e. a Phrygiis s. Trojanis oriundos) *urbem* (juxta fatum) *debere* s. condituros esse. — Berol., Bas. 3. 4., S. Gall., Goth. 1. 2., Vrat. et ed. pr. *et jam*, quod sine idonea causa recepit Heinsius.

446. Animadverte antitheses: *alii proceres* et *de sanguine natus Iuli, potentem* et *dominam rerum*. Adulatur Augusto; nam Iuli natus est Oct. Augustus qui per Iulium Caesarem in gentem Iuliam receptus est, quae originem suam ad Iulum sive Ascanium, Aeneae filium referebat.

447. *dominam rerum*. Frontin. de Aquaeduct. *Regina et domina orbis, quae terrarum dea gentiumque consistit, cui par nihil, et nihil secundum.*

449. *coelum*, coelestes honores. Apotheosin Augusti significat, quam certatim celebrarunt illius aetatis poetae

„Haec Helenum cecinisse penatigero Aeneae,
Mente memor refero, cognataque moenia laetor
Crescere, et utiliter Phrygibus vicisse Pelasgos.
Ne tamen oblitis ad metam tendere longe
Exspatiemur equis: coelum et quodcumque sub illo est
Immutat formas, tellusque et quicquid in illa est.
Nos quoque, pars mundi, quoniam non corpora solum,
Verum etiam volucres animae sumus, inque ferinas
Possumus ire domus pecudumque in pectora condi:
Corpora, quae possunt animas habuisse parentum
Aut fratrum aut aliquo junctorum foedere nobis,
Aut hominum certe, tuta esse et honesta sinamus,
Neve Thyesteis cumulemus viscera mensis.
Quam male consuescit, quam se parat ille cruori
Impius humano, vituli qui guttura cultro
Rumpit, et immotas praebet mugitibus aures;
Aut qui vagitus similes puerilibus hoedum
Edentem jugulare potest, aut alite vesci,
Cui dedit ipse cibos! Quantum est, quod desit in istis

Virg., Hor. et alii. Vid. Virg. Georg. I, 24 sqq. Hor. I, 2, 45. et aliis locis.

450. *penatiger* Aeneas, quia Penates e Trojae flammis servavit. XIII, 623. Virg. A. I, 68., al. Ceterum a Nasone videtur novatum vocabulum. — De hiatu et spondeo in quinto pede vid. III, 184. IV, 535. VIII, 309. et not. ad I, 62.

451. *refero*. Conf. v. 27. et I, 165. Rem. A. v. 299.

Saepe refer tecum sceleratae facta puellae.

cognata dicit, quia Pythagoras ante Euphorbus et Trojanus fuerat itaque Aeneae et ejus nepotibus si minus sanguine, at natione et patria cognatus erat.

452. *utiliter Phrygibus*, in salutem Phrygum s. Trojanorum.

453. *ne tamen – equis*. Oratio Pythagorae enim jam plus CCC versus complectitur, quae nunc ad v. 143. et ad esum carnium redit. – De *meta* X, 597. Metaphoris ab arena et stadio sumtis nihil apud poetas in hac re frequentius est. Vid. Amor. III, 15. 2. Fast. II, 360. IV, 10. VI, 586. Virg. Georg. II, 541.

Sed nos immensum spatiis confecimus aequor,
Et jam tempus equum fumantia solvere colla.

longe, justo longius. Conf. IV, 442. De constructione cf. v. 176. — *exspatiemur*. II, 202.

455. Berol. *est* omittit, quod postulat concinnitas.

457. *volucres*, leves, quae transeunt in alia corpora.

458. *in pectora*. Cod. Bersm., Dresd., Par. 2., Lips. 2., Vat. Ciof. et plurimi Heinsii *in corpora*. Nonnulli Heinsii *pectore*. Conf. XIII, 561. 392. XII, 295.

459. *possunt*. Unus Heins. et Par. 1. *possint*, quod temere recepit Heinsius. Vid. not. ad XIV, 675. Ceterum ab hoc versu incipit apodosis, cujus protasis continetur vss. 456 — 458. De re conf. not. ad v. 174.

461. *honesta sinamus*, honorata, in suo honore esse sinamus.

462. *Thyesteis - mensis*. Graviter atque invidiose dicta. — Aërope, uxor Atrei, in adulterio e mariti fratre Thyesta duos peperit filios, quos Atreus mactatos Thyestae apposuit. Hyg. F. 78. Inde proverbialis oratio *Thyestea coena, mensa*. Pont. IV, 6, 47.

— Thyesteae redeunt si tempora mensae.

cumulemus, ad cumulum impleamus. — Pal. 1. *cumulemur*, quod temere recepit Heinsius.

463. *quam male*, quam prave ac perniciose. — *cruori humano*, ad cruorem humanum effundendum, ad homicidium.

464. *cultro*. Bas. 1. 4., cod. Bersm., Pal. 2., Lips. 2. et vetustiores (?) Heins. *ferro*. Nonnulli codices etiam *pectora* vel *corpora*. Conf. V, 36.

467. *alite, cui dedit ipse cibos*, igitur alitibus domesticis.

468. *quantum est*. Conf. IV, 74. VI, 200. et IX, 561.

Ad plenum facinus? Quo transitus inde paratur?
Bos aret, aut mortem senioribus imputet annis;
Horriferum contra Borean ovis arma ministret;
Ubera dent saturae manibus pressanda capellae!
Retia cum pedicis laqueosque artesque dolosas
Tollite, nec volucrem viscata fallite virga,
Nec formidatis cervos includite pinnis,
Nec celate cibis uncos fallacibus hamos!
Perdite, si qua nocent; verum haec quoque perdite tantum:

469. *ad plenum facinus*, ad facinus, cui nihil sceleris deest, ad homicidium. *quo transitus inde paratur?* quo ab hac audacia homo non progreditur? Hanc optimam scripturam exhibent Erf. 1. et Ambr. 1. — Berol., Dresd., Goth. 2., Pal. 2., Vat. 1., multi Heinsii et vett. edd. *quis transitus*, minus commoda sententia. — Langerm., Par. 1., Vrat. *qua transitus*. Hamb. 1. et II alii Heins. *qui tr.* Med. 2. *quid tr.* — Uterque Bersm. et reliqui libri *quam transitus*. — Scripturam *paratur* exhibent Ambr. 1., Dresd., Erf. 1., Goth. 2., Hamb. 1., Vrat., Zwicc., plurimi Heins. et vett. edd. Reliqui *paratus*, ad sensum aeque bene.

470. „*aut*, si moriendum est, *senioribus imputet annis mortem*, *et non crudelitati hominum*.“

471. *arma*, tegumenta, vestimenta; sed cum respectu ad personam horriferam s. violentam Boreae. Conf. v. 116. 118. Fast. IV, 699. de lanifica:

— assiduis exercet brachia telis,
Adversumque minas frigoris arma parat.

Dresd., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et edd. Venn. *boreamque*. Orta varietas ex latina forma *boream*.

472. *pressanda*. Virg. Ecl. III, 99. *frustra pressabimus ubera palmis*. Glossa Bas. 1. *frequenter premenda*.

473. *laqueos* sc. collo. Cic. *collum in laqueum inserenti*.

474. *visc. - virga*. Virg. Georg. I, 139. *fallere visco*, ubi vid. interpp. — Scripturam *volucrem* tuentur cod. Bersm., plerique Heins., omnes Jahni et ed. pr. — Reliqui cum vulg. *volucres*.

475. *pennis*. Heinsius e conjectura dedit *pinnis*, quod exhibet Goth. 1. Nam vett. libri praeter Goth. 1. et S. Gall. *pennis*, quod germanum videtur; nam *pinnae* quoque *pennae*. Quamquam verbum *pinnae* in hac re usitatum ac proprium est, unde etiam Heinsius mutavit. Virg. Georg. III, 371.

Hos (cervos) *non immissis canibus, non cassibus ullis,*
Puniceaeve agitant pavidos formidine pinnae.

Aen. XII, 750.

Inclusum veluti si quando flumine nactus
Cervum aut puniceae septum formidine pinnae.

Grat. Cyneg. 85.

ast ubi lentae
Interdum Libyco fucantur sandyce pinnae,
Lineaque exstructis lucent anconibus arma,
Rarum si qua metus eludat bellua falsos.

Posteriori Virgilii loco confirmatur etiam scriptura vulgata *includite*, pro qua uterque Bersm., Cant., Erf. 1., Hamb. 1. 2., Medic. 3., Mor. 1., Neap., Pal. 1., Lips. 2., Thu., Urb., Zwicc. et complures Heins. *illudite*, Ambr. 1. *eludite*. Pro scriptura *formidatis* Berol. in litura, Goth. 1. 2., Lips. 2., Bas. 1. a 2. m., Zwicc. et plurimi Heins. *formidantes*. — *Pennae* autem sive pinnae illae sunt funiculus venatorius, etiam formido dictus, pennis s. pinnis varii coloris intextus, quo cervi territi in retia agebantur. Nemes. v. 303.

Linea quin etiam, magnos circumdare saltus
Quae possit, volucresque metu concludere praedas,
Digerat innexas non una ex alite pinnas.

476. Pont. II, 7, 9.

Qui semel est laesus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis aera subesse putat.

Tib. II, 6, 24.

Quum tenues hamos abdidit ante cibus.

477. „*perdite tantum*, nec comedite· — *si qua nocent*.“ Cf. v. 108 — 110.

Ora vacent epulis, alimentaque mitia carpant!“
Talibus atque aliis instructo pectore dictis
In patriam remeasse ferunt, ultroque petitum
Accepisse Numam populi Latialis habenas.
Conjuge qui felix nympha ducibusque Camenis
Sacrificos docuit ritus, gentemque feroci
Assuetam bello pacis traduxit ad artes.
Qui postquam senior regnumque aevumque peregit,
Exstinctum Latiaeque nurus populusque patresque
Deflevere Numam. Nam conjux urbe relicta
Vallis Aricinae densis latet abdita silvis,
Sacraque Oresteae gemitu questuque Dianae
Impedit. Ah quoties nymphae nemorisque lacusque
Ne faceret, monuere, et consolantia verba
Dixerunt! Quoties flenti Theseïus heros
„Siste modum:“ dixit „nec enim fortuna querenda

478. *epulis*, sc. ex eorum carne. — Vat. 1., V Heins. et vett. edd. *al. congrua*. Reliqui omnes *mitia* h. e. non fera, ut v. 81. et V, 342.

Prima (Ceres) *dedit fruges alimentaque mitia terris.*

Mitia etiam distinctius dictum est.

479. *Numa post reditum* (V. 1 sqq.) *rex Romae creatur regnoque novo et religione et legibus confirmato moritur. Cujus mortem quum Egeria conjux s. nympha lugeret in valle Erycina, obvius Hippolytus eam consolatur fata sua tum reliqua ei narrans tum quod post miserrimam mortem in Virbium deum transformatus sit. Egeria nihil illa consolatione lenita in fontem mutatur.*

480. *ultroque petitum.* Liv. I. c. 18. *Patres Romani ad unum omnes Numae Pompilio regnum deferendum decernunt.* Flor. I. c. 2. *Quem* (Numam) *Curibus Sabinis agentem ultro petivere ob inclitam viri religionem.* Vid. Dion. Hal. II.

481. *habenas.* Ita Latinus *rerum reliquit habenas* apud Virg. Aen. VII, 600. *Gier.* Vocabulum *Latialis* pro *Latius*, *Latinus* ante Nasonem inusitatum fuisse videtur.

482. *conjuge felix.* VI, 681. VII, 60. IX, 333. — Liv. I. c. 21. *Lucus erat, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua. quo quia se persaepe Numa sine arbitris velut ad congressum Deae inferebat, Camenis eum lucum sacravit, quod earum ibi concilia cum conjuge sua Egeria essent.* Egeria autem nympha *Ariciae* nemoris esse ferebatur. Conf. Dion. Hal. II. c. 60. Plut. Num. c. 8. Flor. I. c. 2. interpp. Ov. Fast. III, 275.

Egeria est, quae praebet aquas, dea grata Camenis.
Illa Numae conjux consiliumque fuit.

Camenae Romanum nomen Musarum. Vid. not. ad XIV, 434.

484. *pacis trad. ad artes.* Justin. XLIV. c. 5. *populumque barbarum ac ferum legibus ad cultiorem vitae usum traductum.* Unus Heins. *in usum.*

485. *qui.* Heinsius ex uno Cant. temere et inscite dedit *quem.*

486. *nurus*, mulieres.

488. *vallis Aricina*, vallis apud Ariciam oppidum Latii, in qua clarissimus lucus ac templum Dianae Tauricae fuit. Vid. not. ad XIV, 331. Conf. Fast. III, 261 seqq. Virg. Aen. VII, 761. Ea in proximo nemore culta ritu peregrino, quo ei servi mactabantur. Hyg. F. 269. Solin. II. p. 13.

492. *dixerunt! quoties.* Sic vett. libri omnes. *Dixere! ah quoties* inventio Heinsii est, qui Nasoni quot locis affectus obtrusit. Vid. ad XIII, 12. et XI, 349. et Praef. p. V. — *Theseïus heros*, Hippolytus, filius Thesei, Athenarum regis. Conf. V, 1. XIV, 584. XIII, 124. Fabulam hanc tractarunt Eurip. et Senec. in Hippol. Conf. Virg. A. VII, 761 seqq. Hyg. F. 47. 251. Heyn. ad Virg. VII. Exc. VIII.

493. *siste modum*, fac modum. Prop. III, 17, 41.

Tu modo servitio vacuum me siste superbo.

„Sola tua est. Similes aliorum respice casus;
Mitius ista feres. Utinamque exempla dolentem
Non mea te possent relevare! sed et mea possunt.
Fando aliquem Hippolytum vestras, puto, contigit aures
Credulitate patris, sceleratae fraude novercae,
Occubuisse neci. Mirabere, vixque probabo;
Sed tamen ille ego sum. Me Pasiphaëia quondam,
Tentatum frustra patrium temerare cubile,
Quod voluit, finxit voluisse, et crimine verso,
Indiciine metu magis offensane repulsae,
Arguit: immeritumque pater projecit ab urbe,

Bas. 2. 3. 4., cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2. et Lips. 2. *neque enim.* Vulg. *nec enim.* Exspectanda accuratior collatio codicum.

497. *fando.* Virg. A. II, 81.

Fando aliquod si forte tuas pervenit ad aures
Belidae nomen Palamedis —

Fando, in modo agendi est, non patiendi. Stat. Theb. I, 655. *Quid fando tua tela manusque demoror.* — Scripturam *vestras puto contigit aures* tuentur Arond., Par. 2., Groo. 1., Nor., Ox., Lips. 2., Urb., VI Heins. — Cod. Bersm., Calandr., Medic. 3. 4., Pal. 1., Vat. 1., Vrat. et XX Heinsii *vestras quoque cont.* Bas. 1. 2. et a rec. m. Bas. 3., Dresd., Goth. 1. 2. et reliqui *vestras si.* Scriptura *vestras quoque* parum elegans. De duabus reliquis elegantior certe est *vestras puto.* Alia est ratio Virg. l. l., unde fortasse haec varietas nata est.

498. Vulgo *sceleratae et fraude.* Sed uterque Bersm., Berol., Dresd, Goth. 1., Vrat., plurimi ex vetustioribus Heinsii et ed. Ven. 2. *et* non agnoscunt. *Jahn.*

499. *probabo*, fidem faciam.

500. *Pasiphaëia* est Phaedra Minoïs regis et Pasiphaës, filia, quam Theseus post mortem Hippolytae, Amazonis (552.), primae uxoris, duxit. Euripidis Phaedra. Virg. A. VII, 765 sqq. Junge: *me Pasiphaëia quondam, frustra tentatum* (postquam me frustra tentarat. conf. IX, 623.), *patrium cubile temerare, quod ipsa voluit, voluisse* (sceleste) *finxit et crimine verso* (suum crimen in me vertens) *arguit sive accusavit, indiciine metu magis offensane repulsae; et pater etc.*

501. *temerare*, adulterio polluere. Conf. II, 592. Bas. 1. 4. et a 2. m., Bas. 2., Dresd., Goth. 1., Groo. 1. et multi (?) Heins. *temerasse*, quod mirum est interpretes optimae scripturae *temerare* praetulisse: „*postquam me frustra tentavit temerare, finxit me voluisse, quod ipsa voluit.*“ Medic. 3., Vat. 1. et III Heins. *tentavit.* — De verbo *tentare* hoc sensu conf. IX, 623. Hor. Od. III, 4, 71. *integrae tentator Orion Dianae.*

502. Quidam Viv., multi Heins., Goth. 2., Pal. 2., Lips. 2., Bas. 1. 2. 4. in marg., Zwicc. et ed. pr. *quod voluit voluisse, infelix cr. v.* Parum elegans sane et in infinitum tracta verborum compositio. Berol. et Bas. 4. *quod vol. finxit inf. cr. v.* Goth. 1. et Vrat. *quod vol finx. voluisse cr. v.* Optima aptissimeque composita est scriptura plurimorum et optimorum codd. *quod voluit, finxit voluisse et cr. v.*

503. *indiciine – offensane.* Bas. 1., Berol., Dresd., Vrat., meliores Heins. *indiciine.* Edd. Venn. *indiciive.* Vulg. *indiciique.* Codd. Cioff., Dresd., Goth. 1., meliores Heins. *offensane.* Scriptura *indiciique - magis* sententiae repugnat. Suet. Vesp. I. *Tit. Flav. Petronius - centurio an evocatus profugit.* Scilicet *dubium* supplendum est.

504. *arguit*, accusavit. Apud Sen. Hippol. v. 720. nutrix:

Regeramus ipsi crimen atque ultro impiam.
Venerem arguamus.

Sed cod. Bersm, codd. Cioff., omnes fere Heins., meliores Viv., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal., Lips. 2., Vrat., Zwicc., ed. pr.

Damnavit meritumque nihil pater eiicit urbe.

Sed haec scriptura si admittatur, mutanda sunt praecedentia, quae optimo sensu codicibusque satis confirmata sunt. — *ab urbe*, Athenis. *projecit*, ut Tac. Ann. IV. c. 71. *neptem Augustus convictam adulterii damnaverat projece-*

Hostilique caput prece detestatur euntis.
Pittheam profugo curru Troezena petebam,
Jamque Corinthiaci carpebam littora ponti;
Cum mare surrexit, cumulusque immanis aquarum
In montis speciem curvari et crescere visus,
Et dare mugitus summoque cacumine findi.
Corniger hinc taurus ruptis expellitur undis,
Pectoribusque tenus molles erectus in auras
Naribus et patulo partem maris evomit ore.
Corda pavent comitum; mihi mens interrita mansit,
Exsiliis contenta suis: cum colla feroces
Ad freta convertunt arrectisque auribus horrent
Quadrupedes, monstrique metu turbantur, et altis
Praecipitant currum scopulis. Ego ducere vana
Frena manu, spumis albentibus oblita, luctor,
Et retro lentas tendo resupinus habenas.
Nec vires tamen has rabies superasset equorum,
Ni rota, perpetuum qua circumvolvitur axem,
Stipitis occursu fracta ac disjecta fuisset.

ratque in insulam Trimerum. Conf. Annal. I. c. 3.

505. *hostili – prece*, imprecationibus. Caes. B. G. VI. c. 31. *omnibus precibus detestatus Ambiorigem.*

506. *Pittheam*, ubi Pittheus regnabat, a quo Hippolytus educatus fuerat. Vid. not. ad VI, 418. et Eurip. Hippol. 1162 seqq.

507. *litora carpere*, ut *viam*, *iter*, *mare*, *aethera carpere*. Vid. XI, 752.

508. Senec. Hippol. v. 1008.

Quum subito vastum tumuit ex alto mare,
Crevitque in astra —

Ibid. v. 1016.

Consurgit ingens pontus in vastum aggerem
Tumidumque monstro pelagus in terras ruit.

Gier.

509. *curvari.* XI, 505.

510. Sen. l. l. v. 1026. *totum mare immugit. Gier.*

511. *corniger hinc taurus.* Fast. VI, 740. de eadem re:

Dividit obstantes pectore taurus aquas.

Eurip. Hippol. v. 1214. Κῦμ' ἐξέθηκε ταῦρον, ἄγριον τέρας.

515. *contenta*, unice intenta, occupata, a verbo *contendo*. Lucret. IV, 965.

Atque in ea ratione fuit contenta magis mens.

exiliis, fuga. — Unus Leid., Medic. 4. et Bas. 1. inter lin. *intenta.* Conf. Sen. Hipp. v. 1055.

517. Fast. VI, 741.

Solliciti terrentur equi, frustraque retenti
Per scopulos dominum duraque saxa trahunt.

518. Ed. Bas. et Vinc. *currus.*

519. *ducere luctor.* Conf. I, 685. V, 354.

520. *resupinus*, reclinatus, qualis est habitus frena retrahentis. — *lentas*, quae flexibiles sunt, non frangantur. Ex Euripide expressus locus v. 1165. δεσπότης – ἧρπασ' ἡνίας χερσίν, ἕλκει δὲ – ἱμᾶσιν εἰς τοὔπισθεν ἀρτήσας δέμας.

522. *perpetuum*, h. l. valet, qui perpetuo in se vertitur s. circumvolvitur. Fast. IV, 179.

Ter sine perpetuo coelum versetur in axe.

Scripturam *qua* confirmant Dresd., Goth. 1. 2., unus Heins., Six. et Vrat. — Unus Heins. *quo;* mendose. Reliqui *quae*, quod valde languet. Deinde cod. Bersm., Par. 1. 2., Cael., Cant., Dresd., Erf. 1., Goth. 2., Ox., Pal. 1. 2., Lips. 2., Sulm., Urb., Urs., II Vat. Ciof. et plurimi Heinsii, h. e. scripti tantum non omnes *circumvolvitur.* Pauci codd. cum vett. edd. *circumvertitur.*

523. *ac.* Ita Bas. 1. 3. 4., cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat., Sulm. et sine dubio multi Heinsii et vett. edd. — Reliqui *et.*

Excutior curru; lorisque tenentibus artus
Viscera viva trahi, nervos in stirpe teneri,
Membra rapi partim, partim reprensa relinqui,
Ossa gravem dare fracta sonum, fessamque videres
Exhalari animam, nullasque in corpore partes,
Noscere quas posses, unumque erat omnia vulnus.
Num potes aut audes cladi componere nostrae,
Nympha, tuam? Vidi quoque luce carentia regna,
Et lacerum fovi Phlegethontide corpus in unda,
Nec, nisi Apollineae valido medicamine prolis,
Reddita vita foret. Quam postquam fortibus herbis
Atque ope Paeonia, Dite indignante, recepi;
Tum mihi, ne praesens augerem muneris hujus
Invidiam, densas objecit Cynthia nubes;
Utque forem tutus possemque impune videri,
Addidit aetatem, nec cognoscenda relinquit
Ora mihi, Cretenque diu dubitavit habendam
Traderet an Delon. Delo Cretaque relictis
Hic posuit, nomenque simul, quod possit equorum

524. Conf. III, 627. Virg. Aen. X, 590. *excussus curru volvitur.* Junge: *et videres loris artus tenentibus viscera* (mea) *viva trahi etc.* Fast. VI, 743.

Exciderat curru, lorisque morantibus artus
Hippolytus lacero corpore raptus erat.

Vid. Eurip. v. 1181., ex quo hic locus expressus est.

525. *in stirpe.* Boxh., Vat. 2. et a corr. Vrat. *in stipe.* Conf. XIII, 865.

526. *reprensa*, retenta. - Lips. 2. et Vrat. *partim reprehensa.* Cod. Bersm. et Berol. *partimque repreh.* Dresd. et unus Medic. *partim deprensa.*

527. *fessam*, languentem. Conf. III, 502. De illo *videres* conf. XIV, 650.

528. *exhalari.* Ita recte Berol., Lips. 2., Vrat., Zwicc., plerique Heins. et ed. pr. Vulg. *exhalare.* Mendose.

529. *unumque erat omnia vulnus.* Conf. I, 292. XI, 82. *pectus quoque robora fiunt.* Sil. X, 513. *toto corpore vulnus.*

532. *Phlegethontide.* Vid. ad V, 544. — *lacerum corpus fovi* apte dicitur, ut *fovere vulnus.* Sed an Phlegethontis unda huic rei apta sit, poeta viderit. Calor quidem non aberat.

533. *Apollinea proles* Aesculapius est, Coronidis (unde *Coronides* v. 524.) et Apollinis filius, quem Jupiter eo, quod Hippolytum in vitam revocarat, fulmine percussit. Virg. A. VII, 765 sqq.

Namque ferunt fama Hippolytum — ad sidera rursus
Aetheria et superas coeli venisse sub auras,
Paeoniis revocatum herbis et amore Dianae.
Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitae,
Ipse repertorem medicinae talis et artis
Fulmine Phoebigenam Stygias detrusit ad undas.

535. *ope Paeonia*, h. e. Apollinea h. e. medica: nam Apollo, ut artis medicae inventor (I, 521.), Paean et *Ἡαίων* vocatur. I, 566. *Paeonia* h. l. alteram corripit. Vid. ad v. 708. — *Dis* deus inferorum (IV, 438.), qui indignabatur, quod suo regno anima erepta esset. Alios auctores sequitur Hor. Od. IV, 7, 25.

536. *muneris hujus*, vitae receptae. De re conf. Virg. A. VII, 769 seqq. Paus. Corinth. p. 173. Eurip. v. 1423 seqq. De *hujus* in fine versus vid. ad IV, 745.

537. *Cynthia*, Diana. II, 465.

539. *aetatem*, formam senilem. Conf. Senec. Hipp. v. 821 seqq. *Gier.*

541. *relictis*, omissis. *Delon* autem et *Creten* potissimum appellat, quia Diana ibi imprimis colebatur. V, 639. — Thu., Goth. 2. et VIII Heinsii *Creteque.*

542. *hic*, apud Egeriam. Virg. Aen. VII, 774.

At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, et nymphae Egeriae nemorique relegat.

Admonuisse, jubet deponere, „„Quique fuisti
„„Hippolytus," dixit „nunc idem Virbius esto." " "
„Hoc nemus inde colo, de dîsque minoribus unus
Numine sub dominae lateo atque accenseor illi."
Non tamen Egeriae luctus aliena levare
Damna valent, montisque jacens radicibus imis
Liquitur in lacrimas, donec pietate dolentis
Mota soror Phoebi gelidum de corpore fontem
Fecit, et aeternas artus tenuavit in undas.
At nymphas tetigit nova res, et Amazone natus
Haud aliter stupuit, quam cum Tyrrhenus arator
Fatalem glebam mediis adspexit in arvis
Sponte sua primum nulloque agitante moveri,
Sumere mox hominis terraeque amittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis; -
Indigenae dixere Tagen, qui primus Etruscam

nomen, quod possit eq. admonuisse, Ἱππόλυτος, ab ἵππος et λύω. De praeterito *admonuisse* conf. II, 608.

544. *Virbius.* Virg. l. l. *versoque ubi nomine Virbius esset.* Huc pertinet Mythogr. II. c. 128. Diana *Hippolytum revocatum ab inferis in Aricia nymphae commendavit Egeriae, et eum Virbium, quasi bis virum jussit vocari. Revera autem Virbius est numen conjunctum Dianae, ut matri deum Atis, Minervae Erichthonius, Veneri Adonis.* — 546. *accenseor*, datus sum illi πάρεδρος. *accensi* dicebantur ministri publici magistratibus additi. Mythogr. III. c. 6. *Singula enim numina, ut ajunt superiora inferiores potestates ministras habent, ut Venus Adonem, mater deum Atin, Minerva Erichthonium, Diana Virbium.* De Aricio et Virbio heroë Aricino vid. Heyn. Excurs. VIII. ad Virg. Aen. VII. — Scripturam *accenseor* servarunt Bas. 1. in marg., unus Ambr., Goth. 2., S. Gall., unus Leid. et Strozz. 1. — S. Gall. in margine *accensior.* — Par. 2. *accersior*, pro v. l. *acceptior.* — Reliqui *accersior, acceptior, assenseor*, et longe plurimi *assentior.*

549. *liquitur*, diffluit, solvitur, *tenuatur*, ut v. 551. Conf. v. 246. VII, 380.

— — — — — *flendo*
Delicuit stagnumque suo de nomine fecit.

550. *soror Phoebi*, Diana. I, 10. — *fontem.* Egeriae fons et lucus ad Ariciam est. Vid. Juven. Sat. II, 17. ibique interpp.

551. *tenuari in.* Conf. v. 246. — *aeternae*, perennes.

552. *Transformationi* Egeriae tres *aliae fabulae per comparationem admiscentur: Tagen e gleba subito natum s. emersum, Romuli hastam viridem et arborem factam, et Cipum cornutum factum esse.*

552. *Amazone natus*, Hippolytus. Vid. ad v. 500.

553. *Tyrrhenus*, Tuscus. *Tages Tuscus* est apud Arnob. II. c. 69. Hanc fabulam explicat Cic. de Div. II. c. 23. *Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, quum terra araretur, et sulcus altius esset impressus, exstitisse repente, et eum affatus esse, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris est Etruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentia. Ejus adspectu quum obstupuisset bubulcus clamoremque majorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum totamque brevi tempore in eum locum Etruriam convenisse. Tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperint literisque mandaverint, omnem autem orationem fuisse eam, qua haruspicinae disciplina contineretur; eam postea crevisse rebus novis cognoscendis, et ab eadem illa principia referendis.* Conf. Isid. Origg. VIII. c. 9. Vid. Dempsteri Hetrur. Regal. III. c. 1.

554. *fatalem*, in qua mirabilia fata, monstra conspicua. — *mediis* exhibent uterque Bersm., Berol., Cael., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Sulm., Urs., Vrat., Zwicc., plurimi Heins. et ed. pr. — Reliqui *motis*, quod certe, sequente *moveri*, parum elegans est.

555. De illo *nullo* vid. ad v. 242.

557. *recentia*, recens ex gleba nata.

Edocuit gentem casus aperire futuros. -
Utve Palatinis haerentem collibus olim
Cum subito vidit frondescere Romulus hastam,
Quae radice nova, non ferro stabat adacto,
Et, jam non telum sed lenti viminis arbor,
Non exspectatas dabat admirantibus umbras;
Aut sua fluminea cum vidit Cipus in unda
Cornua. Vidit enim, falsamque in imagine credens
Esse fidem, digitis ad frontem saepe relatis,
Quae vidit, tetigit; nec jam sua lumina damnans
Restitit, ut victor domito veniebat ab hoste,
Ad coelumque oculos et eodem cornua tollens
„Quicquid," ait „superi, monstro portenditur isto,
„Seu laetum est: patriae laetum populoque Quirini;
Sive minax: mihi sit!" Viridique e cespite factas
Placat odoratis herbosas ignibus aras,
Vinaque dat pateris, mactatarumque bidentum,
Quid sibi significent, trepidantia consulit exta.
Quae simul adspexit Tyrrhenae gentis haruspex;

560. Fabula haec est: *Romulus hasta monte Aventino jaculatus est in Palatinum in aprum; ea subita radice fixa stetit et virere coepit et in arborem crevit.* Plut. Vit. Rom. Serv. ad Virg. A. III, 46.

560. *utve*. Heinsius tacite edidit, *utve*, quod cod. S. Gall., Bersm., Bas. 1. 2., Vrat., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2. et ed pr. et vero etiam versus 565. confirmant. - *haerentem*. ex Aventino monte missa haesit. *Gier.*

563. *lenti viminis*, sc. quod viride, non jam aridum lignum fuisse significat.

565. *Cipus*. Val. Max. V. c. 6. *Genucio Cipo praetori, paludato portam egredienti, novi et inauditi generis prodigium incidit. Namque in capite ejus subito veluti cornua erepserunt, responsumque est, regem eum fore, si in urbem revertisset. Quod ne accideret, voluntarium sibi ac perpetuum indixit exsilium.* Plin. H. N. XI. c. 45. *Quae jure cornua intelligantur, quadrupedum generi tantum. Actaeonem enim et Cipum etiam in Latina historia fabulosos reor.* Vett. Heinsii magna ex parte *Cypus* v. *Cipus*. Lips. 2. et codd. Ciof. ubique *Cippus*. Goth. 1., Vrat. et ed. pr. et Ven. 2. ubique *Cipus*. Vulg. *Cippus*. Singuli nunc *Cypus*, nunc *Cipus*.

566. *vidit - vidit enim*. Vid. ad II, 400. — *falsam fidem esse*, fidi parum posse. — S. Gall. et III Heins. *falsaque*.

568. *nec jam sua lumina damnans*, vituperans sc. tanquam fallacia.

569. *veniebat*. Berol., unus Bon., Mor. 1. 3. et Zulich. *remeabat*, quod recepit Heinsius, ego retinere non sum ausus propter parvam auctoritatem veterum librorum.

570. *cornua*. Mire sane. sed Naso hujus modi lusus in deliciis habet. Hinc Heinsius novare non debebat *brachia*, quod exhibent cod. Bersm., Berol., Ox., Pol. 1. et V alii Heinsiani.

572. *patriae laetum*. Ita omnes Viv., uterque Bersm., Berol., Cael., Capr., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Sulm., Vrat., Zwicc., maxima pars codd. Heins. et vett. edd. — Vulg. *seu laetum est aliquid, patriae pop.*; sed prior scriptura longe majorem auctoritatem vetustatis habet, et est ex Nasonis usu dicendi. De *populo Quirini* vid. XIV, 607. — 573. *minax* opponitur illi *laetum*. Arae de cespite sub divo in subita et improvisa imprimis laetitia saepe fiebant. Trist. V, 5, 9. Met. IV, 752. Hor. Od. I, 19, 13. III, 8, 4. Virg. A. XII, 119.

574. *placare aras* i. e. placare deos sacris in aris factis. Virg. A. VII, 764. *placabilis ara*. Eodem modo *exorare aras* Met. VII, 591.

575. *dat pateris*. IX, 160.

Vinaque marmoreas patera fundebat in aras.

Hor. Od. I, 31.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? quid orat, de patera novum
Fundens liquorem.

576. *trepidantia*. Vid. supra v. 136.

577. *adspexit*. Heinsius temere edidit

Magna quidem rerum molimina vidit in illis,
Non manifesta tamen. Cum vero sustulit acre
A pecudis fibris ad Cipi cornua lumen;
„Rex," ait „o salve: tibi enim, tibi, Cipe, tuisque
„Hic locus et Latiae parebunt cornibus arces!
Tu modo rumpe moras, portasque intrare patentes
Appropera: sic fata jubent. Namque urbe receptus
Rex eris et sceptro tutus potiere perenni."
Retulit ille pedem, torvamque a moenibus Urbis
Avertens faciem „Procul, ah procul omina" dixit
„Talia dî pellant, multoque ego justius aevum
Exsul agam, quam me videant Capitolia regem!"
Dixit, et extemplo populumque gravemque senatum
Convocat; ante tamen pacali cornua lauro
Velat; et aggeribus factis a milite forti
Insistit, priscoque deos e more precatus

inspexit, quod exstat in Bon. 1. et Berol. Cum vix adspexisset haruspex, jam vidit. Et *aspicere* non semper est *leviter aspicere*, sed valet etiam *considerare*. Vid. VI, 14. — *Tyrrhenae gentis haruspex*; nam ibi haruspicina primum orta erat. Vid. ad v. 553. Conf. Liv. I. c. 56.

578. *rerum molimina*, motus civitatis. Conf. Pont. I, 2, 75.

Magna tenent illud rerum molimina numen.

manifesta, certa.

580. *pecudis*. Burmannus ex uno Franc. temere recepit *pecudum*; namque ex illis syllabis *is*, quibus Burmannus offendebatur, natura altera brevis altera longa est. — *lumen* ut V, 179. Unus Mor. *vultum*.

581. *tuisque cornibus*. Cornua apud veteres roboris signum erant. Interpp. ad Hor. Od. III, 21, 18. — 582. *Latiae arces* universe, licet intelligantur Romae arces, ut patet e v. 583 sqq.

583. *moras*. Cod. Bersm., Berol., Thu., VI alii Heins. et edd. Venn. et Parm. *moram*. Reliqui omnes cum ed. pr. *moras*, quod tam parva auctoritate mutare non debebat Heinsius. Constanter dicitur et quasi pro formula est *moras rumpere*, non *moram*. Conf. Virg. G. III, 43. Aen. IV, 569. IX, 13. et vid. Forcell. et indices Ovidii.

584. *appropera*. Singuli codd. *ac*, *at*, *ah*, *ha*, *hac*, *o propera*.

586. *retulit pedem*, sc. cohorrescens. *torvam*, indignationem generosam prae se ferentem. *Gier*. Hor. Od. III, 5, 44. Regulus *virilem torvus humi posuit vultum*. *Gier*.

587. *procul, ah procul*. Ita codd. Viv., Goth. 1. 2., Vrat., plerique Heins. et ed. pr. — Dresd., Zwicc., Pal. 2. *pr. ha procul*. Berol. et Leid. *proc. hinc proc*. Vulg. *proc. o proc*.

589. *exul agam*. Ac vere egit, auctore Val. Maximo, nam: *voluntarium sibimet ac perpetuum indixit exsilium*. — *Capitolia* est pluralis dignitatis. Vid. not. ad Trist. III, 1, 27. *Capitolium* autem memorat, quia ibi sedes imperii et arx Romae fuit et templum Jovis Capitolini, cui summi magistratus sacrificabant.

590. *gravem*, sc. auctoritate.

591. *pacali lauro*; nam laurus symbolum pacis. I, 560. VI, 101. Plin. H. N. XV. c. 30. *ipsa* (laurus) *pacifera, ut quam practendi etiam inter armatos hostes quietis sit indicium*. — Scripturam *pacali c. lauro* optimam et Nasonis acuminum studio accommodatam tuentur Bas. 3. et a rec. m. 4., cod. Bersm., Cant., Erf. 1., Goth. 2., Hamb. 1. 2., Par. 1., Lips. 2., Urb., plurimi Heins. et ed. pr. — Dresd., Berol., Cael., Zwicc. *capitis nova cornua lauro*. Vulg. *capitis nova cornua fronde*. Perperam, quia obscurum, quae frons intelligenda sit. Nam etiam *olea pacalis*. Vid. not. ad VI, 101. — *velare* in hac re proprium.

592. *aggeribus*, tribunali, s. suggestu. Vid. interpp. ad Tac. Annal. I.

593. *priscoque d. e more pr.* Multi Heinsii *priscosque*. Unus Bersm., Berol., Dresd., Goth. 2. et Vrat. *ex more*. Virg. A. XI, 301.

Praefatus divos solio sic infit ab alto.

Ubi Serv.: *More antiquo*; *nam majores*

„Est“ ait „hic unus, quem vos nisi pellitis urbe,
„Rex erit. Is qui sit, signo, non nomine, dicam.
Cornua fronte gerit, quem vobis indicat augur,
Si Romam intrarit, famularia jura daturum.
Ille quidem potuit portas irrumpere apertas;
Sed nos obstitimus, quamvis conjunctior illo
Nemo mihi est. Vos urbe virum prohibete, Quirites;
Vel, si dignus erit, gravibus vincite catenis,
Aut finite metum fatalis morte tyranni!“
Qualia succinctis, ubi trux insibilat eurus,
Murmura pinetis fiunt, aut qualia fluctus
Aequorei faciunt, si quis procul audiat illos;
Tale sonat populus. Sed per confusa frementis
Verba tamen vulgi vox eminet una „Quis ille est?“,
Et spectant frontes, praedictaque cornua quaerunt.
Rursus ad hos Cipus „Quem poscitis,“ inquit „habetis!“,
Et demta capiti, populo prohibente, corona
Exhibuit gemino praesignia tempora cornu.
Demisere oculos omnes gemitumque dedere,
Atque illud meritis clarum - quis credere possit? -
Inviti videre caput; nec honore carere
Ulterius passi festam imposuere coronam.
At proceres, quoniam muros intrare vetaris,
Ruris honorati tantum tibi, Cipe, dedere,

nullam orationem nisi invocatis numinibus inchoabant.

594. *est*, *ait*. Berol., Thu. et V Heins. *en*, *ait*, quod temere et inscite dedit Heinsius. Idem cum Thu. et Cant. male novavit *ni* pro *nisi*.

596. *augur*. Proprie erat haruspex. V. 577.

597. *famularia*, servilia s. servorum.

602. *fatalis*, pestiferi, a quo fatum s. pernicies vestra pendet.

603. *succinctis*. Vid. X, 103. Leid. 3. *Peliacis*. — Ad comparationem illam conf. XII, 50 seqq. — *eurus*. I, 61.

606. *tale sonat*. Verba quae *sonum edere* significant, poetae saepe loco adverbii cum neutro conjungunt. Fast. VI, 340. *lene sonare*. Virg. G. III, 239. *immane sonare*. Vid. not. ad Her. XVIII, 82.

607. *eminet*, „altior est et distinctius auditur.“ Forcell. – *quis ille est?* Ita Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Pal. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd. et sine dubio multi quoque Heinsii. — Heinsius, ut multis aliis locis, tacite omisit *est*, quod h. l. postulat sententia, quia in *est* vis posita est.

608. *frontes*, sc. alteri alterorum.

609. Ox. *habemus*.

610. *populo prohibente*, prohibere volente, sc. clamoribus suis, invito populo, ut qui tam clarum meritis caput corona privari nollet. Conf. V, 45.

611. *exhibuit*. Conf. VI, 44.

612. *demisere oculos*. Conf. VII, 133.

613. Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. et Pal. 2. *posset*.

614. *inviti*, non sine horrore. — *honore*, honesta corona. Vid. v. 591.

616. *vetaris*, sc. responso illo et tuo amore patriae. Mor. *vereris*, quod inscite recepit Heinsius. – *proceres*. Vid. v. 590.

617. *rus honoratum*, rus honoris causa civitate donatum. Plin. H. N. XVIII. c. 3. *Jugerum* vocabatur, quod uno jugo boum in die exarari posset. Dona amplissima imperatorum et fortium civium, quantum quis uno die plurimum circumaravisset. Vid. Serv. ad Virg. A. IX, 274. et Senec. de Benef. VII. c. 7. De illo *depresso aratro* conf. III, 104. Bersm., Arond., Par. 2., Neap., Pal. 1., Urb., Vat. 1., Vrat, VI Heins. et ed. pr. *bubus*. Reliqui *bobus*, quod genuinum videtur. Vid. ad XIV, 3. et XV, 12.

Quantum depresso subjectis bubus aratro
Complecti posses ad finem lucis ab ortu;
Cornuaque aeratis miram referentia formam
Postibus insculpunt, longum mansura per aevum.
Pandite nunc, Musae, praesentia numina vatum, -
Scitis enim, nec vos fallit spatiosa vetustas -
Unde Coroniden circumflua Thybridis alti
Insula Romuleae sacris adsciverit urbis.
Dira lues quondam Latias vitiaverat auras,
Pallidaque exsangui squalebant corpora morbo:
Funeribus fessi postquam mortalia cernunt
Tentamenta nihil, nihil artes posse medentum;
Auxilium coeleste petunt, mediamque tenentes
Orbis humum Delphos adeunt, oracula Phoebi,
Utque salutifera miseris succurrere rebus
Sorte velit tantaeque urbis mala finiat, orant.

619. *lucis*. Bas. 1. 3., Dresd., Leid. et IV alii Heins. *solis*, ex interpretamento. Vid. supra v. 190. IX, 795.

620. *aeratis*. Val. Max. V. c. 6. *Cujus testandae rei gratia capitis effigies aereae portae, qua excesserat, inclusa est, dictaque rauduscula, quod olim aera raudera dicebantur*, ex quo loco Jac. a Cruce restitui jussit, quod Urbin. a m. 2. exhibet *aeratis*, pro scriptura omnium vett. librorum *auratis*.

622. *Gravi in Urbe orta pestilentia Aesculapius, deus artis medicae* (v. 533.), *sub figura serpentis Epidauro Romam in Tiberis insulam affertur*. Liv. X. c. 46. II. c. 5. Val. Max. I. c. 8. Oros. III. c. 22. Plut. Quaest. Rom.

622. *Pandite etc.* Plenum gravitatis exordium. Hom. Il. II, 484.

Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
Ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστέ τε πάντα.

Virg. A. VII, 641 seqq. — *praesentia*, amica, faventia. III, 658.

624. Junge: *unde circumflua insula Thybridis alti Coroniden* (Vid. ad v. 533. et ad II, 540 seqq. et 599.) *sacris Romuleae urbis asciverit*, h. c. unde Aesculapius deus Epidaurius a Romanis in insula Tiberis coli coeptus sit. Priscian. II. c. 6., Goth. 1. 2. et Zwicc. *Coronidem*. Iidem et Dresd. et Lips. 2. *Tibridis*. Vrat., Zwicc. *Tybridis*. Venn. *Thybridis*, forma Graeca. Ambr. 1., II Medic., Neap. et Vat. 1. *T. undis*. Prisc. l. l. et reliqui libri omnes *T. alti*. Ceterum jungendum *circumflua insula Thybridis alti*, ut *insula Thybridis* dicatur. — Legendum Coroniden paenultima producta, ut *Pelides*. Fuit autem Aesculapius filius Coronidis nymphae et Apollonis.

625. *adjecerit*. Cic. Verr. II. c. 5. *Ceres et Libera quarum sacra populus R. a Graecis adscita et accepta tuetur*. Sed *adsciverit* conjectura Heinsii est nisi quod Bonon. 1. exhibet *acciverit*. Plurimi enim Heinsii *accesserit*, *arcesserit*, *accerserit*. Goth. 2., Lips. 2. *arcesserit*. Bersm., Cael., Sulm. et Zwicc. *accesserit*. Reliqui *adjecerit*, quod genuinum videtur.

626. *dira*, horrenda, ut humanae cladi non similis esset. – *auras*. Nonnulli codd. *oras*, *undas*, *arces*, *horas*. Vid. VII, 548. Liv. II. c. 5. *pestilentia urens simul urbem atque agros, portentoque similis jam erat clades*. Copiosior pestilentiae descriptio est VII, 523 seqq.

627. *squalebant corp. morbo*. XIV, 411. — Bas. 3. a rec. m., Berol., Dresd., Goth. 2., Sulm., Thu. et alii Heins. *tabo*: ex II, 760. ut videtur. Reliqui *morbo*, quod verum videtur. Virg. G. IV, 252. *tristi languebant corpora morbo*.

629. *medentum*, medicorum. — Unus Mor. *medentis*. Thu. *medendi*. Dresd. *mederi*.

630. *mediamque tenentes o. h. Delphos*. Vid. ad X, 168. — Scripturam *tenentes* servarunt cod. Bersm., Bas. 1., Berol., Dresd. a corr., Medic. 3. 4., Neap., Pal. 1., Thu., Urb., Vat. 1., Vrat. et plurimi Heinsii. Vulg. *tenentis*. — V. 631. desinit. Pal. 2., reliquis foliis abscissis. — *oracula Phoebi*. I, 515.

632. *sorte*, responso, oraculo. Vid. not. ad I, 368.

Et locus et laurus et, quas habet ipse, pharetrae
Intremuere simul, cortinaque reddidit imo
Hanc adyto vocem, pavefactaque pectora movit:
„Quod petis hinc, propiore loco, Romane, petisses,
Et pete nunc propiore loco; nec Apolline vobis,
Qui minuat luctus, opus est, sed Apolline nato.
Ite bonis avibus, prolemque arcessite nostram!“
Jussa dei prudens postquam accepere senatus;
Quam colat, explorant, juvenis Phoebeïus urbem,
Quique petant ventis Epidauria litora mittunt.
Quae simul incurva missi tetigere carina;
Concilium Grajosque patres adiere, darentque
Oravere deum, qui praesens funera gentis
Finiat Ausoniae: certas ita dicere sortes.

634. *et, quas habet ipse, pharetrae.* De posteriori syllaba verbi *laurus* producta vid. XIV, 250. Sensus est: *et locus et laurus et pharetrae, quas ipse habet. Ipse* cum vi dictum, ut deus significetur. Berol., Dresd. et nonnulli Heinsii *ille*. Cant. et Bas. 1. in marg. *illa*. Urb. *ipsa*. Scripturam autem *pharetrae* Arond., Bas. 1., Gron. 1., Berol., Neap., XX alii Heins., Goth. 1. 2., Par. 1. 2., et Urb. tuentur. Nam vulg. *pharetras*, quae et ipsa defendi potest, sed minorem habere videtur auctoritatem codicum. — *Tremor* autem ille indicium praesentiae divinae. — De lauro Apollini sacra vid. I, 658. 659. et ad I, 452.

635. *cortina*, Gr. ὅλμος, operculum tripodis: hinc pro ipsa vate ex ea sede oracula edente. — *imo adyto*, ex imo specu, cui cortina imposita. *Gier.* Virg. Aen. III, 90.

Vix ea fatus eram, tremere omnia visa repente
Liminaque laurusque dei totusque moveri
Mons circum et mugire adytis cortina reclusis.

Aen. IV, 347. *nec me cortina fefellit.*

637. In *propiore loco* haeserunt interpretes, cum Epidaurus longius Roma distet, quam Delphi. Sed si mari venissent, propior erat Epidaurus in Argolide ad sinum Saronicum sita, quam Delphi. Gierig aliter explicat locum: „*Quod petis*, scire cupis ex me, quale scilicet remedium morbi sit, id potuisses Romae e libris Sibyllinis cognoscere.“ Quae interpretatio mihi non probatur. Subobscura oratio est: nimirum poeta obscuritatem et ambiguitatem oraculorum imitari studuit. — *petisses*, petere potuisses. Liv. X. c. 47. *libri aditi, quinam finis aut quod remedium ejus mali ab diis daretur. Inventum in libris* (*sc. Sibyll.*) *Aesculapium ab Epidauro Romam arcessendum.* Conf. Val. Max.

639. *Apolline nato*, Aesculapio. V. 624. II, 628.

640. *bonis avibus.* Conf. V, 147. — Vat. *b. animis.* — Dresd., Goth. 1., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et vett. edd. *accersite.*

641. *senatus* cum plurativo verbi, ut collectivum. Conf. XII, 53. — 642. Cod. Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et castigatiores Heinsii *explorant*. Vulg. *explorat.* — *explorant*, sc. inspectis libris Sibyllinis. Liv. 1. l. — *quam urbem colat*, qua in urbe templo et sacris colatur. Nam di ea loca colere dicuntur, in quibus coluntur. *Gier.*

643. Liv. XLV. c. 28. *Epidaurum inclitam Aesculapii nobili templo, quod quinque passuum ab urbe distans — tum donis dives erat.* Vid. Mel. II. c. 3. Conf. Pausan. II. c. 26. Epidaurus autem sita ad sinum Saronicum.

645. *concilium.* Berol., Dresd., Zwicc., plurimi (?) Heins. et ed. Ven. 1. *consilium. Concilium* est concio.

647. *certas — sortes*, certa oracula. I, 491. Multi codd. *certant.* Mendose. Altera ac gravior varietas est in hoc v. Sc. Berol., Twisd. 1. 2., Vrat., II Bersm., ed. Farn., nonnulli ut videtur alii Heinsii, codd. Viv., cod. Bersm., Par. 2., Zwicc., *ita dicere*, q. e. ita jubere. Optima sententia. Multi Heins., Dresd., unus Vat. Ciof. et ed. Vinc. *certant addicere.* Viv. e codd. suis praetulit et in ed. Junt. edidit *certantque ita dicere.* Cod. Bersm., Par. 2., Zwicc. et marg. ed. Micyll. *certant ita dicere.* Sulm. *certant has dicere.* Ed. pr. certant haec

Dissidet et variat sententia, parsque negandum
Non putat auxilium; multi retinere, suamque
Non emittere opem nec numina tradere, suadent.
Dum dubitant, seram pepulere crepuscula lucem,
Umbraque telluris tenebras induxerat orbi;
Cum deus in somnis opifer consistere visus
Ante tuum, Romane, torum, sed qualis in aede
Esse solet, baculumque tenens agreste sinistra
Caesariem longae dextra deducere barbae,
Et placido tales emittere pectore voces:
„Pone metus: veniam, simulacraque nostra relinquam;
Hunc modo serpentem, baculum qui nexibus ambit,
Perspice et usque nota visu, ut cognoscere possis:
Vertar in hunc, sed major ero, tantusque videbor,
In quantum verti coelestia corpora debent.“
Extemplo cum voce deus, cum voce deoque
Somnus abit, somnique fugam lux alma secuta est.
Postera sidereos Aurora fugaverat ignes;
Incerti, quid agant, proceres ad templa petiti
Conveniunt operosa dei, quaque ipse morari

dicere. Lips. 2. *certant hoc dic*. Goth. 2. *certasque adicere*. Goth. 1., Bas. 2. *certant adicere*. — Sed licet libri veteres plerique omnes *certant* exhibeant, tamen praesens illud parum aptum est. Singuli codd. *addicere*, *id dicere*, *adduc.*, *addisc.*, *edisc.*, *abdic.*, *haec* v. *hoc dicere*, *subducere*, *adducere*. Hyg. F. 109. *quid ita sortes dixissent*. Burmannus defendit *addicere*; sed *ita dicere* s. jubere elegantius est, quam si legati *addictum* sibi ipsorum numen ab Apolline dicant; quod certe magis offendere poterat. — *finiat*. Transitus ille a temporibus historicis ad praesens apud Nasonem non rarum est: nam exspectares *finiret*.

649. *retinere*. Unus Bas. 1. a rec. m., Bas. 3., S. Gall., Dresd., unus Voss. et pro v. l. unus Mor. *renuere*, quod cupidius edidit Heinsius. Unus Mor. *tenuere*. Verborum copia *tenere*, *non emittere nec tradere* Nasonianae consuetudinis est. — Cod. Bersm., Arond., Medic. 4., Zwicc. a 1. m., Ox. et VII alii Heins. *amittere*. Gron. 1. et II Heins. *admittere*. Bas. 1. et II Heins. *dimittere*.

652. *umbra*, noctis, noctis tempus. — *induxerat*. Conf. II, 395.

654. *sed qualis*. „sed non forma serpentis, qualis postero die apparuit, verum qualis in aede, h. e. qualis vulgo *cernitur*.“

655. Dicitur *baculus* et *baculum*. Fast. I, 177. Met. II, 789.

656. *deducere*, superne leniter stringere. Conf. IV, 311. Minut. Felix: *Aesculapius bene barbatus*, *etsi semper adolescentis Apollinis filius*. De Epidauria dei imagine vid. Pausan. II. c. 27.

658. *metus*. Ita plerique castigatiores Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Vrat., Zwicc. et ed. pr. — Vulg. *metum*, ex vulgari consuetudine dicendi. — „*simulacra nostra relinquam* et aliam formam induam.“

660. *nota visu*, ut *oculis notare* XI, 714. Conf. III, 595. Scripturam *visu* confirmant castigatiores Heins., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Vrat. et ed. pr. — Edd. Venn. et reliqui codd. *et usque nota*, *visum ut c. possis*. Non male. Sed exspectanda accuratior collatio codicum est. — Berol., Dresd., cod. Bersm. et XIII alii Heins. *prospice*. Quinque Heins. *rcspice*. Bas. 4. *aspice*.

662. De re conf. XIII, 962. 895. Heinsius ex suis codd. (?) primus edidit *debent*, quod codd. Cioſ., Bersm., Lips. 2., Vrat., Goth. 1. 2., Dresd. et vett. edd. confirmant. Vulg. *possunt*, quae scriptura mihi inepta videtur. Ad v. 665. conf. IV, 81.

666. *proceres*, sc. Epidauri. Supra v. 645. *Grajos patres*.

667. *operosa*, magno opere et appa-

Sede velit, signis coelestibus indicet, orant.
Vix bene desierant, cum cristis aureus altis
In serpente deus praenuntia sibila misit,
Adventuque suo signumque arasque foresque
Marmoreumque solum fastigiaque aurea movit;
Pectoribusque tenus media sublimis in aede
Constitit atque oculos circumtulit igne micantes.
Territa turba pavet; cognovit numina castus,
Evinctus vitta crines albente sacerdos:
„En deus est, deus est! Animis linguisque favete,
„Quisquis ades!“ dixit. „Sis, o pulcherrime, visus
„Utiliter, populosque juves tua sacra colentes;“
Quisquis adest, jussum veneratur numen, et omnes
Verba sacerdotis referunt geminata, piumque

ratu exstructa. I, 258. – Berol., Sulm., Vrat., multi Heins. et ed. pr. *perveniunt*.

668. *coelestibus*, divinis.

669. *vix bene*. Vid. II, 47. — *cristis aureus altis*. Conf. III, 32. Junge: *deus in serpente* (latens), *cristis altis aureus*. II, 1. *sublimibus alta columnis*. — Ad illa *sibila misit* conf. III, 58. Eodem modo v. 657. *emittere vocem*. Scripturam optimam *misit* tuentur codd. Viv., plerique Heins., uterque Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Zwicc. et ed. pr. Reliqui cum edd. Venn. *movit*.

671. *signum*, simulacrum, statuam. V. 658.

672. *movit*. Conf. v. 635.

673. *pectoribusque tenus*, ut III, 43. *media plus parte leves erectus in auras*.

675. *territa turba*, ut quae nihil ea de re sciret. Pro *castus* cod. Bersm., Erf. 1., Goth. 2., Medic. 3., Pal. 1., Par. 1. 2., Urb., Vat. 1. et multi Heins. *castos*, quod in textum recipiendi causam non video; quum praesertim auctoritate vetustatis alteri scripturae longe cedat. Fast. I, 587.

Idibus in magni castus Jovis aede sacerdos etc.

Nec illud *evinctus* post *castus* offendere potest, siquidem illo *evinctus* exterioris habitus descriptio sacerdotis casti adjicitur. „*Castus* autem pietatis et sanctitatis notionem habet.“ *Gier*. Virg. A. VI, 661. *casti sacerdotes*. De *vitta albente* conf. V, 110. XIII, 643.

677. *en deus est, deus est*. Sic codd. Viv., Dresd. a corr., permulti Heins. et reliqui tantum non omnes: et emendate et eleganter. Dresd. a 1. m., Bas. 1. et multi (?) Heinsii et ed. Naug. *et deus est, deus est*. Cod. Bersm. *et deus est et deus est*. Cod. Bersm. et Bas. 1. *et deus, et deus est*. Zwicc. a 1. m. *et deus en deus est*. Zwicc. a corr., Cael., Neap. et V Heins. *en deus, en deus est*. Quod nunc in multis edd. legitur *et deus en, deus en*, inutilis Heinsii conjectura est quam exhibet Bas. 1. in margine. Exemplis h. l. nihil efficitur. — Deinde vett. edd. et plerique codd. vindicant *animis linguisque favete*. Bas. 1., Zwicc. et III Heins. *linguisque animisque*, quod ad mutandum ubique pronus idem sine justa causa recepit Heinsius. Nonnulli Heins. *linguis animisque f.*

678. *quisquis ades*. Ita multi castigatiores Heins., Berol. a corr., Dresd., Goth. 1. 2., Vrat. et ed. pr. et Ven. 1., quod aptius est illi *favete*. Vulgo *quisquis adest*. Ib. v. 98.

Quisquis ades, sacris ore favete meis,
Quisquis ades sacris, lugubria dicite verba.

Vid not. ad Trist. I, 7, 1. De formula illa *favete linguis, animis*, in sacris usitata, vid. interpp. ad Hor. Od. III, 1, 2. Fast. I, 71. Tib. II, 2, 2. „*Pulcher* frequens epitheton deorum. Virg. Aen. VII, 656. *satus Hercule pulchro Pulcher Aventinus*.“ *Gier*.

679. *utiliter*, saluti.

680. *jussum*. Ita Goth. 1. 2., Bas. 2., Hamb. 1. et II Heinsii. Reliqui *visum*. Prius rectius; turba enim agnoscere deum in serpente nonnisi verbis sacerdotis poterat. Conf. IV, 32. — Berol., Medic. 3., Ox., Pal. 1. et IX Heins. *venerantur*. Reliqui *veneratur*, quod propter sequens *omnes* recte revocavit Jahn.

681. *verba sacerdotis referunt geminata*

Aeneadae praestant et mente et voce favorem.
Annuit his, motisque deus rata pignora cristis
Ter repetita dedit vibrata sibila lingua.
Tum gradibus nitidis delabitur, oraque retro
Flectit et antiquas abiturus respicit aras,
Assuetasque domos habitataque templa salutat.
Inde per injectis adopertam floribus ingens
Serpit humum flectitque sinus, mediamque per urbem
Tendit ad incurvo munitos aggere portus.
Restitit hic, agmenque suum turbaeque sequentis
Officium placido visus dimittere vultu,
Corpus in Ausonia posuit rate. Numinis illa
Sensit onus, pressaque dei gravitate carina
Aeneadae gaudent, caesoque in litore tauro

nata, repetunt verba, quae sacerdos praeiverat.

682. *Aeneadae*, Romani per Silvium Aeneae ex Lavinia filium ab Aenea genus ducentes. Vid. Virg. A. VI, 756. Macrob. Saturn. I. c. 12. Hyg. F. 94. Met. XIV, 609 seqq. Trist. II, 261. — *praestant et mente et voce fav.* Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Sulm., II Vatt. Ciof., Zwicc., haud dubie nonnulli Heins. et ed. pr. *et mente et voce*, quod dedimus quia respondet illis *animis linguisque* v. 677. Vulg. *et voce et mente*.

683. *his*, verbis. — *rata*, certissima. Virg. A. IX, 104. *idque ratum annuit*.

684. *ter repetita*. Ita Berol., Vrat., Thu. et pro v. l. Goth. 2., quod recte dedit Heinsius: nam illa repetita sibila pro pignoribus dedit et *rata pignora* appositio est ad *sibila*. Certe contorta oratio est: *et motis cristis pignora* (dedit), *et vibrata lingua sibila dedit*. — De *ter rep. sibil.* vid. not. ad III, 34.

685. *delabitur*. Ita Bersm., Arond., Bas. 1., Par. 1. 2., Berol., Cant., Dresd., Goth. 2., Neap., Pal. 1., Lips. 2., Thu., Urb., Vrat., Zwicc., plurimi Heins. et ed. pr., quod etiam ipsa re confirmatur. Vulg. *elabitur*. Gron. 1. et II Heins. *dilab.* — *gradibus nitidis*. Supra v. 672. est *marmoreum solum*. — *labi* in serpente etiam v. 721. IV, 493.

686. *antiquas*, adjectivum ornans.

687. *salutat*, valedicendi causa.

689. *sinus*, orbes s. volumina. V. 721. Val. Max. *per urbis celeberrimas partes mitibus oculis et leni tractu labi coepit, triduoque inter religiosam omnium admirationem conspectus — ad triremem Romanam perrexit. Gier.*

691. *turbaeque sequentis officium*, h. e. turbam officii (honoris) causa sequentem. Pont. IV, 4, 42.

Officium populi vix capiente domo.

Juv. Sat. X, 44.

Illinc cornicines, hinc praecedentia longi
Agminis officia.

Plin. Panegyr. c. 76. *Ipsius quidem officium tam modicum, tam temperatum, ut antiquus aliquis magnusque consul sub bono principe incedere videretur.*

693. Val. Max. *eo conscendit, ubi Q. Ogulnii legati tabernaculum erat, inque multiplicem orbem per summam quietem est convolutus.* — *Numinis onus*. Conf. IX, 273.

694. Goth. 2. et ed. pr. *dei est gr.* Cod. Bersm., Berol. et Lips. 2. *carina est;* non male, sed non satis auctoritatis a veteribus libris habet.

695. *caesoque – tauro*, ex more solventium et appellentium. Fast. IV, 355.

Ante coronatam puppim sine labe juvencam
Mactarunt.

Virg. Aen. III, 20.

superoque nitentem
Coelicolûm regi mactabam in litore taurum.

Georg. I, 436.

Coronatae, ut mos erat iter mari ingredientium. Amor. III, 11, 29.

Jam mea votiva puppis redimita corona
Lenta tumescentes aequoris audit aquas.

Curt. IV, 18. *navigia conscendunt redimita floribus coronisque.* Virg. Aen. IV, 418.

Puppibus et laeti nautae imposuere coronas.

Scripturam puppis confirmant multi

Torta coronatae solvunt retinacula navis.
Impulerat levis aura ratem: deus eminet alte,
Impositaque premens puppim cervice recurvam
Caeruleas despectat aquas; modicisque per aequor
Ionium Zephyris sexto Pallantidos ortu
Italiam tenuit, praeterque Lacinia templa,
Nobilitata dea, Scylàceaque litora fertur.
Linquit Iapygiam, laevisque Amphissia remis
Saxa fugit; dextra praerupta Celennia parte,
Romechiumque legit Caulonaque Naryciamque,

Heins. (?) et ed. pr. Reliqui cum edd. Venn. *navis*. Scriptura Burmanni *navi* nullis in codd. exstat. — Cod. Bersm., Dresd., Mor. et Patav. *classis*.

696. *solvunt*. Val. Max. d. l. *Tum legati perinde atque exoptatae rei compotes, expleta gratiarum actione cultuque anguis a peritis accepto, laeti inde solverunt. — torta retinacula*, tortos funes.

699. *modicis*, temperatis. *Zephyris* h. l. pro ventis in universum: nam ab Epidauro in Italiam navigantibus zephyrus contrarius. *Glarean. Pallantidos*, Aurorae. V. 191. et not. ad IX, 421.

701. *praeterque Lacin. templa*. Vid. ad v. 13. — Aroud., Bas. 2. in marg., Bas. 4. a l. m., Goth. 2., Pal. 1., Pol. 1., Thu., Vrat., Vat. et VI alii Heins. *deae*, quod optimae scripturae *dea* cur praeferendum putem causam non video: nam scriptura nonnullarum edd. *templo nob. deae* inutilis conjectura Heinsii est. — *Scylacea* felicissima conjectura est Salmas. in Exercc. Solin. p. 65., quam Goth. 2. et Bas. 2. confirmant. Secutus in ea est Salmasius Virg. A. III, 552.

— Attollit se diva Lacinia contra
Caulonisque arces et navifragum
Scylaceum.

Confirmat eam situs loci et Strab. VI. c. 1. Μετὰ δὲ ταύτην (Καυλωνίαν) Σκυλλήτιον, ἄποικος Ἀθηναίων –, νῦν δὲ Σκυλάκιον καλεῖται. – ἀπὸ δὲ τῆς πόλεως καὶ ὁ κόλπος Σκυλλητικὸς ὠνόμασται, ποιῶν τὸν εἰρημένον ἰσθμὸν πρὸς τὸν Ἱππωνιάτην κόλπον. Conf. Mel. II. c. 4. Veteres libri omnes *Scyllaeaque*, aut hujus nominis corruptiones *Silleaque*, *Scilleaque*, *Scyllenaque*, al. *Scylaceum* urbs maritima et sinus Bruttiorum.

703. *Iapygiam*. Vid. XIV, 458. — *Amphissa* urbs maritima Locrorum Ozolorum in Graecia fuit (Plin. H. N. IV. c. 3. Liv. XXXVII. c. 5.), unde loco in Locris Epizephyriis in Italia meridionali s. in Brutiis sito h. l. idem nomen datur, ut Virg. Aen. III, 399. *Hic et Narycii posuerunt moenia Locri*. Codices autem mire dissentiunt. Cael., Goth. 2., Capran., unus Maff., Sulm., Lips. 2., II Vatt. Ciof. et ed. pr. *Amphrysia*. Zwicc. *Amphrisea*. Cod. Is. Voss. ad Melam II. c. 4. *Arangia*, qui inde corrigit *Argennia*, ut significetur Argennum, Siciliae promontorium. Arond., Dresd., Urb., multi Heins., Bas. 4. et edd. Venn. *Amphisia*. Reliqui *Amphissia*. Atque *Amphissia saxa* de Zephyrio promontorio Locrorum intelligunt. Berol. in lit., Capr., unus Maff., Sulm. et unus Vat. Ciof. *laevaque*; e glossa. Cael., unus Vat. Ciof. et edd. Venn. *levibusque*; mendose: nam *dextra* v. 704. opponitur.

704. *Celennia*. Codd. Viv. *Ceraunia* v. *Celennia*. — Berol., cod. Maff., Bas. 1., Goth. 2. et nonnulli Heins. cum ed. Ald. *Ceraunia*. Inepte: nam *Ceraunia* et *Acroceraunia* sunt Epiri montes. Reliqui tantum non omnes cum edd. Venn. *Celennia*, nisi quod singuli: *Cilenia*, *Cyllenia*, *cillenia*, *Celenia*, *Celamnia*, quae omnes depraviationes scripturae *Celennia* esse videntur. Sed neque *Celennia* satis aptum; nam *Celenna* s. *Celennae* Campaniae urbs est. Virg. Aen. VII, 739. Hoc autem loco agitur de locis, in oriente freti Siculi sitis. Vid. v. 706. Isaac. Voss. conjecit *Cocintia* a Cocinto, quod est Bruttiorum promontorium.

705. *Romechiumque*. Cod. Raph. Regii et ed. pr. *Plemmyriumque*. Male; Plemmyrium enim promotorium est in orientali parte Siciliae prope Syracusas. Quamquam eam scripturam multi libri veteres confirmant: nam Cael., unus Vat. Ciof. et multi Heins. *Plemiriumque*, alius Vat. Ciof. *Pleniriumque*, alter Bersm. *Pleumirumque*. Multi codd. et vett. edd. *Romechiumque*, quo ferunt etiam variantes nonnullorum Heins. *Romethiumque*, *Remathiumque*, *Reme-*

Evincitque fretum Siculique angusta Pelori,
Hippotadaeque domos regis Temesesque metalla,
Leucosiamque petit tepidique rosaria Paesti.
Inde legit Capreas promontoriumque Minervae
Et Surrentino generosos palmite colles,
Herculeamque urbem Stabiasque et in otia natam
Parthenopen, et ab hac Cumaeae templa Sibyllae.
Hinc calidi fontes lentisciferumque tenetur
Liternum, multamque trahens sub gurgite arenam
Vulturnus, niveisque frequens Sinuessa columbis,

chiumque, *Rometheumque*, *Remotiumque*. — Bas. 1. *Ramethiumque*, cod. Bersm. *Romathiumque*, Berol. et Goth. 1. *Romethiumque*, Lips. 2. *Remethiumque*, Vrat. et Zwicc. *Remechiumque*, Dresd. *Remiciumque* v. *Ramiciumque*. Sed de Romechio nihil constat. — *Caulon* oppidum in parte orientali Bruttiorum. Strab. VI. c. 1. Virg. Aen. III, 552. — *Naryciumque*. Fuit Naryc**i**um s. Naryx Graeciae urbs in Locride, e qua incolarum pars profecta Locros, celeberrimam in Bruttiis urbem condidit. Virg. Aen. III, 399. ihique interpp. Unde *Naryciam* (sc. urbem) pro Locris in Italia dictam confirmant. Vid. ad XIV, 468. Cod. Nor. *Naritiumque*. Dresd. *Nariciumque*. Lips. 2. *Nauriciamque*. Thys. *Naritiasque*. Vulg. *Naritiamque*.

706. *evincit*, navigando superat, eluctatur, ut XIV, 76. Idem Trist. I, 10, 33. et Her. XIX, 155. De *Peloro* Siciliae promontorio vid. ad V, 350. XIII, 727.

707. *Hipp. domos regis*, Aeolias insulas. Vid. XIV, 86. De *Temese* Bruttiorum urbe vid. ad v. 52. et ad VII, 207.

708. *Leucosia*, sinus Paestani insula s. rupes. *Leucosia* Gr. *Λευκωσία* alteram habet longam, ut trisylbabum accipiendum sit, aut in licentiis poetae, quales in nominibus propriis multas jam vidimus, habendum. Conf. v. 718. et vid. not. ad. II, 153., ad XII, 464. et van Lennep ad Terent. Maur. p. 429. Posterior ratio tutior videtur. Vid. Drakenb. ad Sil. VIII, 579. — *Paestum* s. *Posidonia* urbs Lucaniae et miti coelo et rosariis clara. Virg. G. IV, 119. *biferique rosaria Paesti*. Cluver. Ital. Antiq. IV. c. 14.

709. *Capreae* insula maris Etrusci, ex adverso Minervae promontorii in Campania. *promontoriumque* h. l. quinque *syllabis* sive ita pronuntiandum est, ut i non audiatur. Conf. v. 718. et Hor. Od. III, 4, 31. Virg. A. VI, 33.

710. *Surrentum* urbs Campaniae inter promontorium Minervae et Herculanum, vinis suis, hodie nobilissimis ruinis antiquis, clara. Plin. H. N. XIV. c. 2. Liv. XXII. c. 61. De *generosos* conf. XIII, 818.

711. *Herculea urbs*. Herculanum, urbs Campaniae, inter Pompejos et Neapolim. Mela II. c. 4. — *Stabiae* notissima urbs in eadem regione.

712. *Parthenope*, vetus Neapolis urbis nomen. XIV, 101. Vid. J. H. Voss. ad Virg. G. IV, 563. — *in otia nata* dicit, quia eo secederc solebant Romani, amoenitate regionis invitati. Hor. Epod. V, 43. *otiosa Neapolis*, ubi vid. Mitscherl. *Docta Neapolis* Martial. V, 78. *Hospita Musis otia* ei tribuit Sil. XII, 31. De constructione *natus in* vid. ad IX, 180. — *ab hac*, ut *ab his* XIII, 720. De *Cumaea Sibylla* XIV, 104.

713. *tenetur*. Bas. 1. 2., Berol., Dresd., Urb. et V Heinsii *tenentur*, quod edidit Heinsius. Ego in hac re auctoritatem veterum libb. sequendam existimo. — *calidi fontes* Bajarum intelligendi; nam certos poetam fontes significare, non omnino quod multos Campania habuit calidos fontes (Plin. H. N. III. c. 5.), patet ex loci natura.

714. *Liternum* (Gr. *Λιτερνον*) Goth. 2., pauci Heinsii et ed. Ven. 2. Recte. Vid. interpp. ad Sil. VI, 654. et VII, 278. Markland. ad Stat. IV, 3, 66. et Tzschuc. ad Mel. II. c. 4. — Vulg. *Linternum*. Ibi frequens lentiscus arbor mastichen fundens. Plin. H. N. XIV. c. 20.

715. *Vulturnus*, fluvius Campaniae. — Pal. 1. et VI Heins. *Volt*. — *Sinuessa*, urbs Campaniae maritima. Campaniae columbas laudat Plin. N. H. X. c. 37. Scriptura *columbis*, quam recepit Heinsius, confirmatur etiam illo *niveis*, quamvis eam pauci codd. teneant,

Minturnaeque graves, et quam tumulavit alumnus,
Antiphataeque domus, Trachasque obsessa palude,
Et tellus Circea et spissi litoris Antium.
Huc ubi veliferam nautae advertere carinam; -
Asper enim jam pontus erat - deus explicat orbes,
Perque sinus crebros et magna volumina labens,
Templa parentis init flavum tangentia litus.
Aequore pacato patrias Epidaurius aras
Linquit et, hospitio juncti sibi numinis usus,
Litoream tractu squamae crepitantis arenam
Sulcat et, innixus moderamine navis, in alta
Puppe caput posuit, donec Castrumque sacrasque
Lavinî sedes Tiberinaque ad ostia venit.

sc. Goth. 2., Bonon. 1. et unus Medic. Nam reliqui omnes *colubris*.

716. *Minturnae*, urbs Campaniae ad Liris fl. ostia, *graves* s. insalubres ob paludes. Vid. interpp. ad Hor. Epist. I, 5, 4. *Graves*, ut *grave sidus* V, 281. *gravis sol* VI, 339. *gravitas coeli* apud Cic. Att. XI, 22. — *quam tumulavit alumnus*, est *Cajeta*. Vid. ad XIV, 157. 443. Mulierem posuit pro loco, qui inde nomen accepit.

717. *Antiphataeque domus*. Phormias dicit. Vid. ad XIV, 233. — *Trachas*, Anxur Volscorum, quae urbs postea *Tarracinae* s. *Terracinae*, appellata et prope paludes Pomptinas sita est, unde *obsessa palude*. Liv. IV. extr.

718. *tellus Circaea*. Vid. ad XIV, 248. — Regius et Vivianus primi reponi jusserunt *Antium*, quod Pal. 1., Urb., Vat. Ciof. recentissimus, nonnulli Heinsii exhibent. Val. Max. *Legati postquam Antium appulerunt, anguis, qui ubique in navigio remanserat, prolapsus in vestibulo aedis Aesculapii — supereminentem excelsae magnitudinis palmam circumdedit.* - Alius Vat. Ciof. *Anchon*, v. *Anxur*, v. *Antium*. Briant., Cael., Lips. 2., unus Vat. Ciof. et multi Heins. *Anxur*, sed in Vat. superscr. *v. l. Ancon*. Urs., Vrat. et ed. pr. *antrum*. Reliqui Heins. *antrum*, *Antum*, *Ancum*, *Ancon*, *Acon*, *Aucon*, *Ansur*, al. Reliqui codd. cum vulg. *Ancon*. Alter Bersm. et edd. Venn. *Ancum*. *Antium* autem ita legendum, ut *i* non audiatur. Vid. ad v. 709.

719. *spissi*, densi. — Unus Medic. *velivolam*.

720. *asper - pontus*, ut *aspera maria* Virg. A. VI, 351.; opponitur *aequore pacato* v. 723. — *explicat orbes*. Virg. Aen. XII, 743. *implicat orbes*. Plin. Epist. IX. Ep. 33, 5. *orbes implicitat expeditque*.

722. *init*. VI Heins. et ed. pr. *adit*, quod in supplicibus dicitur. — *templa parentis*, templa Apollinis. V. 639. Ceterum de Apollinis templo Antii nihil constat; ut illud a poeta ex re inventum esse videatur. Val. Max. ipsius Aesculapii templum nominat. De Fortunae templo, quod ibi fuit, vid. interpp. ad Hor. Od. I, 35.

722. *flavum litus*. Conf. XIV, 448.

723. *pacato*, sedato, composito. Ita Berol., Mor. 1., Neap., XIV Heins. et ed. pr. — Reliqui *placato*. Eodem redit. — *Epidaurius*, deus Epidaurius. V. 643.

724. *juncti*, cognati. Val. Max. *Antiensis templi hospitio usus*.

725. *tractus squamae etc.* III, 75. de serpente: *terraque rasa sonat squamis*.

726. *moderamine*, gubernaculo. III, 644.

727. *in alta puppe caput posuit*. Conf. v. 698. — *Castrum*, *Castrum Inui*, urbs in agro Rutulorum. Virg. Aen. VI, 776. Simpliciter *Castrum* etiam Sil. It. VIII, 361. — *sacrae Lavini sedes*, Lavinium urbs Latii ab Aenea condita, qui ei uxoris nomen imposuit. XIV, 449. *Lavinium* primam h. l. producit, ut Virg. Aen. I, 2. Saepe eam corripit. De ea poetae licentia vid. *index*, et de hoc nomine vid. Heyn. ad Tibull. II, 5, 49. et ad Virg. Aen. IX, 151. Juvenal. Sat. XII, 71. ibique interpp. - *sacras sedes*, quia Aeneas Penates e Trojae flammis ereptos (XIII, 624.) ibi in templo Palladis posuit. Virg. A. I, 5.

728. *Tiberinaque ad ostia*. Conf. XIV, 447. Fast. IV, 329.

Fluminis ad flexum veniunt: Tiberina priores

Huc omnes populi passim matrumque patrumque
Obvia turba ruit, quaeque ignes, Troïca, servant,
Vesta, tuos, laetoque deum clamore salutant.
Quaque per adversas navis cita ducitur undas,
Tura super ripas, aris ex ordine factis,
Parte ab utraque sonat et odorant aëra fumis,
Ictaque conjectos incalfacit hostia cultros.
Jamque caput rerum, Romanam intraverat urbem;
Erigitur serpens, summoque acclinia malo
Colla movet sedesque sibi circumspicit aptas.
Scinditur in geminas partes circumfluus amnis, -
Insula nomen habet, - laterumque a parte duorum
Porrigit aequales media tellure lacertos:
Huc se de Latia pinu Phoebeïus anguis
Contulit, et finem, specie coeleste resumta,
Luctibus imposuit, venitque salutifer Urbi.
Hic tamen accessit delubris advena nostris;

Ostia dixerunt, unde sinister abit. Vid. ibi not. Gierigii.

729. Dresd., Ox., Thu., Vat. 1. et VI Heins. *matr. senumque.*

730. *quaeque - servat.* Vesta numen tutelare urbis Romae, ab Aenea cum *igne aeterno* Troja (hinc *Troïca Vesta*) in Italiam translata. Virg. Aen. II, 296. ibique interpp. Ovid. Fast. III, 421. In ejus templo (Fast. IV, 259. Plut. Num. c. 9. et 11.) VI sacerdotes virgines, Vestales dictae, praeter alia munia ignem illum *inexstinctum* (Fast. VI, 291 sq.) servabant. — Scripturam *servant* exhibent Bas. 3. 4., Dresd., Berol., Goth. 1. 2., Lips. 2., multi Heins. et ed. pr., quae certe elegantior est, quam vulgata scriptura *servat;* quia sic illud *turba* parum apte etiam ad Vestales referretur. Trist. IV, 2, 13.

Et pariter matres et quae sine crimine castos
Perpetua servant virginitate focos.

732. *per adversas undas.* Liv. XXI. c. 27. *adverso flumine ire.* Virg. G. I, 201.

— qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit.

Bas. 3. *traducitur* pro *cita ducitur.*

734. *sonant*, crepitant. Trist. IV, 2, 4. *turaque in igne sonant. — odorant*, odore imbuunt, replent.

73F. *conjectos* de cultris adactis. Conf. XIII, 90. Vid. Gronov. Obss. p. 87.

736. *caput rerum*, ut *caput orbis* v. 435.

737. *acclinia.* Ita Goth. 2., Vrat. et meliores Heins. Reliqui *acclivia*, e similitudine literae *v* et *n* in vetere scriptura orta varietas.

740. *insula nomen habet.* Vid. ad I, 169. et VI, 400. Est autem insula inter Capitolium et Janiculum. Fast. 1, 291.

Accepit Phoebo nymphaque Coronide natum
Insula, dividua quam premit amnis aqua.

Festus: *in insula Aesculapio facta aedes fuit, quod aegroti a medicis aqua maxime sustentantur.* Conf. Claudian. I, 226 seqq. — *porrigit*, extendit. Conf. I, 15.

742. *Phoebeïus*, quia filius Phoebi in eo latebat. — *de Latia pinu.* Supra v. 693. *Ausonia rate.*

743. *coeleste.* Forma antiqua. Vid. Her. XVI 277. VIII, 64. Fast. VI, 158. et not. ad Trist. V, 2, 20. Nec reliquos illius aetatis scriptores talia sedulo semper vitasse docent Schneid. Gramm. L. P. II. Vol. 1. p. 219. Conf. Muret. V. L. III. c. 17. et Priscian. I. c. 7.

744. *luctibus*, sc. propter cladem pestis. V. 626.

745. *C. J. Caesar in deum s. sidus convertitur.* Virg. Georg. 1, 32. 466. 488. Suet. Caes. c. 84. — „Inest hoc loco series rerum a C. J. Caesare et ab Augusto gestarum.“ *Gier.*

745. „*Hic tamen advena* (sc. Epidauro) *nostris delubris accessit;* (sed) *Caesar in urbe sua deus est.*“ Parum facilis ad novam transformationem transitio. Conf. IX, 98.

Caesar in Urbe sua deus est: quem Marte togaque
Praecipuum non bella magis finita triumphis
Resque domi gestae properataque gloria rerum
In sidus vertere novum stellamque comantem,
Quam sua progenies: neque enim de Caesaris actis
Ullum majus opus, quam quod pater exstitit hujus.
Scilicet aequoreos plus est domuisse Britannos,
Perque papyriferi septemflua flumina Nili
Victrices egisse rates, Numidasque rebelles,
Cinyphiumque Jubam Mithridateïsque tumentem
Nominibus Pontum populo adjecisse Quirini,
Et multos meruisse, aliquos egisse triumphos,
Quam tantum genuisse virum, quo praeside rerum
Humano generi, superi, cavistis abunde.

746. *Marte togaque*, bello paceque. *Mars* pro re, cui praeest. III, 450. Fast. III, 703.

Ille (Caesar) *quidem coelo positus Jovis atria servat,*
Et tenet in magno templa dicata foro.

748. *properataque*, propere parta. Cic. pro Marc. c. 2. de Caesare: *Nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis lustratae sunt.*

749. *sidus* hoc infra v. 849. describitur. — *stellamque comantem*. Suet. l. l. *stella crinita per VII dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam, creditumque est animam esse Caesaris in coelum recepti.*

750. *quam sua progenies*, quam suus filius, sc. Octavianus Augustus, quem C. J. Caesar adoptavit. *Progenies* de uno tantum eodem modo apud Corn. Nep. Cimon. c. 4. ubi vid. Bremi. Conf. Gell. N. A. II. c. 13. *Jahn*. Ceterum in hac adulatione Augusti reliqui illius aetatis poetae cum Nasone certant, Virgilius, Propertius, alii. — Cod. Bersm., Berol., Goth. 1. 2., Lips. 2., Sulm., Ciof., Vrat., Zwicc., ed. pr. et haud dubie plurimi quoque Heinsii *neque enim*. Vulg. *nec enim*.

752. *scilicet*. Ironice haec dici, iisque negari plus hoc esse quam quod v. 758. dicitur, monuit Burmannus, ne quis cum cod. Ambr. *minus est* falso substitueret. De illo *scilicet* vid. *index*.

753. *papyriferi Nili*. Trist. III, 10, 27. de eodem: *papyrifero amne*. Plin. XIII. c. 11. *Papyrum nascitur in palustribus Aegypti aut quiescentibus Nili aquis*. Conf. Pont. IV, 10, 58. De illo *septemfl.* vid. II, 255. V, 187. et I, 422. et not. ad Trist. l.l.

754. *Numidasque rebelles*. Numidae Juba rege Mauritaniae duce Caesari fortiter resistebant, quos apud Thapsum Caesar fudit. Fast. IV, 379.

Haec, ait, illa dies Libycis qua Caesar in oris
Perfida magnanimi contudit arma Jubae.

Flor. IV. c. 2. Hirt. Bell. Afric. c. 94. Suet. Caesar c. 35.

755. *Cinyphius*, a Cinype Africae fluvio. VII, 272. V, 124. *Mithridateisque nominibus*, Mithridatum nobilitate ac fama. Plures enim Mithridates Ponti reges fuerant, quanquam maxime ob oculos habet clarissimum illum Mithridatem, qui cum Romanis tam pertinaciter bellavit. Caesar autem Pharnacem, Mithridatis M. filium, devicit. — Scripturam *Mithridateisque* servarunt cod. Mor. et edd. Venn. Reliqui codd. et ed. pr. *Mithridatisque*, quod non ferendum propter metra. — *tumentem*, ut *tumidum* VIII, 494.

756. *adjecisse*, ut Hor. III, 5, 3. *adjectis Britannis imperio*. — *pop. Quir.* Vid. ad v. 572.

757. *aliquos eg. triumphos. Quinquies triumphavit* (Caesar), *quater eodem mense post devictum Scipionem et rursus semel post superatos Pompeji liberos*. Suet. Caes. 37. Vellej. II. c. 56.

759. *cavistis*, prospexistis, consuluistis. Sed hanc scripturam nonnisi Bon. 1., Medic 4. et Zwicc. exhibent. Reliqui omnes *favistis*, quod non omnino spernendum est. Sil. IX, 141. *sat magnum hoc Solamen, cavisse meis*, q. e. *prospexisse*.

Ne foret hic igitur mortali semine cretus,
Ille deus faciendus erat. Quod ut aurea vidit
Aeneae genitrix, vidit quoque triste parari
Pontifici letum et conjurata arma moveri;
Palluit, et cunctis, ut cuique erat obvia, divis
„Adspice," dicebat „quanta mihi mole parentur
„Insidiae, quantaque caput cum fraude petatur,
Quod de Dardanio solum mihi restat Iulo!
Solane semper ero injustis exercita curis,
Quam modo Tydidae Calydonia vulneret hasta,
Nunc male defensae confundant moenia Trojae;
Quae videam natum longis erroribus actum
Jactarique freto sedesque intrare silentum,
Bellaque cum Turno gerere, aut - si vera fatemur -
Cum Junone magis? — Quid nunc antiqua recordor
Damna mei generis? Timor hic meminisse priorum
Non sinit: in me acui sceleratos cernitis enses!
Quos prohibete, precor, facinusque repellite, neve
Caede sacerdotis flammas exstinguite Vestae!"
Talia nequicquam toto Venus anxia coelo

760. *hic*, Augustus. Hoc adulator dicit: *ut Augustus dei filius esset, pater faciendus deus erat.* Dresd., Goth. 1., Lips. 2., Vrat., plurimi Heins., Goth. 2. et ed. Ven. 2. *ni foret.*

762. *Aeneae genitrix*, Venus. XIII, 625. — *aurea Venus* legitur etiam X, 277. — *exercita.* Conf. VII, 634.

763. *Pontifici.* Pontifex M. Caesar paullo ante conjurationem ac caedem creatus fuerat, a. U. c. DCCX. — *conjurata arma*, ut *conjuratae rates* XII, 6. Suet. Caes. c. 80. *Conspiratum est in eum a LX amplius, C. Cassio, Marcoque et D. Bruto principibus conspirationis.*

765. *quanta mole*, quanta vi.

766. *caput*, ut etiam Germani loquimur, de homine quem veneramur. Hor. Od. 1, 24, 2. J. Caesar solus e gente Julia, quae originem ad Aenean Trojanum Veneris filium (447.) sive Iulum ejus filium reducebat, superstes erat.

768. *injustis*, non meritis, non mea culpa contractis. — Uterque Bersm., Goth. 1., Lips. 2., plerique Heins. et ed. pr., Parm. et Ven. 2. *justis*, q. e. veris ac gravibus, quae scriptura et ipsa ferri potest (Trist. IV, 3, 21. *ubi incubuit justo mens aegra dolori.*). Conf. Virg. Aen. X, 132. ubi Ascanius est *Veneris justissima cura.* Sed prior majorem videtur habere auctoritatem codicum.

769. *Tydidae*, Diomedis. Venus a Diomede in proelio apud Trojam vulnerata. Vid. ad XIV, 477. — *Calydonia.* Oeneus, Diomedis avus rex fuit Calydonis. XIV, 513.

770. *confundant*, animum meum perturbent, aegritudine afficiant. Her. XVIII.

Cur ego confundor, quoties confunditur aequor.

Her. XIX.

— *hesternae confundor imagine noctis.*

Conf. Her. XXI, 111. Etiam excidium Trojae Veneri dolorem attulit, ut quae Trojanis faveret. — *male defensae*, haud satis defensae sc. a me.

771. *quae videam* . . . Haec referuntur ad casus et errores Aeneae supra memoratos. XIV, 116 sqq. et 450 sqq.

772. *sedesque etc.* Vid. ad XIV, 116. De *silentibus* pro mortuis vid. V, 356. XIV, 411.

774. *cum Junone magis*, sc. quae Aeneae infesta, et postremo Turnum in Italia ad arma contra Aeneam concitarat. Aen. VII, 286 sqq.

775. *mei generis*, Aeneae et Trojanorum.

776. *in me*, sc. quia in progeniem ejus.

777. *facinusque*, caedem Caesaris.

778. Communis erat persuasio, Vestae ignem magnis casibus publicis exstingui. Fast. III, 47 sqq. Conf. Fast. III, 428.

779. *jacit.* Conf. V, 665.

Verba jacit, superosque movet; qui rumpere quanquam
Ferrea non possunt veterum decreta sororum,
Signa tamen luctus dant haud incerta futuri.
Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes
Terribilesque tubas auditaque cornua coelo
Praemonuisse nefas; solis quoque tristis imago:
Lurida sollicitis praebebat lumina terris.
Saepe faces visae mediis ardere sub astris,
Saepe inter nimbos guttae cecidere cruentae;
Caerulus et vultum ferrugine Lucifer atra
Sparsus erat, sparsi lunares sanguine currus.
Tristia mille locis Stygius dedit omina bubo,
Mille locis lacrimavit ebur, cantusque feruntur
Auditi sanctis et verba minantia lucis.

781. *veterum - sororum* pro vetera decreta sororum, Parcarum, a re ad ipsas personas efficientes translato epitheto, nisi mavis senes Parcas intelligere; *vetus* enim sic dicitur (Virg. Aen. IX, 786.), et Parcae fingebantur senes. *Gier.* Posterius verum est. Vid. v. 532. De re Cic. de Divin. II. c. 10. *Hoc sentit Homerus, quum querentem Jovem inducit, quod Sarpedonem filium a morte contra fatum eripere non posset. Hoc idem significat Graecus ille in eam sententiam versus: Quod fore paratum est, id summum exsuperat Jovem.* Vid. ad Met. IX, 430. - Ceterum prodigia haec ex parte expressa sunt e Virg. Georg. I, 464 seqq., ubi tamen pro signis instantium ob J. Caesaris caedem bellorum civilium afferuntur. Conf. Tib. II, 5, 71 seqq. Luc. 1, 526 seqq.

783. Tib. II, 5, 73.

Atque tubas atque arma ferunt crepitantia coelo
Audita et lucos praecinuisse fugam.

Virg. l. l.

Armorum sonitum toto Germania coelo
Audiit.

Goth. 2., S. Gall., Mor., IV alii Heins. et ed. pr. *nigras inter*, quod temere recepit Heinsius: qui etiam v. 785. ex conjectura prave edidit *Phoebi.* — de *armis crepitantibus* conf. I, 143.

785. *praemonuisse.* Conf. v. 800. — *solis quoque.* Sol per totum illum annum pallidior solito fuisse traditur. Plin. H. N. II. c. 30. Plut. J. Caes. extr. Virg. l. l.

789. *ferrugo*, caligo. Virg.

(sol) *caput obscura nitidum ferrugine texit.*

Conf. Met. XIII, 960. Vid. Tib. I, 4, 43. — Eam ferruginem solis interdum etiam hodie efficiunt vapores, quibus aër repletus; qui etiam sanguineam reddunt lunam. *Gierig.*

790. *lunares currus.* Etiam Lunae poetae currus et equos tribuunt. Rem. Amor. v. 258. Tib. I, 8, 21. Trist. I, 3, 28.

Lunaque nocturnos alta regebat equos.

791. *Stygius bubo*, i. q. funereus bubo. Vid. X, 453. Conf. V, 549. 550. De *styg.* vid not. ad I, 139.

792. *ebur*, statuae deorum eburneae. Virg. l. l. v. 480.

Et moestum illacrimat templis ebur aeraque sudant.

Tib. 77.

Et simulacra deûm lacrimas fudisse tepentes.

Luc. I, 556.

Indigetis flevisse deos urbisque laborem
Testatos sudore Lares.

792. *cantusque - lucis.* Virg. 476.

Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes
Ingens.

Tib. v. 74. *lucos praecinuisse fugam.* Luc. I, 570. *magnaeque per avia voces Auditae nemorum.*

793. *minantia.* Heinsius nescio unde

Victima nulla litat, magnosque instare tumultus
Fibra monet, caesumque caput reperitur in extis.
Inque foro, circumque domos et templa deorum
Nocturnos ululasse canes, umbrasque silentum
Erravisse ferunt, motamque tremoribus urbem.
Non tamen insidias venturaque vincere fata
Praemonitus potuere deûm, strictique feruntur
In templum gladii: neque enim locus ullus in Urbe
Ad facinus diramque placet nisi Curia caedem.
Tum vero Cytherea manu percussit utraque
Pectus, et aetheria molitur condere nube,
Qua prius infesto Paris est ereptus Atridae,
Et Diomedeos Aeneas fugerat enses.
Talibus hanc genitor: „Sola insuperabile fatum,
„Nata, movere paras? Intres licet ipsa sororum
Tecta trium: cernes illic molimine vasto
Ex aere et solido rerum tabularia ferro,
Quae neque concursum coeli neque fulminis iram

delicias suas novavit *minacia*. Vid. not. ad I, 93. et Praefat. pag. V.

794. *litat*, placat. Gr. *χαλλιερεῖ*. Suet. Oct. c. 56. *sacrificio non litante*. Conf. not. ad XIV, 156. — 795. *fibra – extis*. Virg. I. l.

— *nec tempore eodem*
Tristibus aut extis fibrae apparere minaces
Aut puteis manare cruor cessavit.

caput, sc. extorum, quod *caesum* victimarii cultro mali ominis erat. Liv. VIII. c. 9. *Decio caput jecinoris a familiari parte caesum aruspex dicitur ostendisse, alioqui acceptam deis hostiam esse. Gier.* Conf. Cic. Div. I. c. 39. *cur pulmo incisus etiam in bonis extis dirimat tempus et proferat diem.* Conf. II. c. 13. et Met. VII, 600.

796. *inque foro – canes*. Virg. I. l. v. 470.

Obscoenaeque canes importunaeque volucres.

Luc. I, 548. *flebile sacvi Latravere canes.*

797. *umbrasque silentum*. Vid. XIII, 25.

800. *praemonitus* i. q. *signa* v. 782.

801. *templum*, nunc curia sc. Pompeji, quia illa inaugurata; templum enim omnis locus inauguratus ac sanctus. *Gier.* De re vid. Suet. Caes. 84. 88. Dio Cass. XLIV. c. 16.

803. *Cytherea*, Venus. IV, 199. — *percussit pectus*. Signum summi luctus. III, 481. V, 473. V. index in *plangi*.

804. *aetheria*, ut Lucr. IV, 183. *in aetheriis dispersus nubibus austri.* IV Heins., unus Voss. et Bas. 3. *et aeria.* Cod. Bersm., Bas. 1., Erf., Hamb. 2., Pal. 1., Par. 1., Urb., X alii Heins. et ed. pr. *et interdum.* Hamb. 1. *sed tandem.* Cant. *et hunc densa.* Goth. 2. et II Heins. *et obscura.* Unus Voss. *et illa deum.* Voss. et Bas. 4. *et Aeneaden.* Posteriores scripturae manifestae interpolationes sunt librariorum, *qui* accusativum desiderarent.

805. Paris temere certamen inierat singulare cum Atrida Menelao; cum in eo esset ut occideretur, a Venere nube tectus et servatus est. Hom. Il. III, 380. *τὸν δ' ἐξήρπαξ' Ἀφροδίτη – ἐκάλυψε δ' ἄρ' ἠέρι πολλῇ.* Eadem Aenean filium in certamine cum Diomede nube obtectum servavit. Il. V. 311 sqq.

807. „*talibus hanc* (Venerem) *genitor* (Jupiter affatur).“ Mor. 1. et 4. *hinc.* – Arond., Par. 2., Bas. 1., Cant., Dresd., Erf. 1., Gron. 1., Mor. 1., Pal. 1., Vat. 1. et Hamb. 1. *solio insuperabile.*

808. *sororum – trium*, Parcarum. V, 532.

810. *rerum tabularia*. Locus in quo servantur tabulae, quibus res fatales continentur, structus *molimine vasto*, opera maxima, *ex aere etc. Gier.*

811. *concursum coeli*, nubium, h. e.

Nec metuunt ullas tuta atque aeterna ruinas.
Invenies illic incisa adamante perenni
Fata tui generis: legi ipse animoque notavi,
Et referam, ne sis etiamnum ignara futuri.
Hic sua complevit, pro quo, Cytherea, laboras,
Tempora perfectis, quos terrae debuit, annis.
Ut deus accedat coelo templisque colatur,
Tu facies natusque suus, qui nominis heres
Impositum feret unus onus, caesique parentis
Nos in bella suos fortissimus ultor habebit.
Illius auspiciis obsessae moenia pacem

tonitru. Vid. not. ad I, 56. XV, 70. — *concursum* exhibent Cal., Goth. 2., Hamb. 1. et multi Heinsii. Reliqui *concussum*. Vid. VI, 695. XI, 436. Lucret. VI, 160. *Concussus* hac potestate non inveni.

813. *inclusa*. Cod. Bersm., plerique Ciof., Arond., Par. 2., Berol., Hamb. 1., Lips. 2., Urb., multi alii Heins., S. Gall., ed. pr. et Ven. 2. *inclusa* q. e. fixa, ut immota stent. nam adamas est pro materia, quae perrumpi non potest. Vid. ad IV, 453. Et agitur hoc loco de custodia fatorum et tabulariis. Gierig affert Cic. Catil. I. c. 2. *senatus consultum inclusum in tabulis*.

814. *animoque notavi*. Conf. IX, 778. XIII, 788.

817. *perfectis – annis*. Hor. Epist. II, 1, 39. *centum qui perficit annos: – quos terrae debuit*, quos in terra agere ei destinatum fuit.

818. *colatur*. Uterque Bersm., Cael., Goth. 2., Lips. 2., Zwicc. et multi Heinsii *locetur*, quod et ipsum sententiae aptum est. Reliqui omnes cum vett. edd. *colatur*. De templo J. Caesaris vid. ad v. 841.

819. *natusque suus*, sc. Octavianus Augustus. Vid. v. 750. Suet. Oct. c. 7. *Postea Caesaris et deinde Augusti cognomen assumsit: alterum testamento avunculi. — suus*, ubi ex vulgari more *ejus* exspectes. Conf. Fast. I, 446. II, 326. VI., 601. Atque eam scripturam confirmat et ratio sententiae, et codd. uterque Bersm., Berol., Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., unus Twisd., Vrat., Zwicc., plerique Heins. et vett. edd. Vulg. *tuus*.

820. *feret unus onus*. Dresd., Medic. 3. et alius Medic. *urbis onus*, quod tam parva auctoritate recipere non debebat Heinsius Hor. Epist. II, 1, 1. *Quum tot sustineas et tanta negotia solus.*

821. *suos*, faventes. IV, 373. X, 489.

822. *Mutinae* D. Brutus a M. Antonio obsessus erat, quem Augustus a senatu jussus cum Hirtio et Pansa Consulibus fugavit, *bellumque tertio mense confecit duobus proeliis*. Suet. Oct. c. 10. Conf. Fast. IV, 627. Flor. IV. c. 1. — *sentiet*, sc. cum damno suo, quemadmodum nos quoque loquimur. Vid. ad Her. VI, 154. — Quomodo vero poeta commode dicere potuerit: *Pharsalia sentiet illum*, quum Augustus ad Pharsalum non pugnaverit, et: *madefient iterum Philippi*, licet J. Caesar non apud Philippos pugnaverit, explicat H. Voss ad Virg. G. I, 489.

Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi,
Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro
Emathiam et latos Haemi pinguescere campos.

Nomen Macedonia, ut antiquum nomen Emathia apud seriores historiarum et geographiae scriptores, ut Strabonem, Melam, ultra fines, quos vulgo habent, promovetur: ut saepe Thessaliam, Epirum et Thraciae partem complectatur. Itaque Virgilius campos Pharsalios in Thessalia, ubi a. DCCVI Pompejus a Caesare victus est, et Philippos oppidum Thraciae pro locis unius regionis, scilicet Macedoniae, habere eosque tam vicinos fingere, quasi utraque proelia in uno eodemque tractu facta essent; quemadmodum Lucanus quoque et Pharsalum et Philippos in Emathia ponit. Luc. VI, 350. IX, 271. — Scripturam *Emathiaque* exhibent unus Arg., Arond., Berol., Goth. 1., Hamb. 1., Neap., Lips. 2., Bas. 2. 4., S. Gall., Urb. et VIII Heins. – Cod. Bersm.,

Victa petent Mutinae; Pharsalia sentiet illum,
Emathiique iterum madefient caede Philippi;
Et magnum Siculis nomen superabitur undis;
Romanique ducis conjux Aegyptia, taedae
Non bene fisa, cadet, frustraque erit illa minata,
Servitura suo Capitolia nostra Canopo.
Quid tibi barbariem gentesque ab utroque jacentes
Oceano numerem? Quodcumque habitabile tellus
Sustinet, hujus erit; pontus quoque serviet illi.
Pace data terris, animum ad civilia vertet
Jura suum, legesque feret justissimus auctor;
Exemploque suo mores reget, inque futuri
Temporis aetatem venturorumque nepotum
Prospiciens, prolem sancta de conjuge natam
Ferre simul nomenque suum curasque jubebit;
Nec, nisi cum senior Pylios aequaverit annos,

Par. 1. 2., Cant., Erf. 1. 2., Mor. 1., Pal. 1., Vat. 1., Vrat., Zwicc., complures Heins. et ed. pr. *Emathiaeque*. Reliqui *Emathiique*. *Emathiaeque* a librariis est, quando Philippi genere fem. non inveniuntur. *Emathiique* certe simplicius est quam *Emathiaque*, quod rectius diceretur, si Emathii, non Romani apud Philippos proelio inter se concertassent. Virgilius quoque: *bis sanguine nostro Emathiam et latos Haemi pinguescere campos.* — Unus Arg. et ed. *madefacti*, quod temere induxit Heinsius.

825. *et magnum Siculis etc.* Apud Siciliam classis S. Pompeji, Pompeji M. filii, (inde *magnum nomen*) ab Agrippa fusa est itaque patris vires prorsus fractae. Suet. Oct. c. 16.

826. *Romani – ducis*, M. Antonii. Sensus est: *Romani ducis conjux Aegyptia* (Cleopatra, quam ille repudiata Octavia Augusti sorore duxerat) *taedae non bene fisa* (temere sperans se nuptiis Antonii potituram esse imperio Romano. Diod. IV. p. 421.) *cadet*, sc. victa apud Actium ab Octaviano. Flor. IV. c. 11. *Haec mulier Aegyptia ab ebrio imperatore pretium libidinum imperium Rom. petit.* Suet. Oct. c. 17.

828. *Copitolia nostra*, sedes imperii pro ipso imperio. De plurali illo poetico sive dignitatis *Capitolia* vid. Trist. I, 3, 29. et not. ad Trist. III, 1, 27. — *Canopus*, urbs Aegypti ad ostia Nili sita. Sed *Canopus* etiam numen Aegyptiorum, Canopi quod maxime colebatur; atque illud h. l. significatur. Luc. X, 64.

Terruit illa (Cleop.) *suo si fas Capitolia sistro,*
Et Romana petit imbelli signa Canopo.

Hor. Od. I, 37. *Dum Capitolio Regina dementes ruinas, Funus et imperio parabat.* De illo *fisus* cum dat. conf. X, 69.

829. *Barbaria* h. l., monente Burmanno, totus tractus terrarum, quem barbari populi tenebant. — Par. 1. et VIII alii Heins. *barbariem, gentes.* — *ab utroque oceano*, a mari orientali et occidentali. Conf. I, 338.

831. *pontus*, mare.

833. *justissimus auctor.* Conf. VIII, 101. Suet. Oct. c. 51. *leges retractavit et quasdam ex integro sanxit.* Idem c. 32. *Pleraque pessimi exempli correxit, quae in perniciem publicam aut ex consuetudine licentiaque bellorum civilium duraverant, aut per pacem etiam exstiterant.*

834. *exemploque – reget.* Trist. II, 233.

Urbs quoque te et legum lassat tutela tuarum
Et morum, similes quos cupit esse tuis.

Vid. Hor. Epist. II, 1, 2. ibique interpp.

836. *prolem*, Tiberium Neronem privignum. Huc pertinet Tac. Ann. I. c. 3. *Tiberius filius, collega imperii, consors tribuniciae potestatis assumitur.* Vid. Ann. V. c. 1. — *sancta*, de castitate et candore accipiendum. Quam vere autem maligna illa noverca et impotens mulier, ut a Tacito vocatur, a poeta sancta appelletur, ipse viderit.

838. *Pylios*, h. e. Nestoris Pylii,

Aetherias sedes cognataque sidera tanget.
Hanc animam interea caeso de corpore raptam
Fac jubar, ut semper Capitolia nostra Forumque
Divus ab excelsa prospectet Iulius aede!“

Vix ea fatus erat, media cum sede senatus
Constitit alma Venus, nulli cernenda, suique
Caesaris eripuit membris nec in aëra solvi
Passa recentem animam coelestibus intulit astris.
Dumque tulit, lumen capere atque ignescere sensit,
Emisitque sinu. Luna volat altius illa,
Flammiferumque trahens spatioso limite crinem

quem totas tres aetates vixisse constat. XII, 169. XIV, 66. Conf. Pont. II, 8, 41. — Mor. 1., VIII alii Heins. et pro v. l. Par. 2. et Rottend. *patrios*. Reliqui *similes*. Sed quomodo *patrios* ei optare annos poterat, qui nonnisi LVI annos vixit et ante diem non sua morte sublatus fuerat. Nec melior est scriptura *similes* sive de aetate accipias sive cum Farnabio: *similes moribus ac felicitate*, in qua interpretatione etiam illud *aequaverit* habet quod displiceat. Nec poeta aliud h. l. quam longam aetatem optare voluit. Itaque elegantem Heinsii conjecturam recipere non dubitavi. Trist. V, 6, 61.

Di tamen et Caesar dis accessure, sed olim
Aequarint Pylios quum tua fata dies.

Thu., Vrat., Bas. 2. in marg. et IV Heins. *cum patruo senior similes ac. a.* Strozz. *cum patrios senior similes ac. a.*

839. *cognata sidera*, sc. per C. J. Caesarem patrem, qui jam ad astra transiturus erat.

841. *fac jubar.* Suet. Caes. c. 88. *creditumque est* (stellam crinitam) *animam esse Caesaris in coelum recepti: et hac de causa simulacro ejus in vertice additur stella.* Fast. III, 703.

Ille (Caesar) *quidem coelo positus Jovis atria servat,*
Et tenet in magno templa dicata foro.

Pont. II, 2, 85.

Fratribus assimilis, quos proxima templa tenentis
Divus ab excelsa Julius aede videt.

Eandem famam Caesaris in stellam ransformationis celebravit Virg. Ecl. IX, 47. et Georg. I, 32. Ceterum quae hactenus memorata sunt, in Olympo apud deos facta, quo die Caesar trucidatus est. Sequuntur jam, quae post caedem ejus acciderunt. — Thu. *arce*. Male. de templo enim nunc sermo est. Vid. v. 818. et Pont. l. l. et Fast. l. l.

843. *media sede senatus*, media curia. Conf. v. 801. 802.

844. *nulli cernenda*, ut XIV, 152. *nullique videnda*. Alter Bersm., Bas. 2. et VII alii Heins. *ipsa Venus*.

847. *lumen*. Ita cod. Bersm., Erf. 1., Zwicc., Gron. 1. et V alii Heinsii. — Dresd., Goth. 1. 2., Lips. 2., Bas. 1 — 4., multi Heins. et ed. Ven. 1. *numen*. Vulg. *lucem*. Scripturam *numen* non admittit illud *ignescere sensit*.

848. In scriptura hujus versus codices in duas discedunt partes. Par. 2., Thu., Vrat, et nonnulli Heins. *emisitque sinu. Luna v. a. i.* Goth. 2. *E. sinu. Luna evolat a. i.* Berol., Hamb. 1., Medic. 4., Pol. 1., Urb., Vat. et X alii Heins. *E. simul. Luna volat a. i.* Cod. Bersm., Dresd., Zwicc., ed. pr. et Venn. *E. sinu: simul evolat a. i.* Vulg. *E. simul: simul evolat a. i.* Prius illud *simul* vix ferendum, quia illud *emisitque* partem efficit praecedentis sententiae. At si prius illud *simul* abjicimus, tenenda etiam scriptura *Luna*. Nam nihil in critica incertius, quam e duabus corruptis lectionibus conflatae scripturae.

849. Cod. Bersm., Berol., Dresd., Cantabr., Goth. 1., Ox. et XIII alii Heins. *flammigerumque*. — Suet. Jul. Caes. c. 88. *In deorum numerum relatus est, non ore modo decernentium sed et persuasione vulgi. Siquidem ludis, quos primos ei heres Augustus edebat, stella crinita per VII dies continuos*

Stella micat, natique videns benefacta fatetur
Esse suis majora et vinci gaudet ab illo.
Hic sua praeferri quanquam vetat acta paternis,
Libera fama tamen nullisque obnoxia jussis
Invitum praefert, unaque in parte repugnat.
Sic magnus cedit titulis Agamemnonis Atreus,
Aegea sic Theseus, sic Pelea vincit Achilles,
Denique, ut exemplis ipsos aequantibus utar,
Sic et Saturnus minor est Jove. Jupiter arces
Temperat aetherias et mundi regna triformis;
Terra sub Augusto est: pater est et rector uterque.

Dî, precor, Aeneae comites, quibus ensis et ignis
Cesserunt, dîque Indigetes, genitorque Quirine
Urbis, et invicti genitor Gradive Quirini,
Vestaque Caesareos inter sacrata penates,
Et cum Caesarea tu, Phoebe domestice, Vesta,

fulsit, exoriens circa undecimam horam; creditumque est, animam esse Caesaris in coelum recepti, et hac de causa simulacro ejus in vertice additur stella. Conf. Virg. Ecl. IX, 47. Georg. I, 32. Hor. I, 12, 47.

850. *nati*, Augusti.

854 *invitum praefert*, i. e. Augusti quamquam nolentis acta supra paterna (Caesaris) extollit.

855. *magnis*. Pal. 1., Lips. 2. *magni*, quod temere recepit Heinsius. Cod. Bersm., Berol., Erf. 1. 2., Goth. 2., Gron. 1., Mor. 1., Ox., Par. 1. 2., Thu., Vat. 1., Vrat. et multi Heins. *magnus*, elegans sane scriptura. Reliqui *magnis* quod genuinum videtur. *Magnis titulis* est ingenti gloriae. Nec reliqua nomina epitheton habent, nec apparet cur Atreus potissimum *magnus* vocetur. De Atreo conf. XII, 623. De *titulis* hoc sensu conf. VII, 448. IV, 645. De *Aegeo* vid. VIII, 174. De *Peleo* XI, 277 sqq.

857. *ipsos*, Augustum ac Caesarem Adulantem poetam agnoscis, quasi illa heroum exempla non satis digna essent, cum quibus Aug. et Caes. compararentur.

858. *Saturnus*. I, 113.

859. *mundi triformis*. Vid. not. ad XII, 40.

860. *terra sub Augusto est*. Fast. II, 130.

Hoc tu per terras, quod in aethere Jupiter alto
Nomen habes: hominum tu pater, ille deum.

Hor. Od. I, 12, 49.

Gentis humanae pater atque custos
Orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data, tu secundo Caesare regnes:
Te minor latum reget aequus orbem,

Tu gravi curru quaties Olympum. Vid. ibi interpp. Uterque Bersm., Berol., Goth. 1., Lips. 2., Vrat., Zwicc., plerique Heins. et. ed. pr. *sub Augusto est*. Reliqui *est* omittunt. *Sub Augusto est* etiam concinnius est, nec sine singulari vi.

861. *Preces pro Augusto. — Aeneae comites*, Penates, quos Trojae incendio ereptos in Latium advexit Aeneas. Vid. supra v. 441 seqq. Ab his diversi di *indigetes*, ἐγχώριοι, inter deos translati majores, in quibus Aeneas. XIV, 608. Expressus autem locus e Virg. Georg. I, 498. De *Quirino* XIV, 824 sqq. Cic. de Div. I. c. 2. *hujus urbis parens Romulus*.

863. *Gradivus*, Mars. VI, 427. Romulus autem Martis filius. XIV.

864. Sub pontificatu Augusti a. U. c. DCCXLI signum Vestae in Palatium et Augusti aedes translatum est. Itaque inter Augusti Penates refertur, quatenus ei pars Palatii sive Augusti domus sacrata fuerat.

865. Apollo s. Phoebus *domesticus* appellatur, quia et ipsi Augustus in Palatio templum perfecit et dedicavit *addita*

Quique tenes altas Tarpejas, Jupiter, arces,
Quosque alios vati fas appellare piumque est,
Tarda sit illa dies et nostro serior aevo,
Qua caput Augustum, quem temperat, orbe relicto,
Accedat coelo, faveatque precantibus absens!

Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira nec ignes,
Nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas.
Cum volet illa dies, quae nil nisi corporis hujus
Jus habet, incerti spatium mihi finiat aevi;
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum,
Quaque patet domitis Romana potentia terris,

porticu cum bibliotheca Latina Graecaque. Suet. Oct. c. 29. Fast. IV, 949.

Aufert Vesta diem; cognato Vesta recepta est
Limine. Sic jussi constituere patres.
Phoebus habet partem, Vestae pars altera cessit:
Quod superest illis, tertius ipse (Aug.) *tenet.*

866. *Tarpejas – arces*, Capitolium in Tarpejo sive Capitolino monte, ubi fuit templum Jovis. Inde *Tarpejus Jupiter* Fast. VI, 34. — Unus Medic. et Sulm. *celsus*.

867. Berol. et Goth. 2. *est* omittunt, et v. 868. Berol., Dresd., Medic. 3. 4., Ox., Vat. 1., Vrat. et IV Heins. *tardior*. Male; *serior quam nostrum aevum* q. e. post nostrum aevum. S. Gall. *segnior*. De constructione *quosque alios* conf. VIII, 569.

869. *Augustum caput*. De illo *caput* vid. v. 766. *Augustum* h. l. adjectivum est, ut I, 562. — *dies, qua*. Conf. III, 520. XIV, 148. I, 346. Trist. 1, 5, 14. Serv. ad Virg. A. V, 783. *longa dies i. e. longum tempus, de quo licet feminino genere dicamus, tamen et masculino dicimus. Nam de certo die masculino tantum dicendum est.* Conf. interpp. ad Nep. Chab. c. 3. et ad Caes. B. C. I. c. 2. et ad B. G. l. c. 6. Hor. I, 2, 45. de Augusto: *Serus in coelum redeas diuque Laetus intersis populo Quirini*. Trist. V, 2, 51.

Sic habites terras, sic te desideret aether,
Sic ad pacta tibi sidera tardus eas.

871. Epilogus, in quo ob oculos habuit Hor. Od. III, 30.

Exegi monumentum aere perennius,
Regalique situ pyramidum altius.
Quod non imber edax, non aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series et fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam. Usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex:
Dicar, qua violens, obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens,
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos.

exegi, perfeci, absolvi, ad finem perduxi. — *Jovis ira*. Fulmen significat. Conf. v. 811. — Cod. Bersm., Dresd., Goth. 1. et pro v. l. 2., Zwicc. et ed. pr. *ignis*.

872. *edax vetustas*, ut v. 234. *tempus edax rerum*. — Bas. 1. *violare*.

873. „*nil nisi jus hujus corporis*, non etiam famae et gloriae.“

876. *indelebile*, a Nasone novata vox, ut multa hujus generis. Exempla vid. ad Trist. 1, 5, 28. et Met. VII, 592. 356. 511. VIII, 844. II, 264. 605. IV, 13. I, 289. XI, 438. 317. 765. 710. XII, 317. 496. 92. XV, 281. Vid. index in *adjectiva*. Pont. II. 8, 25.

— saecli decus indelebile nostri.

Ore legar populi, perque omnia saecula fama,
Si quid habent veri vatum praesagia, vivam!

878. *ore legar populi.* — Trist. III, 14, 23. de Metamorphoseon opere:

Nunc incorrectum populi pervenit in ora,
In populi quicquam si tamen ore mei est.

879. *si quid habent etc.* Trist. IV, 10, 129.

Si quid habent igitur vatum praesagia veri,
Protinus ut moriar, non ero, terra, tuus.

Trist. III, 7, 51.

Dumque suis victrix septem de montibus orbem
Prospiciet domitum Martia Roma, legar.

Goth. 2. *vatis.*

In codice Berol., Zwicc. et multis Heinsii additum est hoc distichon:

Bis sex (Zwicc. *senos*) *millenos versus in codice* (Zwicc. *hoc carmine*) *scriptos,*
Sed ter quinque minus continet Ovidius.

Restat in fine operis duo ut moneam, quorum prius est, quoties Heinsii codices universe verbis *pauci*, *quidam*, *multi plurimi*, *deteriores*, *meliores* a nobis citati sint, nos in eo secutos esse Heinsium et Burmannum, qui copias suas illis in locis non diligentius aperuerunt; deinde ubi in his commentariis annotationes in Tristia et Heroïdas citentur, meas horum carminum Ovidianorum editiones majores significari.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

pag. 5. ad I, 35. conf. III, 393 — 395.
- 8. in not. ad I, 91. numeri **787** delendi.
- 14. ad I, 235. conf. XI, 23.
- 15. in not. ad v. 270 pro XI, 589. legendum XI, 585 — 590.
- 15. in not. ad v. 280. pro v. 662. legendum conf. Virg. Aen. V, 662.
- 16. ad I, 297. conf. XI, 751.
- 18. in not. ad v. 346. addendum: ***longa dies***, i. e. ***longum tempus***, inde feminium. Vid not. ad XV, 869.
- 23. ad I, 479. in not. adde: Conf. Met. X, 190. et not. ad Trist. II, 202.
- 35. in not. ad v. 747 adde: Ceterum, ut hoc loco ***Niligena***, aliis locis multa alia hujus generis adjectiva Ovidius novavit, ut ***aurigena*** V, 250., ***Apenninigena*** XV, 432., ***draconigena*** Fast. III, 865., ***Janigena*** Met. XIV, 381., ***Junonigena*** IV, 173., ***ignigena*** IV, 12., ***nubigena*** XII, 211., ***serpentigena*** VII, 212. Quo pertinent etiam ***amnicola*** X, 96., ***Lemnicola*** II, 757., ***gemellipara*** VI, 315., ***ignipes*** II, 392., ***flexipes*** X, 99., ***faticanus*** IX, 418., ***portentificus*** XIV, 55., ***saxificus*** V. 217., ***laborifer*** IX, 285., ***Chimaerifer*** VI, 339., ***penatiger*** XV, 450., ***tridentifer*** VIII, 595., ***omnifer*** II, 275., ***tridentiger*** IX, 202. Aliud genus adjectivorum ab Ovidio novatorum est in ***lis*** exeuntium, ut ***exsequialis*** XIV, 430., ***fusilis*** XI, 126., ***pacalis*** VI, 101., ***sessilis*** XII, 401., ***forabilis*** XII, 170., ***agitabilis*** I, 75., ***dubitabilis*** I, 223., ***jaculabilis*** VII, 680., ***innabilis*** I, 16., ***populabilis*** IX, 262., ***resonabilis*** III, 358., ***sonabilis*** IX, 784. Rursus aliud genus est compositorum cum particula ***in***, ut ***inambitiosus*** XI, 765., ***inattenuatus*** VII, 844. VIII, 847., ***incommendatus*** XI, 438., ***incruentatus*** XII, 496., ***indejectus*** I, 289., ***indestrictus*** XII, 92., ***indetonsus*** IV, 13., ***indevitatus*** II, 605., ***inobrutus*** VII, 356., ***imperfossus*** XII, 496. Plura de hoc genere annotavimus ad Trist. et ad Heroïd.
- 48. in not. ad vs. 283. legendum: in Dresd. pro glossa legitur.
- 60. in not. ad v. 560. adde: ***diducere*** h. l. contrarium est verbo ***connectere***. Vid. Met. XII, 430.
- 86. ad v. 296. conf. XI, 184.
- 95. in not. ad v. 531. ***Thebanus*** pro ***Taebanus*** scribendum.
- 97. in not. ad v. 571. legendum ***saevior*** pro ***sacrior***.
- 98. ad III, 602. conf. IV, 679.
- 115. non satis accurate illa: ***neque enim — fuerat*** explicavi. Sensus enim est: ***neque enim in illa*** (Clytie) sive ***illius moderatus amor Solis***, h. e. in Solem, ***fuerat***, h. e. ***immoderate cum ipsa Solem amarat***. Nam haec sententia causam continet, cur Clytie Leucothoae inviderit. Quae loci interpretatio confirmatur etiam v. 256. 257., et illis ***dementer amoribus usa*** versu 259.
- 121. v. 372. scribendum ***deducat*** pro ***diducat***.
- 128. in not. ad v. 519. ***Trist.*** I, 1, 12. scribendum pro ***Trist.*** I, 1.)
- 131. v. 593. verba ***dum loquor*** valent ***brevi tempore quo loquor***.

pag. 138. in not. ad 757. pro *Trist.* III, 2, 25. scrib. *Trist.* IV, 2, 55.
- 165. in not. ad v. 569. legendum *caput* pro *caput.*
- 190. in not. ad v. 357. legendum *paenultima* pro *pean.*
- 201. ad illa *lateri dependent* v. 592. conf. Virg. Eclog. VI, 16. *capiti delapsa.*
- 223. in not. ad v. 260. scribendum *Nasoni* pro *Nasonis.*
- 267. in not. ad v. 220. pro *minore* legendum *minoris.*
- 268. v. 228. in textu scribendum *concipit* pro *percipit.*
- 328. in not. ad v. 423. legendum *Mulciberi* pro *Mulcibri.*
- 359. in not. ad v. 190. de elisione illa conf. I, 479.
- 379. in not. ad v. 560. pro *Bocoticum Schoenei* legendum *Schoenei, Scyri regis.*
- 403. in not. ad v. 226. *paritura* legendum pro *parritua.*
- 417. in not. ad v. 466. pro *loco* legendum *loca.*
- 468. in not. ad v. 581. *Phaëthontida* legendum pro *Phaithontida.*
- 469. in not. ad v. 604. legendum *hoc* pro *hoc.*
- 515. ad v. 744. pro *impure* legendum *impune.*
- 545. v. 323. pro *imagine* legendum *imagine.*
- 557. ad v. 537. pro *luxum* legendum *buxum.*
- 581. ad verbum *millia* alterutra nota delenda.
- 585. in not. ad v. 152. legendum *evolvere* pro *evolvore.*
- 592. in not. ad v. 269. pro *situm* legendum *sitim.*
- 603. v. 432. scribendum *Apenninigenae* pro *Appenigenae.*

INDEX FABULARUM

QUAE IN METAMORPHOREON LIBRIS COPIOSIUS TRACTANTUR.

Liber I.

Exordium. Vs. 1 — 4.
Fab. 1. Creatio mundi. Vs. 5 — 88.
— 2. Quatuor hominum aetates. Vs. 89 — 150.
— 3. Gigantes. Vs. 151 — 162.
— 5. Lycaon. Vs. 163 — 243.
— 5. Diluvium. Vs. 244 — 312.
— 6. Deucalion et Pyrrha. Vs. 313 — 415.
— 7. Python. Vs. 416 — 451.
— 8. Daphne. Vs. 452 — 567.
— 9. Io. Vs. 568 — 747.
— 10. Argus. Vs. 625 — 723.
— 11. Syrinx. Vs. 689 — 712.
— 12. Epaphus et Phaëthon. Vs. 748 — 779.

Liber II.

Fab. 1. Phaëthon. Vs. 1 — 400.
— 2. Heliades, sorores Phaëthontis. Vs. 333 — 367.
— 3. Cygnus. Vs. 367 — 380.
— 4. Callisto et Arcas. Vs. 401 — 530.
— 5. Corvus et Coronis. Vs. 531 — 633.
— 6. Cornix. Vs. 551 — 590.
— 7. Nyctimene. Vs. 591 — 595.
— 8. Ocyrhoë. Vs. 633 — 675.
— 9. Apollo pastor. Vs. 676 — 686.
— 10. Battus. Vs. 689 — 707.
— 11. Herse et Aglauros. Vs. 708 — 832.
— 12. Europa. Vs. 833 — 875.

Liber III.

Faa. 1. Cadmus et draco. Vs. 1 — 137.
— 2. Actaeon. Vs. 138 — 252.
— 3. Semele. Vs. 253 — 315.
Fab. 4. Tiresias. Vs. 316 — 338.
— 5. Narcissus. Vs. 339 — 510.
— 6. Echo. Vs. 356 — 401.
— 7. Bacchus et Pentheus. Vs. 511 — 733.
— 8. Bacchus et nautae. Vs. 582 — 691.

Liber IV.

Fab. 1. Alcithoë et sorores, Minyeïdes. Vs. 1 — 415.
— 2. Dercetis. Vs. 44. — 46.
— 3. Semiramis. Vs. 47 — 48.
— 4. Nais. Vs. 49 — 51.
— 5. Pyramus et Thisbe. Vs. 51 — 166.
— 6. Leucothoë. Vs. 190 — 255.
— 7. Clytie. Vs. 256 — 270.
— 8. Daphnis. Vs. 276 — 278.
— 9. Sithon. Vs. 279 — 280.
— 10. Celmis et Curetes. Vs. 281 — 282.
— 11. Crocos et Smilax. Vs. 283.
— 12. Salmacis et Hermaphroditus. Vs. 285 — 388.
— 13. Athamas, Ino et Melicertes. Vs. 416 — 542.
— 14. Comites Inus. Vs. 543 — 562.
— 15. Cadmus et Harmonia. Vs. 563 — 603.
— 16. Perseus. Vs. 604. — Liber V. Vs. 249.
— 17. Atlas. Vs. 631 — 662.
— 18. Andromeda. Vs. 663 — 764,
— 19. Phorcydes et Medusa. Vs. 771 — 803.

Liber V.

Fab. 1. Phineus et ejus comites. Vs. 1 — 235.
— 2. Proetus. Vs. 236 — 241.

Fab. 3. Polydectes. Vs. 242 — 249.
— 4. Hippocrene. Vs. 250 — 275.
— 5. Pyreneus et Musae. Vs. 276. — 293.
— 6. Pierides et Musae. Vs. 294 — 678.
— 7. Deorum bella cum Gigantibus et Thyphoëo. Vs. 318 — 331.
— 8. Ceres et Proserpina. Vs. 341 — 571.
— 9. Cyane. Vs. 409 — 438.
— 10. Stelles. Vs. 451 — 461.
— 11. Ascalaphus. Vs. 538 — 550.
— 12. Sirenes. Vs. 551 — 563.
— 13. Arethusa. Vs. 572 — 641.
— 14. Triptolemus et Lyncus. Vs. 642 — 661.

Liber VI.

Fab. 1. Pallas et Arachne. Vs. 1 — 145.
— 2. Palladis et Neptuni certamen. Vs. 70 — 82.
— 3. Rhodope et Haemus. Vs. 87 — 89.
— 4. Pygmaea. Vs. 90 — 92.
— 5. Antigone. Vs. 93 — 97.
— 6. Cinyras. Vs. 98 — 100.
— 7. Jupiter in varias formas mutatus. Vs. 103 — 114.
— 8. Neptunus. Vs. 115 — 122.
— 9. Phoebus. Vs. 122 — 125.
— 10. Saturnus. Vs. 126.
— 11. Niobe. Vs. 146 — 312.
— 12. Agrestes Lycii. Vs. 313 — 381.
— 13. Marsyas. Vs. 382 — 400.
— 14. Pelops. Vs. 401 — 411.
— 15. Progne et Philomela. Vs. 412 — 676.
— 16. Zetes et Calais. Vs. 677 — 721.

Liber VII.

Fab. 1. Iason et Medea. Vs. 1 — 158.
— 2. Tauri ignem vomentes. Vs. 104 — 119.
— 3. Dentes serpentis, e quibus homines nascuntur. Vs. 121 — 142.
— 4. Draco. Vs. 149 — 156.
— 5. Aeson. Vs. 159 — 293.
— 6. Bacchi nutrices. Vs. 294 — 296.
— 7. Pelias. Vs. 297 — 349.
— 8. Aries in agnum mutatus. Vs. 312 — 321.
— 9. Medeae fuga. Vs. 350 — 424.
— 10. Cerambus. Vs. 353 — 356.
— 11. Draco Lesbius. Vs. 358.
Fab. 12. Juvencus in cervum mutatus. Vs. 359 — 360.
— 13. Maera. Vs. 362.
— 14. Coae matres. Vs. 363 — 364.
— 15. Telchines. Vs. 365 — 367.
— 16. Alcidamantis filiae. Vs. 368 — 370.
— 17. Hyrie et Cygnus filius. Vs. 371 — 381.
— 18. Combe. Vs. 382 — 383.
— 19. Rex Calaureae. Vs. 384 — 385.
— 20. Menephron. Vs. 386 — 387.
— 21. Cephisi nepos. Vs. 388 — 389.
— 22. Eumelus. Vs. 390.
— 23. Incolae Corinthi. Vs. 391 — 393.
— 24. Periphas, Phene et Halcyone. Vs. 398 — 401.
— 25. Theseus. Vs. 402 — 452.
— 26. Minos. Vs. 453 — 489.
— 27. Aeacus et Myrmidones. Vs. 490 — 660.
— 28. Cephalus et Procris. Vs. 661 — 865.

Liber VIII.

Fab. 1. Nisus et Scylla. Vs. 1 — 151.
— 2. Ariadnes Corona. Vs. 152 — 182.
— 3. Icarus. Vs. 183 — 235.
— 4. Perdix. Vs. 236 — 259.
— 5. Aper Calydonius et Meleager. Vs. 260 — 525.
— 6. Meleagri sorores. Vs. 526 — 546.
— 7. Achelous. Vs. 547 — 886.
— 8. Perimele. Vs. 590 — 611.
— 9. Baucis et Philemon. Vs. 612 — 726.
— 10. Proteus. Vs. 727 — 739.
— 11. Mestra. Vs. 740 — 880.

Liber IX.

Fab. 1. Acheloi et Herculis certamen. Vs. 1 — 97.
— 2. Hercules. Vs. 98 — 272.
— 3. Lichas. Vs. 212 — 229.
— 4. Alcmena et Galanthis. Vs. 273 — 323.
— 5. Dryope. Vs. 324 — 393.
— 6. Lotis. Vs. 346 — 348.
— 7. Iolaus. Vs. 394 — 401.
— 8. Callirhoës filii. Vs. 403 — 417.
— 9. Byblis. Vs. 453 — 665.
— 10. Iphis. Vs. 666 — 797.

Liber X.

Fab. 1. Orpheus. Vs. 1 — 739.
— 2. Cyparissus. Vs. 106 — 142.

Fab. 3. Ganymedes. Vs. 155 — 161.
— 4. Hyacinthus. Vs. 162 — 219.
— 5. Propoetides et Cerastae. Vs. 220 — 242.
— 6. Pygmalion. Vs. 243 — 297.
— 7. Myrrha. Vs. 298 — 502.
— 8. Adonis. Vs. 503 — 739.
— 9. Atalanta et Hippomenes. Vs. 561 — 708.

Liber XI.

Fab. 1. Orpheus. Vs. 1 — 66.
— 2. Serpens. Vs. 56 — 60.
— 3. Bacchae. Vs. 67 — 84.
— 4. Midas. Vs. 85 — 179.
— 5. Pan et Apollo. Vs. 146 — 171.
— 6. Cannae vocales. Vs. 181 — 193.
— 7. Laomedon et Hesione. Vs. 194 — 220.
— 8. Thetis. Vs. 221 — 265.
— 9 Ceyx et Peleus. Vs. 266 — 409.
— 10. Daedalion. Vs. 291 — 345.
— 11. Lupus in saxum. Vs. 346 — 406.
— 12. Ceyx et Alcyone. Vs. 407 — 748.
— 13. Aesacus. Vs. 749 — 795.

Fab. 1. Serpens. Vs. 1 — 23.
— 2. Iphigenia. Vs. 24 — 38.
— 3. Cygnus. Vs. 39 — 145.
— 4. Caeneus. Vs. 146 — 535.
— 5. Periclymenus. Vs. 536 — 579.
— 6. Achilles. Vs. 580 — 628.

Liber XIII.

Fab. 1. Armorum judicium. Vs. 1 — 398.
— 2. Hecuba. Vs. 399 — 575.
— 3. Memnon. Vs. 576 — 622.
Fab. 4. Anius ejusque filiae. Vs. 623 — 704.
— 5. Scylla. Vs. 705 — 968.
— 6. Acis. Vs. 750 — 897.
— 7. Glaucus. Vs. 898 — 968.

Liber XIV.

Fab. 1. Circe et Scylla. Vs. 1 — 74.
— 2. Cercopes. Vs. 75 — 100.
— 3. Sibylla. Vs. 101 — 153.
— 4. Polyphemus. Vs. 154 — 222.
— 5. Aeolus et Laestrygones. Vs. 223 — 241.
— 6. Circe et Ulixes. Vs. 241 — 319.
— 7. Picus. Vs. 320 — 396.
— 8. Pici comites. Vs. 397 — 415.
— 9. Canens. Vs. 416 — 440.
— 10. Diomedis socii. Vs. 441 — 511.
— 11. Pastor Appulus. Vs. 512 — 526.
— 12. Naves Aeneae. Vs. 527 — 565.
— 13. Ardea. Vs. 568 — 580.
— 14. Aeneas. Vs. 581 — 608.
— 15. Pomona et Vertumnus. Vs. 609 — 771.
— 16. Anaxarete. Vs. 698 — 761.
— 17. Romulus. Vs. 718 — 828.
— 18. Hersilia. Vs. 829 — 851.

Liber XV.

Fab. 1. Myscelos. Vs. 1 — 59.
— 2. Pythagoras. Vs. 60 — 478.
— 3. Egeria. Vs. 479 — 551.
— 4. Hippolytus. Vs. 497 — 546.
— 5. Tages. Vs. 552 — 559.
— 6. Romuli hasta. Vs. 560 — 564.
— 7. Cipus. Vs. 565 — 621.
— 8. Aesculapius. Vs. 622 — 744.
— 9. Julius Caesar et Augustus. Vs. 745 — 870.

INDEX.

A pag. 165. 312. 468. 513. — *a* cum abl. apud adject. causam declarat 97. — *a* pro *post* 85. 118. 289. 346.
Abas, Abantiades 132. 135. 147. 150. 586. — Abantius 586.
abesse in loco 372. — *ne longe absit*, formula 134.
abire in aliquid, mutari 14. 160. 428. — *abire aliquo* 583.
ablat. cum adjectivo 75. 97. — Abl. loci 41. — Abl. simplex pro *a* cum abl. 99. — abl. adjectivorum tertiae in *e* 622.
ablatus sibi 165.
abstrahi 145.
absumere tempus 60.
Absyrtus 211.
acanthus 512.
Acastus 272.
accensere 610.
accingi 211.
accipere omen, formula 242. — *ignes, vulnus, sim.* 53.
accommodare 366.
accusat. Graecus 23. 38. 217.
acer 97.
acerni nobile lignum 126.
Acestes 532.
Achaemenides 536. — Achaemenius 114.
Achaïdes 94. — Achivus 211.
Achelous 165. 285. 286. 287. 304. 327.
Acherusia specus 231.
Acheron 164.
Achilles 12. 406. 438. 442. 443. 447. 468. 469. 470. 481. 497. 498. 501. 504.
acie pro *aciei* 88.
Acis 514. 523.
Acmon 554.
aconitum 231. 232.
Acrisius 97. 132. 150. — Acrisioneus *151.* — Acrisioniades 144.
Acrota 561.
acropolis Athenarum 66.
Actaeon 79. 103.
Actaeus, Atticus 66. 207. 245.
Actorides 272. 488.
acumina Nasoniana 288. 377.
acuta cupressus 80. — *acuta pinus* 32.
ad nomen 80. 112. Conf. I, 503. V, 509. XIV, 215.
ad usus et *in usus* 146.
adamas 125. 231. 337. — *adamanteus* 214.
addere nomen 164.
adducere cutem 90. — *adducī* cum simplici accus. loci 98.
adductus 22. 256. 307.
adjectiva cum genitivo causae 12. 29. 68. 152. 179. 289. 329. 354. 362. 382. 448. 464. — cum praep. *ab* 513. 543. — cum infinit. 99. 144. 147. 374. Vid. *infinitivus*. — adjectiva a Nasone novata 4. 15. 17. 20. 35. 47. 52. 61. 95. 106. 112. 151. 177. 188. 189. 220. 228. 287. 301. 302. 319. 321. 328. 347. 350. 354. 373. 397. 402. 415. 433. 442. 446. 453. 459. 466. 530. 548. 603. 604. Vid. in *Addend.* ad pag. 35. — adj. in *ax* Heinsio in deliciis 8. — composita cum particula *prae* 215. — adject. pro substant. 57. 83. 184. 405.
adlevare 285.
Admetus 178. 272.
admittere se 420. — *admissus* 25. 184. 309. — *admissum*, scelus 13.
admonere 382. — *admonere* cum genit. 235. 323, — cum infinit. 98.
admovere 197. 206. 417.
Adonis 376. — *Adonia* 387. — *Adoni* ultimam corripit 387.
Adrastus 273.
adspice cece 40.

adspirare 3.
adsterni 50. — Vid. *affundere*.
adurere 569.
adverti cum simplici accus. loci 98. 169. — *adversus* 40. 81. 278. 444. 450. 454. 502. 586. 622.
Aeacus 233. 235. 245. 329. 404. 472. — Aeacides 441. 445. 474. — *Aeacide* in vocat., an *Aeacida* 351. 405.
Aeaea Circe 114. — Aeas 27.
Aeëtes 114. 209. 210. — Aeëtias 210. 226.
Aegaeon 37.
Aegaeum 329.
Aegeus 230. — Aegides 285.
aegis 68. 176.
Aegyptus 132. — Aegyptia conjux, Cleopatra 627.
Aëllo 512.
Aeneas 328. 506. 510. 512. 531. 533. 551. 558. 559. 561. 603. 630. — Aeneadae 618.
Aeoliae insulae 15. 540. 620.
Aeolus 126. 134. 332. 432. 531. 540. — Aeolides 126. 205. 245. 332. 474. — Aeolis 423.
aequora ponti 73. 223.
aëriae aurae 359.
Aesacus 432. 435. 436.
Aesar 577. 579.
Aesculapius 58. 62. 63. 609. 614. 615. 616.
aesculus 353.
Aeson 209. 225. — Aesonides 223. 278.
aestuare in aliquo 196. — Vid. *ardere*.
aether sacer 14. — *aetherium sidus* 21.
Aethiopes lacus 596.
Aethra 304.
afferri cum simplici accus. loci 169. Vid. *adduci*.
affundi 284. 325. 337. Vid. *adsterni*.
Agamemno 438. 442. 470. 484. 497. 498. 506.
Aganippe 154.
Agave 79. 94. 123.
Agenor 71. 132. 209. — Agenorea domus 86. — Agenorides 130. 138.
agere 206. 382. — *agere causam* 333. — *agere reum* 578. — *robur, radices* 61. 116. 375.
agger 612.
agi 95. — *agitare* 161. 227. — *agitata pulsare* 16.
Aglauros 66.
agrestis 434.
agri priorem corripit 149.
agricola 401.
Ajax 360. 468. 471. 472. 486. 494. 566. — Ajax Oïlei filius 470. 491. 496. 553.
Alba 561. — Albani montes 565.
albescere 418.
Albula 545. 561.
albus color laetitiae 145.
Alcathoë, Megara 233. — Alcathoï urbs 254. 255.
Alcidamas 229.
Alcides 305.
Alcinous 513. 558.
Alcithoë 116.
Alcmaeon 327. 328.
Alcmena 178. 284. 305. 319. 320. 322.
Alcon 510.
Alcyone 283.
Alecto 14. 124. 126.
Alexirhoë 433.
Alipes 138. Vid. *Tonans*, *Tridentifer* et *Arcitenens*.
aliquis 100. 240. 267.
Almo 545.
Aloeus et Aloïdes 178.
Alpes aëriae 45. 46. — *Alpinum frigus* 571.
Alpheus 162. 166. 315. — Alpheïas 162.
Alphesiboea 327.
Althea 269. 273. 304.
altus 85. 181. 464.
Amalthea 98.
Amathus 361. 362. 377.
Amazones 193. 315. 470.
ambages 249. 530.
ambiguus 37. 116. 224. 596.
ambitio 329. — *ambitiosus* 489.
ambitus in modo patiendi 5. 594.
Ambracia 513.
ambrosia 41. 114.
Amenanus 593.
amentum 251.
amictus 542.
Ammon 135. 595. — *corniger* 142. 155.
amomum 600.
amnicola 354.
Amor 22. 157.
Amphiaraus 327. 273.
Amphion 178. 180. 181.
Amphisus 323.
Amphissa 619.
amphitheatrum 391.
Amphitrite 4.
Amphitryon 178. 311. 322. — Amphitryoniades 312. 579.
Amphrysus 27. 221.
Ampyx 273. — Ampycides 273. 465.
Amulius 570.
Amyclides 358.
Amymone 46.
Amyntor 457.
Amythaon 596.
an 240.
anadiplosis 413. 516.
ἀναθήματα 347.
Anaphe 234.

Anapis 159.
Anxarete 561.
Ancaeus 273. 277. 283.
anceps 546. Vid. *ambiguus.*
Anchises 328. 506. 508. 531. 532.
ancilia 457.
Androgeus 233.
Andromeda 134. 135. 141.
Andros 508.
anemone 388.
anguigena 95. Vid. *Apenninigena.*
angi 309.
anguis, sidus 42. — anguium natura 599. — *anguis* genere mascul. 131.
Anigros 593.
anhelatus 215.
anilis 290. 502.
animare in rem 132. Vid. 558.
anima 127. 241. 440. 435.
animus 83. — *animi* 35. 56. 180. 287.
Anio 545.
Anius 506. 508.
anser 293. 425. — anserum vigilantia Romam servavit 59.
Antaeus 315.
Antandrus 507.
ante diem 205.
anteit bisyllabum 393. 493.
antenna 99. 418.
Anthedon 221. 523.
Anticlea 474. 481.
Antigona 172. 177.
Antiope 177.
Antiphates 540. 621.
Antissa 594.
antistita 496.
Antium 621.
antra deorum aquarum domicilia 47. 285.
Anubis 341.
anxius cum genit. causae 12. 29. Vid. *adjectiva.* — *anxius pro* 12.
Aonia 16. 87. 249. 311. 437.
apes a boum cadaveribus gigni credebantur 598.
Apenninigena, a Nasone novatum 603. Vid. *adjectiva* et *Addend.* ad p. 35.
Aphareus 455.
Apidanus 27. 221.
Apis 341.
Apollo 20. 22. 23. 24. 25. 26. 58. 59. 61. 65. 91. 178. 180. 185. 186. 190. 191. 225. 229. 323. 329. 330. 348. 359. 377. 390. 400. 401. 408. 414. 468. 477. 505. 513. 550. 609. 621. 630.
Ἀφροδίτη et Ἀφρογένεια 129.
appellare 135.
aptare 417.
aptus in aliquid 570. — *apte* 566.
Apulia 556.
aquila Jovi sacra 120. 198. — aquilarum cum draconibus pugna 120.
aquilo 17. — aquilonis vis 153.
arae 611. — *aras placare* 611. — ara sidus 42.
Arachne 172. 177.
arbor 422.
arbutus 7. 354. 519.
Arcadia 53. 259.
Arcas 53.
arcere cum infinit. 77.
Arcesius 481.
Arcitenens 186. Vid. *Tonans, Tridentifer.*
Arctophylax 43. 53. 57.
Arcturus 573.
Arctus, sidus 42. 53. 57. 76. 98. 132. 514.
arcus 41. — *arcuatus* 424.
Ardea 559.
ardere in aliq o 257. 343. 570.
arena 397.
Arestorides 29.
Arethusa 159. 161. 162. 166.
Argo 208. 209. 597. — Argonautae 208.
Argos 137. 586. — Argos Hippium 352. — Argolicus 577.
arguere 580. 607.
argumentum 175. 511.
Argus 26. 29. 30. 31.
Ariadna 263.
Aricia 545. 606.
Aricius 610.
aries, sidus 358.
arma 201. 420. — *armamentum* 417.
Armeniae tigres 261. Conf. 581.
ἄρπη 33.
Arne 234.
ars 100. 124. — *artifex* 202. XIII, 551.
arx Minervae 269.
Ascalaphus 161.
Ascanius 507. 561.
Asis terra 169. 329.
Asopis 178. — Asopiades 235.
asper 144. 449. 518. 621.
aspicere 612.
aspirare 1.
Assaracus 433.
asserere collo 35.
assiduus 517.
assistere et *adstare* 243.
assuetus cum abl. 503.
assumere 435. 436. — *assumtus* 97.
Assyrius 600.
Asterie 177.
Astraea 10.
Astraeus 557.
Astyanax 496.
Astypalea 234.
at 270.
Atalanta 269. 273. 278. 279.

Athamania et Athamanis 595.
Athamas 40. 86. 97. 123. 125.
Athenae Minervae sacrae 66. 247.
Athis 143.
Athos 45.
Atlas 48. 181. 133. 316. — Atlas priorem corripit 66. 133. 139. 196. 320. 585. — Atlantiades 32. 67. 71.
atque 472. — *atque ita* 503.
atra 156.
Atracia 448. — Atracides 448.
Atreus 604.
atrium. In atriis convivia habebantur 138.
Attis 353. 354.
attonitus 357. 538. 596.
attractio 277. 285. 293. 480.
auctor 239. 275. 459. — *auctor* gen. fem. 217. 260. 385.
audacior quaedam oratio 197.
audire 158.
auferri 336.
Augias 315.
augurium 19.
Augustus 26. 87. 513. 603. 623. 627. 630. — Augusti domus 11. 26. — *Augustus* adjectivum 26.
aulaea 78.
Aulis 436. 437. 483.
aurigena 151.
Aurora 246. 328. 504. 557. 619.
aurum 196.
Ausonia 544. — Ausonius 156.
auster aquaticus 72. 6.
ausum 405. II, 329. Vid. *adjectiva*.
aut 351.
Autolycus 296. 409.
Autonoë 79. 103. 123. — Autonoëius heros 87.
avenae 265.
Aventinus 562.
Avernus 164. 351. 533. — Avernalis 164.
avertere 307. — *aversus* 534.
avidus et *cupidus* cum infinitivo 144. 374.
avis 147. 194.
axis 14. 114.

Bacchus 84. 91: 96. 97. 100. 101. 105. 132. 155. 179. 196. 225. 228. 263. 338. 394. 395. 507. 601. — Bacchi signa 121. — Bacchi comites 122. — Bacchi sacra 201. — Bacchicus 95. — Bacchae, Bacchantes 105. 107. 201. 390. — Bacchiadae et Bacchides 159.
Bactra, Bactrius 147.
baculus et *baculum* 616.
Bajae 620.
Balearica funda 67. 136.
Battus 64.
Baucis 288.
Bellona 148.
Belus 114. 125. 132. — Belides 125. 351.
Berecyntus 390. — Berecyntius 390. 395. — Berecyntia tibia 390.
bibulus 137.
bipennis 470. — *bipennifer* 106.
biremis navis 417.
Bistones 497.
bitumen 339.
bobus et *bubus* 527. 613.
Boebe 221.
Boeotia 74.
Bootes, sidus 43. 53. 266. 373.
Boreas 205. 246.
brachia 404.
brevis 318.
Briseïs 442. 498.
Bromius 105.
Bubastis 341. 155.
Bubasus, Bubasis 338.
bubo 373. 194. 625.
bulla 355.
Buris 594.
Busiris 314.
bustum 109.
Buthrotos 513.
buxo pallidior 111. — *buxum* et *buxus* 445. Vid. *cornus*.
Byblis 328. 330.

Cadere 133. 424. 567. 591. — *cadere ab aliquo* 149.
Cadmus 74. 78. 94. 126. 130. 132. — Cadmeïdes 322.
caduceus 67. 409.
caducus 191. 253. 339.
caelare 292. — *caelatus* 479.
Caeneus et Caenis 272. 445. 448.
Caesar (C. Jul.) 12. 622. 623. 624. 625. 629.
caerulei di aquarum 37. — caeruleum venenum 314. Vid. *pallidus*.
caesus 169. 187. 373. 573.
Caïcus 443. 593.
Cajeta 536. 551. 621.
Calaïs 205. 209.
calathus 105.
Calauria 229.
Calchas 437. 436.
Calliope 348. 357.
Callirhoë 327.
Callisto 53. 55. 57.
Calydon 270. 283. 624. — Calydonis 311. — Calydonius aper 269. — Calyd. heros 273. — Calyd. amnis 295. 304.
Calymne 267.
Camenae 551. 606.
cancer 598.
cancer, sidus 132. 356.

candidus 578.
canere, incantare 544. — *canentia colla* 441.
cani, pro *cani capilli* 286. III, 516. Vid. *torvis*.
canis Gallicus 25.
Canopus 628.
cantatus 214.
cantus 108.
Capaneus 327.
capax ad 268.
caper Baccho immolabatur 155.
capere 225. 337. 344. 466. 548. — *capere iram, spem* 202. 396. — *cap. spectacula* 250. — *capi* in aliquo 570.
Capetus 561.
Caphareus 553.
capillos lacerare in luctu 51. 550. Vid. *plangi*. — *capilli sparsi* et *passi* 260.
Capitolia 612. 628.
Caprene 620.
captare 306. 434.
capulus 236.
caput 259. 321. 352. 624. — *caput* fluvii 593. — caput extorum 626.
Capys 561.
carbasa 392.
carcer 384.
carchesium 222.
carmen 50. 201. 280. 347. 370. — *carmen*, pro *carmen magicum* 216. 232.
carminatio 173.
Carpathus 405.
carpere locum 132. 432.
Carthaea 229. 355.
casia 600.
Cassandra 495. 553.
Castalia 75.
Castor 271. 276.
castra sequi 147.
Castrum Inui 621.
castus 617.
casu 146.
Caucasus 45.
Caulon 619.
Caunus 328. 330. — Caunus oppidum 338.
causa et effectus juxta ponuntur 152.
Cayster 47. 158.
Cea 229.
Cebren et Cebrenis 434.
Cecrops 59. 285. 602. — Cecropides 205. 235. 245. 285. — Cecropius 295. — Cecropia arx 175. 602. — Cecropida, postrema syllaba producta 285.
celeber 180.
celebrare 11. 47. 355.
Celenna 619.
Celmus 117.
Cenaeum 312. 314. — Cenaeus Jupiter 312.
Cenchreïs 372.
cenotaphium 200. 415. 436.
census 98. 301. 340. 602.
Centauri 62. 448. 593.
centum ora, linguae oratio poetis solemnis 281.
Cephalus 236.
Cepheus 134.
Cephisus 18. 75. 87. 229. — Cephisius 88.
cera 333.
Cerambus 228.
Cerastae 361. 362.
ceratus 292. 420.
Cerberus 124. 127. 231. 315. 349. 352.
Cercopes 531. 532.
Cercyon 233.
Ceres 8. 155. 157. 160. 161. 163. 166. 169. 178. 192. 198. 396. 583. 614. — Ceres *flava* 179. — *mitis*, quia hominibus mitem victum pro fero dedit 328. 9. 169. — θεσμοφόρος 372. — pro re frumentaria 92. — Cerealis 9. 508.
certare cum dat. 571. — cum accus. rei 513.
certus 64. 112. 130. 336. 341. — *certum facere* 415. — *certus* cum infinit. 370. 372. 416. — cum genitivo 416.
cervus vivax 82. 224.
cessare 585.
Ceyx 406. 411. 413. 414.
Chalciope 211.
chamaeleon 601.
Chaonia, Chaonis 353. 513.
chaos 3. 48.
Charaxus 452.
Chariclo 63.
Charon 352.
Charybdis 212. 261. 514. 531.
Chersidamas 487.
Chimaera 339. — *Chimaerifer* a Nasone novatum 189. Vid. *adjectiva*.
Chione 406. 409.
Chios 98.
Chiron 62. 64. 179. 228.
Choanii 148.
Chrysaor 127. 140
Chryse 482.
Chrysomallus 508.
Chrysorrhous 398.
Cicones 207. 389. 595.
Cimmerii 424.
Cimolus 234.
cingi 77.
Cinyps 146. 623. — Cinyphius 224.
Cinyras 172. 177.
Cipus 610. 611.
Circe 114. 527. 528. 536. 542. 544. 546. 551. — Circaea terra 621.
circinare 66.

circuire 177.
circulus coelestis 57.
circumfluus 5.
circumfundi 120. 547. 560.
circumspicere 148.
circus 442.
Ciris 263.
Cithaeron 45. 80. 102.
citra 382.
civilis 468.
cladem auctor levat 48.
clamare alicui 311.
clangor 465.
Claros 24. — Clarius dux 414. — Clarius deus 414.
clava Herculis telum 311. — *claviger* 577. 593. — Vid. *Tridentifer*.
Cleonae 193.
Clitorius fons 596.
Clymene 35. 37. 114.
clypeus solis 588.
Clytaemnestra 483.
Clytie 112. 114.
coagulum 460. 519. 542.
Cocalus 269.
Cocytus 123.
Coeranos 487.
Coeus 177.
cogere 41. — *coactum lac* 292. 518.
coire 64.
Colchi pro possessivo 230. — Vid. p. 271.
Colchis 225.
colere 507. 615.
collabi 252.
collectiva cum verbo in plur. 615.
colligere sitim, rabiem 14. 160. 180. — *colligere capillos* 81. — *collectus* 84. 523.
Colophon 172.
colubri et *colubrae* 139. — *colubriferum monstrum* 151.
columbae Veneri sacrae 510. — Veneris currui junctae 560.
Combe 229.
comitare activ. 293. 476. 542. — *comitatus* passiv. 55. 72. 341.
committere 394. — *committere* cum infinit. 338. — *commissus* 120.
communis 190. 215. 436. 554.
compendia 83.
complecti 375.
componere 215. 332. 333. 375. — *componere se, vultum* 118. 516.
comprendere 482. — *comprensus* 546.
conamen 276.
concedere 458.
concipere 36. 191. 210. 241. 363. 368. 371. 403. 576. — *concipere auras* 268. 467. — *conc. ignem* 597. Vid. *rapere*.
concitus 410.
concutere 417.
condere arma 461. — *condere loco, in loco* et *in locum* 34. 326. 453.
conducere 121.
conferre 445. — *conferre*, convertere 116. — Conf. *Martem* 457.
confinia noctis 505.
confisus cum abl. et dativo 352.
confiteri 74. 174. 218.
confundere 450. 547. 624.
congelare 188. 393.
conjicere 78. 222. 499. 622.
conjugium et *connubium* de deorum nequitiis 23.
conjunctivi prima persona excitantis est 118.
conjux 307.
connubium secundam syllabam corripit et producit 382.
conscius cum dat. rei 201. 219.
considere 398.
consistere 203. 340. 453.
consors 279. 411. 509.
conspici 140. — *conspectus* 466. 517.
consumere preces 260.
contentus 608.
contingere 331.
conus 78.
convellere 396.
convexus 536.
convicia 425.
Copiae cornu 309.
copula 250.
Corcyra 513.
Corinthus 159. 193. 230. — Corinthium aes 193.
corna 292.
cornix vivax 224.
cornu 346. — *cornua* signum roboris ac potentiae 106. 612. — cornua dis fluviorum tribuuntur 433.
cornus 245. 277. 461. Vid. *fraxinus*. — *cornum* neutrius ut *buxum* 277. Conf. XII, 158.
corona 318. 472. — coronae arboribus suspendebantur 324. — coronae hederaceae et pampineae bacchantium 96.
coronare naves 618.
Coronis 58. 59. 609. — Coronides 609.
corpus 20. 225.
corrigere tempora 385.
corripere 555.
cortex mascul. 297. 376. 562.
cortina 615.
corvus ex albo niger factus 58. — Apollini sacer 155.
Corycidae nymphae 16.
Corythus 228.
Cos 228.
Cragaleus 513.

Cragos 338.
Crataeïs 515.
crates laterum 457.
Crathis
creber cum ablat. 401.
creditus 214.
Creon 230.
crepusculum 122. 534. Conf. *confinia*.
crescere in aliquid 165.
Creta 235. 340. 344. 512. 609. — Cretaeus taurus 315.
Creusa 230.
Crocus 117.
croceus color in nuptiis 348.
Cromyon 232.
Croton 576. 577.
Cteatus 272. 276.
Ctesylla 229.
cubile 257.
cultus 54. 301. 376.
cum cum abl. pro adject. 581.
Cumae. Cumaea Sibylla 533. 620.
cumulare 604.
cuneatus 517.
cuneus 420.
Cupido 22.
cupidus cum infinit. 144. 540. Vid. *avidus* et *adjectiva*.
cupressus 356.
cura 197. 568. *cura de* 310.
curalia et *coralia* 138. 601.
Cures 571. 576.
Curetis, Curetes 263.
currere 266.
cursus 140. 254.
curvus 419.
curvamen spinae 77.
custos 273.
Cyane 159.
Cyaneae 212.
Cybele 354. 386. 557.
Cyclades 47. 234.
Cyclopes 14. 86. 178. 527.
Cydone, Cydoneus 255.
Cygnos mons 229.
Cygnus 37. 51. 438. 440. 468.
cygni morientes canere dicuntur 158. — cygnis junctis vehitur Venus 387.
Cylla 482.
Cyllarus 458.
Cyllene s. Cyllenus mons 13. 33. 167. 229. — Cyllenius 33. 66. 155. 481. 453.
Cyllenis harpe 148.
Cyllenus, vid. Cyllene.
cymbala 107. 121. 390.
Cynossema 504.
Cynthus 45. 183. — Cynthia 55. 183. 249. 609.
Cyparissus 353.
Cyprus 362.
Cythera 377. — Cytherea 383. 554. 626. — Cythereïa 113. — Cythereïs 117. — Cythereïus 507.
Cythnos priorem corripit 196. 234.
Cythnus 151.
Cytorus mons, buxo nobilis 118. 179.

Daedalion 406.
Daedalus 261. 265. 268. 269. 344.
Danaë 132. 178. 396. — *Danaeïus heros*, Perseus 141.
Danaus 125. 132. — Danai 437.
Daphne 22.
Daphnis 116.
Dardanis 496. — Dardanus 510.
dare 124. — *dare se* 86. 434. — *dare motus* 168. — *dare saltum* 129. — *dare vulnus* 343. — *dare in medium* 580. — *dare* cum infinit. 23. 275. 467. 566. — dativus pro casu motus sive *in* cum accus. 110. 317. 480.
Daulis 152.
Daunus 552. 556.
de 351. — *de* in compositis 410.
decens 22.
decipere tempus 377. Vid. *fallere*.
declinare 330.
decumani fluctus 421.
deducere 381.
deducere 580. 616. — *deducere carmen* 3. — *deducere navem* 194. 260. 418. — *deducere vela* 184. — *deducere vestem* 487. — *deducere* et *diducere vestem* 93.
deesse 161.
deficere 339. 351. 461. — *deficere* cum dativo 52. — *defectus* 145. 313. 360. 491.
defluere 184.
defodere terra supplicium Vestalium 115.
defungi 319.
degenerare 239.
dehiscere primam corripit XIII, 892. Vid. not. ad Trist. III, 12, 2. et conf. Met. VII, 131. Vid. etiam *index* in *prae*.
Deïanira 304. 310.
Deïdamia 481.
Deïone 329. — Deïonides 329.
Deïphobus 466.
dejicere 103. 316. 451. — *dejectus* 27.
delabi 13. 71.
delamentari, a Nasone novatum 410. Vid. *demugitus* et *adjectiva*.
Delos 98. 182. 189. 267. 323. 609.
Delia 169.
Delius 155. 185. 400. 508.
Delphi 323. — Delphi in medio orbe siti 358. 614. — Delphicum oraculum 17. — Delphi metonymice 585.

delphines 101. 102.
demere 398. 566.
demergere 582.
demittere 485. — *demittere animum* 216. — *demittere* cum dat. loci 102. 330. 452. — *demittere* et *dimittere* 300. 418. — *demissus* 187.
demonstrativum insolentius omittitur 338.
demugitus, a Nasone novatum 412. Vid. *delamentari.*
densere 547.
densus 75. 591. — *densus* cum abl. 401.
dentes draconis a Cadmo occisi 215. — dentes et pellis apri Calydonii sero exstabant 278.
denubere, *innubere*, *enubere* 447.
Deoïs 178. — Deoius 297.
deplangere a Nasone novatum 129. 559. Vid. *delamentari.* — Vid. *luctus.*
deponere bellum 257. — *depositum* 311. — *depositum fallere* 162.
deprendere 40. 428.
deprimere 101. — *depressum aratrum* 613.
deploratus 500.
Dercetis 107.
deripere ensem vagina 199.
descendere 433.
descriptio tempestatis 418.
designare 177.
destinare 370.
destringere aequor 130. — *destringere* et *distringere* 276.
deterrere aliquam rem 297.
detinere 32. 107.
Deucalion 18.
deverti ad rem 308.
dî majorum gentium 176. — dî aquarum virides 166. 515. 522. 530. Vid. *caeruleus.* — dî marini superioris ordinis senes finguntur 57. item dî plerorumque fluviorum 27. — dî fluviorum arundine tecti fingebantur 560. — item *cornigeri* 522. 560. — dî maris piscibus vehuntur 37. — dî non lacrimantur 62. — dî pondere conspicui 618. 320. — dî arbores in tutela habent 26. — *dî bene*, *dî melius* 211. 322.
Dia i. q. Naxos 98. 102. 265.
diaeresis 133.
Diana 32. 54. 55. 79. 81. 118. 157. 168. 169. 180. 190. 214. 249. 269. 275. 315. 436. 438. 451. 513. 588. 545. 606. 609. 610. — Diana Taurica 606. — Diana primam corripit et producit 168. 275. Vid. *nomina Graeca.*
dicere legem 476. — *dictus* 110. 403.
Dicte et Dictaeus 74. 83. 256.
Dictynna 55. 168.
Dido 531.
diducere nodos 60. — *diducere* et *deducere* 121. 287.
dies femininum et masc. 535. 630. Met. I, 346. — *die* pro *diei* 88.
differre 441. 502.
difficilis 321.
diffundere 138. 542. — *diffusus* 87.
digerere 437. 346.
dignus cum infinit. 14. 24. 38. 118. 246. 261. 383. 529.
dilogia 49. 57. 61. 180. 185. 222. 227. 312. 313. 369. 428. 532. 550.
dimittere 15.
Dindyma 45.
Diomedes, Thrax 315.
Diomedes 476. 486. 551. 552. 553. 555. 556.
Diomedeae aves 555.
Dione 180. 181.
Dirae 127.
Dirce 46.
diripere 76. 595. — *diripere* et *deripere* 200. 338. 374.
dirus 152. 366. 614.
Dis 124. 158. 609.
discors 261.
discus 359.
dispares calami 33.
dissepere 6.
dissimulare 51.
distinctus 101.
distractus 125.
distringere 101.
diversus 67. 577. — *diversus orbis* 49. — *diversi locis* 5. 122. — *diversus* cum dativo 323.
doctus 81. 87. 344. — *doctae sorores* 151.
Dodona 243. 595. — Dodonaeae quercus 243. 353. — *Dodona* et *Dodonis* 513.
dolere aliqua re 393.
Dolon 478. 486.
dolor 465.
domare igne 291.
dominus 398. — *domina* 520. — *dominus* et *domina* in amantibus 330. — domina rerum, Roma 603.
dona feralia 317.
donaria 269.
Doris 12. 37. 515.
dos 136. 141.
dotalis 136. 258.
Dotium 296.
draconis dentes 210.
draconigena, a Nasone novatum 112 Vid. *serpentigena.*
Dryades 94. 195. 296. 298. 545.
Dryas, homo 272. 453.
Dryope 323.
dubitare 183. — *dubitatus* 38.
dubius 326. 515. — *dubius* cum genit. 603.
ducere 325. 345. 385. 390. 524. 569. — *ducere choreas* 287. — *ducere literas*

30. 361. — *ducere vitam* 430. — *ducere frigus*. — *ducere rimam* 109. — *ducere formam* 20. — *ducere pallorem* 297. — *ducere suspiria* 30. — *ducere vultum* 69.
Dulichius 479. 497.
dum 285.
duplex priorem syllabam etiam producit 464.
duplicari 187.
durare 509.
duritia hominis quomodo saepe a poetis declaretur 261. 430.
durus 319.
Dymantis 506.

Ebur 112. 271. 625. — *eburnus* adject. 364.
ecce. Vid. *adspice*.
Echidna 127. 231. 349.
Echinades 285. 286.
Echion 95. 272. 436. — Echionides 102. — Echionius 274.
Echo 87. 90.
edere 38. 411. 516. — *editus* 279.
Edoni et Edonides 393.
educare 300.
educere naves 417.
Eëtion, Eetioneus 443.
efferre sub auras 400. — *efferri* 187.
effluere 76.
Egeria 606. 610.
ego-noster 190. 211.
ejus apud poetas rarum 255. — *ejus* et *hujus* in fine versiculi 137.
Elatus, Elateïus 447.
Electra 328.
electrum 364. — *electri usus* 51.
Electryon 320.
Eleleus 106.
elementa 343.
Eleum flumen 166.
Eleusin et Eleusis 233.
elidere 22. 568.
Elis 65. 167. 466. 545.
elisio neglecta 94. Vid. *hiatus*.
elliptica oratio 84. 587.
Elpenor 541.
Emathia 154.
emensus passive 589.
emicare 4. 36. 591.
Enaesimus 275.
Enipeus 178. 221.
eniti 39.
eo vol *hoc* post *quo* omittitur 89. 109. 416. — *eodem* 3.
Eous priorem corripit et producit 42. Vid. *Graeca nomina*.
epanalepsis 147.
Epidaurus 85. 233. 615. — Epidaurius 621.
Ephialtes 178.
Ephyre 46. 230.
epicum orationis initium 26.
Epiros 270.
Epitus 561.
Erasinus 593.
Erebus 549. 164.
Erechtheus 229. 232. 236. 285. — Erechthidae 232.
ergo 218. 314. — *ergo* post digressionem 11. 314. — posteriorem corripit 586.
Erichthonius 59. 68. 328.
Eridanus 49.
Erigdupus 461.
Erigone 373. 179.
Erinnys 14. 34. 124. 127. Vid. *Furiae*.
Eriphyle 327.
Erisichthon 296.
Ἐρμαφροδίτης 117.
errare 280.
Erycina 156.
Erymanthus 46. 167. 315.
Erythea 315.
Eryx 156. 532.
esse in crimine 340. — *esse in exemplo* et *in exemplum* 330. — *est aliquid* 442. 486. — *est* omittitur 228. 205. — *non est* 93. — *sunt qui* 295
et syllaba verborum in arsi producitur 82. 554. 556. Vid. *syllaba*.
et, ubi vulgo *et tamen* ponitur 282. 369. 453. — *et* exponit 4. 138. Conf. II, 663. — *et-que* 217.
Eteocles 327.
Euboea 509.
Euippe 153. — Euippides 170.
Eumelus 230.
Eumenides 281. 351. 124. Vid. *Furiae* et *Erinnyes*.
Eumolpus 395.
Eupalamon 275.
Euphorbus 586. 603.
Euphrates 46.
Europe 71. 74. 177. 255. 329.
Eurotas 46. 358. — Eur. Taenarius 46.
Eurydice 352. 348.
Eurylochus 541.
Eurymedes 516.
Eurynome 114.
Euryphyle 273. 327.
Eurypylus 228. 492.
Eurystheus 305. 314.
Eurytion 272.
Eurytus 272. 276. 310. 312.
Evan 106.
Evander 552.
eventus 228. 381.
Evenus 46. 283. 310.
everberare 559.
evertere in aliquem locum 422.
evincere 531. 620.
Evoe 128. 201.

evolvere 585.
ἐχεμυθία Pythagoreorum 580.
ex aequo.
Exadius 451.
exasperare 141.
excaecare 592.
excidere 113. 535.
excipere 81. 418.
excita et *excīta* 69.
excusare aliquid 553.
excutere 198. 210. 307. 342. 570. 609. *excussus* 274.
exemplum 18.
exercere 264. 300. — *exercere odium in aliquem* et *in aliquo* 320. — *exercitus* 487.
exhalare 240.
exhaustus 148. 446.
exhibere 174. 226. 406. 613.
exigere 9. 137. 147. 148. 227. 232. 248. 631. 448. 467. — *exactus* 20.
exiguus 124. — exiguus sanguis victimae malum omen 241. — *exiguum* pro substant. 522.
expellere 49.
explicare 621.
expugnare 337.
expugnax, a Nasone novatum 528.
exsequialis, a Nasone novatum 551.
exsistere 47. 159. 522.
exspatiari 44. 604.
exstare signis 144.
exstructus 396.
exsultare 203.
extenuari 161.
exuere 354.
exululare 201.

Fabula 113.
facere certum 186. — *facere annum* 117. — *facere invidiam* 129. — *factus* 56. 325. — *faxo* 246. — *facere* cum infinitivo 246.
facilis 165. 321. 586.
falcatus ensis 137.
fallere 175. 286. 534. — *fallere tempus* 377. — *falsus* 35. 141. 228. 305.
Fama 438. — Famae comites 439.
Fames 299. — *fame* posteriorem producit 301. 312.
famularis 613.
fando 607.
far igni torrebatur 396.
Farfarus 545.
fascinatio 229.
fateri 469. — *fateri de* 257. — *paupertatem* 290.
faticanus ab Ovidio novatum 328.
fatifer 463.
fatum 329. — *fatum* deos exsuperat 625.
Faunus 11. 12.
favere 247. — *favere pro aliquo* 148. — *favere operi* 598. — *favere lingua* 617.
fax pro nuptiis 23. 211. 348. — *faces* 290. 301. — *facem quatere* 94. Vid. *taeda*.
felix 562. — *felix* cum genit. causae 152. — Vid. *adjectiva* et *genitivus*. — *felix* cum abl. causae 606.
feralis 598.
ferire 309. — *ferire se* vel *pectora* in summo luctu 131. 370. Vid. *capillos lacerare* et *plangi*.
ferox cum genit. 289.
ferre 88. 236. 285. 318. 340. — *ferri* 43. 44. 49. 212. 232. 242. 274. 287. — *fert animus* 3. 36. — *ferre annos* 57. — *ferre gaudia* 331.
ferrugo 625. — *ferrugineus* 525.
ferus pro substant. 414. Vid. *adjectiva*.
fessus 609. — *fessus* cum abl. 215.
fetus 215. 518.
fibrae 584.
fibula 546. 549.
fides 457. — *fide* pro *fidei* 87. 247. 248.
fidus et *fidelis* 335.
figere loco et in loco 61. 113. 146. 498. 503. — *figere spolia* 263.
fingere vultum 118. Vid. *componere*. — *fingere in aliquid* 599.
finire sitim 412.
fissus et *scissus* 376.
fistula 65. 110.
flagellum 120.
flammifer et *flammiger* 43.
flexipes a Nasone novatum 354.
fluidus 590.
fluitare 417.
fluviorum di cornuti 433.
fontes sacri, quia Najades in iis habitant 55.
forabilis a Nasone novatum 446. Vid. *adjectiva*.
formica 243. 244.
fornax 45.
forsitan cum indic. et conjunct. 155. 252. 374.
Fortuna 621.
fovere 291. 609.
frangere 282.
frater pro *frater patruelis* 474.
fraxinus 147. 353. 443. 455. — *fr. utilis hastae* 141. 245.
frenare aliquid in aliquem locum 147. 355.
frendere 279.
frequens cum abl. 401.
frequentare 394.
frigus ignavum, *incrs* 68. 298.
fuga 407.
fugere 429.
fulgur 86.

fulmina apri 16. 271. 378. 412. — fulminis causa et origo 6. 206. 274. 416.
fumare 547.
fumus lacrimosus 348.
funale 490.
fundere 490. — *fusi capilli* 309.
fusilis ab Ovidio novatum 397.
Furiae 14. 124. 127. 164. 204. 327. 367. 368. Vid. *Erinnys*.
furor 528.
furta, clandestini amores 28. 54. 74. 113. 334.
furvus in rebus inferorum 164.
futuri singularis usus 164. 281. 454.

Galanthis 320. 322.
Galathea 514. 515.
Ganges 46. 106. 203. — Gangeticus 203.
Ganymedes 356. 403. 433.
Gargaphie 80.
gaudere cum accus. 247. — *gaudia ferre* 331.
gemellipara a Nasone novatum 188. Vid. *adjectiva*.
gemini, sidus 276.
gemitus 463. — *gemitus* ursorum 56.
gemma 335. — *gemma bibere* 286. Conf. VI, 488.
generi emuntur 257.
generosus Bacchus 138.
genialis 106. 323. 353. 395.
genitalia corpora 591.
genitivus 10. 87. 563. — genitivus exeundi sive causae 29. 152. 251. 289. — duo genitivi conjuncti 425.
gentile pro possessivo 230. 271.
Gerane 176.
Geryon 315. 577.
gestamen 586.
Gigantes 10. 154. 357.
gignere in femina 257.
glandes plumbeae in volatu liquescunt 573. Conf. 250.
Glauce 230. 481.
Glaucus 523. 526. 527. 560. — Glaucus piscator 221.
glomerare 277. 591.
Gnidos 377.
Gnosus 82. 235. — Gnosiacus 235. 262. 430.
Gorge 284.
Gorgo 68. — Gorgones 137.
Gortyne 250.
Gradivus 193.
Granicus 432.
gravis 21. 239. 375. 621.
grex pecorum 407.
gutta 34. 130. 161.
Gyaros 235. — Gyarus 151.
gyrus, orbis equitantium 184.

Habenae 606.
habere 6. 245. 321. 353. — *habere fidem* 342. — *habere* cum infinit. 339.
habilis 58.
hactenus 556. — *hactenus et* 251. 372. — *hactenus* interposito vocabulo 169.
Haedi, sidus 567.
Haemon 172. — Haemonia 26. 299. — Haemonius 40. 59. 61. 216. 414. 441.
Haemus 352. — Haemus, homo 176.
haerere 53. 107. 149. 240. 360. — *haerere*, hujus verbi constructio 107. 129.
Halcyon 431.
Halcyone 231. 414.
Hamadryades 32. 298. 562.
Hammon. Vid. Ammon.
Harmonia 79. 130.
harpe Mercurii 134.
Harpocrates 341.
Harpyiae 209. 512.
hasta 390.
haurire 327. 401. 497. 504. 580. — *haurire auribus* 544. — *h. cruorem* 110. 114. 219. 227. 491. 549. — *haurire cinerem* 284. — *haurire flammas* 274.
Hebe 326. 328.
Hebrus mons 392.
Hecate 54. 114. 139. 219. 549. — Hecateïus 212. 214. 530.
Hector 433. 441. 466. 469. 477. 499.
Hecuba 433. 494. 497. 500. 506. — Hecubae tumulus 504. — Hecuba et Hecube 496. 503.
hedera Musis sacra 155. — *hederarum* frondes apud bacchantes in usu 201.
Helena 436. 470. 565. 590.
Helenus 478. 491. 513. 603.
Heliades 35. 37. 42. 50. 51. 114. 353.
Helice 42. 266. 594.
Helicon 45. 151. 152. 170. 284.
Heliopolis 600.
heliotropium 116.
Helle 401. — Hellespontus 401.
hendiadys 75. 511. Conf. XII, 626.
Henna 158.
herba 70. 353. — herbarum usus in veneficio 108. 228. 231. 318. 320. 322. 326. 328. 528. 546.
Hercules 133. 178. 284. 304. 305. 308. 310. 311. 312. 314. 328. 349. 401. 402. 426. 465. 513. 577. 579. 590.
Herculea urbs 620.
Hermaphroditus 116.
heros 82. 273. 351.
Herse 66.
Hersilia 574.
Hesione 401. 402.
Hesperie 432. 434.
Hesperus 41. — Hesperius 47.
Hesperides 133. 315. 316. 396.

hiatus in quinto pede hexametri 46. 82. 128. 154. 168. 574. 604.
Hippocoon 273.
Hippodamas 287.
Hippodame 448.
Hippolyte 325.
Hippolytus 606. 609.
Hippomenes 379. 385.
Hipponoos 327.
Hippotades 532. 620.
Hippothoos 272.
hoc vel *eo* post *quo* omittitur 416.
hoedus lascivus 517. — Hoedi, sidus 567.
honestum est a fortiori vinci 304.
honos 296.
Hora dea 575.
Horae, deae 38. 41.
horridus 24.
hortari canes, equos 378. 441.
hortator remigum 99.
hortatus 84.
hospitus, inhospitus 100.
hujus et *ejus* in fine versiculi 137. 609.
humectare 339.
humilis 234.
humo et *humi* 110.
Hyacinthus 358. 360.
Hyades 98. 181. 489.
hyaenae natura 601.
Hyanteus 272.
Hyantius 80.
Hyllus 318. 320.
Hymen et Hymenaeus 23. 194. — facem in nuptiis fert 138.
Hymettus 246. — Hymettius 365.
Hypaepa 173.
Hypanis 593.
Hyperboreus 597.
Hyperion 286. 601. — Hyperione natus 113. — Hyperionis urbs 601.
hypermeter versus 106.
Hypermnestra 125. 132.
Hypsipyle 495.
Hyrie 229.

I 462.
Iacchus 106.
Ialysus 228.
Iapetus 7. 18.
Iapygia 552. 619. — Iapyx 552. 579 619.
Iasion 328.
Iason 209. 210. 225. 227. 230. 278.
Iberia, Iberum flumen 226. 577.
Icaros insula 268.
Icarus 265. — Icarium 329. — Icarius 373.
Icelus 427.
icere 336. — *ictus voce* 103.
ictus solis 81.
Ida mons Phrygiae 45. 557.
Idalia 566. — Idalium 566.
Idas 272.
Ide 491.
idem cum dativo 475. — *idem* pro *item, pariter* 131.
Idmon 172. 179.
Idomeneus 493.
ignarus 22. — *ignarus* passiv. 231.
ignavus aestus 238.
ignigena et *ignipes*, a Nasone novata 52. 106.
ignis 210.
Ilia 571. 572. — Iliades Romulus 571. 573.
Iliona 497.
Ilios et Ilium 434. 553. — Iliacus 434.
Ilithyia 320.
ille 72.
illidere 146.
Ilus 433.
imago 201.
imitari 266. 331. 519.
immeritus 150.
imminere 5. 10.
immittere habenas 15. — *immitti* 98. — *immissi capilli* 155.
immunis 105. 221.
impatiens 116.
impellere 75. 409. — *impulsus* 25.
impendere 487.
imperfecti conjunctivi usus 609.
impetus est 64. — *impete* pro *impetu* 77.
impietate pius 280.
implere odium 312.
impluere 27.
impubes genae 91.
impune 308.
in cum ablat. pro genit. 50. 384. 478. 490. 492. 542. — *in* cum accus. et abl. apud adjectiva 115. — *in dis est* 210. — *in*, quod attinet ad 33. 378. 432. — *in* finem declarat 248. — *in quantum* 394. — *in vices* et *per vices* 109.
Inachus 26. 27. — Inachides 35. 136. — Inachis 28. 341.
inaequalis auctumnus 9.
inambitiosus, a Nasone novatum 433.
inanis in manibus ac mortuis 128. — *inane munus* 50. — *inane vulnus* 77. — *inane* pro substant. 132. Vid. *immensum*.
inardescere 213.
Inarime et Aenaria 532.
inattenuatus, a Nasone novatum 301. Vid. *inambitiosus*.
incandescere 437.
incedere 195.
incendium 557.
incertus 338.
incessere 145. 504. 549.
incidere 333.

incingere 222. — *incinctus* 81.
incommendatus, a Nasone novatum 415.
incumbere 326. 384.
incursus 274. — *incursu* 420.
inde 203. 237.
indejectus, indetonsus, indevitatus, a Nasone novata I, 288. pag. 15. 61. 106. et *Addend.* ad p. 35.
indelebilis, a Nasone novatum 631.
India decolor 106. — *Indi dentes* 271. 399.
Indigetes 630.
indignus 29. 111. 387. — *indignum* 142.
indistrictus a Nasone novatum 442.
indotatus 242.
inducere 569. — *inductus* 28. 213.
induere in arbore dicitur 224.
indulgere animo 469.
indurare 393.
iners 585.
infectus 105.
inferiae 200. 281. 413. 436.
inferre 200. 437.
inficere 175.
infinit. pro gerundio 147. 353. 446. Vid. *adjectiva.*
infra quam 48.
infractus 203.
infusus 413.
ingenium 581.
inhaerere 414.
inhumatos Stygem transire non posse vetus opinio superstitionis credebat 124. 422.
iniicere manum 482.
injusta justa 62.
innabilis, a Nasone novatum 4.
innubere 448.
Ino 79. 86. 103. 123.
inobrutus, a Nasone novatum 228.
inquirere in aliquid 10. 440.
insanus 464. Vid. ad Her. I, 6.
inscribere 176. 334. 360. 584.
insequi 449.
inserere 474. 568.
insidere 363.
instabilis passive 4.
instruere se ira 503.
instrumentum 570.
Insula 622.
insultare 9.
intabescere 69. 573.
integer cum genitivo 329. Vid. *adjectiva.*
intendere 566. — *int. animum* 172.
inter praepositio postponitur 351.
intercipere 191. 271. 278. — *interceptus* 374.
interritus cum genit. 382. Vid. *adjectiva.*
interrogatio affirmativa 385. — interrogatio pro imperativo 119.
intonare 206.
intrare locum 236. 472.
intumescere 154.
intus 373.
invehi 80.
Invidia 68.
invidiosus 140. 163. 590.
Io 26. 31. 34. 58. 341.
Iolaus 272. 326. 329.
Iolcos 217.
Iole 310. 312. 320. 323.
Ionium 128.
Iphicles 326.
Iphidamia 178.
Iphigenia 436. 545.
Iphis 340.
Iphitides 487.
ipse suus 83. 90. 498.
ire 262. — *ire in amplexus* 404. — *ire per exempla* 123.
Iris 14. 126. 424. 532. 574.
irrorare 219.
Ischys 58. 61.
Isis 34. 341. 342.
Ismarus et Ismara, mons, 47. 338. 502. — Ismarius 47. 388. 366.
Ismenus 46. — Ismenius 46. — Ismenides 81. 104. 180.
Isse 178.
Ister 46.
Isthmus bimaris 193. 231.
it syllaba verbi in arsi ante vocalem producitur 8. 60. 118. 337. 349. 390. 498. 556. 580. Vid. *et* et syllaba.
Itys 194.
Iulus 506. 561.
Ixion 125. 272. 310. 311. 448. — Ixionides 286.
Jacere 279. 295. 318. 624.
jactare alas 71. 22. — *jactare brachia* 167. — *jactatae fores* 70.
jam cum plusquamperfecto, non sequente *cum* 513.
jamdudum 71. 122. 258. 305. 418. 498.
jamjam 539. Vid. *minus et minus.*
Janus 546. 571. — Janigena, a Nasone novatum 548.
Juba Cinyphius 623.
jubar 629.
jugalis 86.
jugum 41.
junctura 52.
jungere corpora 331. 374. — *junctus* 621. — *juncto volumine serpere* 131.
Juno 8. 28. 54. 86. 87. 112. 136. 155. 236. 238. 267. 305. 311. 326. 328. 423. 448. 504. 531. 559. 624. — Juno Lacinia 577. — Juno pronuba, Lucina 193. 320. 345. — Junoni pavo sacer 34.
Juno Averna, Proserpina, 163. 534.
Junonigena 112. Vid. *adjectiva.*

Jupiter 8. 53. 71. 74. 84. 87. 98. 117. 132. 138. 177. 178. 230. 235. 237. 243. 257. 259. 262. 288. 294. 310. 312. 314. 318. 327. 328. 329. 356. 361. 396. 402. 403. 477. 484. 532. 577. 580. 609. — Jovi tauri immolabantur 584. 138. — Jupiter, coelum, aër 52. 511.
jussus 20. 424.
justus 294.
juvenes 417.
juvenilis 99. — *juveniliter* 251.

Lebynthus 267.
Leda 177.
Lelex 286. 289. 272.
Leleges 254. 338. — Lelegeïa moenia 233.
Lemnos 490. 495. — Lemnius 113. — Lemnicola 68.
lentus 54. 175. 213. 256. 394. 354. 518. 569. 608.
leonis natura 386.
Lerna 28. — Lernaea hydra 308. 312.
Lesbos 482.
letare 76.
Lethaea 352.
Lethe 216. 425.
Leucas, Leucadia 594.
Leucippus 272.
Leucosia 629.
Leuconoë 112.
Leucothee 129.
Leucothoë 112. 114. 123.
levare 290. 322. — *levatus* 92.
levis 398.
lex 351.
libare 384.
Liber 95. 106. 170. 265. Vid. *Bacchus*.
Libera 106. 614.
liberare ensem vagina 199.
librare 4. 147.
Libye 46.
Lichas 310. 313. 317.
ligustro candidior 517.
Lilybaeum 156.
limbus 381.
Limyra 338.
lintea dare 200.
liquere 275. 610. — *liquefactus* 93.
liquidus 584. — *liquidae sorores* 33. — *liquidum coelum* 4.
labare 43.
labi 360. 528. 570. 587. 593. 618.
labyrinthus 263.
laborare 48. 488.
laborifer, a Nasone novatum 321. Vid. *adjectiva*.
lac 425. — *lacteus humor* 581.
lacerari 502.
lacertosus 391.
Lacinium promontorium 577. — Vid. *Juno*.
lacunare 286.
Ladon fl. 33. 596.
Laërtes 273. — Laërtius 479.
Laestrygones 540.
Laïades 249.
Lamus 540.
lancea 454.
Laomedon 401. 402. 433. 318.
Lapithae 448.
Lares 11.
lascivire 226.
lascivus 102.
Latiae arces 612.
Latialis 606.
Latinus rex 551. 552. 561.
Latona 180. 181. 188. 190. 507. — Latonia 284. 277. — Latonius 255. 401. — Latoïus et Letoius 401.
latrans pro substantivo 278. Vid. *tonans*.
laudatus 143. 343.
Laurentum 346.
laurus 26. 399. — *laurus* ante domos Romanorum 26. — *laurus* in triumphis 26. 576. — *laurus pacalis* 612. — *laurus* in sacris Apollinis 180. — laurum gestat Apollo 61.
Lausus 570.
Lavinia 551.
Lavinium 621. 619.
Learchus 123.
licebit 547.
Liriope 87. 88.
lis 191.
litare 536. 625.
litera 430.
Liternum 6 20
livere 186.
livor 363.
Locri 619.
longus 175. — *longum* pro *longe* 144. — *longe* 604. — *longi gradus* 241. — *longe sit* formula. — *longe esse* 418.
Lotis 323.
lotus 354. 324.
Lucifer 41. 133. 134. 395. 406. 423. — Lucifer evocat Auroram 133. — *equis vehitur* 588.
Lucina 154. 320. 321. 376.
luctari cum infinit. 608. 594. Vid. *pugnare*.
luctus signa apud vett. 50. 51. 61. 283. 550. Vid. *plangi* et *capilli*.
lucus 81.
ludere 90. 250.
lugubria 428.
Luna 214. 219. 373. 588. — Luna curru vehitur 44. 625. — *lunam veneficiis deducere* 457. — lunae defectus aeris tinnitu leniebatur 119. — luna plena veneficiis bona 218.
lupus miscetur cani 83.

luridus 116. 539. 569. 625. Vid. *caeruleus*.
lustrare 126. 168. 223. 561.
lustratio 371.
luteus 505.
lux 538. 568.
luxuriare 225.
luxuries 562.
Lyaeus 95. 106. 270. 393.
Lycaeus 13. 273.
Lycaon 11. 53. — Lycaonia 57.
Lyceum 66.
Lycormas 46.
Lyctus, Lyctius 235.
Lycurgus 106. 578.
Lycus 592.
lymphatus 389. 390.
lynces Bacchi currui juncti 107. 601.
Lyncestius 596.
Lynceus 125. 132. 272.
Lyncus 169. — Lyncides 139. 149.
Lyrceus 28.
Lyrnesus 442. 482.

Macareus 536.
Macedonia alteram syllabam producit et corripit 462. Vid. *nomina Graeca*.
Maeander, Maeandros 46. 192. 330.
Maenades 390.
Maenalus 13. 54. 167.
Maeonia 17. 47. — Maeonis 177. — Maeonius 98. 123.
Maera 228.
magicae artis superstitio apud veteres 218.
magna loqui 35. 306. — *magno* 281.
magnanimus 449.
Magnetis gens 414.
Maja 31. 408.
male 42. 93. 104. 120. 247. 282. 332. 336. 372. 376. 388. 397. 624. 599.
Maliacus sinus 404.
manare cum accus. 188.
manifestare 479.
Manto 180.
manus supinae 292.
marc oceani 223.
Mareoticus 346.
margo ripae 167.
Marmarica, Marmaridae 146.
marmor 251. — *marmoreus* 515. — *marmoreae palmae* 93.
Mars 75. 78. 79. 107. 112. 175. 193. 216. 273. 279. 572. — Martis tauri 214. — Mars, bellum 470. 488. 623. — Martius miles 572. — Mavors 254. — Mavortis populus 175. — Mavortius 279.
Marsyas 191. 192. 314.
mater turrita, Cybele 386.
maturus 320. 489. — *maturus* cum genit. et ablat. 289.
meare 580.
Medea 209. 212. 225. 226. 227. 230.
Medea Ovidii 209.
media aetas 462.
medicamen 179. 215.
medicatus 33.
meditatus passiv. 247. 333.
medius 517. — *medius* cum genit. 38. 159. 165. 169. 192. 358. — *medium* pro substant. 369. Vid. *profundum*.
Medon, Centaurus 453.
medulla 22.
Medusa 131. 150. 151. 178. — Medusae caput 131. 134. 138. 141. 150. — Medusaeus praepes, Pegasus 151.
Megaera 14. 124.
Megara 254. — Megaris 233.
Melampus 596.
Melantho 178.
Melas 46.
Meleager 269. 279. 313. — Meleagri sorores 313.
Melicerta 79. 123.
membrum 423.
Memnon 504. — Memnonides aves 504. 506.
memor 468. 554.
mendax 357.
Mendes 147.
Menelaus 470. 483. 493. 626.
Menoeceus 230.
mens 141.
mensa tripes 291. — *mensae secundae* 292. 309.
mensis in genit. plur. *mensum* 281.
mensura 599.
menta 291. 387.
Mentho 387.
mentior si vel *nisi* 57. — *mentitus* passive 154. 372.
Mercurius 31. 33. 65. 66. 113. 117. 272. 288. 289. 296. 408. 409. 481. 543. — Mercurii furta 65.
mergere 91. — *mergere* varie construitur 386. 435. — *mersae res* 19.
Meriones 493.
meritum 59. — pro culpa 282.
Merops 35. 44.
Messapius 556.
Messene 193. 466.
Mestra 295.
meta 354.
Methymna 393.
metiri 329.
metuit loqui 35. — *metuens* et *metuendus* cum genit. 17. 68.
meus, qui 485.
mi 315.

micare 306.
Midas 394. 395. 398. 400.
miles Phoebes 54.
Miletus 328. 329. 338.
Milo 590.
miluus trisyllabum 66.
Mimas 45.
Minerva 66. 67. 68. 69. 107. 143. 140. 138. 151. 172. 175. 176. 230. 269. 285. 299. 456. 496. 553. 554. — Minervae lypeus 140. 143. — Minerva pro *oliva* 292. — Minerva, promontorium 620.
minora verba 190.
Minos 232. 233. 254. 257. 259. 261. 263. 265. 329. 472. 607. — Minos I. et II. confunduntur 260.
Minotaurus 26 . 263.
minuere ligna 290.
minus et minus 431. Vid. *penitus*.
Mintha 387.
Minyae 10. 208. 209.
miraculum 101.
miscere alicui, aliqua et cum aliqua re 165.
Misenus 533.
miser 566.
Mithridates 623. — Mithridateus 623.
mitis 197. 376. 581. — *mitia alimenta* 48. 155. — *mitis* epitheton Cereris 178. 328.
mitra 564.
mittere corpus 256. — *mittere sibila* 75. 617. — *missus* 136.
Mnemonides 152
Mnemosyne 152. 178.
moderari 339. — *moderatus in aliquo* et *in aliquem* 115. — *moderantius* et *moderatius* 24.
moderamen 621
modulari aliquid 550.
moerere cum accus. 247.
moles 37 247 316. 576.
moliri 157. 402. 450.
molitor 272.
mollire lanam 53.
mollis 319.
moly 543.
momentum 113. 369. 407. 587.
monedula 235.
monile 355.
monopodia 291.
monosyllabum in fine hexametri 275.578.
monstrum 51. 64. 131. 225. 340.
Mopsopius 170. 193.
Mopsus 273 275. 461.
mordere 549. — *mordere* in fibula dicitur 273. — *mordere jaculum* 147. — *mordere arenas* 307.
moriri 540. — morientis spiritus ore excipiebatur 253.
Morpheus 414. 427.
mortalis 238.
mortes 421.
mos veterum sectos capillos in rogo ponendi 94.
movere 6. 289. 357. 363. 528. 585. — *movere citharam* 146. — *movere terram* 78. — *motae pennae* 22.
mulcere 300. 355.
Mulciber 36. 557. — Mulciber, ignis 319.
mundus triplex 438.
Munichia 66.
Munichus 513.
munus 304. 489.
murex 17. 172.
Musae 151. 152. 153.
mustelae natura 323.
mutare cum abl. 122. 309. 362. 414. 432. Vid. *vertere*.
Mutina 627.
Mycale 45.
Myconos 234.
Mygdonia, Mygdones, Mygdonides 46. 174.
Myleus 511.
myrica 354.
Myrmidones 237. 240.
Myrrha 366. 375. 376. 600.
myrrha 97. 12 . 143. 357. 375.
myrtetum 404. 323.
myrtus 245. 354.
Myscelus 577.

Nabataea regna 6.
Naïdes 30.
nam facit transitum 531.
Nar 545.
Narcissus 87. 90.
nardus 600.
narrare aliquem 568.
Naryx, Narycius 272. 553. — Narycia 620.
Nasamones 147
natare 144. 444.
nativus 81.
naturalis 343.
natus ad 45. 165. 479. — *in* 533. 583. cum dativo 314.
navifragus 527.
Naxus 100. 263. 265.
ne in interrogatione 385.
Neaethus 579.
nec 8. — singularis hujus particulae usus 406. — *nec* post *ne* apud imperat. 79. — *nec* pro *nec tamen* 345. — *nec-et* 305. 337. 574.
negare 367.
negatio ad plura verba pertinet 93.
neglecti capilli 53.

Neleus. Nelidae 193. 466.
Nemeaeus leo 316.
Nemesis 90. 566.
nempe 56. 64. 113. 211. 212. 332. 478. 483. 492. 516.
nemus 385.
Neoptolemus 495. 498. 513.
Nephele 401.
Neptunus 15. 135. 175. 178. 208. 228. 232. 233. 287. 401. 402. 438. 465. 468. 558. 571. — Neptunius heros 304.
Neretum 579.
Nereus 12. 47. 245. 276. 403. 437. 515. — Nereïdes 16. 404. 523. 542.
Neritus 512. 536.
nervi 275.
nescio quis 22. 520.
Nessus 310. 453.
Nestor 65. 273. 445. 446. 465. 476.
neutrum adject. pro adverbio 342. — pro substantivo 132. Vid. *vacuum, inane, profundum.*
neve 553.
nigra victima inferorum 222.
nihil agere 206. — *nihil vivum* 188. — *nihil* posteriorem in arsi ante vocalem producit 244. Vid. *syllaba.*
Nili fontes veteribus incogniti 47. — Nili VII ostia 20. 47. 154. 623. — Nilus papyrifer 623. — *Niligena*, a Nasone novatum 35. Vid. *adjectiva.*
Ninus 109.
Niobe 125. 180. 289.
Nisa 106.
nisi quod 55. 254. 262. 500. 522. 571.
nitere 319. 588.
niti 322. 376.
nitidus 7. 307. 520.
nixus pares 321.
nobilis 517.
nomen Pelasgum 470. — nomina urbium in *um* exeuntia neutrius et fem. gen. 530. — nominum Graecorum varia quantitas 167. 172. 275. 266. 462. 621. Conf. p. 94. et XIII, 607.
Nomia 116.
Nominativus apud *nomen* 11. 582.
non est 93. — *non sum, si...* 85. — *non secus quam* 67.
Nonacria 278.
Nonacrina 32. 53.
Noricum 567. — *Noricus ensis* 567.
nota 200. 390.
notare 24. 100. 319. 333. 390. 517. — *notare visu, oculis* 616. 627.
notus 15.
novare naturam 265.
nox 196. 204.
nubigena, a Nasone novatum 466.
nubilus 163.
nudus 481. — *nudi capilli* 116. — *nudus* cum genit. 464. Vid. *adjectiva.*
nullus 293. — *nullus sum* 293. 344. 424. 461. — *nullum* neutrum pro *nulla res* 591. 610.
Numa 576. 579. 606.
numen 20. 298.
numeri, membra 21.
Numicius 545. 560.
Numidae 623.
Numitor 570.
nurus 389. 390.
nutrix 85. 370.
Nycteleus 106.
Nyctimene 58. 61.
Nysa mons 87. — Nyseus 87. 106. — Nysaeae et Nysaeïdes nymphae 84. 87.

O in verbis corripitur 248. 257. 502.
obambulare et *ambulare locum* 538.
obducere 466.
obex 571.
obliquare 231.
obliquus ictus 274. — *obl. oculus* 69. — *obl. ripae* 5.
obortus 18. 43. 502.
obscurus 174.
obvertere remos lateri 418.
occidere ab aliquo 505.
occiduus 590.
occupare 277. 456.
Occanus 114. 332.
Ocyrhoë 62.
odorare aliquid 622.
Odrysius 196. 503.
Oeagrius 45.
Oebalius 494. — Oebalides 360.
Oechalia 312.
Oeclides 273.
Oedipus 273. 327. — Oedipodionius 602.
Oeneus 269. 270. 284. 304. 305. 553. — Oenides 19. 556.
Oenoë 176. 177.
Oenone 228.
Oenopia 235.
Oenotropae 508.
Oete et Oeta 45. 310. 314. 319.
offensio pedis omen 373.
officium 618.
olea Minervae sacra 189.
Olearus 235.
Olenus 98. 270. 352. — *Olenia capella* 98.
olim 55. 420. 550.
olivae usus 359. — oliva signum supplicis 236.
olor Apollini sacer 551. — ol. morientes canere dicuntur 550. Vid. *cygnus.*
olus 178.
Olympias V annorum 545.
Olympus 10. 220. — Olympus homo 191.

omina 242. 346. 364. 373.
omnifer, a Nasone novatum 47. Vid. *adjectiva*.
Onchestus et Onchestius 381.
operatus 248. 302.
operosus 4. 528. 616.
opes 570.
Ophias 229.
Ophiusia 362.
Opis 332.
opus 37.
oratio poetis solemnis rem summae gravitatis narraturis 283.
orator 484.
orbis 173. 259. — *orbis* sive *gyrus* equitantium 184. 462. — *orbes oculorum* 67.
orbus cum genit. et ablat. 505.
Orchomenus 105. 167. 193.
Orestes 545.
origo 9.
Orion 266. 489.
Orion Thebanus 511.
Orithyia 205. 246.
Orontes 46.
Orpheus 348. 353. 356. 389. 390. 393. — Orpheus in accus. *Orphea* 145.
Ortygia 32. 159. 163. 597.
osculum 500. — *oscula sororia* 119.
Osiris 341.
Ossa 10. 220. 454.
Othrys 45. 228. 446.
ova in coena Rom. 292.
Ovidius repetitiones amat. Vid. *repetitio*. — verba novavit. Vid. *adjectiva*. Ovidius amat verba in *men* exeuntia 441. Vid. *acumina*. — Ovidii formula dicendi 284. — Conf. p. 22. — Graecae formae nomina apud Ovidium 510.
oxymoron 62. 227.

Pabulum 530.
pacalis, a Nasone novatum 177. 612.
pacare 231.
Pachynus 156.
paciscor 136. 402.
Pactolus 173. 394. 397.
Paean 567, 609.
paenultima tertiae personae pluralis perfect. activi corripitur 202. — paenultima secundae personae plur. perf. conjunctivi producitur 190.
Paeon, Paeonius 609.
Paestum 620.
Pagasae 209. — Pagasaeus 459.
Palaemon 123. 129. 524.
Palaestini 108.
palaestra nitida 185.
Palamedes 474.
Palatinus 11.
Pales, Palilia 570.
Palici, Palica 159.
Palinurus 532.
palla 399.
Pallantias 328.
Pallas, vir 236.
Pallas, Minerva 157. 445. 456. 467. 478. — Palladiae Athenae, arces 230. 247. — Palladium 457. 478. 493. — *Pallas* pro oleo olivae 292.
Pallantis 619.
Pallene Hyperborea 597.
pallere 19. 114.
Pan, Panes 32. 66. 556. 563.
Panchaïa 366. — Panchaeus 374.
Pandion 192. 193. 254. — Pandionius 602.
Panomphaeus 402.
Panope 75.
papaver 425. — *papavera Lethaea* 216.
Paphos 377. — Paphius heros 365.
papilionis natura 599.
papyrus 623.
Paraetonium 346.
Parcae 63. 164. 279. — Parcae veteres 625.
parcere 580.
parens et *pater* de dis 579.
parentalis 506.
Paris 228. 369. 436. 626.
pariter pariterque 387. Vid. *penitus penitusque*.
Parnasus 16. 45. 75.
Paros 91. 267. — Parium marmor 91.
Parrhasius 53. 273. — Parrhasis 55.
pars animae 277.
Parthaon, Parthaonius 284. 305.
Parthenium nemus 315.
Parthenope 533. 620.
participia cumulata 317. — participium pro pronomine demonstrativo, ut *secuit, sectumque* 5. 20. 55. 118. 158. 201. 217. 223. 280. 291. 308. 316. 467. 492. 497. 525. 530.
particulae eleganter repetuntur 267.
parum 124.
parvus 290. 294. 401. 439.
Pasiphaë 114. 261. 344. 607.
Patara 24.
patere 137. 375.
paterna potestas 341.
pati 344.
Patrae 193.
Patroclus 469. 488.
pavo Junoni sacer 34. 599.
pectine 352. — pectinatim 322.
pectus 352. 489. 491.
Pegasus 140. 151. 178.
Pelagon 275.
Pelasgi 211. 216. 436. 558.

Pelates 451.
Pelethronium, Pelethronius 461.
Peleus 272. 403. 404. 406. 411. 413. 414. 447. 474. 481.
Peliaca cuspis 441.
Pelias 209. 225. 227.
Pelion 10. 220. 228. 446. 464. 479.
Pella, Pellaeus 153. 451.
pellere 349. — *pellere aliquo loco* 49.
pellex 368.
Pelops 125. 192. 289. — Pelopeïades 192.
Pelorus 156. 620.
penates 4. — penatiger, a Nasone novatum 604.
pendere 240. 411. 404. 518.
Penelope 273. 501.
Peneos et Peneus 22. 27. 46. 144. 221.
penetrale 578.
Penthesilea 470.
Pentheus 79. 94.
per 21. — *per crimen* 363. — *per si quid* 253. — *per herbas* 292. — *per inane*, *per inania*, *per immensum* 57. 132. 136. 317. — *per vices* 51. — *per gradus* 107. — *per* ab accus. suo secernitur 350. Conf. Met. XV, 688.
peragere 588.
perarare 335. — *perarare rugis* 533.
percensere 50.
percutere citharam 155. — *percussus* 22.
Perdix 265. 268.
perdix avis 269.
perfectum pluralis activi paenultimam corripit 351. — perfectum infinit. pro praesenti 150.
perficere annos 627.
Pergama 468. 482. 603.
Pergus 158.
Perimele 287.
Periphas 230.
Periphetis 233.
permittere 571. 352.
perpeti 553.
perpetuus 433. 608. — *perpetuum carmen* 3. — *perpetuum cornu* 64.
Perrhaebus 446.
Perse 114.
Perseïs 212.
Persephone 349.
Perseus 131. 132. 134. 136. 138. 141. 150. — Perseus Atlantiades 147.
perstare 587.
pervenire cum accus. 462.
pervidere 548.
petere amplexum 202. — *petere* cum infinit. 278.
Peucetius 556.
Phaeacia 559. — Phaeaces 513.
Phaedra 607.
Phaestus 340.
Phaëthon 37.
Phaëthusa 50.
Phalantus 579.
pharetra 157.
Pharos 346. 594.
Pharsalia 627.
Phasis 46. 209. — Phasias, Medea 225.
Phegeus 327.
Phene 230.
Pheneos, urbs 596.
Pheretiades 272.
Philammon 409.
Philemon 288.
Philoctetes 318. 475.
Philomele 205. 192.
Philyra 228. 179. — Philyreïus 228 — Philyreïus heros, Chiron 64.
Phineus 141. 209.
Phlegethon 165. — Phlegethontis 609.
Phlegra 357.
Phlegyae 415.
Phobetor 427.
Phocaea 172.
Phocaïca tellus 60.
Phocis 16. — Phoceus 411.
Phocus 245. 404. 406. 414. 481.
Phoebus 4. 17. 41. 114. 178. 614. — Phoebe 4. 23. 438. — *Phoebes miles* 54.
Phoenicia 71.
Phoenix 272.
phoenix, avis 600.
Pholus 315.
Phorcides 137. 139.
Phorcynis 137. 150.
Phormiae 621.
Phoronis 31. 58.
Phrixus 209. 401.
Phrygia 402. 497. 558. — Phryges 440. — Phrygius 357. 603. — Phrygia vestis 181. — Phrygius cantus 399.
Phthia 481.
Phyllius 229.
Phyllus, Phylleus 462.
picae loquentes 153.
picea 339. — *picea caligo* 15.
pictus 54. 97. 101. 107. — *picta carina* 100. — *pictus pavo* 58. — *picta pharetra* 118.
Picus 544. 546. 549.
Pierides 153. 170.
piger 26.
pignerari 242.
pignus 202 236.
pila 364.
Pindus 27. 220.
pinguis 398. — *pingues lampades* 122.
pinnae 605.

pinus 44.
Piraeus 194.
Pirene 46. 230. — Pirenis 230.
Pirithous 272. 277. 286. 448.
Pisa 163.
piscis, sidus 352. 358.
Pitane 228.
Pithecusae 531. 532.
Pittheus 193. 231. 289. 594. 608.
placare jejunia 582.
plangere terram 79. 443. — *plangi* in luctu ac dolore 170. 283. 430. 550. 626. — *plangorem dare* 279. 550. — *plangere mortuum* 129.
plangor 136.
platanus grata Romanis 517.
plaudere 268. 555.
plaustrum, sidus 43.
plebs deorum 11.
plectrum 357. 400.
Pleïades 31. 98. 489.
Plemmyrium 619.
plenus 374. 401. 605.
Pleuron 229. 270. 554.
Plexippus 269. 272.
plumbum, glans plumbea 136.
pluralis dignitatis 116. 287. 411. 413. 612. — pluralis et singul. ejusdem verbi juxta positi 443. — pluralis ubi singularem ex nostra dicendi consuetudine exspectes 549.
plurimus 287. 337. 397. 423. 530. 547.
plus pro *magis* 468.
plusquamperfecti conjunctivi usus 142. — plusquamperf. sequente particula *cum* 505.
Pluto 8. 155. 156. 157. 222.
pluvium aurum 132.
Poeas 318. — Poeantius 318. — Poeantiades 490.
poetarum ratio duritiam hominis declarandi 337.
polenta 161.
Polites 541.
Pollux 271. 276.
Polycrates 580.
Polydamas 466.
Polydectes 150.
Polydorus 495. 497.
Polymestor 495. 497. 503.
Polynices 327.
Polypemon 231. 233.
Polyphemus 514. 516. 521.
polypus primam producit 120.
Polyxena 494. 497. 498.
Pomona 561.
pondus 321.
ponere 562. 572. — *ponere crines* 53. — *ponere in arcto* 341. — *ponere* cum simplici ablativo 293. — *positus* 35. 503. — *posita querela* 115. — *positis ambagibus* 349. — *ponere* et *componere capillos* 23.
populabilis, a Nasone novatum 319.
popularis 392.
populeae frondes in Herculis sacris 180.
porrigere 114. 622.
portentificus, a Nasone novatum 530.
posci 42. 116. 250.
positor, a Nasone novatum 329.
posse 350. 467. — singularis hujus verbi usus 56. 357. 400. 533. — *posses* an in *possis* in generalibus sententiis 122. 273.
possidere 67.
potens 296. 368. 396. 472. — *potens* cum genit. 128. 322.
potiri 438. 601. — *potiri* cum accus. 345. — *potitur* tertiae conjug. sive paenultima brevi 217. 307. 322. 403. 410. 421. 480. 514. — *poterentur* 563.
prae in compositis ante vocalem corripitur 215.
praebere 442.
praeceps 102. — *ex praecipiti* 493.
praecipitare viam 83. Vid. *ire*.
praecontrectare, a Nasone novatum 196. Vid. *verba* et *adjectiva*.
praecordia mentis 398.
praeda 83.
praedelassare, a Nasone novatum 431.
praemonitus 626.
praepositio, a nomine suo secernitur. Vid. *per*. Virg. Ecl. VI. *ipsis ex vincula sertis*. — Praepositio inter nomen et genit., qui ab eo pendet 5. — Conf. XI, 228. — Praep. priori loco omittitur 246. 443.
praeripere 409.
praesens pro futuro 154. 248.
praesens 100. 614.
praesentia, vis, potestas 132.
praesignis 449.
praestare 432.
praestringere 375.
praestruere 572.
praetendere 407. — *praetendere venabulum* 274.
praetentare 336. 538.
praeter 148.
praevertere 64.
praevitiare, a Nasone novatum 530. — Vid. *verba* et *adjectiva*.
Praxithea 229.
precarius 309.
preces ignavae et *armatae* 258. — *preces hostiles* 608.
premere 40. 42. 54. 72. 147. 167. 321. 324. 379. 423. 550. 562. 571. 573. — *premere*, includere, coërcere 5. 133. — *premere* de sedente 37.

9. — *premere vocem* 346. — *pressus* 274. 598.
prensare 496.
pressare 605.
pretium 176.
Priamus 433. 436. 469. 495. 499. 501. 505.
Priapus 324. 563.
prima via 39. Conf. Met. II, 871.
pro 87.
probari, constructio 40.
Proca 562.
Prochyte 532.
Procne 192.
Procris 244.
Procrustes 233.
procumbere 505. — *procumb. terrae* 50.
prodigiosus 343.
Proetus 150. 722.
profundum pro substant. 47. 160. 401. Vid. *inane*.
Progne 205. — Progne priorem syll. corripit 196.
Prometheus 7. 18. — Promethides 19.
promontorium quadrisyllabum 620.
pronomen in accus. cum infinit. omittitur 249. — pron. relat. in neutro ponitur, non ad nomen antecedens refertur 397.
pronuba Juno 193.
pronus 335. 378. 384.
properare 623.
Propoetides 361.
prosecta 445. 584.
prosequi 510.
Proserpina 155. 161. 165. 178. 214. 222. 272. Vid. *Persephone*.
prosiluit an *prosiliit?* 204.
prospiciens Venus 569.
Protesilaus 440.
Proteus 37. 295. 403. 524.
proturbare 77.
proximitas 368. 481.
prudens 89.
Psamathe 245. 411.
Psophis 167.
pudor 9. 60. 400.
puer et *puera* 158.
pugnare cum dat. 4. — *pugnare* cum infinit 32. 71. 156. 250. 430. Vid. *luctari*. — *pugnare in rem* 248.
pullum pro substant. 392. Vid. *cani*.
pulsare 144. — *pulsatus voce* 103.
pulveris usus in lucta 306.
pulvinar 573.
pumex 80.
punica 388. — *puniceum malum* 164.
purpura Tyria nobilissima 96. 143. 183. 175. 361.
puto posteriorem corripit 60. 415.
putris 241.
Pygmaei 172. 176. 177.
Pygmalion 363.
Pylades 545.
Pylos 65. 193. — Pylius 276. 465. — Pylii anni 628.
Pyramus 108.
Pyreneus 152.
pyropus 37.
Pyrrha 18. 19.
Pyrrhus 481.
Python, Pythia 20.
Pythagorae doctrina de migratione animorum 586. 579. 604.

Qua 40. 275. — *quae nostra patientia est*, formula 157.
quadrijugi 43.
quaerere 46. 172. 433. 481.
qualiscunque 407.
qualus 406.
quam-tam 114. 449. 582.
quamlibet 355.
quamvis cum indicativo 32. 43. 69. 166. 172. 196. 403. 454. 499.
quandocunque 199.
quanquam cum conjunctivo 553.
quantum 109. 334. — *quantum est* 604.
quatere 580. — *quassus* 600.
quatuor priorem syllabam producit 437.
que in arsi producitur 12. 162. 391. — singularis hujus particulae positio 356. 473. 495. 501. 521. 529. 572.
queri 392. — *queri cum aliquo* 387.
querna corona supra Augusti domus portam suspensa 26.
quicquid cum indicativo 370. — *quid animi* 18. 537. — *quid* et *quod* 369. — *quid*, *quod* 566. — *quod* 135. — *quod licet* 216.
quin 199. 344.
Quirinus 561. 630. — Quirini populus 611. — Quirinus, adjectivum 574. Vid. *Augustus*.
Quiris post Hor. Naso frequentavit. Vid. XIV, 823. Trist. II, 569. Pont. II, 2, 77. Amor. III, 14, 9. I, 7, 29.
quisquis es 65.
quo 478.
quodcunque cum conjunctivo 371.
quondam 265. 314.
quotus 237.

Radere 384.
radix 292.
ramosus 242.
ranae 599.
rapere 137. 225. 419. 517. — *rapere incendia* 597.
rarus 308. — *rarescere* 591.
raucus 167. 171.

re syllaba in verbis compositis producitur 126. 183. 247. 487.
rebellare 309.
recalfacere 279.
recedere 287. 417. 595.
recens 39. 610.
recessus 11. 17. 386. 424. 523. 542.
recidere 349.
recingi 128.
recipere loco et *in locum* 58. 147. — *recipere se* 152.
reddere 178. — *reddi* 248. — *reddere voces* de Echo 88.
redimiculum 364.
redit itque 53.
redolere et *olere aliquid* 581.
refelli 35.
referire 119.
referre 11. 84. 196. 423. 577. 604.
reformare 405. — *reformatus* 326.
refugus, a Nasone novatum 350.
regaliter 52.
regimen 98.
regnare active 289.
rejicere primam producit 60. 565. Vid. *re*.
relegere 264.
relinquere 609.
remittere 28. 367. — *remissus* 87.
remollire 117.
remorari 385.
removere mensam 510.
Remus 570.
renidere 266.
repagula 42. 146.
repellere tellurem 69. Vid. *recedere*.
repercuti 119.
repetere 41. 196. 337. — *repetitus* 137.
repetitio 17. 18. 28. 29. 53. 54. 129. 133. 149. 157. 166. 173. 193. 234. 246. 247. 289. 299. 331. 354. 373. 445. 446. 450. 505. 516. 559. 572.
reprensus 609.
repurgare 153.
rescindere 65. 466. 571.
reseminare 600.
resequi 174. 302.
residere 213. 214. 309.
resolvere 549.
responsum 87. 95.
restare 99. 231.
resumere 307.
resupinus 186. 608.
rete et *linum* 250.
retegere diem 254.
retentare 146.
retexere 238. 350. 591.
retractare 130. 247. 369.
revelli et *revulsi* 287.
revirescere 225.
revolvi 367.
Rhadamanthus 329. 472.
Rhamnusia 90. — Rhamnusis 566.
Rhea 332.
Rhegium 527.
Rhesus 478.
Rhodope 172. 201. — Rhodopeïus 349. 351.
Rhodos 114.
Rhodus 228.
Rhoeteum 401.
Rhoetus 142. 452.
rigidus 571.
robur 243.
Romanorum mores in Tartarum translati 124.
Romechium 619.
Romulus 570. 610. 611.
rorare 102. 162.
ros maris 459.
rota 21.
rumpere aëra 185. — *rumpere moras* 612.
ruricola, *colonus* 584.
rus honoratum 613.
rusticus 166.

Sabaea terra 375.
Sabini 571.
sacrificus 505.
saevus in aliquo 115. 129.
sagittae pennis instructae 185.
sagittarius, sidus 44.
sagax cum infinitivo 147. Vid. *infinitivus*.
Salamis 569.
salicta cana 167.
salire 191. 557.
Salmacis 116. 596.
salutifer 63.
Same 512.
Samos Junonia 267.
sanctus 400. 628.
sanies 227.
Sardes 397.
Sarpedon 487.
satiatus cum genit. 351. Vid. *genitivus*.
satis consilium habere 80.
saturare 399.
Saturnus 8. 157. 179. 332. — Saturnius 11. 159. 294. — Saturnia 54. 85. 155. 314.
Satyri 11. 12. 32. 107. 150. 394. 563.
Scaurus Ovidium immerito vituperat 501.
scilicet 56. 79. 100. 142. 249. 623. 581.
scindere et *findere* 43.
Sciron 233.
scorpius, sidus 44.
scrobes pro aris in sacris deorum inferorum 222.
Scylacea littora 619.
Scylla 212. 254. 512. 514. 515 523. 531.

Scyron 231.
Scyros 481. 482.
Scythia 45. — Scythicus 169. 231.
secare 5.
securus 318. 554. — *securus* cum genit. 179. 448. Vid. *adjectiva*.
sed omittitur 503. — *sed* repetitur 142. 163. 202. — *sed enim* 390.
sedere 77. 597.
seditio 328.
seductus 89. 132. 523.
Semele 79. 84. 123. — Semeleïa proles 155.
semicremus, a Nasone novatum 453.
semifer 62. 459.
semina rerum 3.
Semiramis 108.
senilis 290.
sentire 440. 443. 521. 627.
septem triones 6. 58.
septemplex Nilus 149. — *septemfluus N.*, a Nasone novatum 20.
sepulcrum inane 200.
sequi 211. 336. 344. 410.
serpens masculinum 21. — *serpentis natura* 319. — *serpentis lingua duplex* et *triplex* 75. 127. 216. 308. — *serpentibus furorem addit calor* 43. — *serpentes pennati* 221. 222. — *serpens*, sidus 43.
sertorum usus 138.
servare 168. 445.
Seryphus 151.
sessilis 459.
si 115. 199. — *si modo* 50. 85. 458. — *si semel* 478.
Sibylla 533. 620. — Sibyllae aetas in proverbium abiit 535.
sic 302.
Sicania 514. — Sicania alteram syll. corripit 161. Vid. *nomina Graeca*. — Sicani 161.
Sicilia 594.
sicut erat 81. 204. 167. 295. Vid. *ut erat*.
sidereus 189. — *siderea lux* 36. 112.
Sidon 143. 531. — *Sidonia*, Thebana 129. — Sidonis 531. — Sidonis terra 71.
sidus 321. — *sidera*, oculi 599.
Sigeum 401. 440. 472.
signare saxum 40. 284.
signum 71. 78. 200. — *signa coelestia* 38. 40. — signa coelestia animantes finguntur 7.
silentes 156. 474. 624.
Silenus 107. 395. — Silenus et Satyri obscoeni 96.
silex masculinum 318. 337.
Silvanus 12. 563.
Simois 491.
simplex 164.
simul 245.
sincerus 12. 234. 292. 442.
sine cum abl. pro adjectivo 4. 282.
sinere 604.
singultare animam 147.
Sinis 233.
Sinuessa 620.
sinus 167. 618
Sipylus 180. 188.
Sirenes 165. 532.
sistere modum 606.
sistrum 341.
Sisyphus 125. 474.
Sithon 116. 117. 234. — Sithoniae 201. — Sithonius 201. 504.
situs 225. 299.
Smilax 117.
Smintheus 468.
soceri de socero et socru 39.
socialis 548.
Sol 4. 112. 529. — Solis equi 42. — Sol vesperi in mare descendere a poetis dicitur 110.
solatium mortis a magno viro cadere 149.
solidus 133. 218. 696.
soliloquium 84.
sollicitare 195. — *sollicitare lyram* 400.
sollicitus 552.
solus 56.
solvere 294. 299. 328. 369. 397. 426. — *solvere munere* 395. — *solvere nexus brachiorum* 307. — *solvere ora* 12. — *solvere capillos* 429. 505.
Somnus alatus 300.
sonabilis, a Nasone novatum 347.
sonare aliquid 201. 306. 622. — *sonare* cum neutro pro adverb. 613.
soror pro soror patruelis 18. Vid. *frater*.
sors 18. 79. 205. 340. 379. 414. 483. 614. 615. — *sors*, sexus 87. — *sospes ab* 371.
spargere 44. 409. 469. — *spargere* cum abl. 300. — *spargere* cum *in* et abl. — *sparsi capilli, comae* 163. 260. — *sparsi* et *passi capilli* 128. 223. — *spargi* et *aspergi canis* 286.
spatiosus cornibus 75. Vid. *spissus*.
spectaculum 384.
Spercheus 27. 145. — Sperchcïades 145.
Sphinx 249.
spicea serta Veneri oblata 372.
spissus 621.
spolium sceleris 259. — *spolia* 481.
spondeus in quinto pede hexametri 4. 5. 6. 34. 45. 53. 82. 101. 128. 134. 148. 152. 179. 185. 205. 214. 240. 243. 246. 283. 408. 449. 465. 495. 547. 550. 574. 596. 598. 604.
spumiger 392.

...ri ad plur. 325. —
...ico ad praesens 616.
...itivo 68. Vid. *ad-*
...um praesentiae deo-
...ne novatum 17.
...*dentiger*, a Nasone no-
...2. Vid. *adjectiva*.
...e 201. 338.
...n. 162.
...373.
... — Triopeïus 296.
...is 468. 469.
... 169. 170.
...es 72.
...7. 524. — Tritonia et Tri-
... 79. 152. 172. 285. — Tri-
...91. — *Tritonis urbs*, Athe-
...9.
...cus 598.
...
...*os Romanus* 26.
...7.
... 193. 594. — Troezen Pitthea
...
... 401. 402. — Troja perjura 402.
... — adversus Trojam quot Grae-
...um naves sint profectae 436. —
...oja nova 513.
...*are olus* 290.
... 96.
...*lus* 22. 277. 623.
...*a supplex* 8.
...*us* 551.
...*rrita mater*, Cybele 386.
...*cus* 99. 532. — Tuscum flumen 561.
...*ana* 295.
...*deus* 553. — Tydides 470. 476. 492. 624.
...*ymolus* 394.
...*mpana* 96. 390. 462. 107. — tympana in sacris Bacchi 121.
...*ndareus* 177. — Tyndaridae 271. — Tyndaris 590.
...*phocus* 154. 156.
...*phon* 341.
...*ros* 96. 143. 594. — Tyrius 175. 324.
...*rrhenus* 610.

...*lixes* 468. 472. 474. 475. 478. 479. 481. 484. 485. 486. 497. 531. 536. 537. 540. — Ulixei 536.
...*morum usus* 354.

ululatus 549. — ululatus bacchantium 95. 103. — *ululatus* in veneficio 219.
ulva 291.
unctionis apud veteres usus 359.
ungere 376.
Urania 151.
urere et *adurere* 569. — *uri in aliquo* 210. Vid. *ardere*.
urgere 125.
urna 579.
ursa 599.
Ursa, sidus 58. 76.
usque adeo 233.
usus 173. 365.
ut 119. 537. — *ut* ex antecedente *ncu* vel *ne* repetendum 529. — *ut erat* cum adject. 47. 126. 184. 289. 311. 437. 472. Vid. *sicut*. — *ut non-sic* 555. — *ut-sic* 18.
uti in aliquo et *in aliquem* 443. 21.
utiliter 617.
utinam in protasi 96. 565.
utroque 569.

Vacare cum infinit. 504.
vacuus 87. 107. 574.
valere 477. — *valē valē* 94.
vapor 21. 80. 356.
varius 178.
varus 306.
vates 392.
vaticinantes furore divino corripi dicebantur 63
velare 19. 52. 348. 407. — *velari* 235.
velle cum infinit. pro imperativo 52. — singularis verbi *velle* usus 356.
vellus aureum 208. 209.
velum 381. — *velum theatri* 158.
vena 9.
venerandus cum genit. 68. Vid. *adjectiva*.
venia 350. — *veniam dare* 19.
Venilia 546.
venire in partem 278. 239.
venti fulminum et tonitruum causa 206. 416. Vid. *fulmen*. — ventorum fulvae pennae 207. - *ventis ferri* dicuntur, quae irrita fiunt 262.
Venulus 552. 556.
Venus 112. 113. 117. 128. 129. 328. 362. 376. 377. 387. 506. 510. 554. 559. 566. 569. 571. 624. 626.
verba excusantia 317. — *v. minora* 180. 190. — *verba precantia* 56. 318. — *v. puerpera* 376. — verba a Nasone novata 196. 329. 431. 530. 551. Vid. *adjectiva*. — verborum quartae conj. futurum in *ibor* pro *iar* 60. — verba motum significantia in modo agendi pro reciproco 165. — verba motum signifi-

Telamon 272. 401. 402. 403. 404. 473. 474. 481. 483.
Telchines 226.
Telemus 516.
Telephus 443. 482.
Telethusa 346.
Telmessis vulpes 244. 249.
temerare 61. 338. 386.
Temese et Temesaea aera 220. 579. 580.
Tempe 26. 220. 229.
temperare 36. 112. 354.
Templum Apollinis Palatini 630.
tempus de capitis parte singulariter 146.
tendere iter 59.
Te[illegible]. 443. 482.
[illegible]
tenere 71. 280. 333. 415. 457. 472. 484. 512. — *tenere cursum* 483. — *tenere cursum* 42. 102. — *tenere notam* 33.
tentare 349. 363. 607.
tentare in aliquid 610.
teper 70.
Tereus 192.
terra-ponderibus suis librata 4. — Terrae filii, Gigantes 10. — terra ex mente Stoicorum animal 597. — *terrenus*, infernalis 222.
terror 38.
Tethys 39. 57. 58. 114. 332. 525.
Teucer 401. 481. 510. 512. 566. — Teucri, Trojani 514. 531.
texere flores. — Veteres in texendo stabant 116. 175. — *textum* 290. 557. — *texere* et *texta* de navibus 421.
Thaumantias 126.
theatrum 390.
Thebae 74. 327. 511. — Thebae Troadis 442. 482.
Themis 17. 38. 133. 249. 326.
Theophane 178. 208.
Therapnaeus 358.
Thermodon 46. 315. 470.
Thersites 485.
Theseus 193. 230. 231. 232. 233. 263. 272. 285. 304. 449. — Theseïus heros 606.
Thesmophoria 372.
Thespiae 154. — Thespiades 154.
Thestiadae 279.
Thestor et Thestorides 437.
Thetis 12. 39. 403. 411. 447. 482. 487. 489.
Thisbe et Thisbaeae columbae 408.
Thoas 493. 495.
Thraces libidinosi 195. — Threïcius 390. — Thracia Haemonia dicta 26.
Thurii 579.
Thyesteae mensae 604.
Thyoneus 106. 228.
thyrsus 96. 201. Vid. *hasta*.
tiara 400.
Tiberius Nero 628.
tibi dicitur, formula 311.
tibia 107. — *tibia Phrygia* 96. — tibiae bacchantium 201.
Tibris, Tiberis 545. 551. — *Tiberinus vox* 561. — *Tiberina aetia* 621.
tigres Gangeticae 203. — *Armeniae* 261. — *tigres et pantherae a Baccho domitae* 101. — *de tigride natus* in duro homine frequens oratio 211. — *tigris* priorem corripit 261. 581.
Timantis tabula immolationis Iphigeniae 438.
timeo cum infinit. 537.
timidus cum genit. 17. 145. 293.
tinus 354.
Tiresias 87. 94. 180.
Tiryathius 178. 231. 308. 619. 467.
Tisiphone 14. 124. 126. Vid. *Furiae*.
Titan 4. 194. 353. — Titania 19. — Titania, Diana 81. — Titania, Phoebe 4. — Titanis, Latona 190. — Titanis 526. 548. — Titanius 190.
Tithonus 247. 328. 504. 505.
titubo 133. 242. 238. 278. 381. 455. 493. 630.
Tityos 125.
Tlepolemus 465. 487.
tmesis 463.
Tmolus 398. 401. 463. — Tmolus et Tymolus 45. 173.
tollere 147. 342. 416. — *tolli* 256.
tonans 55. 402. 409. Vid. *latrans*.
tonitru secundum 242. — *tonitru* unde oriri crediderint veteres 6. 416. 439. 580. Vid. *fulmen*.
tortilis 523.
torus 187. 213. — *tori* 590.
torvus 520. 612. — *torvis* pro *torvis oculis* 173. Vid. *cani*.
totus sum in aliqua re 503.
Toxeus 269. 272.
trabs, arbor 77. 233. 274. 317. 369. 411. 427. 464. 547.
Trachas 621.
Trachin 406. 426.
traducere 606.
trahere 5. 12. 90. 93. 101. 135. 407. 479. 501. 579. 596. — *trahere aquas* 167. — *trahere lunam* 220. — *trahere naturam, colorem, ruborem, facies* 149. 408. 381. 20. — *trahere spem, vitam* 281. 209.
trajectio 330.
trajicere 471.
transferre bellum 437.
transformis, a Nasone novatum 302. Conf. 301.

transitus a singulari ad plur. 325. — a tempore historico ad praesens 616.
tremendus cum genitivo 68. Vid. *adjectiva.*
tremor rerum signum praesentiae deorum 347.
tremulus 73.
trepidare 611.
tribuli 518.
τριχυμία 42.
tricuspis, a Nasone novatum 17.
tridentifer et *tridentiger*, a Nasone novata 287. 402. Vid. *adjectiva.*
trieterica sacra 201. 338.
Trinacria 156. 162.
Trio 6.
Triones 43. 373.
Triopa 296. — Triopeïus 296.
triplex cuspis 468. 469.
Triptolemus 169. 170.
trisulci ignes 72.
Triton 17. 37. 524. — Tritonia et Tritonis 69. 79. 152. 172. 285. — Tritonica 191. — *Tritonis urbs*, Athenae 169.
Triton, lacus 598.
Trivia 54.
triumphus Romanus 26.
Troas 497.
Troezen 193. 594. — Troezen Pitthea 608.
Troja 401. 402. — Troja perjura 402. 403. — adversus Trojam quot Graecorum naves sint profectae 436. — Troja nova 513.
truncare olus 290.
tuba 96.
tumidus 22. 277. 623.
turba supplex 8.
Turnus 551.
turrita mater, Cybele 386.
Tuscus 99. 532. — Tuscum flumen 561.
Tyana 295.
Tydeus 553. — Tydides 470. 476. 492. 624.
Tymolus 394.
tympana 96. 390. 462. 107. — tympana in sacris Bacchi 121.
Tyndareus 177. — Tyndaridae 271. — Tyndaris 590.
Typhoeus 154. 156.
Typhon 341.
Tyros 96. 143. 594. — Tyrius 175. 324.
Tyrrhenus 610.

Ulixes 468. 472. 474. 475. 478. 479. 481. 484. 485. 486. 497. 531. 536. 537. 540. — Ulixei 536.
ulmorum usus 354.
ululatus 549. — ululatus bacchantium 95. 103. — *ululatus* in veneficio 219.
ulva 291.
unctionis apud veteres usus 359.
ungere 376.
Urania 151.
urere et *adurere* 569. — *uri in aliquo* 210. Vid. *ardere.*
urgere 125.
urna 579.
ursa 599.
Ursa, sidus 58. 76.
usque adeo 233.
usus 173. 365.
ut 119. 537. — *ut* ex antecedente *neu* vel *ne* repetendum 529. — *ut erat* cum adject. 47. 126. 184. 289. 311. 437. 472. Vid. *sicut.* — *ut non-sic* 555. — *ut-sic* 18.
uti in aliquo et *in aliquem* 443. 21.
utiliter 617.
utinam in protasi 96. 565.
utroque 569.

Vacare cum infinit. 504.
vacuus 87. 107. 574.
valere 477. — *valē valē* 94.
vapor 21. 80. 356.
varius 178.
varus 306.
vates 392.
vaticinantes furore divino corripi dicebantur 63
velare 19. 52. 348. 407. — *velari* 235.
velle cum infinit. pro imperativo 52. — singularis verbi *velle* usus 356.
vellus aureum 208. 209.
velum 381. — *velum theatri* 158.
vena 9.
venerandus cum genit. 68. Vid. *adjectiva.*
venia 350. — *veniam dare* 19.
Venilia 546.
venire in partem 278. 239.
venti fulminum et tonitruum causa 206. 416. Vid. *fulmen.* — ventorum fulvae pennae 207. — *ventis ferri* dicuntur, quae irrita fiunt 262.
Venulus 552. 556.
Venus 112. 113. 117. 128. 129. 328. 362. 376. 377. 387. 506. 510. 554. 559. 566. 569. 571. 624. 626.
verba excusantia 317. — *v. minora* 180. 190. — *verba precantia* 56. 318. — *v. puerpera* 376. — verba a Nasone novata 196. 329. 431. 530. 551. Vid. *adjectiva.* — verborum quartae conj. futurum in *ibor* pro *iar* 60. — verba motum significantia in modo agendi pro reciproco 165. — verba motum signifi-

cantia cum solo accusativo sine praep. 92. cum dativo pro accusat. Vid. *dativus*. — verba a *poly* ordientia primam producunt 466.
verber 250.
vernare 224.
verrere 207.
versus hypermetri 106. 139. 197. — versus Leonini 52. 550. 413. 485. Vid. *spondeus*. — monosyllaba in fine hexametri 578.
vertere arenam 419. — *vertere* cum ablat. 357. — *verti* et mutari cum abl. 108.
vespertilio 132.
Vesta 8. 622. 624. — Vestales 115.
vestigia 167. 286. — *vestigia*, plantae 25. 119. — *vestigia facere* 543.
vestis 122. 201. 291. — *vestis picta* 179. — vestes rumpuntur in luctu 91. Vid. *plangi* et *capilli*.
via 92.
vicinus 120.
victima alba 364. — victimae diis oblatae variae 138. — vict. mola salsa spargebantur 584.
Victoria 255.
victus et *vinctus somno* 404.
viderit 382.
vincula canum 274.
vini vis 232.
vipereae sorores 204. Vid. *Furiae*.
Virbius 610.
virgo 179. — *virgo* pro femina juvene 310. — *Virgo*, sidus 373. — *Virgo*, Minerva 60.
viridis color numinum aquarum 306. Vid. *caeruleus*.
vis 542. 398. — *vires* 298.
viscera 142. 204. 274. 281.
vitis alba 518. — vites jungebantur ulmis 564.
vitta 22. 53. 296. — *vittae* in sacris 145. 232. — *vitta crinalis* 105.
viva aqua 75.
vivax 20. 221. 464. 533.
vix, singularis particulae constructio 262. — *vix bene* 38. 74. 406. 569. 617. — *vix suus* 256.
vocalis 255.
vocare 408.
vocativus Graecorum nominum in *e* 457. 477.
volvere 165. 184. — *volvi* 49.
volumen 505.
volutare 439.
vomere animam 147.
vox parva 213.
Vulcanus 37. 68. 107. 112. 113. 214. 233. 319. 470. 479. 489. 490. — *Vulcania munera* 41.
vulgare corpus 362.
vulnus 341.
Vulturnus 620.
vultus 3.

Xanthus 46.

Zancle 514. 527. 594.
Zephyri et *Zephyrus* 6.
Zetes 205.
Zethus 178.
zeugma 75. 367. Vid. etiam *dilogia*.
zodiacus 41.

Lipsiae impressit Fridr. Henr. Elbert.

The borrower must return this item on or before the last date stamped below. If another user places a recall for this item, the borrower will be notified of the need for an earlier return.

Non-receipt of overdue notices does ***not*** *exempt the borrower from overdue fines.*

Harvard College Widener Library
Cambridge, MA 02138 617-495-2413



Please handle with care.
Thank you for helping to preserve library collections at Harvard.